


[illegible]

R.2.

IN LIBRVM PROVERBIORVM

siue Sententiarum Solomonis Regis sapientissimi, LVDOVICI LAVATERI TIGVRINI COMMENTARII, PAVLO locupletiores & multò castigatiores quàm antea editi.

IN his Commentarijs ostenditur non solùm singularum Sententiarum scopus: sed obscuri quoque ac uarij sensus explicantur. Illustrantur item pleræque sententiæ, similibus gnomis, Prouerbijs, Apophthegmatis & Exemplis, cùm ex sacris, tum ex prophanis scriptoribus depromptis. Accessit etiam libellus, in quo singulæ Sententiæ Solomonis, ad locos Theologicos, Ethicos, Politicos, Oeconomicos, & Miscellaneos referuntur. INDICES præterea rerum & uerborũ, locorumq́ scripturæ, qui in hoc libro explicãtur, adiecimus.



TIGVRI
Excudebat Christophorus Froschouerus, Mense Martio. M D LXXII.



PRVDENTIA ET PIETATE ORNATISSIMIS VIRIS, CONSVLIBVS TOTI'QVE SENATVI INCLYTAE REIPVblicæ Sangallensis, dominis suis plurimum obseruandis S. P. D.



VM superioribus annis, librum Prouerbiorum Solomonis, publicè pro suggestu ecclesiæ Tigurinæ, cuius minister sum, interpretari aggressus essem, amplissimi & clarissimi uiri, multa, non integras tantum sententias, sed & singula uerba diligenter consideranti, subinde occurrrebant, quæ ab alijs interpretibus nondum erant allata. Tanta enim est cum aliorum librorum ueteris & noui Testamenti, tum libri Prouerbiorum Solomonis fœcunditas, ut tametsi in eis explicandis omnium ingenia sudent: nunquam tamen omnia, quæ in hoc diuinæ sapientiæ thesauro latitant, satis perspici, nunquam exhauriri possint. Operæprecium igitur me facturum sperabam, si quæ inter exponendum obseruaui, annotarem, & communicato cum pijs eruditisq; uiris consilio, in publicum emitterem. Non quòd tantum in me ingenij atq; eruditionis esse putem, ut librum qui doctrinam tam copiosam & sublimem, multosq; locos penitus abditos, & retrusos continet, pro dignitate enarrare possim: sed partim, ut aliquam saltem obscurioribus sententijs lucem afferrem, eas'que studiosis hominibus paulò familiariores efficerem: partim ut Theologos multum & sæpe in hoc scribendi genere uersatos exercitatosq;, ad diligentiorem & accuratiorem huius libri interpretationem excitarem. Quemadmodum enim inepti citharœdi, non rarò peritos artifices, qui alioqui induci non possunt, ut citharam in manus sumant, suis ineptijs excitant: ita spero me quoque, si nihil aliud, hoc saltem, editione horum commentariorum consequuturum, ut aliquot præclara eruditione atque doctrina uiros, exuscitem ac commoueam, qui hunc librum melius feliciusq; sibi explicandum suscipiant. Hancq; ob causam, non pauca hinc inde posui, quæ ab eruditis diligentius peto explicari.

Pauciores ex ueteribus & recentioribus, in hunc librum scripserunt, quàm in alios, difficultate'ne rerum deterriti, an alias ob causas moti, non facilè dixerim: ego certè quotquot habere potui, diligenter euolui. Ex ueteribus legi Nicolai Lyrani annotationes, & glossam ordinariam, quæ ex Hieronymi, uel Bedæ potius, commentarijs tota ferè desumpta uidetur. Ex recentioribus legi Conradum Pellicanum, præceptorem meum, qui tota Biblia pijs commentarijs illustrauit: Philippum Melanchthonem, qui peculiarem rationem in expositione huius libelli sequutus, non singulas sententias explicauit: sed obscuriores tantum, uel illas potius, quas ueterum Græcorum & Latinorum sententijs illustrare uisum fuit. Habui etiam Rodolphi Bayni Cantabrigiensis, & sanctæ linguæ regij professoris Lutetiæ, in hunc librum Commentarios, in quibus singulos uersus exposuit, & omnes quotquot ex Hebræis eruere potuit interpretatio-

nes, in medium attulit, cuius sanè laboribus me non parum adiutum esse, libenter profiteor. Habui adhæc prælectiones Theodori Bibliandri, charissimi præceptoris & compatris nostri, quas in schola Tigurina habuit. Absolutis magna ex parte meis illis commentarijs, nactus sum, Cardinalis Caietani, & tandem Dionysij Ricelij Carthusani annotationes, quas si habuissem maturius, plura & cogitandi & scribendi ansam mihi præbuissent. Contuli tamen omnia ferè cum meis, & multa iam nunc à me posita inueniebam, præsertim ex sacris literis, quæ ante me Ricelius annotauerat. Scripserunt fortaßis alij quoq; ueteres & recentiores in hunc librum, quos mihi quidem nondum uidere contigit.

Cæterum non fuit meum consilium, omnia illa repetere, quæ ab alijs rectè & utiliter uidebantur tradita (hoc enim fuisset actum agere) sed ex omnibus interpretibus illas sententiarum explicationes desumpsi, quæ quàm aptißimæ esse uidebantur: easq; nouis exemplis & similibus sententijs, ut mox dicam, pro mea mediocritate illustraui. Quando eadem omnino, quæ alij habebant, fuerunt annotanda, dedi operam, ut quæ ab alijs obscurè, à me paulò planius: quæ breuiter & concisè, paulò uberius & prolixius traderentur. Expositiones uerò aliorum, quæ absurdæ & alienæ uidebantur, certo consilio non reprehendi: interim tamen ab eorum interpretatione quotiescunque uisum est, liberè disceßi. Idem quoque feci in uersionibus, ex omnibus enim illas sequutus sum, quæ maximè mentem authoris uisæ sunt exprimere: diuersitatis rationem, quæ ex ambiguitate uocum plerunq; dependet, paßim ostendi: de illis uerò uersionibus, quæ ab Hebraica ueritate longè uidebantur recedere, nihil fui solicitus.

Hanc autem ferè rationem in enarratione cuiusque gnomæ sequutus sum. Primùm non solùm singula uerba, quæ difficultatem aliquam habere uidebantur: sed etiam coniuncta, hoc est, loquutiones & phrases expendi: & quæ insigniora erant, ex uarijs lexicis, ut alios isto labore leuarem, annotaui. Quod idcirco moneo, ne quis me ponendo interdum Hebræas uoces Hebræorumq; sententias, laudem eruditionis putet affectare uoluisse. Publicè enim me fateri non pudet, quòd sanctæ huius linguæ studiosus sim, non professor, aut ita in ea uersatus, ut Hebræorum commentaria, uel legere, uel intelligere poßim. Secundo loco, indicaui quæ cuiusq; sententiæ Solomonis summa, uel quis scopus sit, aut ad quem locum communem poßit reduci. In illis uerò sententijs, quæ uarias interpretationes & expositiones habere possunt (quales in hoc libro non paucæ leguntur) præcipuas & maximè perspicuas duntaxat aßignaui: illas item, quæ apud alios interpretes non legebantur, ut doctioribus, eas iudicandi & plura cogitandi occasionem præberem. Usum quoque sententiarum, uariasq; obseruationes, non prætermisi. Tertio loco, similes sentētias, prouerbia, apophthegmata & exempla, tam ex sacris, quàm ex prophanis scriptoribus, adieci. Qua in parte me non accusandum spero, quasi sacra prophanis miscuerim, cum illæ quas adfero, uel hinc depromptæ sint, uel alioqui naturali lumini consentiant: adhæc ab illis qui mallent non esse positas, lectionis cursus facilè poßit abrumpi. Quarto loco, non raro quæ in specie dicta sunt, ad genus reduxi: contrarium quoque sæpe intuli: neque allegorias insigniores omisi, ut singularum sententiarum maiestas & amplitudo melius conspiceretur.

Hunc ipsum ordinem si studiosi sequantur, & alia quoq; obseruent, quæ rhetores, in

tractatione sententiarum, quam ipsi ἐργασίαν uocant, obseruanda præscribunt, non deerit eis amplissima uel dicendi, uel scribendi materia. Mihi quoque non omnino fuisset difficile, ad singularum sententiarum explicationem, plura ex omni scriptorum genere afferre: sed illis contentus esse uolui, quæ maximè ad rem præsentem pertinere uidebantur. Exempli causa, cum dicitur paupertatem oriri ex ebrietate, tantùm de hoc effectu loquor, alia multa quæ utiliter de alijs quoque ebrietatis effectis annotari poterant, breuitatis studio prætermitto. Deinde summa tantùm capita indico, aliquando prolixius quædam expono, ut illi qui scriptum hoc regium publicè enarrare uolunt, iuuari possint. Hanc ipsam quoq; ob causam, non omnia in unum locum contuli, quæ de aliqua sententia dicuntur: sed per totum librum sparsi, ut eiusdem rei repetitio, minus esset molesta. Res exemplis fiet manifesta. Multæ ponuntur sententiæ ijsdem ferè uerbis, de sacrificijs, muneribus, uxore bona & mala, iustis & iniustis opibus, &c. iam quæ in explicatione unius sententiæ non dicuntur, in altera dicuntur. Maluissent fortè quidam, quæ ad unam materiam pertinent, non esse distracta, sed in uno loco exposita: at hæc ratio uisa est mihi commodior. Remitto tamen lectorem ad alia loca, ubi eadem res est tractata. Adiunxi præterea in capite libri, methodum omniū sententiarum, quas in locos theologicos, morales, politicos, œconomicos & miscellaneos distinxi. Ab initio libri ad decimum usq; caput, conciones breues scripsi, nisi quòd quædam ad linguam pertinentia, & poëtarum dicta admiscui: in sequentibus uerò capitibus, breuitatis studio, exordia detraxi, eundem tamen ferè ordinem sequor, quem in concionibus sequutus sum. Habent certè, ni fallor, qui hunc librum publicè interpretari constituerunt, syluam quandam & materiam concionum.

Et profectò mihi admirandum uidetur, quid sit quod doctores ecclesiarum, hunc librum auditoribus suis non explicent, cum tam dulcem, utilem & necessariam doctrinam ad omnes uitæ partes, comprehendat. Etenim non solum tradit præcepta & admonitiones de rebus uulgaribus: sed de summis, de Deo, de prouidentia Dei, de scriptura, de fide, de cruce, de præmijs bonorum & pœnis malorum, de uirtutibus & uitijs, de instituenda republica & familiari, atq; alijs huius generis. Omnes fatentur Solomonem sapientissimum regem fuisse, afflatuq; spiritus sancti innumeras parabolas pronunciasse, ex quibus paucæ illæ, quæ hoc libro continentur, ueluti tabulæ quædam ex naufragio supersint: has igitur subinde hominibus inculcare conueniebat, præsertim cum illa docendi ratio, quando breues sententiæ traduntur, iuniorib. & adultis ualde sit accommodata: semper enim aliquæ hærent in memoria, quæ assiduæ sint monitrices, in omnibus nostris actionibus. Ne quis uerò ex imperitioribus, difficultatem libri causari possit, hanc qualemcunq; opem eis ferre uolui, aditumq; ad obscuriores locos patefacere. Cæterum non ingenio & arte, sed diligentia & labore fretus, hanc prouerbiorum Salo. expositionem contexui. Quanti uerò laboris fuerit hæc scriptio, omnes illi facilè sentient, quotquot exercitationis causa, aliquot duntaxat sententias sibi euoluendas & explicandas desument. Huius uerò laboris molestiam, cum utilitas, quam inde studiosos percepturos confido, tum rerum uarietas quæ hoc libro tractantur, non parum leuauit. Certè laborum quos ad explicandum sacras literas impēdimus, pigere nos non debet, cum uideamus, tot egregios uiros, tantum operæ & diligentiæ ad ueterum philosophorum, histori-

corum, & poëtarum explicationem contulisse. Rogo autem omnes quotquot hanc meam Prouerbiorum Solomonis interpretationem animo sincero & candido conscriptam, lectione dignabuntur, ut eam boni consulant, & in quibus cum sacris literis cōsentit, eam amplectantur, sicubi uerò à mente scriptoris recedere uidetur, eam repudient. Si quid à me peccatum est, mihi ignoscant, si quid mutandum, amicè & liberè admoneant: meliora enim afferentibus libentissimè cedam. Illos uerò homines, qui cum ipsi nihil laude dignum faciant, aliorum labores pro ecclesiæ ædificatione susceptos, temere reprehēdunt, nihil moror prorsus. Deum autem optimum precor, ut hūc meum laborem plurimis fructuosum esse uelit, atq; efficere, ut ad nominis sui gloriam, & animarum salutem cedat.

Has autem meas uigilias, uiri amplissimi, graues ob causas, in uestro nomine apparere uolui. Vetus enim hæc est consuetudo, & Christianis quoque hominibus usurpata, quòd bonarum artium, literarumq; studiosi, ingeniorum suorum fœtus, principibus uiris, de religione literisq; benemeritis dedicarunt, partim ut commemorandis eorum laudibus, cùm ipsis, tum alijs quoque, ad promouendum bonas literas & pietatē, stimulum admouerent: partim, ut amorem suum, gratamq; animi beneuolentiam erga eos testarentur: partim ut authoritatem suis scriptis conciliarent. Atq; hoc quidem loco, magna mihi oblata esset occasio scribendi, quomodo statim ab initio renascentis Euangelij, nihil eorum prætermiseritis, quæ ad ueræ puræq; religionis propagationem & conseruationem, quæ ad scholarum restitutionem, quæ ad curam pauperum, morumq; integritatem faciunt. Possem commemorare, quomodo uestrum oppidum multis claris & illustribus uirtutum exemplis abundet, contrà quàm uulgo fiat. Illæ enim urbes, in quibus frequentia est mercatorum, plerunq; sunt corruptissimæ, eò quòd ex omnibus nationibus uitia soleant importari. Possem multa referre de uestra constantia, grauitate & perseuerantia, in uarijs tentationibus & periculis: sed totum hunc locum prætereundum esse duxi, tum quia notior est uestra pietas & uirtus, quàm ut meo præconio indigeat, tum quòd sciam uos pro uestra modestia, laudibus illis non delectari. Ad alteram igitur causam uenio, ob quam studiosi libros suos excellentibus uiris offerunt, nempe ut gratam animi sui beneuolentiam declarent.

Magna fuit à multis annis uestræ Reip. cum nostra coniunctio, singularemq; uestram fidem & uirtutem, difficilibus temporibus, inq; acerbissimo ecclesiæ & Reipublicæ nostræ casu, experti sumus. Accedit adhac, quòd patri meo, non solum cum Ioachimo Vadiano consule uestro, singulari Heluetiæ nostræ lumine atq; ornamento, uetus amicitia intercessit: sed uos quoque omnes, uiri clarissimi, patrem meum ab eo tempore, quo Chiburgensem comitatum amplissimi S. P. Q. Tigurini nomine rexit, mirabili beneuolentia estis prosequuti, in arduis & difficilibus negocijs, eius opera non semel utendum esse iudicastis, eumq; plurimis beneficijs affecistis. Memini patrem meum mihi sæpe narrare, nullum esse oppidum excepta patria, cui se plus debere fateretur, in quo plures & constantiores amicos haberet. Neq; mihi dubium est, quin eius memoriam adhuc retineatis. His præcipuè causis adductus, uestro nomine hos commentarios, animi mei, non obscurum, ut puto, argumentum, omnino diuulgandos existimaui. Spero adhæc præclaram famam uestri oppidi, quod non tam linificio, quàm ueræ religionis libertatisq; constantia, est celeberrimum, meo huic libro nonnihil dignitatis & splendoris allaturam,

ut à

ut à pijs uiris auidius legatur, & longius latiusq́ spargatur. Quæ in ipso libro continentur, uestræ personæ dignitatiq́ ualde uidentur congruere: multæ enim sententiæ in eo leguntur, de instruendis, regendis, & conseruandis ciuitatibus. Sapientiam, hoc est, ipsum Dei filium, introducit loquentem, Per me reges regnant, & gubernatores iusta decernunt: per me principes imperant, illustresq́ sunt omnes orbis præsides. De bonis magistratibus loquens, Clementia, inquit, fidesq́ regem tuentur, eiusq́ solium clementia fulcitur. Regis solium, qui tenuibus ex æquo ius reddit, fixum erit in perpetuum. Animus regis est in manu Dei, quocunq́ libet, eum inflectit. Et qui sontem absoluit, & qui insontem damnat, utrumq́ æquè detestatur Dominus. Industria bellum geres, & in consultorum multitudine sita est uictoria, &c. Potuit autem Solomon optimè de his rebus loqui, cum à Deo excellenti sapientia instructus fuerit, & regis officio aliquot annis felicissimè functus sit. Quod superest, etiam atq́ etiam uos oro, uiri amplissimi & prudentissimi, ut hoc munusculum, si non meo labore, at certè Solomonis authoritate commendatum, pro uestra beneuolentia & humanitate, æqui boniq́ consulatis. Merebatur singularis eximiaq́ uirtus uestra, opus perfectum ingenio, & elaboratum industria: sed quando non omnes, quod maximè uolumus, perficere possumus, in rebus magnis conatus saltem est laudandus. Deus Optimus Maximus, uerus πολιοῦχος, Rempublicam & Ecclesiam uestram, miseris illis & extremis temporibus, semper florentem & incolumem conseruare dignetur. Datæ Tiguri, mense Augusto, Anno à natiuitate Christi,

1562.

Vestræ Amplitudinis

obsequentissimus,

Ludouicus Lauaterus.

LVDOVICVS LAVATERVS Lectori S. D.

QVIA sententiæ Solomonis, ratione & uia artis, quam Græci μέθοδον appellant, non sunt expositæ: singulas ad suos locos communes referre uolui: ut à studiosis sacrarum literarum, melius inquiri & inter se conferri possint. Locos uerò illos distinxi in Theologicos, Politicos, Oeconomicos, Ethicos, & Promiscuos, siue Miscellaneos. Etsi autem omnes hi loci, Theologici dici possunt: Theologicos tamen nunc uoco, qui propriè ad Theologiam pertinent, & ingenij humani industria non possunt perspici. Sub Miscellaneos locos, retuli uarias sententias, quæ reliquis non potuerunt commodè includi. Collegit ante me, uir pius & eruditus Thomas Beconus Anglus, ex omnibus libris Solomonis insigniores sententias, atque in locos cōmunes digessit, quibus Dauidis quoque, Iobi & Tobiæ adiunxit. Idem fortè alij quoque fecerunt. Ego uerò Prouerbia tantum ad suos titulos reducere uolui, nouamque distinctionem, quæ mihi commodior uisa est, sequi. Multæ sunt sententiæ, quæ propter uarios sensus, ad alios atque alios locos possunt referri. Notaui singulos suis numeris, quorum prior signat caput, posterior uersum capitis. Multum operę & laboris in dispositione huius libelli consumpsi, cuius me non pœnitebit, si pijs lectoribus utilem & gratum fuisse intelligam. Vale.

PROVERBIA SOLOMONIS AD CERTOS LOCOS COMMVNES relata, per Ludouicum Lauaterum.

Loci uel tituli.

I THEOLOGICI.

II. POLITICI.

III. OECONOMICI.

IIII. ETHICI.

V. LOCI PROMISCVI *uel Miscellanei.*

ALIVS INDEX HORVM LOCORVM SECVNDVM ORDINEM ALPHABETI.

Numerus signat Titulos uel Locos.

LOCI THEOLOGICI.

SCRIPTVRA, SAPIENtia, Lex. I.

1. 1. PARABOLAE Selomóh filij Dauid, regis Israel.

Vtilitas scripturæ.

2. Ad sciendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum eloquia intelligentiæ.

3. Ad suscipiendam eruditionem intelligentiæ, iustitiam, & iudicium, & rectitudines.

4. Ad dandum simplicibus calliditatem, puero scientiam & cogitationem.

5. Audiet sapiens, & addet doctrinam: & intelligens consilia possidebit.

6. Ad intelligendum parabolam, & elocutionem, uerba sapientum & ænigmata eorum.

2. 7. Deus recondet (illis qui sapientiam amplectuntur) rectis essentiam, scutum erit ambulantibus perfectè.

8. Vt custodiant semitas iudicij: & uiam misericordium eius custodiet.

30. 5. Omnis sermo Dei uelut igne purgatus, clypeus est sperantibus in se.

4. 8. Exalta sapientiam, & exaltabit te: glorificabit te, cum amplexatus fueris eam.

9. Dabit capiti tuo augmentum gratiæ, coronã decoris tradet tibi.

10. Audi fili mi, & suscipe eloquia mea, & multiplicabuntur tibi anni uitæ.

11. Per uiam sapientiæ docui te incedere: calcare feci te semitas rectas.

12. Cùm ambulaueris, non arctabitur gressus tuus: & si cucurreris, non impinges.

13. Apprehende correctionem, ne dimittas: custodi eam, quia ipsa est uita tua.

6. 22. Vsus præceptorum Dei ostenditur.

9. 11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni uitæ.

7. 5. Verbum Dei custodit nos à muliere aliena, &c.

3. 13. Beatus homo qui inuenit sapientiam, & homo qui producit in lucem intelligentiam.

Scripturæ uel sapientiæ præstantia & dignitas.

14. Quia melior est negotiatio eius negotiatione argenti, & auro melior est prouentus eius.

15. Preciosior est margaritis, & omnia desiderabilia tua non æquantur ei.

16. Longitudo dierum est in dextera illius, & in sinistra illius, diuitiæ & gloria.

17. Viæ eius uiæ delectabiles: & omnes semitæ eius pax.

18. Hæc lignum uitæ est apprendentibus eam: & qui tenent eam, beati.

6. Audite quoniam honorabilia loquar, & apertio labiorum meorum erit rectitudines.

7. Quia ueritatem loquetur palatum meum, & abominatio labiorum meorum est impietas.

8. In iustitia sunt omnia eloquia oris mei, non est in eis prauum nec peruersum.

6. Vniuersa ipsa recta sunt intelligenti, & recta inuenientibus scientiam.

10. Accipite eruditionem meam, & non argentũ: & scientia potius quàm aurum electum.

11. Quia melior est sapientia margaritis: & omnia desiderabilia non æquabuntur ei.

10. 29. Fortitudo perfecto est uia Iehouæ: & pauor operantibus iniquitatem.

13. 14. Lex sapientis est ut uena uitæ, ut recedatur à laqueis mortis.

19. 16. Qui custodit mandatũ, custodit animam suam: sed qui contemnit uias suas, morietur.

Exhortatio ad studium legis uel sacræ scripturæ.

3. 1. Fili mi, legis meæ ne obliuiscaris, & præcepta mea custodiet cor tuum.

2. Quia longitudinem dierum, & annos uitæ, & pacem apponent tibi.

22. 17. Inclina aurem tuam, & audi uerba sapientum: & cor tuum appone scientiæ meæ.

18. Quia delectabile est si custodieris ea uerba in uentre tuo, & dirigantur pariter in labijs tuis.

19. Vt sit in Iehoua fiducia tua, scire te feci hæc hodie, etiam tu custodi ea.

20. Nónne scripsi tibi ter, in consilijs & scientia?

21. Vt notam facerem tibi ueritatem eloquiorum ueracium, ad respondendum eloquia ueritatis mittentibus ad te.

Vtilitas scripturæ.

3. 21. Fili mi, ne recedant hæc ab oculis tuis: custodi legem & cogitationem.

22. Et erũt uita animæ tuæ, & gratia gutturi tuo.

23. Tunc ambulabis cum fiducia uiam tuam, & pes tuus non impinget.

24. Si accubueris, nõ timebis: cum quiesces, suauis erit somnus tuus.

25 Non timebis à pauore repentino, & à desolatione impiorum cum uenerit.

26. Quia Iehoua erit fiducia tua, & custodiet pedem tuum à captione.

4. 5. Compara sapientiam, compara intelligentiam: ne obliuiscaris, neq; declines ab eloquijs oris mei.

6. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam & conseruabit te.

7. Principium sapientia: acquire igitur sapientiã, & omni substantia tua acquire intelligentiam.

18. Fili mi, uerbis meis attende, ad eloquia mea inclina aurem tuam.

19 Ne recedãt ab oculis tuis, sed custodi ea in medio cordis tui.

20 Vita enim sunt inuenientibus ea, & uniuersæ carni suæ sanitas.

7. 1. Fili mi custodi sermones meos, & præcepta mea reconde apud te.

2. Custodi præcepta mea, & uiues: & legem meã tanquam pupillam oculorum tuorum.

3 Alliga

3. Alliga ea digitis tuis, scribe ea in tabula cordis tui.
4. Dic sapientiæ, Soror mea es tu: & propinquam, intelligentiam uoca.
5. Vt custodiant te à muliere aliena, ab extranea quæ sermones suos lenit, &c.
8.32. Nunc igitur filij obtemperate mihi: & beati qui uias meas custodient.
33. Audite eruditionem, & sapientes estote, & ne repellatis eam.
34. Beatus homo qui auscultat mihi, excubando iuxta fores meas quotidie, obseruando postes ostiorum meorum.
35. Nam qui inuenit me, inuenit uitam, & haurit uoluntatem à Iehoua.
36. Qui autem peccat contra me, spernit animam suam: omnes qui odio habent me, diligunt mortem.
10.8. Sapiens corde suscipiet præcepta: & stultus labijs impinget.
23.12. Applica eruditioni cor tuum, & aures tuas admoue eloquijs scientiæ.
24.13. Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum, qui dulcis est palato tuo.
14. Sic cognitio sapientiæ suauis erit animæ tuę, si inueneris eam: & erit merces: & expectatio tua non excidetur.
19.16. Qui præceptionē seruat, uitam suam seruat: qui suas actiones spernit, morietur.

Quomodo paranda sacræ scripturæ intelligentia.

2.1. Fili mi, si susceperis uerba mea, & mandata mea absconderis apud te.
2. Vt attendere facias sapientiæ aurem tuam, & si inclinaueris cor tuum intelligentiæ.
3. Imò si ad intelligentiam clamaueris, & intelligentiæ dederis uocem tuam.
4. Si quæsieris eam tanquam argentum, & sicut thesaurus scrutatus fueris eam.
5. Tunc intelliges timorem Iehouæ, & cognitionem Dei inuenies.
6. Quia Iehoua dat sapientiam, ex ore eius egreditur cognitio & intelligentia.
9. Tunc intelliges iusticiam, & iudicium, & rectitudines, & omnem semitam bonam.
10. Quando intrauerit sapientia cor tuum: & cognitio animæ tuæ dulcis fuerit.
11. Cogitantia custodiet te, & intelligentia conseruabit te.
30.6. Ne addas uerbis eius, ne fortè increpet te, & mendax deprehendaris.

2 DEVS PATER & FILIVS.

30.4. Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti?

Christus homines ad se uocat.

20. Sapientia foris clamitat, in plateis ipsis dat uocem suam.
21. In capite tumultuantium clamat, in ostijs portarum, in urbe ipsa eloquia sua dicit.
22. Vsq; quò simplices diligetis simplicitatem: & derisores derisionem desiderabunt, & stulti odio habebunt scientiam?
23. Conuertimini ad increpationē meam, en depromam uobis spiritum meum, scire uos faciam uerba mea.
24. Propterea quòd uocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui attenderet.
25. Et cessare fecistis omne consilium meum, & increpationem meam noluistis.

Pœna illorum qui uocantem non sequuntur.

26. Etiam ego in contritione uestra ridebo: subsannabo, cum uenerit timor uester.
27. Cum inquam uenerit sicut desolatio, timor uester: & contritio uestri ueluti turbo uenerit, cum uenerit super uos tribulatio & angustia.
28. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane quærent me, & non inuenient me.

Contemptus uerbi Dei.

29. Eo quòd oderunt scientiam, & timorem Iehouæ non elegerunt.
30. Neq; acquieuerunt consilio meo, spreuerunt uniuersam increpationem meam.
31. Comedent igitur de fructu uiæ suæ, & consilijs suis saturabuntur.
32. Quia requies simplicium interficiet eos: & prosperitas stultorum perdet eos.
33. Qui autem obedit mihi, habitabit confidenter, & requiescet à timore mali.
8.1. Nonne sapientia clamat, & intelligentia dat uocem suam?
2. In summitate locorum excelsorum, iuxta uiā, in loco semitarum stat.
3. In loco portarum, in ostio ciuitatis, in ingressu ostiorum clamat.
4. Ad uos ô uiri clamo, & uox mea ad filios hominum.
5. Intelligite simplices astutiam, & stolidi intelligite corde, &c.
8.12. Ego sapientia habito in astutia: & scientiam cogitationum inuenio.
13. Timor Iehouæ est odio habere malum, superbiam & arrogantiam, & uiam malam, & os loquens peruersitates odi.
14. Penes me est consilium & sapientia, ego sum intelligentia, mea est fortitudo.

Opera filij Dei.

15. Per me reges regnant, & principes decernunt iusticiam.
16. Per me principes dominantur, & principes, & omnes iudices terræ.
17. Ego diligentes me diligo: & quærentes me inueniunt me.
18. Diuitiæ & gloria mecum sunt, substantia stabilis, & iusticia.
19. Melior est fructus meus auro & obrizo, & prouentus meus argento electo.
20. Per semitam iusticiæ deduco, in medio semitarum iudicij.
21. Vt diligētes me hæreditare faciam esse perpetuum, &

tuum,& thesauros eorum repleam.

Filius Dei fuit ab æterno.

22. Iehoua possedit me principio uiæ suæ, ante opera sua ex eo tempore.
23. A' seculo principatum habui, à principio, ante terram.
24. Cum nondum essent uoragines, formata sum, cum nondum essent fontes abundantes aquis.
25. Antequam montes fundati essent, ante colles formata sum.
26. Nondum fecerat terram, & plateas, & summitatem puluerum orbis.

3. CREATIO.

27. Quando præparabat cœlos, illic eram: quando describebat circulum in superficie abyssi.
28. Quando firmabat cœlos desuper, quando roborabat fontes abyssi.
29. Quando ponebat mari statutum suum, & aquis, ne transirent littus suum: quando describebat fundamenta terræ.
30. Eram apud eum ueluti alumnus, & eram in læticijs quotidie, & ludo coram illo omni tempore.
31. Ludo in orbe terræ eius, & delectatio mea cũ filijs hominum.
20.12. Aurem audientem, & oculum uidentem Iehoua fecit etiam ambo ista.
3.19. Iehoua in sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos in intelligentia.
20. In scientia eius abyssi ruperunt sese, & cœli stillant rorem.
26.10. Magnus creat omnia, & mercedem dat transgressoribus.
30.4. Quis ascendit in cœlum, & descendit? quis collegit uentum in pugillis suis? quis congregauit aquas in uestimento? quis stabiliuit omnes terminos terræ?

4. PROVIDENTIA DEI.

16.1. Hominis sunt præparationes cordis: sed à Iehoua est responsio linguæ.
9. Cor hominis excogitat uiam suam: Iehoua autem dirigit gressum eius.
22.12. Oculi Iehouæ custodiunt scientiam,
20.24. A' Iehoua gressus uiri diriguntur: homo autem quomodo intelliget uiam suam?
16.7. Cuius uiæ Deo placent, illius hostes conciliat ei.
21.1. Velut riuuli aquarum est cor Regis in manu Iehouæ: ad omne quod uult inclinat illud.
16.33. In sinum proijcitur sors, & à Iehoua est omne iudicium eius.
29.26. Multi quærunt faciem dominantis, & à Iehoua proficiscitur iudicium uniuscuiusque.
19.21. Multæ cogitationes sunt in corde uiri: consilium autem Iehouæ permanet.
21.30. Non est sapientia, neq; intelligentia, neq; consilium contra Iehouam.
31. Equus paratus est ad diem belli: sed Iehouæ est ipsa salus.
18.10. Vt turris fortis est nomẽ Iehouæ: ad ipsum curret iustus, & exaltabitur.
16.3. Deuolue ad Iehouam opera tua: & firmabuntur cogitationes tuæ.
3.6. In omnibus uijs tuis recognosce eum, & ipse diriget semitas tuas.

5. PRAEDESTINATIO.

16.4. Omnia operatus est Iehoua propter seipsum: & etiam impium ad diem malum.

6. DEVS καρδιογνώστης.

15.3. In omni loco oculi Iehouæ contemplantes malos & bonos.
20.27. Lucerna Iehouæ est animus hominis, qui inuestigat omnia interiora uentris.
5.21. In conspectu domini sunt uiæ uiri, & omnes semitas eius ponderat.
16.2. Omnes uiæ uiri mundæ sunt in oculis suis: sed qui ponderat spiritus, est Iehoua.
21.2. Omnis uia uiri recta est in oculis eius: ponderat autem corda Iehoua.
25.3. Cœlorum altitudinis, & terræ profunditatis, & cordis Regum non est inuestigatio.
15.11. Infernus & perditio sunt corã Iehoua, quãto magis corda filiorum hominum?
17.3. Est conflatorium argento, & caminus auro, at probat corda Iehoua.

7. ECCLESIA.

9.1. Sapientia ædificauit domum suam, excidit columnas suas septem.
2. Immolauit uictimam suam, miscuit uinum suum, etiam apparauit mensam suam.

8. DOCTORES ECCLESIAE.

3. Misit puellas suas, uocauit: super summitates excelsorum ciuitatis, dicendo,
4. Quisquis est simplex, declinet huc, carẽti corde, dixit quoq;,
5. Venite, comedite panem meum, & bibite de uino quod miscui.
6. Relinquite simplices uiam uestram, & uiuetis: & incedite per uiam intelligentiæ.
11.30. Fructus iusti est ueluti arbor uitæ, & qui docet animas, est sapiens.

Plura habes in tit. de commodis linguæ bonæ.

9. ANTICHRISTVS.

9.13. Mulier stulta tumultuatur, simplex est, & nescit quicquam.
14. Et sedet ad ostium domus suæ super sedem, in locis excelsis ciuitatis.
15. Vt uocet transeuntes per uiam, qui dirigunt semitas suas, dicens.
16. Quisquis est simplex, declinet huc, & carenti corde dixit.
17. Aquæ furatæ dulces sunt: & panis absconditus suauis est.
18. Et nescit simplex, quòd mortui sunt ibi, in profundis inferni sunt inuitati ab ea.

Huc pertinet Apostatæ descriptio 6. cap.

10. FALSI DOCTORES.

2.12. Sapientia eruet te à uia mala, à uiro loquente peruersitates.
13. Qui derelinquunt semitas rectas, ut ambulẽt per uias tenebricosas.
14. Qui lætantur facere malum, exultant in per-

uersitatibus mali.

15. Quorum semitę peruersę sunt, et peruersi sunt in uijs suis.

19.27. Cessa fili mi audire institutionem, quæ est ut aberres ab eloquijs scientiæ.

28.10. Qui errare facit rectos per uiam malam, in foueam suam ipse corruet: at perfecti, hæreditate accipient bonum.

Vide tit. de Lingua mala, & de Impijs: item de Falsis testibus.

11. OMMES HOMINES sunt peccatores.

20.9. Quis potest dicere, Mundaui cor meum, mundatus sum à peccato meo?

24.16. Septies cadit iustus & resurgit.

12. CONFESSIO PECcatorum.

28.13. Qui tegit scelera sua, nunquam aget prosperè: qui uerò confitetur, & derelinquit, misericordiam consequitur.

13. HOMINES RERVM DIuinarum sunt ignari.

30.2. Sanè stultior sum quolibet, nec est intelligētia hominis mihi.

3. Neq; didici sapientiam, nec scientiam sanctorum noui.

14. PIETAS SIVE TImor Dei, Fides.

1.7. Timor Iehouæ principium scientiæ: sapientiam & eruditionem stulti despexerunt.

9.10. Principiū sapientiæ, timor Iehouę: & scientia sanctorum, intelligentia.

15.24. Timor Iehouæ eruditio sapientiæ.

3.5. Fide Iehouæ toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne innitaris.

7. Ne sis sapiens in oculis tuis: time Iehouam, & recede à malo.

24.21. Time Deum fili mi.

23.17. In timore Domini persta toto die.

30.26. Cuniculi sunt populus non fortis, attamen ponunt in petra domum suam: sic in Deo ponenda fiducia.

16.6. In timore Dei receditur à malo.

14.26. In timore Iehouæ est fiducia fortitudinis: & filijs eius erit spes.

22.4. Propter humilitatem et timorem Iehouæ, diuitiæ, & gloria, & uita.

10.27. Timor Iehouæ apponit dies: & anni impiorum breuiantur.

22.19. Custodiendum uerbum ut Deus sit fiducia tua.

3.8. Sanitas enim erit umbilico tuo, & medulla ossibus tuis.

14.27. Timor Iehouæ uelut uena uitæ, ut recedatur à laqueis mortis.

19.23. Timor Iehouæ ad uitam, & satur commorabitur: non uisitabitur malo.

28.25. Qui fidit Domino, impinguabitur.

14. Beatus homo qui pauet semper: sed qui indurat cor suum, corruet in malum.

16.20. Et confidens in Iehoua beatus est.

15. SPES.

10.28. Expectatio iustorum lætitia: & spes impiorum peribit.

16.20. Beatus est, qui sperat in Domino.

13.12. Expectatio quæ protrahitur, infirmitas est cordis: & ut lignum uitæ est desiderium ueniens.

14.32. Sperat in morte sua iustus.

25.19. Vt dens confractus & pes labens, sic est fiducia præuaricatoris in die angustiæ.

11.7. Cum mortuus fuerit homo impius, perit spes: & expectatio iniquorum peribit.

CHARITAS, quære in Ehicis locis.

16. SACRIFICIVM.

15.8. & 21.27. Sacrificium impiorum est abominatio: quanto magis si cum scelere obtulerint illud?

3. Facere iustitiam & iudicium magis est electum Iehouæ, quàm sacrificium.

17. ORATIO.

15.8. Sacrificium impiorū est abominatio Iehouæ: oratio autem rectorum beneplacitū eius.

1.28. Deus contemptores uerbi non exaudit.

29. Longinquus est Iehoua ab impijs: sed orationem iustorum exaudit.

28.9. Qui remouet aurem suam ne audiat Legem, etiam oratio eius erit abominatio.

18. VOTA.

20.25. Laqueus est homini deglutire sanctificatum: & post uota, quærere.

19. PIORVM ET IMPIOrum mores & exitus.

14.2. Qui ambulat in rectitudine sua, timet Iehouam: sed peruertens uias suas, despicit eum.

11.23. Desyderium iustorū est tantummodo bonum: præstolatio impiorum, furor.

16.17. Via rectorum est declinare à malo: custodit animam suam, qui custodit uiam suam.

21.15. Lætitia est iusto facere iudicium: at contritio est operantibus iniquitatem.

4.16. Semita autem iustorum uelut lux luciferi progreditur, & illuminat usque ad perfectum diem.

17. Via autem impiorum sicut caligo: nesciunt in quid impingant.

10.16. Opus iusti est ad uitam, prouentus uerò impij est ad peccatum.

28.18. Qui ambulat integrè, saluus erit: peruersus autem uijs cadet semel.

11.3. Perfectio rectorum deducit eos: peruersitas autem præuaricatorum perdit eos.

10.7. Memoria iusti erit in benedictionē: & nomen impiorum putrescet.

11.8. Iustus de angustia liberatur, impius autem uenit loco eius.

13.25. Iustus comedit ad saturitatem animæ suæ: uenter autem impiorum egebit.

10.30. Iustus in seculum non commouebitur: impij autem non habitabunt in terra.

9. Qui ambulat perfectè, ambulat confidenter:

& qui

& qui deprauat uias suas, conteretur.

10. 6. 19. 28. Benedictiones sunt super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitatem.

12.2. Bonus haurit beneplacitum à Iehoua: & uirum malarum cogitationum condemnabit Deus.

20. 7. Ambulantis in perfectione sua iusti, beati erunt filij eius post eum.

21. 18. Pro redemptione iusti dabitur impius, & pro rectis præuaricator.

11. 6. Iusticia rectorum eruet eos, at propter prauitatem suam præuaricatores capientur.

12.28. In semita iusticiæ est uita: & uia semitæ eius non est mors.

11. 5. Iusticia perfecti dirigit uiam eius: sed propter impietatem suam corruet impius.

12.13. Egredietur de angustia iustus.

25. 26. Vt fons conculcatus, & uena corrupta est iustus inclinans sese coram impio.

12. 21. Non accidet iusto ulla iniquitas: impij autẽ repleti sunt malo.

14. 19. Incuruant se mali coram bonis: & impij sunt ad portas iusti.

2.21. Recti inhabitabunt terram, & integri superstites erunt in ea.

13.6. Iusticia custodit perfectum uia: impietas autem peruertet peccatorem.

6.12. Homo impius, uir iniquus, ambulat in peruersitate oris.

13. Annuit oculis suis, loquitur pedibus suis, docet digitis suis.

14. Peruersitates sunt in corde eius, machinatur malum omni tempore, contentiones immittit.

6.13. Ideo extemplò ueniet contritio eius, subitò conteretur, & non erit medela.

12. 12. Desiderat impius rete malorum: radix autem iustorum dabit fructum suum.

16. 30. Claudens oculos suos ad excogitandum peruersitates, mouet labia sua, perficit malum.

29. Vir iniquus seducit proximum suum, & ambulare facit eum per uiam non bonam.

21.10. Anima impij desiderat malum: non est gratus in oculis eius amicus eius.

4. 14. Impij non dormiunt, nisi malefecerint, &c.

16.27. Vir impius fodit malum: & labijs suis est ut ignis ardens.

8. 5. Viri mali non intelligunt iudicium: quærentes autem Iehouam intelligunt omnia.

21. 29. Roborat uir impius faciem suam, rectus autem, ipse disponit uiam suam.

10. 23. Velut risus est stulto facere abominationẽ: sapientia uerò est uiro intelligentia.

24. 2. Malorum labia iniquitatem loquuntur.

28. 4. Derelinquentes legem: laudant impium: at custodientes legem contendunt cum eis.

17. 4. Malus attendit labio iniquo: mendax auscultat linguæ prauæ.

26. 11. Vt canis reuertitur ad uomitum suum, sic stultus iterans stulticiam suam.

13.19. Desideriũ factũ dulce est animę: & abominatio stultorum est recedere à malo.

11. 18. Impius facit opus mendax: seminanti autem iusticiam erit merces stabilis.

19. Sic iusticia est ad uitam: qui uerò sequitur malum, ad mortem suam tendit.

21. Inuersa est uia uiri, & aliena: mundi autem uiri rectum est opus.

6. 18. Inter sex quę odit dominus ponitur cor, quod molitur iniquas cogitationes, & pedes festinantes ad malum.

14. 14. Vijs suis saturabitur auersus corde: & ab eo auertetur uir bonus.

13. 21. Peccatores insectatur afflictio: iustis autẽ Deus reddet bonum.

10.25. Vt transit turbo, sic non erit impius: iustus autem est ut fundamentum perpetuum.

Impiorum interitus.

1.27. Impiorum interitus ut turbo ueniet.

2.22. Impij uerò de terra succidentur, & præuaricatores uel perfidiosi eradentur ex ea.

18. 3. Quando uenit ad nos impius, uenit etiam contemptus, & cum uiro ignominioso opprobrium.

29.6. In præuaricatione uiri mali est laqueus: iustus autem cantabit & lætabitur.

11. 21. Etiamsi manus ad manum, non erit innocens malus: semen autem iustorum euadet periculum.

21.12. Considerat iustus domum impij: subuertit Iehoua impios propter malum.

5. 22. Iniquitates capient ipsum impium, & funibus peccati sui tenebitur.

23. Ipse morietur, eò quòd non audiuit eruditionem: & propter multitudinem stulticię suæ errabit.

12. 3. Non erit stabilis homo in impietate: radix autem iustorum non dimouebitur.

22. 5. Spinæ & laquei sunt in uia peruersi, qui custodit animam suam, elongabit se ab illis.

33. Maledictio Iehouæ est in domo impij: habitaculo autem iustorum benedicit.

14.32. Propter malitiam suam expelletur impius: sperat autem in morte sua iustus.

11. Domus impiorũ delebitur, sed tabernaculum rectorum florebit.

2. 7. Euertet Deus impios, & non erunt: domus autem iustorum stabit.

22.12. Deus peruertit res præuaricatoris.

1. Qui seminat iniquitatem, metet iniquitatem, & uirga iræ eius consumabitur.

13. 9. Lux iustorum exhilarat, lucerna autem impiorum extinguetur.

29.16. Cum multiplicati fuerint impij, multiplicabitur præuaricatio, iusti autem ruinam illorum uidebunt.

51.9. Abominatio Iehouę est uia impij, sectantem autem iusticiam diligit.

23.20. Abominatio Iehouæ sunt peruersi corde, & perfecti uia beneplacitum eius.

26.27. Qui fodit foueam cadet in eam, & qui uol-

uit lapidem, ad eum reuertetur.

De impijs habes plura in tit. de Stultitia.

20 ILLVSORES.

15.12. Non amat illusor increpantem se: ad sapiẽtes non accedit.
14.6. Quærit derisor sapientiam, & nõ inuenit.
13.1. Derisor non audit increpationem.
9.12. Si sapiens fueris, sapiens eris tibi: si uerò illusor, solus lues pœnas.
29.8. Homines illusores illaqueant ciuitatem, &c.
3. Illusoribus ipse illudit.
19.29. Parata sunt illusoribus iudicia, & contritiones corpori stultorum.

21. HYPOCRITAE.

30.12. Est & generatio, quæ munda est in oculis suis, & à sorde sua non est abluta.
11.9. Ore hypocrita corrumpit amicũ suum: sciẽtia autem iusti eruuntur.
19.28. Os impiorum tegit iniquitatem.

22. INFERNI POENAE.

11.31. Ecce iusto in terra reddetur: quanto magis impio & peccanti?
15.11. Infernus & perditio sunt coram Domino.

23. COGITATIONES.

12.5. Cogitationes iustorum sunt iudicium, consilia uerò impiorum dolus.
12.2. Virum malarum cogitationum condemnabit Deus.
24.8. Cogitantem malefacere, eum uirum cogitationum malarum uocabunt.
9. Cogitatio mala stulti, est peccatum: & abominatio hominum derisor.
14.22. Nónne errant cogitantes malum? misericordia autem & ueritas cogitantibus bonum.
5.2. Attende sapientiæ, ut custodias cogitatus, &c.
15.26. Abhominatio Iehouæ sunt cogitationes uiri mali: at mundis sunt eloquia pulchra.
6.18. Inter sex quæ Deus odit, ponit Cor quod molitur cogitationes iniquas, pedes festinantes ut currant ad malum.

Promissiões corporales hinc inde dispersæ sunt.

De afflict. uide in tit. de Correctione.

LOCI POLITICI.

1. PRINCEPS VEL MAGISTRATUS. 24.

Institutio boni principis.

31.1. VERBA Lemuel regis, & prophetia qua erudiuit eum mater sua.
2. Quid fili mi? & quid fili uteri mei? & quid fili uotorum meorum?
3. Ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, & uias tuas, ad delendum Reges.
4. Non est Regum ô Lemuel, non est Regum bibere uinum, & principum non est sechar.
5. Ne fortè bibat, & obliuiscatur statuti, & mutet iudicium omnium filiorum afflictorum.
6. Date siceram pereunti, & uinum ijs qui amaro animo sunt.
7. Vt bibat, & obliuiscatur egestatis suæ, & calamitatis suæ non recordetur amplius.
8. Aperi os tuum muto, ad iudicium omnium filiorum transitus.
9. Aperi os tuum, iudica iusticiam: & iudiciũ pauperis & egeni.
29.7. Cognoscit iustus causam pauperum: impius non intelligit scientiam.
16.10. Diuinatio est in labijs Regis: in iudicio non præuaricatur os eius.
13. Beneplacitum Regum labia iusta: & loquentem recta diligunt.
17.7. Non est decorum stulto labium excellens: quanto magis principi non est decorũ labium mendax.
1. Etiam hæ sunt parabolę Solomonis, quas trãstulerunt uiri Ezechiæ regis Iuda.
2. Gloria Dei est celare uerbum: & gloria Regum scrutari uerbum.
25.3. Cordis Regum non est inuestigatio.
8.15. Per me Reges regnant, &c.
24.11. Erue eos qui raptantur ad mortem, & eos qui diuertunt ad occisionem: num conntinebis te?
12. Si dixeris, Profectò ignorauimus istud: nónne qui ponderat corda, ipse intelliget: & qui custodit animã tuam, ipse cognoscet, reddetq́ homini secundum opus suum?
22.22. Ne diripias pauperẽ, quia pauper est: neq́ conteras egenum in porta.
23. Quia Iehoua iudicabit causam illorum, & rapiet à rapientibus eos, animam.
17.15. Iustificans impium, & qui iustum facit impium, abominatio Iehouæ sunt etiam ambo ipsi.
16.13. Loquentem recta Reges diligunt.
24.26. Labia deosculabitur qui respondet uerba recta.
30.21. Propter tria commouet se terra, imò propter quatuor non potest sustinere.

Seruorum dominatus.

22. Propter seruum, quum regnauerit: & stultũ, cum saturatus fuerit pane.
19.10. Non est decora stulto delectatio: quanto minus decet seruum dominari principibus?

2. IRA PRINCIPIS. 25.

28.15. Vt leo rugiens, & ursus esuriens, est princeps impius super populum pauperem.
19.12. Veluti rugitus catuli leonis est ira Regis: & sicut ros super herbam beneuolẽtia eius.
20.2. Rugitus tanquam leunculi est terror Regis: qui irascitur illi, peccat contra animam suam.

16.14. Ira

16. 14. Ira Regis est ut nuncius mortis: at uir sapiens remouebit eam.

15. Quum illuxerit facies Regis, erit uita: & beneuolentia eius erit ueluti nubes effundens serotinam pluuiam.

20. 8. Rex qui sedet super solium iudicij, dispergit oculis suis omne malum.

3. SVPPLICIA SVMPTA de facinorosis. 26.

26. Dispergit impios Rex sapiens, & reducit super eos rotam.

17. 15. Qui improbum absoluit, & qui iustum cōdemnat, Deo est abominationi.

21. 11. Quum iudex mulctat derisorem, simplex efficitur sapiens, & quum instituunt sapientiam, accipit scientiam.

24. 24. Dicenti impio, iustus es: maledicent populi, detestabuntur eum nationes.

25. Sed increpantibus impium suauis erit Iehoua, & super eos ueniet benedictio boni.

Vide locum de Correctione.

4. CONSERVATIO regnorum. 27.

14. 34. Iusticia exaltat gentem: at ignominia est populis peccatum.

28. 2. Propter præuaricationem regionis, multi principes eius: at propter hominem intelligentem & scientem, sic prolongabitur regnum.

29. 4. Rex in iudicio stabilem reddit terram, uir autem, &c.

29. 14. Regis qui iudicat in ueritate pauperes, thronus in æternum firmabitur.

16. 12. Abominatio Regibus est facere impietatē, quia in iusticia confirmabitur solium.

20. 28. Misericordia & ueritas custodient Regē, & fulciet per misericordiam solium suum.

28. 16. Dux carens intelligentijs, multiplicat rapinas, sed qui odio habet auaritiam prolongabit dies.

29. 18. Quum non est uisio, dissipatur populus, custodiens autem legem beatus.

25. 4. Aufer scorias de argento, & prodibit argentario uas preciosum.

5. Remoue impium à conspectu Regis, & firmabitur in iusticia solium eius.

29. 8. Homines derisores illaqueant ciuitatem, sapientes uerò auertunt furorem.

11. 11. Propter benedictionem rectorum exaltatur ciuitas, & ore impiorum subuertitur.

28. 28. Dum euehuntur impij, abscondit se homo: quum uerò pereunt, multiplicantur iusti.

Fœdera.

11. 21. & 16. 5. Manus ad manum non innocens erit malus.

29. 2. Quando dominātur iusti, lætatur populus, & cum dominatur impius, gemit populus.

11. 10. Felicitate iustorum lætatur ciuitas, & cum pereunt impij, erit exultatio.

28. 12. Quum exultant iusti, multa est gloria, & cū euehuntur impij, abscondit se homo.

5. SVBDITI REGIS. 28.

14. 28. In multitudine populi est gloria Regis, & cum non fuerit populus, est attritio principis.

29. 12. Dominatoris attendentis uerbo mendaci, omnes ministri sunt impij.

6. QVOMODO AGENDVM in iudicio. 29.

De litibus iudiciarijs uide Tit. de contentionibus & rixis.

25. 9. Causam tuam age cum proximo tuo, & secretam alteri ne reueles.

10. Ne fortè probris afficiat te audiens, & infamia tua non auertatur.

7. LEGES. 30.

22. 28. & 23. 10. Ne transferas terminum antiquū, quem fecerint patres tui.

13. 14. Lex sapientis est ut uena uitæ, &c.

Vide in titulo de Scriptura uel lege.

8. RESPECTVS PERsonarum. 31.

24. 23. Etiam hæc ad sapientes pertinent.

2. Agnoscere faciem in iudicio, non est bonum.

28. 21. Agnoscere faciem in iudicio: non est bonum, & ob buccellam panis præuaricatur uir.

18. 5. Accipere personam impij non est bonum, ut declinare faciant iustum in iudicio.

9. CONSILIVM, BELLVM. 32.

24. 5. Vir sapiens est in fortitudine, & uir peritus roborat uires.

24. 6. Quia consilijs facies bellum, & salus sita est in multitudine consiliariorum.

21. 31. Equus paratus ad diem belli, sed Deus confert uictoriam.

20. 18. Cogitationes consilio firmātur, & consilijs fac bellum.

21. 22. In ciuitatem fortium ascendit sapiens, & deijcit robur fiduciæ eius.

15. 22. Dissipantur cogitationes quando non est consilium, sed multitudine consiliariorum firmantur.

11. 14. Quum non fuerint consilia, corruet populus: salus autem in multitudine consultorum.

De consilijs uide locos Ethicos.

10. CORRVPTELA MVnerum. 33.

17. 8. Vt lapis preciosus est munus in oculis domini sui: ad omnem locum ad quem se uertit munus illud, prosperabitur.

23. Munus è sinu impius accipit, ad peruertendum semitas iudicij.

28. 21. Ob buccellam panis præuaricatur uir.

15. 27. Qui odio habet dona, uiuet.

18. 16. Donum hominis dilatare facit ei locum, & ante magnates deducit eum.

29. 4. Rex in iudicio stabilem reddit terram: uir autem qui suscipit dona diruet eam.

21. 14. Domino in abscondito datum sedat furorem, & munus in sinum coniectum, iram

fortem.

Vide titulum de Auaritia.

11. VERI ET FALSI TESTES. 34.

24.28. Ne sis testis mendax contra proximum tuum, & ne allicias labijs tuis.

29. Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, faciam ei: reddam ipsi uiro secundum opus suum.

12.17. Qui loquitur ueritatem, annuntiat iustitiam, & testis mendax dolosus est.

6.19. Deus odio habet eum qui loquitur mendacia, testem mendacem, & immittentem iurgia inter fratres.

19.28. Testis impius deridet iudicium, & os impiorum tegit iniquitatem.

21.28. Testis mendax peribit: at uir qui audit semper loquetur.

25.18. Vt malleus, & gladius, & sagitta acuta, est uir qui loquitur contra proximum suum testimonium falsum.

19.5. Testis mendax non erit impunitus: & qui loquitur mendacia non euadet.

9. Testis mendax non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit.

14.5. Testis uerax non mentitur: loquitur autem mendacia testis mendax.

25. Eruit animas testis uerax, loquitur autē mendacia dolosus.

Vide tit. de Mendacio.

12. LEGATIONES. 35.

25.13. Sicut frigus niuis in die messis, sic legatus fidelis mittentibus illum, & animam domini sui requiescere facit.

3.17. Nuntius impius cadet in malum: legatus autem uerax, est uelut sanitas.

26.6. Sicut is qui præcidit pedes eius quem aliquò mittit, iniquitatē bibit: sic qui mittit quippiam per manum stulti.

10.26. Sicut officit acetum dentibus, & sicut fumus oculis, sic piger mittentibus illum, molestus est.

13. PONDERA ET mensuræ. 36.

11.1. Statera dolosa est abominatio Iehouæ: & pondus perfectum uoluntas eius.

16.11. Statera & bilances iudicij Iehouę: opus eius sunt omnia pondera crumenæ.

20.10. Duplex pondus & duplex mensura, abominatio Iehouæ sunt etiam ambo ipsa.

23. Abominatio Iehouæ sunt diuersa pondera, & bilanx dolosa non est bona.

Vide locum de Furto & Auaritia.

14. CONTRACTVS. 37.

14. Malum est, malum est, dicit emptor: & discedens tunc iactabit sese.

31.20. De muliere proba dicitur quòd emat & uendat.

15. SPONSIONES ET fideiussiones. 38.

6.1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, percussisti alieno manu tua.

2. Illaqueatus es uerbis oris tui, captus es eloquijs oris tui.

3. Propterea fac nunc hoc fili mi, & erue te postquam incidisti in manum amici tui: uade prosterne te, & robora amicos tuos.

4. Ne des somnum oculis tuis, & dormitationē palpebris tuis.

5. Erue te tanquam caprea de manu uenatoris, & sicut auis de manu aucupis.

20.16. Tolle uestimentum eius, quia fideiussit pro extraneo: & quia pro extranea fideiussit, pignus ab eo accipe.

27.13. Tolle uestimentum eius, quia fideiussit pro extraneo: & quia spopondit pro extranea, accipe pignus ab eo.

17.18. Homo deficiens corde percutit manum, spondens sponsionem coram amico suo.

11.15. Contritione conteretur homo, quum fideiusserit pro extraneo: & qui odit stipulantes, tutus est.

22.26. Ne sis inter percutientes manum fideiubendo, neq; inter fideiubentes pro debitis.

27. Si non sit tibi ad reddendum, ut quid tollet creditor lectum tuum qui est subter te?

16. SEDITIO. 39.

24.21. Time Iehouam fili mi, & Regem: cum mutantibus sese ne admisceas te.

22. Quoniam repente consurget contritio eorum: & contritionem amborum quis scit?

17.26. Etiam condemnare iustum non est bonū: percutere principes propter rectitudinem.

31.3. Ne dederis uias tuas ad delendum Reges.

LOCI OECONOMICI.

1. VXOR BONA. 40.

18.22. Qui inuenit mulierem, inuenit bonum, & hausit beneuolentiam à Iehoua.

14.1. Sapiens mulier ædificat domum suam: stulta autem, manibus suis destruit eam.

11.16. Mulier gratiosa assequetur gloriam, & fortes assequentur diuitias.

19.14. Domus & diuitiæ hæreditas patrum est, à Iehoua autem accipitur mulier intelligens.

12.4. Mulier fortis corona est uiri sui: & ueluti putredo est in ossibus illius quæ suum uirum pudore afficit.

Mulieris probæ encomium.

31.10 Mulierem fortem quis inueniet? nam pro-

cul

cul est à margaritis precium eius.
11. Confidit in ea cor uiri, & spolijs non indigebit.
12. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus uitæ suæ.
13. Perquirit lanam & linum, & operatur secundum uoluntatem manibus suis.
14. Est uelut nauis mercatoris quæ ex longinquo adducit panem suum.
15. Et surgit dum adhuc est nox, datq; cibum familiæ suæ, & portionem puellis suis.
16. Considerat agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantat uineam.
17. Accingit fortitudine lumbos suos, & roborat brachia sua.
18. Gustat, quòd bona sit negociatio sua: non extinguitur in nocte lucerna eius.
19. Manus suas admouet ad uerticulum, & manus eius tractant fusum.
20. Manum suam extendit ad pauperem, & manus suas extendit ad egenum.
21. Non timet familiæ suę à niue, quia tota familia eius uestita est coccino.
22. Tapetia facit sibi: byssus & purpura indumẽtum eius.
23. Notus in portis uir eius, cum sedet ipse cum senioribus terræ.
24. Linteum facit, & tradit: & cingulum tradit negociatori.
25. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.
26. Os suum aperit sapienter, & lex clementiæ uersatur in lingua eius.
27. Speculatur uias domus suæ, & panem pigritiæ non comedit.
28. Surgent filij eius, & beatam dicunt eã: etiam uir eius surgit & laudat eam.
29. Multæ filiæ sibi parauerunt diuitias, tu autẽ superas uniuersas.
30. Fallax gratia, & uana est pulchritudo: mulier cui est timor Iehouæ, ipsa laudabitur.
31. Date illi de fructu manuum suarum, & laudẽt eam in portis facta eius.

2. VXOR MALA. 41.

21. 9. & 21. 24. Melius est sedere in angulo tecti, quàm cum muliere contentiosa & in domo ampla.
21. 19. Melius est habitare in terra deserti, quàm cum muliere contentiosa & iracunda.
19. 13. & 27. 15. Stillatio assidua in die pluuiæ, & mulier contentiosa æquantur.
16. Abscondens eam, abscondit uentum, & ut unguentum, quod est in dextra sua clamabit.
30. 23. Exosa cum maritata fuerit est intolerabilis.
11. 22. Sicut inauris aurea in naribus porci: ita est mulier pulchra & deficiens consilio.

3. AMOR MVTVVS CONIUGUM. 42.

5. 15. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta de medio putei tui.
16. Dispergant sese fontes tui foras: in plateis, riui aquarum.
17. Sint tibi soli, & non alienis tecum.
18. Sit scaturigo tua benedicta, & lætare de uxore adolescentiæ tuæ.
19. Cerua amorum, & caprea gratiæ: hubera eius inebrient te omni tempore, in amore eius delecteris iugiter.

De adulterio quære in locis Ethicis.

4. FILIVS BONVS ET malus. 43.

10. 1. Filius sapiens exhilarat patrem, & filius stultus tristicia est matris suæ.
23. 15. Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætabitur cor meum, etiam ego lætabor.
16. Exultabunt etiam renes mei, quum labia tua loquentur quæ recta sunt.
15. 20. Filius sapiens lætificat patrem, & stultus homo despicit matrem suam.
23. 24. Exultando exultabit pater iusti, & generãs sapientem lætabitur in eo.
25. Fac ut lætetur pater tuus & mater tua, & exultet genitrix tua.
17. 6. Corona senum, filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.
19. 13. Contritiones patri suo est filius stultus.
26. Destruit patrem, fugat matrem, filius pudore & probris afficiens parentes.
52. Ira est patri suo filius stultus, & amaritudo genitrici suæ.
21. Qui generat stultum, ad tristiciam suam gignit, nec lætabitur pater stulti.
20. 20. Maledicentis patri suo & matri suæ extinguetur lucerna in obscuritate tenebrarum.
30. 17. Oculum, qui subsannat patrem, & contemnit obedientiam matris effodiant corui torrentis, & deuorent eum filij aquilæ.
11. Est generatio quæ patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.
28. 24. Qui diripit bona patris sui & matris suę, & dicit non esse præuaricationem, is socius est uiri exterminationis.
9. 3. Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: sed qui pascit scorta perdit substantiam.
28. 7. Qui custodit legem, filius est intelligens: qui autem pascit comedones, pudore afficit patrem suum.

5. EDVCATIO ET CASTIgatio liberorum. 44.

22. 6. Imbue puerum iuxta uiam suam: etiam cum senuerit, non recedet ab ea.
19. 18. Castiga filium tuum, cum est adhuc spes: & ad interficiendum eum ne eleues animam tuam.
19. Magnus ira sustinet pœnam: quia si erueris eum, adhuc tamen addes castigare eum.
29. 15. Virga & increpatio tribuit sapientiam: puer autem sibi derelictus pudore afficit matrem suam.

17. Corripe filium tuum, & requiescere faciet te, dabitq́ delicias animæ tuæ.

22. 15. Stulticia colligata est in corde pueri: uirga correctionis elongare faciet eam ab eo.

23. 13. Ne subtrahas à puero correctionem: nam si percusseris eum uirga, non morietur.

14. Tu uirga percuties eum, & animam eius ab inferno erues.

15. 5. Stultus contemnit correctionem patris sui, sed qui obseruat increpationem, efficietur astutus.

13. 23. Qui subtrahit uirgam suam, odit filium suum, sed qui diligit eum quærit ei correctionem.

Plura quære in tit. de Correctione in genere.

6. OBEDIENTIA PARENTIbus præstanda. 45.

6. 20. Conserua fili mi præceptum patris tui, & ne relinquas legem matris tuæ.

21. Alliga ea in corde tuo semper, adnecte ea gutturi tuo.

22. Quum deambulaueris, deducet te: quum dormieris, custodiet te, & quum expergefactus fueris, ipsa colloquetur tecum.

23. Quia ut lucerna est mandatum, & lex ut lux: & uia uitæ sunt increpationes eruditionis.

1. 8. Audi fili mi eruditionem patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

9. Quia adiectio gratiæ erunt capiti tuo, & torques gutturi tuo.

4. 1. Audite filij disciplinam patris, & attendite ad sciendam intelligentiam.

2. Quia doctrinam bonam do uobis, legem igitur meam ne derelinquatis.

3. Quando filius fui patri meo tener, & unicus inter filios matris meæ.

4. Ipse docebat me, dicebatq́ mihi, Teneat eloquia mea cor tuum, custodi præcepta mea, & uiues, &c.

23. 22. Obtempera patri tuo, ipsi qui genuit te, & ne contemnas, cum senuerit mater tua.

27. 11. Sis sapiens fili mi, & lætifica cor meum, & respondebo uerbum exprobranti mihi.

13. 1. Filius sapiens audit eruditionem patris, & derisor non audit increpationem.

7. INDOLES. 46.

20. 11. Etiam operibus suis cognoscitur puer, an mundum & an rectum sit opus eius.

8. SERVI. 47.

17. 2. Seruus intelligens dominabitur filio pudore afficienti patrem suum: & inter fratres diuidet hæreditatem.

14. 35. Beneplacitum Regis est erga seruum intelligentem: & ira eius est seruus qui pudore eum afficit.

29. 12. Qui delicatè nutrit à pueritia seruum suum, in nouissimo suo erit tanquam filius.

30. 23. Terra cõmouet se propter exosam, quum maritata fuerit, & ancillam quum hæres fuerit dominæ suæ.

19. 10. Non decet seruum imperare ingenuis.

11. 29. Stultus erit seruus sapienti corde.

27. 18. Qui custodit ficum, comedit fructum eius: sic qui custodit dominum suum honore afficietur.

9. LABOR DOMESTICVS. 48.

24. 27. Præpara foris opus tuum, & præpara illud in agro tuo, & postea ædificabis domum tuam.

Vide in tit. de Labore.

10. PECORA CVRANDA, ET comparanda necessaria. 49.

27. 23. Considerando considera uultum pecoris tui, pone cor tuum ad greges.

24. Quia non in seculum sunt duraturæ, & num corona erit in generatione & generatione?

25. Prodit gramen, & apparet herba, & colliguntur herbæ montium.

26. Ouium lana sunt pro indumentis tuis, & precium agri sunt hirci.

27. Et sufficientia lactis caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & ad uictum puellarum tuarum.

12. 10. Cognoscit iustus animam iumenti sui: miserationes autem impiorum crudeles.

15. 6. In domo iusti est thesaurus magnus: & in fructu impij conturbatio.

Vide locum de Diuitijs, qui huc potest referri.

11. DECOCTORES. 50.

21. 20. Thesaurus desiderabilis, & oleum est in habitaculo sapientis: at stultus homo dissipabit illum.

29. 3. Filius qui pascit scorta, perdit substantiam.

12. MIGRATIONES crebræ. 51.

27. 8. Vt auis uagatur à nido suo, sic uir uagatur à loco suo.

13. CONSERVATIO ET euersio domus. 52.

12. 12. Domus impij subuertetur.

22. 33. Maledictio in domo impij.

2. 7. Domus iustorum stabit.

24. 3. Domus stabilitur scientia.

15. 27. Turbat domum suam auarus.

19. 29. Qui conturbat domum suam, hæreditate accipiet uentum: & stultus ille erit seruus sapienti corde.

11. 29. Qui conturbat domum suam, hæreditate accipiet uentum: & stultus ille, erit seruus sapienti corde.

LOCI ETHICI.

1. SAPIENTIA, PRVDENdentia, calliditas. 53.

17.24. In conspectu intelligentis apparet sapientia: & oculi stulti sunt in extremo terræ.
14.33. In corde intelligentis requiescit sapientia: at in medio stultorum ipsa cognoscitur.
2. 6. Iehoua dat sapientiam.
22.12. Oculi Iehouæ custodiunt scientiam, & peruertit res præuaricatoris.
13.20. Qui graditur cum sapiente sapiens erit.
17.16. Vt quid est precium in manu stulti, ut emat sapientiam, & cor non est ei?
23. 23. Veritatem eme, & ne uendas: eme sapientiam, & eruditionem & intelligentiam.
18.15. Cor intelligens acquirit scientiam: & auris sapientum quærit scientiam.
14. 6. Quærit derisor sapientiam, & non inuenit: at scientia intelligenti est facilis inuentu.
20.5. Vt aqua profunda est consilium in corde uiri: & homo intelligens illud hauriet.
18. 4. Vt aquæ profundæ sunt uerba oris uiri: ut torrens redundans est uena sapientiæ.
28. 5. Quærentes Deum intelligunt omnia.

Credulitas.

14. 15. Simplex credit omni uerbo, callidus autem intelligit gressum suum.
8. Sapientia callidi, est intelligere uiam suam, & stulticia stultorum, dolus.
13.16. Omnis callidus res suas facit cum scientia, stultus autem expandit stulticiam.
22.3.& 27.12. Callidus uidet malum, & abscondit se: simplices autem transeunt & mulctantur.
12. 16. Qui operit ignominiam sibi factam, callidus est.
23. Homo callidus operit scientiam, & cor stultorum prædicat stulticiam.
24.3. Sapientia ædificabitur domus, & intelligentia stabilietur.
14. 16. Sapiens timet, & recedit à malo, sed stultus irascitur, & confidit.
10.14. Sapientes condunt scientiam.
24.32. Vtendum aliena stulticia.
15.14. Cor intelligens quærit scientiam, & os stultorum pascetur stulticia.
16. 16. Acquirere sapientiam multo præstantius est quàm acquirere electum argentum.
13. 15. Intelligentia bona dat gratiam: at uia contemptorum est dura.
19. 8. Possidens cor, diligit animam suam, & custodit intelligentiam ut inueniat bonum.
16.22. Vena uitæ est intelligentia domino suo: at eruditio stultorum stulticia est.
14. 18. Hæreditate accipient simplices iusticiam, callidi autem coronabuntur scientia.
15. 24. Via uitæ sursus uersus est, quæ est intelligenti, ut declinet ab inferiori quæ est deorsum.
16. 20. Intelligens rem inueniet bonum.
28. 26. Qui ambulat in sapientia, euadet pericula.

2. CONSILIVM. 54.

Posset etiam referri ad locos Politicos. Ego uolui cum Sapientia coniungere.

8. 14. Penes me est consilium, dicit sapientia.
13. 10. Cum consultis est sapientia.
20. 5. Vt aqua profunda consilium in corde uiri, homo intelligens haurit consilium.
15.22.& 24.6.& 20.18. Salus sita est in multitudine consiliariorum.
12. 5. Consilia impiorum dolus.
15. Qui obtemperat consilio, sapiens est.
12. 20. Dolus est in corde cogitantium malum: at in corde consulentium pacem, est læticia.
19.20. Audi consilium, ut sis sapiens.
27. 9. Consilium amici unguento comparatur.
26. 27. Qui alteri fodit foueam, in eam cadet: & qui uoluit lapidem contra alium, ad eum reuertetur.
11. 14. Cùm non fuerint consilia, corruet populus, &c.

De sapientia plura inuenies in tit. de Scriptura, & de Filio Dei, æterna sapientia.

3. STVLTICIA. 55.

19. 3. Stulticia hominis peruertet uiam eius, & contra Iehouam indignatur cor eius.
23. 9. In auribus stulti ne loquaris: quia contemnet prudentiam eloquiorum tuorum.
14. 9. Stulti loquuntur delictum, & inter rectos est beneuolentia.
24.7. Excelsæ sunt stulto sapientiæ, in porta non aperiet os suum.
18. 2. Non complacebit stultus sibi in intelligentia, nisi cum manifestatur cor eius.
27. 22. Si contuderis stultum in mortario in medio triticorum contusorum pistillo, non recedet ab eo stulticia eius.
17. 12. Occurrere ursæ orbatæ satius est uiro, quàm stulto in stulticia sua.
17. 7. Non est decorum stulto labium excellentiæ.
15. 21. Stulticia, est læticia deficienti corde: & uir intelligens dirigit uiam suam ad ambulandum.
3. 35. Gloriam sapientes hæreditate accipient, & stulti sustinent ignominiam.
21. 16. Homo qui aberrat à uia intelligentiæ, in cœtu mortuorum requiescet.
26.4. Ne respondeas stulto iuxta stulticiam eius, ne adæqueris ei etiam tu.
5. Responde stulto secundum stulticiam suam, ne forte sit sapiens in oculis suis.

4. IVSTICIA. 56.

14. 34. Iusticia exaltat gentem.

10. 2. & 11. 4. Iusticia eruit à morte.

De ponderibus & mensuris quære in locis politicis.

5. FORTITVDO ET constantia. 57.

24. 10. Si remissus fueris in die angustiæ, angusta erit fortitudo tua.

25. 28. Vt urbs dirupta & absq; muro, est uir cuius spiritui non est cohibitio.

Frenare affectus.

16. 32. Melior est tardus ad iram quàm fortis, &c.

30. 29. Tria sunt optimi incessus, imò quatuor quæ bene gradiuntur.

30. Leo fortissimus inter animalia, nec conuertitur retrorsum propter ullum animal.

31. Lelaps præcinctus lumbis, siue hircus, & Rex in quem nemo insurgit.

De ignauia quæ fortitudini opponitur tit. 28.

6. TEMPERANTIA, EBRIEtas, Crapula. 58.

23. 29. Cui nam uæ? cui inquam uæ? cui rixæ? cui murmur? cui uulnera sine causa? cui rubor oculorum erit?

30. His qui immorantur circa uinum, euntibus ad disquirendum mistum.

31. Ne igitur intuearis uinum quod rubrum sit, quod det in calice colorem suum, agitet sese probè.

32. In fine uelut serpens mordebit, & uelut regulus dolore afficiet.

33. Oculi tui uidebunt uisiones extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.

34. Et eris uelut iacens in corde maris, & sicut dormiens in capite mali nauis.

35. Verberauerunt inquies me, & non ægrotaui: concusserunt me, nec sensi: quando euigilabo, addam quærere illud adhuc.

21. 17. Qui diligit uinum & pinguia, non ditabitur.

23. 19. Audi tu fili mi, & sapiens eris: & ambulare fac per uiam regiam cor tuum.

20. Ne sis cum potatoribus uini, neq; cum uoratoribus carnis.

21. Quia bibax & epulo pauperes efficientur: & uestibus laceris induet hominem dormitatio.

20. 1. Derisorem efficit uinum, tumultuantem, efficit ebrietas: & omnis qui se oblectat in eo non erit sapiens.

28. 7. Qui pascit comedones, pudore afficit patrem suum.

31. 4. Non est regum uinum bibere, &c.

7. SCORTATIO. 59.

26. Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui uias meas obseruent.

27. Quia uelut fouea profunda est meretrix, & ueluti puteus angustus est aliena.

28. Etiam ipsa tanquam prædator, insidiatur, & præuaricatores in hominibus addet.

31. 31. Ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, &c.

22. 14. Vt fouea profunda est os mulierum alienarum: is contra quem iratus est Iehoua, cadet illuc.

29. 3. Qui pascit scorta, opes dilapidat.

8. ADVLTERIVM. 60.

2. 16. Sapientia eruet te à muliere extranea, ab aliena quæ eloquia sua emollit.

17. Quæ deserit ducem adolescentiæ suæ, & pacti Dei sui oblita est.

18. Quia inclinat ad mortem domus eius: & ad mortuos semitæ eius ducunt.

19. Omnes ingredientes ad eam non reuertuntur, nec apprehendunt semitas uitæ.

5. 1. Fili mi sapientiæ meæ attende, intelligentiæ meæ inclina aurem tuam.

2. Vt custodias cogitatus, & scientiam labia tua conseruent.

3. Quia fauum stillant labia extraneæ, & lenius est oleo palatum eius.

4. Nouissimum autem eius amarum sicut absynthium, acutum ueluti gladius biceps.

5. Pedes eius descendunt ad mortem, infernum gressus eius sustentant.

6. Semitam uitæ forsitan si ponderes, mobiles sunt uiæ eius, & non cognosces.

7. Nunc igitur filij, parete mihi, & ne recedatis ab eloquijs oris mei.

8. Longè fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques ostio domus eius.

9. Ne fortè des alienis decorem tuum, & annos tuos crudeli.

10. Ne fortè saturentur alieni robore tuo, & labores tui sint in domo alieni.

11. Et rugias in nouissimis tuis, cum consumpseris carnem tuam & corpus.

Repudiatio correctionis.

12. Et dicas, Quomodo odi eruditionem, & increpationem spreuit cor meum?

13. Et non obtemperaui uoci instruentium me, & docentibus me non inclinaui aurem meam?

14. Parum abfuit quin fuerim in omni malo, in medio cœtus & congregationis.

20. Vt quid delectaberis fili mi cum aliena, & amplecteris sinum extraneæ?

21. Quando coram oculis Iehoua sunt uiæ uiri, & omnes semitas eius ponderat.

24. Vt custodiant te à muliere mala, à blanditijs linguæ mulieris extraneæ.

25. Ne concupiscas pulchritudinem eius in corde tuo, neq; capiat te splendoribus suis.

26. Quia propter mulierem meretricem ueniet homo usq; ad frustum panis: & mulier uiri animam preciosam uenabitur.

27. Nunquid accipiet uir ignem in sinum suum, & uestimenta eius non comburentur.

28. An ambulauit uir super prunas, & pedes eius non comburentur?

29. Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non erit

non erit innocens quisquis tetigerit eam.
30. Non spernunt furem si furatus fuerit, ut impleat animam suam, cum esurierit.
31. Et inuentus reddet septuplum, aut certè omnem substantiam domus suæ dabit.
32. Qui uerò adulterium committit cum muliere, caret corde: corrumpit animam suam qui fecerit illud.
33. Plagam, & ignominiam inueniet, & opprobrium eius non delebitur.
34. Quia zelus est furor uiri, & non parcet adultero in die uindictæ.
35. Non acceptabit faciem ullius redemptionis: neq; uolet etiam si multiplicaueris munus.
7.6. Quum per fenestram domus meæ, per fenestram meam prospexi.
7. Tunc uidi inter simplices, consideraui inter filios iuuenem carentem corde.
8. Transeūtem per plateam, iuxta angulum eius, & per uiam domus eius gradiebatur.
9. In crepusculo, in uespera diei, in tenebris noctis & caligine.
10. Et ecce mulier in occursum eius, ornatu meretricio, & cauta corde.
11. Quæ tumultuosa est & peruersa: in domo sua non habitant pedes eius.
12. Nunc foris, nunc in plateis, & iuxta omnem angulum insidiatur.
13. Et apprehendit eum, & osculata est eum: roborauit uultum suum, & dixit ei.
14. Carnes sacrificiorum pacificorum sunt mihi: hodie reddidi uota mea.
15. Idcirco egressa sum in occursum tui, ut quærerem faciem tuam, & inueni te.
16. Ornamentis ornaui lectum meum, constantem lignis affabre incisis, & fune Ægyptio.
17. Suffiui cubile meum myrrha, aloe, & cinnamomo.
18. Veni, inebriemur amoribus usq; mane, lætemur amoribus.
19. Quia non est uir in domo sua, abijt uia longinqua.
20. Ligamen argenti tulit in manu sua: ad diem constitutum redibit domum suam.
21. Declinare fecit eum multitudine dulcedinis sermonis sui, blanditijs labiorum suorum perpulit eum.
22. Vadit post eam statim ueluti bos ad uictimā ire solet, & sicut compedes quæ sunt ad castigationem stulti.
23. Donec findat sagitta iecur eius: sicut festinat auis ad laqueum, & nescit quod contra animā eius est.
24. Et nunc filij audite me, & attendite eloquijs oris mei.
25. Ne declinet ad uias eius cor tuum, neq; oberres in semitis eius.
26. Multos enim uulneratos cadere fecit: & fortes omnes occisi eius.
27. Viæ inferni, domus eius, descendentes ad cubicula mortis.
30. 20. Adultera cum primum scelus commisit, negat se fecisse, &c.

9. IRA. 61.

De ira principis, uide titulo de Rege.

15. 18. Vir iracundus miscet lites: sed tardus ad iram sedat litem.
14. 17. Qui citò irascitur, facit stulticiam: & uir cogitationum odio habetur.
21. 24. Superbus arrogās, derisor est nomē eius, qui facit opera sua in ira superbiæ.
19. 11. Intelligentia hominis retardat furorem ipsius: & gloria eius est præterire præuaricationem.

Patientia.

12. 16. Stulti in ipsa die cognoscetur ira: & qui operit ignominiam sibi factam, callidus est.
14. 29. Tardus ira, est multus intelligentia: & breuis spiritu exaltat stulticiam.
22. 24. Ne fias amicus iracundo.
16. 32. Melior est tardus ad iram, quàm fortis: & qui dominatur spiritui suo, quàm is qui capit urbem.
15. 1. Sermo durus furorem accendit.
27. 3. Grauitas est saxo, & pondus est arenæ, sed ira stulti grauior est utroq;.
Vide tit. de Rixis & content. & titulum de Ira principis.

10. AMOR, ODIVM, INVIDIA. 62.

25. 21. Si esurierit odio habens te, ciba illum pane: & si sitiuerit, propina ei aquam.
22. Quia prunas tu congeris super caput eius: & Iehoua redder tibi.
26. 26. Operit se odium in deceptionem: manifesta erit malitia eius in congregatione.
26. 24. Labijs suis alium præ se fert qui odio habet: at in interioribus suis ponet dolum.
27. 4. Crudelitas est in ira, & impetus in furore: at quis stabit coram inuidia?
23. 6. Ne comedas panem malum oculum habentis, & ne concupiscas pulmenta eius.
7. Quoniam ut æstimauit animo suo, sic est: Comede & bibe, dicet tibi: cor autem eius non est tecum.
8. Buccellam tuam quam comedisti, euomes, & perdes uerba tua dulcia.
14. 30. Vita carnium, est cor lene: at putredo ossium, inuidia.

11. GAVDIVM DE ALIENIS MALIS. 63.

24. 17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne læteris: & cum impegerit, ne exultet cor tuum.
18. Ne fortè uideat Iehoua, & displiceat in oculis eius, & auertat ab eo furorem suum, & in te cōuertat.
17. 5. Qui gaudet de pernicie alterius, non erit impunis.

12. VINDICTA PRIVATA. 64.

13. Reddens malum pro bono, non recedet malum de domo eius.
20. 22. Ne dicas, Reddam malum: expecta Ie-

houam, & saluum faciet te.

24.29 Ne dicas, quemadmodum fecit mihi sic faciam ei, &c.

13. CAEDES INIVSTAE. 65.

29.10. Viri sanguinolenti oderunt integrum: recti autem quærunt animam eius.

12. 6. Verba impiorum sunt ad insidiandum sanguini, &c.

11. Si dixerint, ueni nobiscum insidiemur sangui ni, insidiemur innocenti absque causa, &c. ne sequaris eos.

17. Homo qui opprimit in sanguine animæ: usque ad sepulchrum fugiet, nec retinebunt eum.

6.15. Inter sex quæ odit Deus, ponuntur manus effundentes sanguinem innocentem.

14. CONCORDIA. 66.

16.7. Quum placuerint Iehouæ uiæ uiri, etiã inimicos eius pacatos reddet ei.

30.27. Rex non est locustæ, attamen egreditur uniuersa ipsa cum turma.

15. RIXAE & CONTENtiones. 67.

3.30. Ne contendas cum homine sine causa, si nõ retribuerit tibi malum.

20. 3. Gloria est uiro quiescere à lite: & omnis stultus admiscet se liti.

25. 8. Ne egrediaris in contentionem citò: ne forte nescias quid agas in nouissimo eius litis, quando pudore te affecerit proximus tuus.

Linguæ uitia & uirtutes.

13. 6. Labia stulti ueniunt cum lite: & os eius ad percussiones uocabit.

28.25. Latus animo, miscet litem: sed qui fidit Iehouæ, impinguabitur.

29. 22. Vir iracundus miscet litem, & furibundus multiplicat præuaricationem.

26. 23. Vt est argentum plenum scorijs super inductum testæ, sic sunt labia succẽdentia lites, & cor malum.

27.17. Ferrum ferro acuitur, ita uir exacuit faciẽ amici sui.

16.28. Vir peruersus immittit litem.

18.1. Ob desiderium eius quæret separatus, in omni sapientia miscebit se.

10.12. Odium suscitat rixas: & uniuersas præuaricationes operit charitas.

26. 21. Vt carbo aptus est ad prunas, & ligna ad ignem, sic & uir contentiosus ad succẽdendum litem.

18.19. Frater læsus durior est ciuitate forti: & lites fratrum sunt uelut uectis palatij.

13.10. Superbus dabit litem.

17.14. Velut is qui aperit uiam aquis, est principium contentionis: antequam igitur misceatur, litem dimitte.

26.17. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic est transiens qui irascitur in lite non sua.

22. 10. & 26. 20. Eijce derisorem, & cessabit contentio.

30. 33. Quemadmodum expressor lactis, educit butyrum: & uehemens emunctor naris, educit sanguinem: sic expressor furorum, educit litem.

17.19. Diligit preuaricationem, qui diligit litem: qui eleuat ostium suum quærit contritionem.

29.9. Vir sapiens contendat cum stulto: siue irascatur siue rideat, non erit requies.

18. 18. Lites cessare facit sors: & inter fortes diuidetur.

16. DETRACTIO. 68.

10. 18. Operiunt odium labia mendacia: & proferens detractionem, est stultus.

18. 8. & 26. 22. Verba susurronis sunt tanquam blandientia, & ipsa descendunt ad penetralia uentris.

20. 19. Qui reuelat secretum, incedit fraudulenter: & cũ eo qui allicit labijs suis, ne misceas te.

16. 28. Et susurro separat principes.

11. 13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat secretũ: fidelis autem spiritu celat rem.

6. 19. Septimum quod odit Dominus est lingua immittens iurgia inter fratres.

Vide de falso testimonio.

Maledictio.

26.2. Sicut passeris est uagari, & ut hirundinis est uolare, sic maledictio sine causa prolata non ueniet.

30. 10. Ne accuses seruum apud Dominum suum, ne fortè maledicat tibi, & delinquas.

22. 10. Eijce derisorem, & simul egredietur contentio, cessabitque lis & ignominia.

26. 20. Quum non fuerint ligna, extinguitur ignis, sic cum non fuerit susurro, silebit contentio.

25. 23. Vt uentus aquilo fugat pluuiam, sic & facies iracunda linguam occultè detrahentem.

17. ADVLATIO ET blandiloquentia. 69.

26. 25. Quum gratiosè alloquetur te, ne credideris ei: quoniam septem abominationes sunt in corde illius.

27.6. Dura sunt oscula odio habentis.

28. 23. Qui increpat hominem, postea gratiam inueniet magis, quàm is qui blanditur.

29. 5. Vir qui blanditur amico suo, rete expandit ante gressus eius.

26. 28. Os blandum facit impulsionem.

18. MANSVETVDO. 70.

25. 15. Longanimitate flectitur princeps, & lingua mollis confringit ossa.

15. 1. Responsio mollis auertit iram: & sermo dolore afficiens, ascendere facit furorem.

19. VERITAS & MENDAcium. 71.

12. 19. Labium ueracis firmum erit in perpetuum: & ad momentum stabilis erit lingua mendacis.

26. 28. Lingua mendax odio habet contritum.

12. 22. Abominatio Iehouæ sunt labia mendacia: & in

& in facientibus ueritatem est beneplacitum eius.

6. 17. Inter sex quæ odit Dominus ponitur lingua mendax.

13. 5. Verbum mendax odio habet iustus: impius autem fœtere facit & pudore afficit.

30. 8. Vanitatē & uerbum mendax, remoue à me.

3. 3. Veritas ne deserat te, addit præmia.

20. 6. Veraces rari sunt.

16. 6. Veritate redimetur iniquitas.

De testibus ueris & falsis suprà diximus.

26. PROMISSIO VANA. 72.

25. 14. Vt nubes & uentus, & pluuia non est: sic est uir qui se iactat de dono mendaci.

21. MVLTILOQVIVM. 73.

10. 19. In multitudine uerborum non deest præuaricatio: coercens aūt labia sua intelligens est.

17. 26. Cohibet eloquia sua qui scit scientiam: preciosus spiritu est uir intelligens.

22. PRAECIPITANTIA. 74.

29. 20. Vides uirum uelocem in uerbis suis? spes est de stulto magis quàm de illo.

18. 13. Respondens uerbum antequam audiat, stulticia illi & pudor.

15. 28. Cor iusti meditatur quod respondeat: os autem impiorum loquetur mala.

19. 2. Etiam absq; scientia, desiderium non est bonum, & festinus pedibus, peccat.

23. SECRETA RETICENDA. 75.

25. 9. Secretum alteri ne reueles.

11. 13. & 20. 15. Qui ambulat fraudulenter, reuelat secretum.

24. VTILITAS LINGVAE bonæ. 76.

15. 4. Sanitas linguæ est ut lignum uitæ: at peruersitas in ea, est contritio in spiritu.

15. 7. Labia sapientum spargunt scientiam: cor autem stultorum non sic.

10. 11. Vt uena uitæ os iusti, & os impiorum operit iniquitatem.

10. 21. Labia iusti pascunt multos, & stulti ob defectum cordis moriuntur.

27. 9. Vt unguentum & suffimentum lætificat cor: sic dulcedo amici sui propter consilium animæ.

10. 20. Vt argentum electum est lingua iusti: cor uerò impiorum tanquam modicum.

20. 15. Est aurum, & multitudo gemmarum: at ut uas preciosum sunt labia scientis.

25. 11. Sicut mala cum figuris argenteis, est uerbū dictum quibus modis dici debet.

10. 32. Labia iusti cognoscunt quod beneplacitum est Deo, & os impiorum peruersa loquitur.

15. 23. Lætitia est uiro in responsione oris sui, & uerbum dictum in tempore suo, quàm bonum est?

25. LINGVAE MALAE incommoda. 77.

4. 24. Remoue à te peruersitatem oris, & prauitatem labiorum elonga à te.

12. 18. Est qui profert uerba quæ sunt ueluti confosiones gladij: lingua autem sapientum est sanitas.

17. 28. Etiam stultus quum tacet, sapiens reputatur, & qui obturat labia sua, intelligens.

30. 14. Est generatio cuius dentes sunt ut gladij, & ut cultri molares eius, ut deuorent pauperes è terra, & egenos ex hominibus.

29. 11. Totum spiritum profert stultus: sapiens autem in posterum quiescere facit eum.

14. 3. In ore stulti est baculus superbiæ: labia autem sapientum custodiunt eos.

25. 18. Lingua mala malleo comparatur.

26. ELOQVENTIA. 78.

16. 23. Cor sapientis prudens reddit os suum, & labijs suis addit doctrinam.

24. Vt fauus mellis sunt eloquia dulcia: dulcedo animæ, & sanitas ossibus.

22. 11. Qui diligit mundiciem cordis propter gratiam labiorum eius amicus eius erit rex.

15. 2. Lingua sapientum decorabit scientiam, & os stultorum loquitur stulticiam.

16. 21. Sapiens corde uocatur intelligens, & dulcedo labiorum addit doctrinam.

27. LINGVAE BONAE ET malæ prēmia & pœnæ. 79.

13. 2. De fructu oris sui quisq; comedet bonum, & de fructu animæ præuaricatorum comedēt uiri iniquitatis.

18. 20. De fructu oris uiri satiatur uenter ipsius: prouentu labiorum suorum saturabitur.

12. 14. De fructu oris sui uir saturabitur bono, & retributionem manuum hominis reddet ei Deus.

18. 21. Mors & uita in manu linguæ, & qui diligit eam, comedet fructum eius.

13. 3. Qui custodit os suum, custodit animam suā: aperienti temere labia sua, erit contritio.

10. 8. Stultus labijs impinget.

18. 7. Os stulti erit contritio sibi, & labia ipsius laqueus animæ suæ.

10. 13. Os iusti proferet sapientiam: lingua autem loquens peruersitates, succidetur.

22. 23. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.

17. 20. Peruersus corde non inueniit bonum, & qui peruersus est in lingua sua, cadet in malū.

10. 14. Sapientes condunt scientiam, & os stulti est contritio propinqua.

12. 13. In præuaricatione labiorum laqueus hominis mali.

28. LABOR ET PIGRITIA. 80.

6. 6. Vade ad formicam ô piger, uide uias eius, & sapiens esto.

7. Cui cum non sit dux, nec præfectus nec dominus.

8. Tamen parat in æstate cibum suum, congregat in messe escam suam.

9. Vsq; quò piger dormies? quando surges à somno tuo?

10. Parū somnorū, parū dormitationū capiēdo, parum complicationis manuū ad dormiendū.

11. Et ueniet tanquam uiator egestas tua, & paupertas tua tanquam uir clypeo armatus.

19.15. Pigredo cadere facit soporē: & anima remissa esuriet.

16.26. Anima laborantis laborat sibi: quia incuruat se ei os suum.

18.9. Etiam qui remissus est in opere suo, frater est dissipantis.

24.30. Iuxta agrum hominis pigri transiui, & iuxta uineam hominis carentis corde.

31. Et ecce ascenderant per totum ipsum spinæ, operuerant superficiem eius urticæ, & clausura lapidum eius destructa erat.

32. Et uidi ego, & posui cor meum: uidi inquam & accepi eruditionem.

33. Pusillum somni, pusillum dormitationū, pusillum cōplicationis manuū ad dormiendum.

34. Et ueniet tanquam uiator paupertas tua, & penuria tua tanquam uir scutatus.

20.13. Ne diligas somnum, ne fortè efficiaris pauper: aperi oculos tuos, teipsum satura pane.

15.19. Via pigri est quasi sepes spinosa: semita autem rectorum est eleuata.

22.13. Dicit piger, Leo est foris: in medio platearum occidar.

26.13. Dicit piger, Leo est in uia, leo est in plateis.

14. Sicut fores uertuntur in cardine suo, sic & piger in lectulo suo.

15. Abscondit piger manum suam in sinu, fatigatur reducere eam ad os suum.

16. Sapientior est piger in oculis suis, septem respondentibus consilium.

19.24. Abscondit piger manum suam in sinu: etiam ad os suum non adducet eam.

20.4. Propter hyemem piger nō arabit, idcirco mendicabit æstate, & non erit panis.

21.24. Desiderium pigri interficit eum: quia renuerunt manus eius facere quicquam.

13.4. Concupiscit, & non est anima pigri: anima autem solicitorum impinguabitur.

31.13. Mulier proba laudatur à labore.

10.5. Qui cōgregat in æstate, filius intelligēs est: qui uerò dormit in messe, filius est cōfundens.

12.11. Qui colit terram suam, saturabitur pane: & qui sequitur uacuos, deficiens est corde.

14.23. In omni labore est abundantia: sed uerbū labiorum tantum est ad inopiam.

13.23. Multus cibus in agro pauperum: & est qui perit, quod non sit ei ius.

28.19 Qui colit terram suam, saturabitur pane, sed qui sectabitur otiosos, saturabitur egestate.

30.24. Quatuor sunt parua terræ, & tamen sunt sapientiora sapientibus.

25. Formicæ sunt populus non fortis: at tamen præparant in æstate cibum suum.

22.29. Vidisti uirum uelocem in opere suo? corā regibus stabit, non stabit coram obscuris.

14.4. Quum non fuerint boues, præsepe est uacuum: & copia frugū est in fortitudine bouis.

29. MISERICORDIA & liberalitas. 81.

3.3. Misericordia & ueritas ne deserant te, liga eas ad guttur tuum, scribe eas in tabula cordis tui.

4. Et inuenies gratiam, & intellectum bonum in oculis Dei & hominum.

9. Honora Iehouam de diuitijs tuis, & de primitijs omnium prouentuum tuorum.

10. Et implebuntur horrea tua saturitate, et uino nouo torcularia tua sese rumpent.

27. Ne prohibeas bonū à dominis suis, cum erit facultas manui tuæ ad faciendum.

28. Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, et cras dabo, cum quod petit sit apud te.

11.17. Retribuit animæ suæ bonum uir misericors: turbat autem carnem suam crudelis.

21.13. Qui claudit aurem suam ad clamorem pauperis, etiam ipse clamabit, & non exaudietur.

11.24. Est qui dispergit rem, & additur ei amplius: & est qui parcit rei suæ plus æquo, sed ad inopiam.

25. Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui satiat, etiam ipse satiabitur.

27. Qui quærit bonum, inuestigat beneuolentiam: & qui quærit malum, eueniet ei.

16.6. Misericordia & ueritate redimetur iniquitas: & in timore Iehouæ receditur à malo.

14.21. Contemnit proximum suum peccator: sed qui miseretur pauperum, beatus est.

28.27. Ei qui dat pauperi, non erit inopia: & auertenti oculos suos, erit multitudo maledictionum.

19.17. Mutuat Iehouæ qui largitur pauperi, & retributionem suam reddet ei.

5.15. Per allegoriam à fontibus sumptam liberalitas commendatur.

21.21. Qui sectatur iustitiam & misericordiam, inueniet uitam, iustitiam, & gloriam.

20.6. Multitudo hominum prædicat uniuscuiusque misericordiā: uirum autem ueracem quis inueniet?

22.9. Benignus oculus ipse benedicetur: quia dedit de pane suo pauperi.

20.28. Misericordia conseruat regna.

31.20. Mulier sancta laudatur quod benefica sit in pauperes.

30. AVARITIA. 82.

27.20. Sepulchrum & perditio non saturantur, sic oculi hominum non saturantur.

1.19. Auaritia animam dominorū illius capiet.

15.27. Turbat domum suam qui auarè sectatur auaritiam: sed qui odio habet dona, uiuet.

11.26 Prohibenti frumentum, maledicet populus: benedictio autem super caput uendentis frumentum.

28.16. Qui odio habet auaritiam prolongabit dies.

21.26. Est qui toto die concupiscit concupiscentiam: iustus autem tribuit, nec parcit.

30. 15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ quæ dicunt, Affer, affer. Tria sunt quæ non satiantur: imò quatuor non dicunt, sufficit.

16. Sepulchrū, & sterilis uulua, & terra quæ non est satiata aquis, & ignis qui non dicit, Sufficit.

23. 6. Ne comedas buccellam malum oculum habentis, & ne concupiscas pulmentum eius, &c.

24. 15. Ne insidieris, ô impie, habitaculo iusti, nec diripias acubitum eius.

16. Quia septies cadit iustus, & resurgit: impij autem corruunt in malum.

29. 24. Qui participat cum fure, odio habet animam suam: maledictionem audit, & non annunciat.

Furtum.

24. 2. Malorum cor rapinam meditatur.

6. 30. Non spernunt furem si furatus fuerit ut impleat animam suam, &c.

28. 24. Qui diripit bona parentum suorum, socius est uiri uastatoris.

De dolis, rapinis, usura, uide tit. de Diuitijs.

31 HVMILITAS ET superbia. 83.

25. 6. Ne magnifices te coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

6. 7. Quia melius est ut dicatur tibi, Ascende huc: quàm ut humiliet te aliquis coram principe, quem uiderunt oculi tui.

30. 13. Et generatio quædam cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius eleuatæ sunt.

29. 23. Superbia hominis humiliat eum, & humilem spiritu sustentat gloria.

11. 2. Quum uenit superbia, uenit & ignominia: & cum humilibus sapientia.

6. 17. Inter sex quæ odit Dominus, ponuntur oculi sublimes.

18. 12. Ante attritionem eleuatur cor uiri: & ante gloriam erit humilitas.

16. 18. Ante contritionem est superbia, & ante ruinam elatio spiritus.

30. 32. Si cecidisti cum te efferres, & si malum cogitasti, manum ad os pone.

21. 4. Exaltatio oculorum, & latitudo cordis, lucerna impiorum, peccatum sunt.

13. 10. Superbus dat litem.

15. 25. Domum superborum demolitur Iehoua.

3. 5. Intelligentiæ tuæ ne innitaris.

3. 7. Ne sis sapiens in oculis tuis.

14. 12. Est uia recta coram uiro, & exitus eius, uiæ mortis.

6. 25. Est uia recta coram uiro: & nouissimũ eius, uiæ mortis.

21. 2. & 16. 2. Omnis uia uiri recta est in oculis eius.

12. 15. Via stulti recta est in oculis eius: & qui obtemperat consilio, sapiens est.

16. 5. Abominatio est Iehouæ omnis elatus corde: manus ad manum non erit innocens.

22. 4. Propter humilitatem, diuitiæ, gloria & uita.

26. 12. Vidisti uirum sapientem in oculis suis? spes est de stulto magis quàm de eo.

15. 34. Timor Iehouæ, eruditio sapientiæ: & ante gloriam humilitas.

16. 19. Melius est humiliari spiritu cum humilibus, quàm diuidere spolia cum superbis.

34. Profectò illusoribus ipse illudit, & humilibus dat gratiam.

13. 10. Verè in superbia dabit superbus litem.

10. 10. Qui annuit oculo, affert dolorem: & stultus labijs punietur.

17. 19. Qui eleuat ostium suum quærit contritionem.

28. 26. Qui fidit cordi suo, est stultus: qui uerò ambulat in sapientia, ipse euadet.

32. CONTEMPTVS. 84.

13. 13. Contemnens uerbũ, peribit propter ipsum, & timenti præceptum, reddetur merces.

33. SECVRITAS. 85.

27. 1. Ne glorieris de die crastino: quia nescis quid paritura sit dies.

34. CORRECTIO. 86.

17. 10. Descendit increpatio in intelligentem, magis quàm si percutias stultum centies.

3. 11. Correctionem Iehouæ fili mi, ne abijcias, & ne tædio afficiaris propter increpationem eius.

12. Quem enim diligit Iehoua increpat, & ueluti pater filium quem ualde amat.

19. 20. Audi consilium, & suscipe correctionem: ut sis sapiens in nouissimo tuo.

25. 12. Vt inauris aurea, & ornamentum obryzi, est qui arguit sapientem cui est auris obtemperans.

27. 5. Melior est increpatio manifesta, quàm amor absconditus.

6. Fidelia sunt uulnera diligentis: & dura oscula odio habentis.

4. 13. Correctio est uita tua.

10. 17. Velut semita ad uitam, est custodiens correctionem: & qui respuit increpationem, errat.

Repudiatio castigationis.

12. 1. Qui diligit castigationem, diligit scientiam: & qui odio habet increpationem, insipiens est.

15. 32. Auris quæ audit increpationem uitæ, in medio sapientum commorabitur.

5. 12. Qui contemnunt increpationem, sera pœnitentia ducuntur.

15. 10. Correctio molesta est relinquenti semitam: & qui odio habet increpationẽ, morietur.

29. 15. Virga & increpatio tribuit sapientiam.

19. Verbis non erudietur seruus: quamuis intelligat, non est tamen responsio: non obsequitur.

26. 3. Vt flagellum equo, & capistrum asino conuenit: sic uirga necessaria est tergo stultorum.

22. 15. Stulticia uirga pellitur.

10. 25. Derisorem si percusseris, simplex efficietur astutus, & si increpauerit quispiam intelligentem, intelliget scientiam.

15. 33. Qui negligit disciplinam, spernit animam suã: sed qui audit increpationẽ, possidet cor.

13. 18. Paupertas & ignominia erit deserenti correctionem: sed qui custodit increpationem, honore afficietur.

28. 23. Qui increpat hominẽ retrocedentẽ, gratiã inueniet magis quàm is qui blanditur lingua.

29. 1. Vir increpatus, qui indurat ceruicem repente conteretur, nec erit illi sanitas.
9. 7. Corripiens accipit sibijpsi ignominiam: & increpans impium accipit maculam suam.
8. Ne increpes igitur derisorem, ne forte odio habeat te: increpa sapientem, & diliget te.
9. Da sapienti (increpationē) & sapientior erit: doce iustum, & addet doctrinam.
4. 13. Custodi correctionē, quia ipsa est uita tua.
18. 17. Iustus prior est in causa sua: uenit autem socius eius, & inuestigat eum.
10. 13 In labijs intelligentis inuenitur sapientia: & uirga erit corpori carenti corde.
20. 30. Liuores uulneris sunt medicina in malo homine: & plagæ in interioribus uentris.
17. 11. Profectò rebellis quærit malum, & nuncius crudelis mittetur contra eum.

Fortaßis hic locus de correctione inter miscellanea melius referetur.

35. MODERATIO. 87.

25. 16. Si mel inueneris, comede quantum sufficit tibi: ne forte satieris eo & euomas illud.
4. 27. Ne declines ad dexteram, neq; ad sinistrā, remoue pedem tuum à malo.
30. 36. Lac si premas butyrum exit, qui nares emungit prolicit sanguinem, &c.
25. 27. Vt comedere mel multum, non est bonū: sic inuestigatio gloriæ eorum non est gloria.
27. 7. Anima saturata calcat fauum: at animæ famelicæ omne amarum erit dulce.

39. CVSTODIENDA SVNT membra nostra. 88.

42. 1. Præ omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso sunt gressus uitæ.
25. Oculi tui ad rectum aspiciant, & palpebræ tuæ dirigant uiam tuam coram te.
26. Pondera semitam pedum tuorum, & omnes uiæ tuæ dirigantur.

37. AMICITIA. 89.

11. 12. Despicit amicū suum carens corde: uir autem intelligens tacet.
17. 17. Omni tempore diligit amicus, & frater ad angustiam nascetur.
19. 6. Multi precantur faciem principis: & omnis amicus est uiro doni.
3. 29. Ne cogites contra amicum tuum malum, cum ipse habitet securè tecum.
18. 24. Vir amicorū par est ut præstet se amicum, quum sit amicus magis coniunctus quā frater.
23. 1. Potentum amicitia periculosa. Cum sederis ut edas, &c.
27. 10. Amicum tuum & amicū patris tui ne derelinquas, & domū fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ: nam melior est uicinus propinquus, quàm frater remotus.
21. 10. In oculis impij nō est gratus amicus eius.
19. 4. & 14 20. Opes adiungunt amicos multos.
17. 9. Qui tegit præuaricationem cuiuspiā, quærit eius amicitiam: qui uerò iterat rem, principem abalienat.
25. 17. Prohibe pedem tuū à domo proximi tui: ne forte satiatus te, odio habeat te.

LOCI MISCELLANEI.

1. CONIVNCTIO CVM bonis & malis.

1. 10. Fili mi si seducere uoluerint te peccatores, ne acquiescas.
11. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, insidiemur innocenti absq; causa.
12. Deglutiamus eos sicut sepulchrum, Viuētes: & integros sicut descendentes in foueam.
13. Omnimodam substantiam preciosam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs.
14. Sortem tuam proijce inter nos, marsupium unum sit omnibus nobis.
15. Fili mi ne ambules in uia cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum.
16. Pedes enim eorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem.
17. Certè ut sine causa spargitur rete in oculis omnis auis.
18. Sic hi sanguini eorum insidiantur, insidiantur animabus eorum.
19. Tales sunt semitæ omnis lucro inhiantis, animam dominorum illius capiet.
29. 27. Abominatio iustorū est uir iniquus: abominatio autem impij est rectus uia.
28. 19. Qui sectabitur ociosos, indigebit.
23. 17. Ne æmuletur cor tuum peccatores, imò potius in timore Iehouæ esto tota die.
18. Quia reuera est merces: & spes tua non succidetur.
14. 7. Vade à conspectu uiri stulti, cùm non noueris in eo labia scientiæ.
4. 14. Per semitam impiorum ne ingrediaris, & ne gradiaris in uia malorum.
13. Desere eam, ne transeas per eam: declina ab ea & transi.
14. Non enim dormiunt, nisi malè fecerint, & rapitur somnus eorum nisi ruere fecerint.
15. Quia comedunt panem impietatis, & uinum rapinarum bibunt.
24. 1. Ne æmuleris homines malos, neq; desideres esse cum eis.

Felicitas impiorum.

2. Quia rapinam meditatur cor eorū, & iniquitatem labia eorum loquuntur.
19. Ne commercium habeas cum malignis: & ne æmuleris impios.
20. Quia non erit finis homini malo: lucerna impiorum extinguetur.
3. 31. Ne æmuleris uirum iniustum, neque eligas ullam uiarum eius.
32. Quia abominatio Iehouæ est peruersus: & cum rectis secretum eius.

12. 11. Qui sequitur uacuos, deficit corde
22. 24. Ne fias amicus iracundo, & cum uiro furibundo ne eas.
25. Ne forte discas semitas eius, & accipias laqueum in animam tuam.
13.20. Qui graditur cum sapientibus, sapiens erit: sed qui est amicus stultis, conteretur.

2. DIVITIAE IUSTAE & iniustæ. 91.

10. 22. Benedictio Iehouæ ditat, nec apponit Iehoua dolorem ei benedictioni.
14. 24. Corona sapientum, diuitiæ eorum: stulticia stultorum, stulticia.
21. 5. Cogitationes uiri soliciti profectò tendunt ad abundantiam: omnis autem qui est festinus, tendit profectò ad inopiam.
13.22. Bonus hæreditare faciet opes suas filios filiorum, & reseruatur iusto substantia peccatoris.
22.7. Diues pauperibus dominatur, & seruus erit mutuum accipiens, uiro mutuanti.
19.4. Opes adiungunt amicos multos: at pauper ab amico suo separatur.
13. 8. Redemptio animæ uiri sunt diuitiæ eius: pauper autem non audit increpationem.
18. 11. Opes diuitis sunt ut urbs fortitudinis suæ, & sicut murus eleuatus in imaginatione sua.
10. 15. Diuitiæ diuitis sunt, ut urbs fortitudinis eius: consternatio pauperum est egestas eorũ.
27. 4. Et scientia interiora domus replebuntur omnibus opibus preciosis & iucundis.
11. 16. Fortes assequentur diuitias.
27. 24. Diuitiæ non durant in seculum.
23. 4. Ne labores ut diteris: sed à consideratione tua desine.
5. Num conijcies oculos tuos in eas, quum nullæ sint? quoniam faciendo faciunt sibi alas similes aquilæ, & euolant in cœlum.
28. 20. Vir fidelis multiplicabit benedictiones: at qui festinat ditari, non erit innocens.
28. 22. Festinat ad diuitias uir oculi mali, nec cognoscit quòd inopia eueniet ei.
20. 21. Hæreditas festinanter acquisita in principio, etiam nouissimum eius non benedicetur.
21. 6. Congregatio thesaurorum lingua mendaci, est uanitas & res quæ propulsatur, & quærentium mortem.
10. 2. Non proderunt thesauri impietate acquisiti: iusticia autem eruit à morte.
22. 16. Qui ui aufert à paupere, ut augeat sua, & qui dat diuiti profectò ad egestatem id facit.
21. 7. Rapina impiorum perdet eos: quia renuũt facere iudicium.

Ad œconomiam locus etiam posset referri.

Rapina, Dolus.

11.4. Non proderunt diuitiæ in die iræ: iusticia autem eruet à morte.
13.11. Diuitiæ quæ proueniunt ex uanitate, minuentur: & qui congregat diuitias manu sua, multiplicabit eas.
12. 27. Non adurit uir dolosus uenationem suam: diuitiæ autem hominis preciosæ, est solicitudo.
10. 4. Pauperem facit manus fraudulenta: & manus sedulorum ditat eos.
12. 24. Manus solicitorum dominabitur: dolosa uerò tributaria.
28. 8. Qui multiplicat diuitias suas usura & fœnore, ad largiendum pauperib. congregat eas.

Vsura & Fœnus.

26. 18. Sicut abscondit se qui emittit scintillas, sagittas & mortem.
19. Sic uir qui fraudat amicũ suum, & dicit, Nonne ludo ego?
17.20. Suauis est uiro panis mendax: & postea implebitur os eius arena.

3. PAUPERTAS. 92.

28. 3. Vir pauper, & ui spolians pauperes, est ut pluuia inundans, & nullus est postea panis.
19. Qui ociosos sequitur, pauper erit.
30. 7. Duo postulaui à te, ne prohibeas à me, antequam moriar.
8. Vanitatem & uerbum mendax remoue à me: paupertatem & diuitias ne dederis mihi: ale me cibo qui conuenit mihi.
9. Ne fortè satier, & abnegem, dicamq́ue, Quis est Iehoua? & fortè efficiar pauper, & furer, assumamq́ue in uanum nomen Dei mei.
24. 30. Paupertas ex desidia oritur.
23.21. Bibax & epulo pauperes efficientur, laceris uestibus induetur dormitatio.
10.3. Non sinit esurire Iehoua animam iusti: propter prauitatem autem impios expellet.
21.17. Vir egenus erit qui diligit læticiam: qui diligit uinum & pinguia, non ditabitur.
6. 11. Egestas ex ocio sequitur.
22. 2. Diues & pauper obuiauerunt sibi: faciens omnes ipsos Iehoua.
29. 13. Pauper & uir usurarum occurrerunt sibi: illuminat oculos amborum Iehoua.
14. 20. Etiam amico suo odiosus est pauper: sed qui diligunt diuitem, multi sunt.
31. 4. Causa pauperis iudicibus commendatur.

Bona conscientia.

15. 15. Omnes dies pauperis, mali: sed iucundus corde, est quasi esset in conuiuio iugi.
22. 22. Ne diripias pauperem, &c.
19. 15. Pigritia soporem inijcit, & ignauus homo esuriet.
28. 11. Sapiens in oculis suis est uir diues: pauper autem intelligens scrutatur eum.
20.13. Somnus pauperem efficit, &c.
13.7. Est qui se diuitem ostentat, & non est ei quicquam: est qui pauperem se ostentat, & diuitiæ multæ sunt ei.

4. OPES MEDIOCRES iustè collectæ. 93.

15. 16. Melius est parũ cum timore Iehouæ, quàm thesaurus magnus & contritio in eo.
17. 1. Melior est buccella sicca, & pax in ea, quàm domus plena uictimis iurgij.

15.17. Melius est conuiuium oleris, ubi sit dilectio, quàm esca bouis saginati in quo sit odiũ.
16.8. Melius est parum cum iustitia, quàm multitudo prouentuum absq; iure.

5. COMPARATIO DIVItum & pauperum. 94.

19.22. Desiderium hominis misericordia eius: & præstantior est pauper quàm uir mendax.
12.26. Abundantior est proximo suo iustus: uia autem impiorum errare faciet eos.
28.6. Præstantior est pauper qui ambulat in perfectione sua, quàm peruersus uijs, & ipse diues.
19.1. Melior est pauper qui ambulat in integritate sua, quàm peruersus labijs suis, & est stultus.
7. Omnes fratres pauperis oderũt eum: quanto magis amici illius elongabunt se ab eo? persequitur uerba & non sunt.
18.23. Deprecationes loquitur pauper: diues autem respondet dura uerba.
17.5. Qui subsannat pauperem, probris afficit factorem eius: qui lætatur in cõtritione alterius, non erit impunitus.
11.18. Qui fidit diuitijs suis, corruet: at tanquam frons, iusti germinabunt.
14.31. Qui opprimit pauperẽ, probris afficit factorẽ eius: & honorat eum qui miseretur pauperis.

6. PVPILLI, VIDVAE. 95.

31.9. Aperi os tuum muto, in causa omnium qui pertunduntur.
23.10. Ne transferas terminum antiquum, & in agrum pupillorum ne introeas.
11. Quia redemptor illorum fortis est, ipse iudicabit causam eorum contra te.
15.25. Deus statuit terminum uiduæ.

7. NOBILITAS. 96.

12.9. Præstantior est ignobilis, cui est, seruus, quàm iactabundus carens pane.

8. FORMA ET FAVOR. 97.

31.30. Fallax gratia & uana est pulchritudo.
11.22. Formosa mulier quæ prudentia destituitur, comparatur porco habenti inaurem in naribus.
22.1. Gratia bona præfertur auro.
10.7. Nomen impiorum putrescet.
22.1. Eligibilius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, & quàm argentum & quàm aurum eligibilior est gratia bona.

9. LAVS. 98.

27.14. Qui benedicit amico suo uoce magna, mane surgendo, maledictio reputabitur ei.
28.4. Impij laudant impios.
27.2. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.
12.8. Iuxta intellectum suum laudatur uir, peruersus autem corde erit in contemptum.
27.21. Vt conflatorium argento, & fornax auro, sic est uiro os laudantis eum.

10. SENECTVS, Iuuentus. 99.

16.31. Corona gloriæ est comes: in uia iustitiæ inuenietur.
20.29. Gloria iuuenum, fortitudo eorum: & decor senum, canities.

11. AFFECTVS, TIMOR. 100.

3.24. Timorem malum aufert studium sapientiæ.
10.24. Quod timet impius, euenit ei: & quod desiderant iusti, dat Deus.
28.1. Fugiunt etsi nemo persequatur, impij: iusti autem instar leunculi confidunt.

Conscientia mala.

29.25. Timor hominis ponit laqueum: & qui fidit Iehouæ exaltabitur.

12. TRISTITIA. 101.

12.25. Solicitudo anxia in corde uiri, humiliat illud: sed uerbum lætificabit illud.
14.13. Etiam in risu dolet cor: & exitus lætitiæ, tristitia.
17.22. Cor lætum, benefacit ut medicina: & spiritus tristis exiccat ossa.
14.10. Cor cognoscit amaritudinẽ animæ suæ: & in lætitia ipsius non miscebitur alienus.
18.14. Spiritus uiri feret infirmitatem eius: spiritum autem percussum quis feret?
15.13. Cor lætum decorat faciem: at propter dolorem cordis, erit tristis.
15.15. Iucundus corde est quasi in conuiuio iugi.

13. NON CONGRVENTIA. 102.

25.20. Vt qui remouet uestimentũ à se in die frigoris, & ut acetum superfusum nitro: sic qui canit cantilenas cordi afflicto.
26.9. Sicut spina quæ ascendit in manu ebrij, sic & parabola in ore stultorum.
19.10. Non decet ut seruus dominetur principibus.
26.7. Sicut inæquales sunt tibiæ claudi, sic & parabola in ore stultorum.
8. Sicut inclusio lapilli in aceruo lapidũ, sic qui dat stulto gloriam.
1. Sicut nix in æstate, & ut pluuia in messe est intempestiua, sic nec cõueniens est stulto gloria.
17.7. Non est decorum stulto labium excellens, quanto magis principi labium mendax?

14. NVNCIVM. 103.

15.30. Lumen oculorum lætificat cor: fama bona impinguat ossa.
25.25. Vt aquæ frigidæ animæ sitienti: sic nunciũ bonum è terra longinqua.

Eloquentiam posui inter uirtutes linguæ.
Vide suprà de Legatis.

FINIS.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ, QVI IN HIS COMMENTArijs citantur & explicantur.

14 Alaba=

FINIS.

IN LIBRVM PROVERBIORVM SIVE SENTENTIARVM SOLOMONIS, COMMENTARII,

Ludouico Lauathero Tigurino autore.

PROVERBIA Salomonis, filij Dauid, Regis Israel, ad discendum sapientiam, &c. *Titulus libri.*



SPIRITVS sanctus in titulo & procemio tria indicat, quæ ad totius scripti utilem lectionem pertinent. Primùm, quis sit author huius Libri: Deinde, quod nam sit eius argumentum, uel quid contineat: Tertiò, quæ sit eius utilitas. Hæc ordine & breuiter expendemus.

Author huius scripti indicatur Solomon, uel Salomon: utrunq; rectè dicitur: potest etiam dici Salomo uel Solomo. Conuenit ei hoc nomen, quia pacis studiosus fuit, 1. Paralip. 22. Habuit etiam aliud nomen, nempe Iedidia, hoc est, dilectus Domini, eò quod Dominus ipsum diligeret. Quidam etiam Lemuelem appellatum uolunt: de quo infrà cap. 31. De hoc longa texitur narratio in libris Regum & Annalium: nos ea tantum quæ ad hunc locum pertinent, breuibus complectemur. Filius fuit Dauidis ex Bethsabea, quæ uxor fuerat Vriæ. A' parentibus ad pietatem statim à puero assuefactus, quemadmodum 4. & 31. cap. huius libri ostenditur, moxq; in disciplinam Nathan prophetæ traditus fuit. A' patre adhuc uiuente regnum accepit, qui moriturus inter alia inprimis ei iniunxit, ut pietati studeret, & legem diuinam semper haberet in conspectu. Posteaquam regnare cœpit (quod pleriq; 12. anno ætatis factum putant) Deus in somno ei apparuit, iussitq; petere quod uellet. Is uerò data optione, non petebat uitam longam, neq; diuitias, neq; uindictam de inimicis suis: sed intelligentiam, & prudentiam, ut populum sibi concreditum rectè gubernare posset. Deus itaq; tam excellenti sapientia & prudentia eum ornauit, ac instruxit, ut non modò cum sapientibus exteris, sed illis quoq; qui inter Israelitas celebrantur certaret, eosq; longè superaret. Quin omnibus hominibus, omnium gentium, & ætatum, sapientię laude præstitit. Dixit (ut testantur sacræ literæ) tria millia sententiarum, eiusq; carmina fuerunt quinq; supra mille. Disseruit de herbis, fruticibus, suffruticibus & arboribus. Disseruit & de quadrupedibus, uolucribus, piscibus, serpentibus, insectis, de earum inquam natura & proprietate. Quanta uerò in rebus ciuilibus sapientia præditus fuerit Solomon, colligitur ex historia mulierculárum contendentium de puero uiuo & mortuo, quando magna dexteritate deprehendit, quæ uera pueri mater esset, explorata materna στοργῇ. 1. Reg. 5. Fama de sapientia ipsius ad exteras etiam gentes dimanauit. Regina Sabæa (cuius Christus etiam Math. 12. meminit) longum & difficile iter emensa, magno cum comitatu Hierosolymam uenit, ut obscuris quæstionibus eum tentaret, & sapientiæ eius periculum faceret. Is omnes quæstiones sibi propositas, eruditè & dextrè ei explicauit. Hæc mores eius obseruans, ædificia, rationem uictus, aulicorum ingenium, distributionem officiorum, & alia, tandem magna admiratione in hæc uerba erumpit: Adeò uera sunt quæ ego in patria mea de tua sapientia audiui, ut cùm rumori non antè crederem, quàm ipsa hisce meis oculis hæc omnia spectassem, re ipsa nunc comperiã, ne dimidiũ quidẽ tuæ sapientiæ mihi fuisse narratũ, adeò famã uincis quã acceperam. Felices homines tui, felices tui assectatores, qui tibi semper astantes, tuã audiũt sapientiã, &c. Hic Rex templum celeberrimũ Deo in monte Moria Hierosolymis extruxit, & arcam eò transtulit. Magnis opibus, rebusq; preciosis abũdauit. Altissimam pacem habuit, uicinisq; regibus charus fuit & acceptus. Extant tres eius libri, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, & Prouerbia. Scripsit etiam alios permultos, ut testatur Iosephus. Librum Sapientiæ, & Ecclesiasticum tanquam Solomonis antiquitus occidentalem ecclesiam in authoritatem recepisse, scribit August. lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 20. cum tamen sapientes agnouerint eius non e[illegible] Cæterum cùm in maximo honore, potentia, sapientia & fauore esset, uxorum, quas contra Dei præceptum duxerat, blanditijs ad idololatriam pertractus fuit. Ædificabat enim ipsis templa idolorum. Procul dubio, ut politici homines solent, prætexens pacem cum uicinis regibus, & alia multa: sed Deum hac re grauiter offendit. Atque ita Solomon, qui uelut

Vitæ Solomonis descriptio.

exemplum ſapientiæ fuerat, ſtultitiæ exemplum factus eſt. Neq; firmiter ex ſacris literis colligi poteſt, an imminente hora fatali, eum ſeriò ſceleris pœnituerit, inq; fide ſeminis promiſsi ſeruatus, æterna iam cum electis felicitate fruatur. Docet autem nos triſte hoc exemplum, ut accepta gratia Dei cauti ſimus, nec efferamur rebus ſecundis. Patri qui regnauit annos 40. ſucceſsit Roboamus, ſub quo regnum florentiſsimum in duas partes dilaceratum fuit.

Hæc paucis de authore annotaſſe ſufficiat, qui in eccleſia rex & doctor excellens fuit (ſicut ſe nominat eccleſiaſten, id eſt concionatorem) quiq; typum Chriſto ſeruatori prætulit, qui uerus eſt princeps pacis, quippe qui patrem iratum hominibus reconciliauit ſanguine ſuo, eosq; inter ſeſe charitatis uinculo adſtrinxit, patriq; cœleſti templum auguſtiſsimum extruxit, nempe eccleſiam per totum orbem diſperſam. Non autem putandum eſt ipſum Solomonem prouerbia hoc ordine ſcripſiſſe, ſed homines pij & ſtudioſi, quemadmodum diligens libri lectio oſtendet, ab eo pronunciata diuerſis temporibus annotarunt in libros, ex quibus poſtea illa quæ præcipuam utilitatis & doctrinæ laudem habebant, in unum librum ſunt collecta.

An ipſe Salomon hoc ordine hæc prouerbia ſcripſerit.

Argumentum libri.

Vox Meſchalim quid complectatur.

Secundo loco agitur de genere & argumento ſcripti, quid nam hic liber complectatur, nempe משלים *meſchalim*, i. prouerbia uel parabolas. Quæ dicuntur à משל *maſchal*, i. dominari, nimirum quòd in oratione dominentur & præcellant, eamq; uelut ſtellulæ quædam illuſtrent. Comprehendit autem uox illa Hebræa, quę Latini adagia, prouerbia, dicteria, ſententias & ſimilitudines: Græci uerò παροιμίας, παραβολὰς, ὑποθήκας, γνώμας, παραινέσεις, νουθεσίας, χρείας, appellant. Huc etiam pertinent ἀποφθέγματα, ἀπομνημονεύματα, κρίσεις, uel κεκριμμένα, προλήψεις morales, ſcitè & acutè dicta, exempla, conſilia, communes & breues præceptiones, quando paucis uerbis res magni momenti innuimus, quæ aliàs longa oratione uix explicantur. Quia uerò plerunque figuras aliquas uel tropos continent, uel propter breuitatem non ita facilè intelliguntur, uox Hebræa, etiam ænigmata, & omnem quacunq; ratione tectum ſermonem ſignificat. Sic Chriſtus ſeruator noſter Ioan. 16. dicit, Veniet tempus cum iam non per prouerbia uel parabolas loquar uobis, ſed palàm de patre annunciabo uobis. Omnes autem nationes & linguæ ſua habent peculiaria prouerbia, in quibus magna latet ſapientia. Ariſtoteles exiſtimat nihil aliud eſſe parœmias, quàm reliquias priſcorum philoſophorum, qui in exquirenda ueritate multò fuerint ſagaciores quàm poſteriores philoſophi. Plutarchus alicubi, ueterum adagia ſimilia putat ſacrorum myſterijs, in quibus res maximi momenti minutulis & primo aſpectu ridiculis ceremonijs ſignificentur. Multi ex ueteribus & recentioribus, in ſententijs undicunq; colligendis laborarunt.

Quid inter diuinas & humanas parabolas interſit.

Magna autem eſt differentia inter prouerbia uel ſententias gentilium, item uulgi: & inter ſententias Solomonis, & ſacrarum literarum. Illæ enim natura notæ ſunt, & multæ ex eis fœdæ ac obſcœnæ, cum fide & charitate pugnantes. Hæ uerò (nempe Solomonicæ ac propheticæ) multa continent, quæ ratio humana uidere non poteſt: omnesq; purum Dei uerbum ſunt, nec metuendum eſt, ne ex lectione earum aliquid labis nobis aſpergatur. Quędam enunciãt aliquid, quędã adhortãtur, quędã dehortãtur, quædã cõſolantur. Docẽt quæ uera ſit ſapientia, quomodo eã aſſequamur, adhortanturq; omnes homines ad conſequendum eam. Docẽt fidem, timorem, & ſyncerum Dei cultum. Docent charitatem erga Deũ & proximum. Omnes hominum ordines informant, uirtutes commendant, uitia prohibent. Quæ pijs præmia, & quæ impijs ſupplicia conſtituta ſint, oſtendunt, &c. Sed de materia huius libri mox plura.

Ordo ſententiarum.

Vtile autem fuerit, ſententias illas in locos communes, uel ad titulos generales reducere. Non enim ratione & uia artis ſunt expoſitæ. Quanquam ſpiritus ſanctus interim etiam ordinem aliquem, & certè eccleſijs utilem ſequatur. A' 1. cap. ad 10. uſq;, de uarijs rebus prolixè diſputatur. A' 10. cap. ad dimidium 24. (ubi quidam nouam collectionem incipere putant) ponuntur breues ſententiæ. A' 25. cap. ad 30. nouæ ponuntur ſententiæ, collectæ à miniſtris Ezechiæ: ſicuti & 30. cap. & 31. nouæ inſcriptiones ponuntur.

Sententiæ Solomonis diligenter cognoſcendæ ſunt.

Quoniam uerò ita pleriq; natura ſumus affecti, ut auidè legamus ſententias Platonis, Ariſtotelis, Plutarchi, Senecæ, & aliorum uirorum illuſtrium, multò auidius audiendæ & legendæ ſunt, quæ ex ſapientiſsimi Solomonis pectore promanarunt. Quidam prophani homines, ſacras literas hoc nomine aſpernantur, quod à uerbi miniſtris compoſitæ ſint: habemus hic Regis ſcriptum. Reginam Sabæ longum iter eſſe emenſam diximus, ut ſapientiam Solomonicam audiret: hodie ſapientia illa in plateis quodammodo clamat. Nec dubito quin ſi uel gladius, uel ſceptrum, aut chirotheca Solomonis alicubi oſtenderetur, multi cuperent uidere: at ſcripta potius ſunt ueræ eius reliquiæ. Quod ſi quis, propter animæ ſalutem hoc ſcri-

ptum

ptum regium cognoscere non uelit, tamen uel propter rerum ciuilium usum, uel propter uetustatem erat cognoscendum. Faxit Deus, ut magna, ex huius libri explicatione, tam ad interpretem quàm ad lectores redeat utilitas.

2 Ad discendum sapientiam & eruditionem, ad intelligendum eloquia intelligentiæ.

3 Ad suscipiendum eruditionem intelligentiæ, iustitiam & iudicium & rectitudines, *uel, iustitiæ, iudicij & rectitudinum.*

4 Ad dandum simplicibus calliditatem, puero scientiam & cogitationes.

5 Audiet sapiens, & addet doctrinam, & intelligens consilia possidebit, *uel, acquiret.*

6 Ad intelligendum parabolam, & eloquutionem, uerba sapientum, & ænigmata eorum.

Tertio loco ostenditur ad quid, & quibus utilis sit hic liber: nempe non tantum iuuenibus *Procemium*
& imperitis, sed & senibus atq; sapientibus. Varius autem & multiplex eius usus & fructus, *libri.*
quinque his uersibus continetur, & explicatur. Potuisset uno uerbo dicere, Scriptæ sunt hæ
sententiæ, ut hinc discamus præcepta fidei, & bonorum operum: sed utitur multis uerbis: ad
discendum, ad intelligendum, ad suscipiendum, ad dandum, sapientiam, eruditionem, &
alia multa quæ per μερισμὸν subiungit. Vbi non necesse est, ut in singulis uerbis diu immoremur, multisq; philosophemur: paucis singulorū ꝓprias significationes ordine explicabimus.

Scriptus & editus est hic liber sententiarum, ut hinc discamus sapientiam. Sapientia *Prouerbiorū utilitas.*
à philosophis definitur, quòd sit rerum diuinarum & humanarum scientia, cognitioque
quæ causa cuiusque sit. Vel simpliciter per sapientiam intelligere possumus ueram cognitio- 1.
nem Dei, quæ uera est sapientia. De qua Paulus 1. Cor. 2. Sapientiam loquimur Dei in my- *Sapientia.*
sterio, quæ est recondita, quā præfinierat Deus ante secula, &c. Multæ enim sententiæ in hoc 2.
libro ponuntur, quæ ad explicationē naturæ Dei pertinent. Deinde ut hinc discamus מוסר *Castigatio.*
musar, hoc est, disciplinam, castigationē, uel correctionem, cui adiuncta est institutio. Docet
enim hic liber, quo pacto nos gerere debeamus, si uel à Deo, uel ab hominibus castigemur.
Deinde quomodo nos quoque pueris, & alijs castigationem adhibere conueniat, ut à pecca- 3.
tis reuocentur. *Verba intelligentiæ uel prudentiæ.* בינה binah est iudicium quod nascitur *Prudentia.*
ex sapientia, quo inter bona & mala, uera & falsa expetenda & fugienda dijudicamus.
Differunt חכמה chacmah & בינה binah, quòd illa res cognoscit, hęc discernit ac dijudicat.
Alij hoc ponunt discrimen, ut sapientia sit rerum cognitio, & id ferè quod philosophi δύναμιν
uocant, prudentia uerò, sapientiæ usus, rerumq; utilis & commoda administratio, & id quod
philosophi πρᾶξιν ἢ ἐνέργειαν appellant. Sic Iosepho sapientia tribuitur, quia intelligebat
somnium Pharaonis, & dextrè explicabat: Prudentia uerò, quia simul consilium dabat,
quomodo regno Aegypti prospiciendum esset, ne annonæ penuria laboraret. *Ad susci-* 4.
piendum eruditionem uel disciplinam intelligentiæ, doctrinæ, industriæ, iustitiæ, &c. שכל Sachal
accuratè, insigni industria & diligentia considerare aliquid significat. השכל haschel
infinitiui & nominis significationem habet. Hæc prouerbia instituunt nos, ut considere-
remus & intelligamus quid credendum, quid non credendum, quid faciendum uel o-
mittendum sit, &c. *Iustitiam.* Per quam, fidei iustitiam, uel uniuersalem obedientiam le- 5.
gum, aut etiam peculiarem illam uirtutem quæ suum unicuique tribuit, intelligere possu-
mus. משפט Mispat, iudicium. Significat causarum cognitionem & discussionem. Requi- 6.
ritur inprimis à iudicibus, ut secundum leges præscriptas causas dijudicent, quò mali coher- *Mispat.*
ceantur, & boni defendantur. Deinde alij quoq; homines habent suum mispat, hoc est,
officium quod rectè obire debent. Multa autem in hoc libro de iudicum, & omnium homi-
num officijs continentur. מישרים Mescharim, rectitudines, æquitates, ut homines neque
ad dextram neque ad sinistram deflectant: sed quod iustum & æquum est, faciant. Ab æqui- 7.
tate tum quoq; disceditur, quando superstitiose legum litera urgetur: secundum illud, Summum ius summa iniuria.

In quarto & quinto uersu ostenditur, quibus hominibus hoc scriptum utile sit: non so- *Quibus hic*
lum rudibus, sed etiam doctis & sapientibus. פתי pæthi paruulus ætate & sensu, simplex, *liber utilis*
innocens, insipiens. Græcè νήπιος. Deducitur à פתה pathah persuadendo, & accipitur, *sit.*
in bonam & in malam partem. In bonam, ut cum Dauid Psal. 116. canit, Deum custo- *Paruuli.*
dem esse paruulorum, id est, illorum qui se consilijs suis expedire non possunt, sed auxilium à Domino expectant. Christus Matth. 11. cap. gratias agit Deo, quòd mysteria regni

cœlorum celarit sapientes, & reuelarit paruulis. Paulus ad Rom. 2. se uocat doctorem imperitorum, id est, illorum qui se sustinent doceri uerbo Dei, nec prudentiores esse uolunt ipso Deo. Deinde sumitur in malam partem, de his qui quiduis facilè credunt & blandis uerbis citò decipiuntur. Sic ad Ephesios 4. cap. dicit Paulus, ne amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum, &c. 1. ad Cor. 14. dicit, Ne sitis pueri sensibus, sed malitia pueri sitis. Illis hic liber sup-
8. peditabit, ערמה armah, astutiam, uersutiam, uel calliditatem. Hæc uox est τῶν μέσων plerun-
Calliditas. que, in malam partem accipitur: sed aliquando significat prospicientiam, cautionem, ne cuiuis credamus: sed dolos insidias, & pericula, inprimis animæ caueamus. Christus Dominus etiam à suis discipulis requirit, ut sint prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Apostoli quoque præcipiunt, ut discernamus inter doctrinas Dei & hominum. Si in malam partem accipias, sensus erit: Lectio huius libri utilis erit ad hoc, ut intelligas uersutiam & calliditatem aliorum, qua simplicibus imponunt. *Pue-*
9. *ro scientiam & rectam cognitionem.*) נער naar non tantum ætate, sed etiam iudicio puerum & rudem significat. Pueris & adolescentibus inest maxima imbecillitas consilij, non bene nouerunt distinguere inter uirtutes & uitia: sæpenumero uitia pro uirtutibus amplectuntur: sed diligens lectio huius libri suppeditabit illis scientiam & periti-
10. am, ut usum rerum habeant. Hebræi annotant, דעת daath, distinguere inter ueri-
Meßimah. tatem & mendacium. *Rectam cognitionem, calliditatem, cogitationes.*) Hæc uox מזמה messimmah, propriè significat meditatum scelus, machinationem, astutiam: deriuatur enim à זמם samam, id est à cogitando. Aliquando in bonam partem accipitur, pro prudentia quadam, cum nihil uel dicimus uel facere aggredimur, nisi maturo consilio, cogitantes num ad gloriam Dei, & utilitatem proximi faciat, quod dicturi uel facturi sumus. Iuuenes plerunque natura sua sunt præcipites, & temerarij: sed ex hoc libro discent, nihil temere & imprudenter suscipiendum esse. Sin in malam partem hanc uo-
11. cem accipias, sensus erit: Discent iuuenes, impios studere meditatis sceleribus. *Audiens sapiens adijciet cognitionem seu doctrinam.*) Hic liber non tantum erudiendis rudibus & simplicibus conducet: sed docti quoque & sapientes diligenter hoc perlecto, sapientiæ accessionem facere possunt. Qui putant se nihil amplius proficere posse, certè pueriliter sentiunt. Doctissimos & sapientissimos quosq;, indies aliquid addiscere non piguit, nec puduit.
Semper discendum. Notum est illud Solonis: γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος, id est, Senesco semper multa addiscens. Marcus Antoninus Imp. sæpe discendi causa inuisisse legitur domum Sextij philosophi, dicens: καλὸν καὶ γηράσκοντι τὸ μανθάνειν, pulchrum etiam senescenti discere. Saluius Iulianus clariss. iurisconsultus, ut in Pandect. lib. 4. refertur, dicere solebat: Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere uellem. Parua in scholis de illis pueris spes est, qui uocem præceptoris contemnentes nescio quid se in literis consequutos esse, sibi falsò persuadent. Nemo est tam doctus, quin ex aliorum etiam eruditione inferiorum sermonibus interdum doctior fieri possit, & aliquid clarius cognoscere. Moses ex Iethrone didicit, Exod. 18. לקח lækach doctrina, ab accipiendo deriuatur, nam qui discit, accipit doctrinam
12. ex libris, magistris, usu, experientia, temporisq; diuturnitate. *Qui intellectu est præditus, gu-*
Consilium. *bernationem, uel consilia acquiret.*) תחבולה thachbulah consilium significat, metaphora deducta à naucleris. Quemadmodum enim illi tendunt, trahunt, & soluunt funes mali in naui: ita uiri sapientes res agendas consilijs moderantur. Consilium autem dicunt esse, re-
13. rum agendarum aut fugiendarum sapienter excogitatam rationem. *Ad intelligendum parabolam.*) Hic fructus tam ad senes quàm ad iuuenes ex hoc libello redit, ut intelligant משל
Sententia quid. maschal, Sententiam seu prouerbium. Quid hæc uox complectatur, paulò ante annotauimus. Author ad Herennium sententiam esse dicit, orationem sumptam de uita, quæ aut quid sit, aut esse oporteat in uita, breuiter ostendat. Alij dicunt, esse generale quoddam dictum ad mores pertinens. *Interpretationem.*) Qui bene fuerint uersati in hoc libello, etiam
14. aliarum parabolarum quæ hoc libro non continentur, sensum & explicationem facilius intelligent. ליץ loz significat artificiose loqui, inde מליץ meliz, interpres, orator: מליצה melizah facultas & scientia bene dicendi, quam ex hoc libro quidam disci putant. Significat item ליץ loz sophisticè, & irrisoriè loqui, ubi etiam quoddam est artificium. Hinc לצים lezim dicti, illusores qui omnia irrident, de quibus alibi plura dicemus. Pertinet autem hic liber ad intelligendum perniciosam hanc & diabolicam rhetoricam, ne boni ho-
15. mines prauis illis sermonibus corrumpantur. *Ad intelligendum uerba sapientum.* Ad uerba
16. Mosis, prophetarum, aliorumque sapientum potes referre. *Et uerba occulta.* Τὰ αἰνιγματώδη,
Aenigma. hoc est, obscuras, & inuolutas sententias, quas Gellius scirpos à ueteribus appellatos scribit.

חידה chidah enim nunc significat ænigma, sermonem occultum, quando aliud dicitur, & aliud intelligitur: nunc problema, uel obscuram, acutam & difficilem quæstionem, quales regina Sabæa Solomoni proposuisse legitur. Vtuntur his aliquando sapientes, ut studiosi exerceantur. Sed quomodo, inquis, ænigmata ex hoc libro intelliguntur, cum nulla in eo sint? Sunt multa, præsertim cap. 30. Ipse Aug. de trinitate lib. 15. cap. 9. ait, ænigma esse in his uerbis: Sanguisuga duas habet filias clamantes, affer, affer, &c.

Hæc sunt capita quæ ex hoc libro disci possunt. Scio à nonnullis has uoces aliter exponi, & unam pro alia indifferenter nonnunquam usurpari. Nomina enim quæ notitiam significant, confunduntur in omnibus linguis. Possunt autem omnia hæc ad paucula restringi, nempe ut dicamus, hunc librum conducere ad omnis generis uirtutes, intellectus, & uoluntatis: uel, disci ex hoc libro, cognitionem Dei, quis & qualis, quàm potẽs, misericors item & iustus sit. Deinde quo pacto nos rebus secundis & aduersis geramus, &c. Eusebius scribit Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 22. Quòd non tantum Egesippus, sed & Irenæus, & uniuersus ueterum chorus, Solomonis parabolas sapientiam omnis generis uirtute plenam uocarint. Basilius homilia quadam totum hoc proœmium illustrauit.

Quandoquidem uerò breuis hic libellus, qui sacrorum librorum parua pars est, tam uariam ac multiplicem utilitatem continet, facilè colligere possumus, quid de omnibus libris ueteris ac noui Testamenti sit sentiendum, quàm sint utiles, quamque perfectè omnia illa tradant, quæ ad salutem nostram pertinent. Aduersarij nostri dicunt non omnia contineri sacris literis, quæ sunt necessaria Christianis: suisq; traditionibus adimplere uolunt, quæ scripturæ desunt. Et sub nomine traditionum nobis obtrudere conantur, quę ex diametro cum sacris literis pugnant. Sed non adducam nunc elogium illud sacræ scripturæ ex 2. epistola D. Pauli ad Timotheum, non alia egregia loca quibus scripturæ utilitas & perfectio asseritur: hoc tantùm repeto, Si breuis hic liber tam multa continet, quid dicemus de totis Biblijs, de tot libris ueteris & noui Testamenti? Ad res etiam minutissimas spiritus sanctus in scripturis se demittit. Quis igitur illa quæ ad salutem nostram pertinent, omissa cogitaret?

Vsus scripturæ, ampliß.

7 Timor Domini initium est scientiæ, *uel sciendi:* sapientiam & eruditionem stulti despexerunt.
8 Audi fili mi castigationẽ patris tui, & ne abijcias legem matris tuæ.
9 Nam hæc sunt in capite tuo additamentum gratiæ, & torques circa collum tuum.

Præfationi quæ authorem, argumentum, & usum Libri ostendit, subiunguntur uariæ sententiæ, doctrinæ & exhortationes. Inter Sententias prima hæc est, Sapientiæ initium esse timorem Dei, quæ infrà 9. capite repetitur: & in Psalm. 111. fine, atque in Iobo cap. 28. ponitur. Timor autem, ut in scholis distinxerunt, duplex est, Seruilis & Filialis. Seruilis est quo Deum metuimus, ueluti fugitiuus seruus dominum suum. Qualis in impijs, & etiam cacodæmone conspicitur. Filialis timor est, quo non tantùm metuimus Deum propter peccata, sed etiam amamus ut patrem, & operam damus ne eum offendamus, nosq; ei subijcimus. Hic timor principium est, radix, & fundamentum ueræ sapientiæ. Nam in animam malitiosam non intrabit sapientia, nec in corpore peccatis obnoxio habitabit, Sap. 1. sed apud fideles tantùm locum habet. Siracides 1. cap. docet, Sapientiam ex spiritu, & uerbo Dei per fidem hauriri & percipi. At inquis: Multi sunt prudentes & sapientes uiri, qui quantum ex uerbis & factis eorum colligitur, nec Deum curant, nec uerbum ipsius reuerentur. Respondeo, nos hîc potissimùm loqui de uera & cœlesti sapientia, quę explicat æternum Dei consilium de saluandis hominibus, qua cognoscimus quis sit Deus, quis homo, quomodo lapsus restituatur. Discimus ex hoc loco, illos qui operam dant cœlesti sapientiæ, inprimis aspirare debere ad timorem Dei. Quales sunt theologiæ candidati, iudices, & alij, &c. Qui flagrat cupiditate discendi artificium aliquod, etiam Dei timens sit.

Timor duplex.

Multi sapientes Deum non timent.

Sunt qui hanc sententiam simpliciter ad hunc modum intelligant: Prima, præcipua & solida scientia, est timor Dei, hoc est, fides, religio, pietas, reuerentia numinis. Nam timere Deũ phrasi scripturæ, totum cultum Dei, & iusticiam Deo debitam comprehendit. Pro eo quod Esa. 29. habet, Timuerunt me mandatis & doctrinis hominum: Christus reponit, Frustra colunt me mandatis hominum, Matth. 15. Iuxta hanc sententiam, initium non pro elementis, seu rudimentis: sed pro capite & fine sapientiæ accipitur.

Timor Dei est summa & caput sapientiæ.

Sapientiam & eruditionem stulti contemnunt.) Stulti, id est, homines carnales, sapientiæ & eruditioni, uina & farcimina anteponunt. Imitantur Esaum, qui ius primogenituræ pul-

Stulti sapientiam contemnunt.

mento permutauit. Etsi uerò uerbis dicant se diligere sapientiam, operibus tamen ostendunt quòd eam detestentur. Christus etiam stultum illum appellat, qui de dilatandis granarijs, & cellis uinarijs cogitans, animam iubet genio indulgere, Luc. 12. Annon stultus est, qui præsentium tantum rationem habet, nec futurorum ulla cura tangitur? Talis fuit Nabal ille, cuius in libris Samuelis fit mentio. Tales erant pharisæi, Ioan. 10. qui Christum contemnentes dicebant, Cur auditis eum? Cæterum illi stultos putant omnes quotquot cum ipsis nolunt insanire, sed genium fraudantes, in ærumnis exultant, & se Dei uerbo gubernandos tradunt, rerumq; cœlestium contemplationi uacant. Non autem præter rationem uerbum (*despexerunt*) in præterito positum puto: nimirum ut significetur, impios nulla adhibita deliberatione statim quod ipsorum affectibus non respondet, reijcere.

Officium liberorũ erga parentes suos. Postquam cultum & timorem Dei tanquam fundamentum locauit: mox quàm aptissimè ad officium liberorum erga parentes suos, descendit. Res enim magni est momenti: hinc reipublicæ uel salus, uel pernicies quodammodo dependet. Liberi enim sunt quasi seminarium reipub. & ecclesiæ. Solomon igitur, uel Sapientia, quin Deus ipse, affatur omnes & singulos liberos blandè & animo uerè paterno, eisq; præcipit ut parentibus suis obtemperent. *Audi fili mi eruditionem, uel castigationem patris tui.*) Non dicit, Imitare paternum exemplum. Viuendum enim legibus, non exemplis. Et ita ferè comparatum est, ut parentes quantumuis mali, qui multa in iuuentute scelera patrarunt: tamen honesta filijs præcipiant, ac eos quàm honestissimos esse uelint. Tantum decus est uirtutis & honestatis. Quòd si parentes sui officij obliti, inhonesta filijs imperent, filij non debent obtemperare: sed illis in memoriam reuocare uerbum Dei, & sanctissimi uiri Ionathæ, filij Saulis, exemplum imitari, qui Dauidem de repub. bene meritum, in patris gratiam nequaquam opprimere uoluit. Sin uerò parentes filijs honesta pręcipiant, eis omnino est obtemperandum. Si uerbis uel uerberibus eos corrigant, castigatio illa æquo animo est ferenda.

Legem matris tuæ ne relinquas neq; dimittas.) Ne uocem matris tuæ tanquam delirantis aniculæ contemnas. Magna enim matrum in filios sunt beneficia, quæ alicubi D. Hieronymus recenset his uerbis: Matribus debitam impendite reuerentiam, quæ uobis uteri labore inseruientes, pondus corporis uestri tolerant, atq; ignotam portantes infantiam, famulatum quendam exhibent nascituris. Illo tempore non sibi tantum mater esurit, nec acceptos sola digerit cibos. Materno uictu alitur, & ille qui latet eiusq; membra alterius comestione pascuntur, ut homo futurus alienis morsibus saturetur. Quid ipsa memorem nutrimenta, & teneræ infantiæ dulces iniurias, quas nutritoris affectus de suis paruulis sumit? Quid cibos in matre confectos, qui fœmineis manantes ex membris lacteum soluuntur in succum, & in fauces inualidas liquido sapore perfunduntur? Cogente natura sumunt infantes de matre quod bibant, & dente non nato hoc sibi currentibus laboris eliciunt, quod non sit necesse mordere. Seruiunt materna posteris pectora, seruiunt ipsis incunabulis, manus & terga membris deuota lactentium gratos artus accipiunt. Optat mater paruulum crescere, optat citò uidere maiorem. His tot tantisq; præcedentibus factis, matri debet tota alacritate seruiri. Reddatur naturæ debitum, reddatur & posteris quod debetur. Exolue fili quod debes, & officia debita qualicunq; exhibe famulatu. Quia parentibus nemo potest reddere quod debetur. Hæc uerba Hieronymi propterea annotare uisum est, quòd multæ sententiæ de matribus honorandis hoc libro comprehendantur. Vox נטש natasch significat etiam diruere, euellere. Iere. 23. uersu 19. Derelinquã uel euellã uos. Nam quemadmodũ hortulani magna sedulitate plantãt hortos, sic matres liberis præcepta instillant. *Ea ne euellas*, inquit. Natura etiam inseuit nostris animis, parentes colendos esse. Hinc tam præclara dicta, & tam pulchræ leges extant apud ethnicos, de honore parentibus præstando. Natura docet amare illos, qui nos amant: At nemo nos impensius quàm parentes diligit. Cumque ætatis prouectioris *Parẽtes morosi ferendi sunt.* sint, nobis optimè consulere possunt. Etsi uerò morosi sint, cogitandum nihilominus, nobis à Deo magistros esse datos. Rectè dicit muliercula illa apud Terentium: Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda æquum est ferre. Et Mimus, Ames parentem si æquus est: sin aliter, feras. Quod si ipsis præstamus obsequia, Deo præstamus. Idem cogitent uxores, si difficiles maritos, serui, si inhumanos dominos habeant. Qui bene monentem, quisquis sit, contemnit, is profectò Deum contemnit.

Parentum officium erga liberos. Quandoquidẽ uerò à liberis requirit, ut paternã disciplinã audiãt, & maternã legẽ non respuãt, una eadẽq; opera præscribit parentib, quo pacto erga liberos suos se gerãt. Parentũ est liberos erudire, & si peccãt castigare uel uerbis uel uerberib. prout res postularit, ut à teneris discãt timere Dominũ, cuius præceptum est, ut id faciant. Tradendi sunt etiam in aliorum disciplinam. Dum teneri sunt facilè possunt formari, instar arboris tenerę, quę absq; negotio flectitur.

flectitur. Deinde si pueri à teneris rectè imbuantur, semper bonæ institutionis argumenta proferent. Peccatur hac in re multum à parentibus, qui nec ipsi liberos erudiunt aut castigāt, nec alios qui hoc faciunt, possunt ferre: sed tantùm student cumulandis opibus, quibus ingrati hæredes seipsos postea perdant: plura hac de re cap. 4. annotabimus.

Iam θελκτήριον ponit, quò liberos ad obedientiam præstandam inuitet & alliciat. *Quia additio,* inquit, *gratiæ ipsa capiti tuo, & uice torquis erūt in collo tuo.* Ipsa, scilicet disciplina & lex: uel, Ipsa, hoc est, sunt, uulgari Hebraismo. Spiritus sanctus puerorum captui sese attemperat, qui delectantur rebus splendentibus, quæ homines eis commendant. Mouentur plurimum si obtemperantibus munuscula promittas. Pollicetur itaq; præmia magnifica & splendida. *Præmia liberorū qui parentibus obtēperāt.*

Disciplina patris, & directio matris, erunt additio gratiæ capiti tuo.) Hoc est, instar coronæ, uel diadematis, ut quidam interpretantur. Vel, addent gratiam & fauorem apud Deum & homines. In magno eris precio atq; existimatione, omnes te diligent, obseruabunt, & tuam amicitiam expetent. Fauore & gratia pollere, donum Dei præclarum est, quod magnis sæpe uiris negatur. *Et quasi torques erit in collo.*) In rebuspub. bene constitutis, non cuiuis conceditur aurum & argentum gestare: sed bene meritis & nobilibus tantùm. Sensus igitur est: Tu uerè nobilis & generosus eris, ornatus pulchro gestamine, si parentibus obedieris. Experientia docuit hanc sententiam ueram esse: sæpe enim qui parentibus obtemperarunt, multa bona sunt consequuti, ac ad maximas dignitates, & officia promoti. Dicunt illum non bene imperare, qui aliorum imperio parêre nesciat. Ex opposito, immorigeri gubernante Deo, arcentur à gubernaculis Reipub. audiūt sæpe, Cùm talis in parentes fueris, quid boni à te erit expectandum? Quòd si in calamitatem aliquam incidant, statim dicunt homines, non mirum, impius enim fuit in parentes. Pro torque, catena uel funis, collo ipsorum sæpe iniicitur.

Quidam allegoricum sensum eruunt, per patrem intelligentes patrem cœlestem & spiritualem: per matrem uerò ecclesiam, cuius leges & canones contemni non debeant. Aduersarij nostri, subinde in ore habent, nos sanctæ matris ecclesiæ pręcepta reiecisse: hortantur ut ad indulgentissimæ matris gremium reuertamur. Si de uera ecclesia loquerentur, rectè monerent: sed ecclesia illa, de qua ipsi loquuntur, mater quidem est, sed (ut in Apocalypsi legitur) fornicationum. Cumq; ut iniusta nouerca, impia nobis præscribat, ne miretur, se à nobis nō obseruari. *Allegoria.*

10 Fili mi, si incitauerint te peccatores, ne acquiescas.
11 Si dixerint, ueni nobiscum, insidiabimur sanguini, abscondemus nosipsos contra insontem absq; causa.
12 Deuorabimus eos quasi sepulchrum uiuos & integros, quasi eos qui descendunt in foueam.
13 Omnem substantiam preciosam inueniemus, atq; implebimus domos nostras præda.
14 Sortem tuam proijce inter nos, & marsupium unum sit omnibus nobis.
15 Fili mi, noli abire cum eis in uiam: prohibe pedem tuum à semita eorum.
16 Quoniam pedes eorum currunt ad malum, & festinant ut effundāt sanguinem.
17 Quia frustra expanditur rete ante oculos omnis alitis.
18 Ipsi quidem insidiantur sanguini eorum, & abscondunt se animabus suis.
19 Sic sunt semitę omnis qui inhiat substantiæ: nam animam rapiet ab illis qui eam habent.

His decem uersibus Solomon iuuenes admonet, ut à societate malorum, in primis uerò sicariorum, sibi caueant: neque blandis ipsorum sermonibus capi se patiantur, ut alios lædant. Vtilis autem & necessaria est hæc exhortatio. Nam hoc est sceleratorum hominum ingenium, ut alios quoque in scelera pertrahere nitantur. Latro cuperet multos esse latrones. Meretrix alias etiam fœminas ad flagitium allicit, ut minus sibi turpe sit quod facit. Deinde natura nostra uitio originis ita deprauata est, ut sponte ad quæuis mala feramur. Quemadmodum fomes facilè ignem cōcipit: ita nostra natura facilè ad scelera impelli- *Admonitio, ne quis peccatorū blanditijs ad scelera trahi se patiatur.*

tur. In primis autem adolescentes prauis sermonibus & exemplis facilè corrumpuntur (id quod in bene institutis sæpe experimur) necessaria igitur est hæc parænesis. Optimè autem superioribus annectitur. Doctrinã enim, quã parentes liberis instillãt, corrumpũt peccatores.

Continuatio.

Principio in genere, blandè singulos compellans, *Fili mi*, dicit, *si te peccatores lactauerint.*) incitarint, uel blandis uerbis tibi suaserint (id enim significat פתה pathah) scilicet ut uestigijs ipsorum insistas: ne consentias eis, nec sinas te adulatione ad peccandum induci. Mox descendens ad speciem, exemplum addit de latronibus, prædonibus, pyratis & id genus hominibus. Peccatores enim hoc loco non tales præcipuè intelligendi uidentur, quales omnes mortales sunt: sed prorsus impij, & uacui timore Dei. Quales fuerunt illi qui Act. 2. cap. ἄνομοι, & passim in Euang. hist. ἁμαρτωλοὶ uocantur, & cum publicanis plerunq; coniunguntur. Imitatur eorum sermones, ponit illa quibus incautos ad peccandum alliciunt. Quæ omnia ideo tam diligenter exprimuntur, ut audientes eò cautiores simus, nobisq; ab illis diligenter caueamus. Cogitanda hic sunt etiam alia argumenta, quibus nos mali illi consiliarij, in suum consortium pertrahere nituntur.

Peccatores.

1\. Prima ratio petitur à tuto. Promittunt eis quòd non retegenda sint, quæ faciunt. Ex insidijs, inquiũt, adoriemur homines, abscondemus nos: si quis nos tales esse dicat, negabimus & pernegabimus. Pudor & metus homines retinent, quò minus in uitia prolabantur. Indidit enim nobis Deus semina pudoris, quibus ceu retinaculo & freno quopiã nos cohibeat. Multi sunt, qui nisi timerent ne manifestarentur quæ libenter patrarent, nullis exhortationibus à sceleribus possent reuocari: sed metu impediti utcunq; officium faciunt. Cogitandum erat, & si homines fallas, & in numerum bonorum uirorum colloceris, Deum tamen non poteris fallere. Imitandum erat saltem pigri & desidiosi serui exemplum, qui præsente Domino sedulus est. Deum habemus inspectorem nostrorum operum, is semper presens nobis adest: piè itaq; uiuamus, & caueamus nobis à sceleribus. Tametsi uerò ad tempus scelera non prodantur, nondum tamen homines pœnas effugerunt. Pulchrè Ausonius dixit:

Ratio à spe celandi & occultandi sceleris.

Deus omnia uidet.

„ Turpe quid ausurus te sine teste time.

Hæc uerba: *Contra insontem, absq; causa, uel frustra,*) quidam per parenthesim includunt, & non latronum, sed scriptoris esse dicunt: ut hic sit sensus: Frustra uobis sceleris impunitatem promittitis, quia innocentem sanguinem funditis: res palàm fiet, & pœnas debitas luetis. Germani prouerbio dicunt: Nullum latrocinium celari posse. Experientia docuit, latrones prodi improuiso & mirabili interdum indicio. Seipsos nonnunquam prodiderunt. Alicubi factum est ut latrones seipsos tormentis subijcerent, & explorarent qui'nam continenti essent lingua, & proinde ad latrocinia idonei: sed postea comprehensi à magistratu, qui antea reliquis patientiores fuerant, scelus priores confessi sunt. Extant multa exempla de alijs quoq; scelestis hominibus, qui uel nouo quodam & admirabili casu, uel suo ipsorum indicio proditi, scelerum pœnas dederunt. Vel uerba etiam sunt latronum, Contra innocentem gratis: hoc est, illum qui nos neq; uerbo neq; facto læsit. Tales enim homines, alios ex suo ingenio metiuntur, non metuũt insidias, ideoq; facilè opprimuntur. Vitam autem ei ideo eripiemus, ne nos accusare & in ius trahere possit. Græci dicunt, οἱ τεθνηκότες οὐ δάκνουσιν, Mortui non mordent.

Latrocinia nõ possunt celari.

2\. Secunda ratio petitur à facili. Difficultas rei multos à flagitijs reuocat. Quòd si uideãt rem facilè absq; magno labore & molestia confici posse, scelus patrãt. *Deuorabimus eos*, inquiunt, *uiuos instar inferni seu sepulchri, & integros, ut qui descendunt in foueam,*) hoc est, nullo negocio illos perdemus: nõ metuendum nobis est, ne ab ipsis malum aliquod accipiamus. Rei facilitatem duabus similitudinibus exprimit. Quemadmodum de Dathan, Core & Abiron, Num. 16. legitur, quod à terra cum omnibus suis absorpti sint, & in infernum descenderint: & quemadmodum in sepulchrum cadauera integra conduntur, ita totos perdemus, ut nullum uel indicium supersit. Quemadmodum nihil tale expectantes facilè in foueam aliquam protruduntur: ita nos illos è medio tollemus. Possent hæc etiam ad superiorem rationem reduci: Non membro mutilabimus, aut uulnerabimus eos: sed subitò & integros perdemus, ne malitia nostra prodatur.

Ratio à facili.

3\. Tertia ratio ab utili sumpta est, quæ ratio ad persuadendum maximum habet momentũ. Nullæ honestæ rationes admittuntur, si quæstum uideantur impedire. Multi opes cõquirere parant quibuscunq; uijs possunt. Solliciti sumus omnes, de comparandis necessarijs uitæ. Iuuenes habere cupiunt quod in aleam, scorta, compotationes profundant. Si nunc spes sit, se posse opes cõgerere, nihil non audent. Notum est ex historia Salustij, Catilinam hac ratione multos sibi deuinxisse. Dicunt igitur, *Omnis generis preciosas & sufficientes opes reperiemus, & implebimus præda domos nostras.*) Non tantum comparabimus uitæ necessaria, ut habeamus cibum, potum, uestitum, domos, supellectilem necessariam: sed etiam quæ ad splendorem & luxum faciant.

Ratio ab utili.

faciant. Honorificum est omnis generis opes habere & domum plenam: sed cogitandum uicissim erat, quàm infelices essent opes, quæ ex præda colligũtur. Prouerbio dicitur: Malè partum malè disperit. Hac de re plura in hoc libro dicemus. Permissum quidem est opes colligere: sed uidendum est quomodo colligamus. Addunt, *Sortire tu nobiscum, Vnum erit omnibus nobis marsupium.*) Sensus est, Si placuerit statim prædam diuidere, ut creditoribus satisfacias, & in alios usus pecuniam conferas, bona fide tecum agemus, fortibus prædam partiemur: non di uidemus rapinam, quemadmodũ leo cum asino & uulpe in Apologo diuisisse dicitur. Quod si consilium est, diutius nobiscum morari, communia erunt omnia, dum uel obolus superfuerit, tua portio tibi cedet. Laudatur in coniugibus, si unum marsupium habeant.

Grauem admonitionem subtexit Solomon. *Tu autem, fili mi, ne abeas cum eis in uia: quin potius arceto pedem tuum ab ipsorum semita.*) Hæc simpliciter intelligi possunt, ne iter quidem ingrediendum esse cum huiuscemodi sceleratis hominibus, nullam cum ipsis contrahendam esse amicitiam aut familiaritatem, sed fugiendos esse. Apud Græcos quoq; prouerbialis est uersiculus, κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ᾽ ὅλως ὁδοιπόρει, multo minus mensa tectóue communi utendum. Deinde uia Hebraica phrasi (quæ sæpe in scripturis occurrit) rationem & institutum uitæ significat, mores, negotia: breuiter, quicquid agimus. Sensus itaq; erit, non imitandos esse mores ipsorum, non esse cõmunicandum cum eis, etsi multi sint, & ad tempus felices. Eandem rem mutatis uerbis bis dixit, ad maiorem uehementiam. Sunt autem παλιλογίαι illæ crebræ in sacris literis.

Admonitio Solomonis.

Rationes nunc addit. *Pedes enim ipsorum ad malum currunt.*) Quod bifariam intelligi potest, actiuè, ut loquuntur, & passiuè. Festinant enim ut malum alijs inferant. Hoc quod faciunt, licet ipsi extenuent, tamen malum est. Speciem mali exprimit: currunt ad fundendum sanguinem, à quo etiam natura abhorret. Vide infrà 6. cap. Festinant item ad malum, hoc est, ad exitium quod propter fusum innocentem sanguinem, & in hac & in futura uita eis impendet. Sceleribus enim proditis, pœnas dant. Quòd si non agant pœnitentiam, firmiter stat illa sententia, Nullus homicida ingredietur in regnum Dei. Rem similitudine exornat. *Certè frustra extenditur rete ante auiculas.*) Stultæ auiculæ cibi auiditate etiam ad retia aduolant, & escam dispersam comedunt, cumq; minimè putant, retium complexu implicatæ iugulantur, & parantur in cibum: sic homines scelerati cum maximè securi sunt, & genio indulgere uolunt, ex improuiso opprimuntur. Est autem impiorum hoc ingenium, ut tunc maximè securi sint, quando in maximo discrimine uersantur. Huius rei multa exempla suppeditat scriptura, uelùti de primis hominibus, qui diluuio perierunt, de Sodomitis, Babylonijs, Iudæis. Christus etiam nouissima tempora uetustis illis Noe & Loti similia fore, extremamq; illam diem tanquam laqueum uenturam prædicit, Luc. 21. Idem Paulus scribit 1. Thess. 4. cap. Quòd si impij tibi multas uoluptates, & aureos montes promittant, succurrat hæc admonitio: Cogita tibi parari insidias: cogita imitatione uocis auiculas illici & capi. Sunt quibus hic sensus magis arrideat: Auiculæ non accederent si uiderent retia spargi: aucupes igitur abscondunt ea, escam proijciunt, illectrices aues adhibent, interim uitæ ipsarum insidiantur: sic illi dicũt, ultionem non sequi, seq; posse celare factum: sed tu præmonitus malorum insidias effugere debes.

Securitas impiorum.

Subiungit aliam rationem. *Illi ipsi insidiantur sibi mutuò, & alter alterius uitæ inhiat.*) Periculosa est illorum hominum amicitia, etiam hanc ob causam, quòd sese mutuò conficiant. Aliquandiu abutuntur opera alicuius ad iugulandum alios: mox cùm alicuius lucelli spes affulserit, contra ipsum insurgunt. Nam quid tibi de illis pollicearis, qui obuium quemq; spe pecuniæ comparandæ interimunt? Aristoteles tradit, referente Stobæo, sermone 10. de auaritia, octo latrones socios de spolijs inter se certasse, & quatuor eorum cæsos esse. Postea reliquos quatuor rursus inter se certasse, & reliquos factos esse duos, tandem unum solum superstitẽ mansisse. Deinde cum putent se alijs insidiari, tamen sibijpsis miseri insidiantur.

Claudit nunc hanc exhortationem sententia generali, seu epiphonemate. Non solum qui propter auaritiam cædes faciunt, seipsos perdunt: sed *Omnis auarus qui alienas opes appetit, animam suam capit.*) hoc est, magnis malis se implicat, ac tandem in interitum prolabitur. Auaritia capitalis hostis, aufert animam illorum qui ea occupati sunt. Vel simplex hic sensus est: Qui lucro inhiant, dant operam ut thesaurum posidentes interimant.

Epiphonema.

Quanquam uerò hoc loco potissimum de latronibus & prædonibus agatur, tamen hæc doctrina uelut φάρμακον ἀλεξίκακον nobis esse debet, contra omnis generis prauos homines, & sermones pestilentes. Si improbi homines ad falsam religionem, si ad illicita bella te instigent, & illa ipsa quam hic audis Rhetorica utuntur, subeant in mentem uerba sapientiæ. Si usurarij, aleatores, potatores, scorta & alij scelerati homines, tibi persuadere uoluerint, ut societatem cum eis ineas, & his latronum atq; alijs id genus argumentis utantur, seq; ad affe

ctus tuos attemperet, suspecta tibi sit illa blandiloquentia: Multitudine quoq; & fortuna impiorum ne mouearis. In conspectu habeto uerbum Dei, minas, promissiones, exempla: cogita quò tandem hæc omnia euadant, Deumq; ora ne in casses ipsorum incidas.

20 Sapientia foris clamat, & in plateis edit uocem suam.
21 In capite (*platearum*) ubi turbæ sunt, clamat: in ingressu portarum, & in ciuitate loquitur uerba sua.
22 Quousq; simplices diligitis simplicitatem, & derisores illusionem sibi uendicant, atq; stulti oderunt scientiam?
23 Conuertimini ad correptionem meam: ecce proferam, *uel, scaturire faciam*, uobis spiritum meum, & faciam uos scire uerba mea.

Sapientia hortatur omnes ut se recipiant: pœnam immorigeris minatur.

His & proximè sequentibus uerbis, usq; ad finem capitis, æterna sapientia queritur, quòd nihili fiat ab hominibus, quibus interim se sponte offert: pœnamq; illis denunciat, qui ipsam respuunt. Hæc doctrina ualde accommoda est nostris temporibus. Multi enim queruntur, uarias esse opiniones de religione, seq; incertos esse quam sequantur, propterea se expectaturos, donec ipsis doctoribus de religionis negotio inter se conueniat: sed presens locus eos egregiè confutabit. Nos ordine considerabimus, quid per sapientiam intelligendum sit, ubi & quibus se aperiat, quomodo item & quid loquatur.

Sapientia quid.

Per sapientiam intellige uerbum Dei ueteris & noui Testamenti. Ponitur autem hæc uox in plurali numero, quia multiplex sapientia sacris literis continetur, præsertim uerò quomodo uita æterna potiamur. Vel, cum antiquis patribus, ipsum Christum filium Dei intellige, qui nobis à Deo patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1. in calce. Ad Col. dicitur, in eo reconditos esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ.

Sapientia obuia illis qui audire eam uolũt.

Porrò hæc sapientia clamat in uicis & plateis, in conuenticulis hominũ, ad portas ubi iudicia exercebantur: breuiter, per totam urbem sapientia personat. המיות homioth substantiuè, turbarum: uel adiectiuè sine substantiuo, obstreperorum, scilicet locorum, ubi multi confluunt, usurpatur. Vox clamandi, feruorem & sedulitatem denotat. Sapientia non remissè, nõ occultè, sed palàm & disertè loquuta est, ut nemo sit qui se excusare possit, quòd uocem hanc non audierit. Hæc uox רנן ranan significat etiam canere. Christus enim suauiter loquutus est: Cecinimus uobis, &c. Christus æterna sapiẽtia uetustis patribus, sæpe angeli forma assumpta, (quemadmodum ueteres ecclesiæ doctores testantur) apparuit, & cum eis colloquutus est. Misit eis prophetas, per Mosem legem eis tradidit, cuius notitiam uulgò notam esse uoluit: recitabatur enim in cõuentibus populi, quemadmodum ex historia Nehemiæ, & Deut. cap. 6. liquet. Regibus quoq; mandatur ut legem diuinam in promptu habeant. Prophetæ legem publicè exposuerunt. Singulis quoq; sabbatis Leuitæ in synagogis uerbum Dei tractabant. Sacrificia quotidie Hierosolymis offerebantur, quæ Christi uenturi erant memoracula. Igitur in ueteri populo sapientia cœlestis fuit uulgaris & publica.

Sapiẽtia clamauit in ueteri populo.

Sapiẽtia clamat in nouo populo.

In nouo populo melius id conspicitur. Christus ipse euoluto fatali tempore, factus est interpres sapientiæ & consilij Dei. Cum duodecim esset annorum, in templo Hierosolymis, inter doctos sedit, & scripturas cum eis contulit, ita ut omnibus ob singularem & eximiam sapientiam admirationi esset. Postea euolutis aliquot annis, hinc inde in synagogis, & alijs locis, confluentibus hominum turbis prædicauit: cumq; mox supplicium crucis subiturus esset, in templo Hierosolymitano publicè frequentes sermones habuit. Ioan. 7. in celebri Scenopegiæ festo dicitur clamasse: & cap. 12. quando ultimam ad proceres & plebem cõcionem habuit. Proinde cum uinctus ad Caipham duceretur, Ioan. 18. & ab eo de discipulis & doctrina interrogaretur, ei respondit: Ego palàm loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto loquutus sum nihil: simulq; ad suos auditores eum remittit. Non autem contentus fuit, aliquot annis docuisse diligenter & assiduè: delegit etiam Apostolos, quorum opera in spargenda doctrina Euãgelica per totum terrarum orbem uteretur. Cumq; primum eos ablegaret, iussit ut quæ in tenebris ex se audiuissent, palàm docerent, & quæ in aurem dicta erant, in tectis, hoc est, publicè prædicarent, Matth. 10. Delegit etiam præter illos, uiros 70. quibus docendi functionem mandauit. Post resurrectionem suam, duodecim suos Apostolos (in Iudæ enim locum postea Matthias surrogatus est) in totum terrarum orbem ablegauit, Marc. 16. Mox Paulum etiam eis adiunxit, cuius fideli & indefessa opera Euangelium longè lateq; propagatum est. Atq; sic sapientia illa quæ se hactenus in Iudæ potissimum finibus continuerat, ad gentes quoq; dimanauit. Et foris, hoc est, inter gentiles quoq; Euangelium prædicatum est.

Post ætatem Apostolorum excitauit Deus alios quoq; insignes episcopos (Deus enim ecclesiæ suæ dat doctores, Eph. 4.) qui doctrinam illam ueritatis ac sapientiæ proponerent. Clamarunt illi diu, ita ut tandem clamore suo molesti essent hominibus, qui adulatores sibi quæsierunt, ut prædixit Paulus, qui aures eorum titillarent. Deus igitur famem uerbi sui hominibus immisit: quemadmodum parentes solent, si liberi saturati, panem pedibus conculcant. Nam hinc inde non paucos errores emergere passus est, donec tandem fatalibus annis elapsis, Antichristus in ecclesia cœpit dominari, & sapientiam Dei pedibus conculcare: ut non tam publica esset Dei noticia, quàm fuerat melioribus illis temporibus, quibus laici etiam sacras literas legebant. Misertus tandem nostri Deus, excitauit homines doctos & fortes, per quos detexit fraudes Antichristi. Clamat nunc denuò per omnes plateas uox sapientiæ cœlestis publicè: sacri libri laicorum manibus teruntur: errores deteguntur, ita ut nullus ferè sit cui non peculiaris libellus sit oppositus. Per diuinum chalcographiæ inuentum, illis quoq; in locis, in quibus Euangelij uox publicè non sonat, homines erudiuntur. Quemadmodum ægrotis uarij cibi proponuntur, & uarijs etiam rationibus ad edendum pelliciuntur: ita Deus uarijs rationib. uerbum suum prædicari sinit, & homines ad se uocat, ita ut nullus excusationi locus relinquatur. Intelligimus itaq; nunc quid sit quod dicitur sapientiam clarissimam uocem edere in plateis, compitis, & circulis hominum.

Sapientia hodie clamat.

Audiamus nunc quid, quomodo, & ad quos clamet aut loquatur. Vocat omnes homines, excludit neminem. Qui musica & geometria non essent initiati, non admittebantur in scholam Platonis: cuius hanc ferunt fuisse inscriptionem: ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω: at sapientia diuina, etiam paruulos non excludit. Per admirationem illos alloquitur, & obiurgat, qui sapientiam cœlestem non audiunt. Quorum tria genera ponit. Primum est simplicium & imperitorum, qui ab astutis & uersipellibus facilè in errores pertrahuntur. *Quousq; simplicitatem, uel stoliditatem diligitis?*) Quando tandem depositis erroribus, in quibus hactenus uersati estis, & relicta malitia, in uiam redibitis? Alterum genus est illusorum, qui non modo uerbo Dei non credunt: sed pro ridiculo habent, quæcunque de Deo, de fine mundi, de finibus bonorum & malorum dicuntur. Quidam uocem לֵצִים lezim, deriuant à לוּץ luz, quod significat interpretari: de singulis enim rebus, suum iudicium possunt inte ponere: concionatorum uocem, & gestis imitari. De his dicit sapientia, Quousque derisores & superbi illi subsannatores sibi illusione placebunt, & bene monentes contemnent? Tertium genus est pestilentissimum: nam non tantum friget, & uerbum irridet: sed etiam ardet odio Euangelij: hucq; tendit, ut sapientia cum omnibus suis professoribus & sectatoribus, pedibus conculcetur. His dicit, Quousque stulti scientiam odio habebunt? Quemadmodum uerò omnibus seculis, omnium horum generum maximus repertus est numerus: ita hodie quoque magna est illorum turba, quibus sapientiæ hæc uerba sedulò & diligenter inculcanda sunt. Tribuant autem sibi magnificos titulos licet, tamen stolidi, irrisores, & fatui à scriptura appellantur.

Sapientia increpat homines.

Illusores qui.

Discimus exemplo sapientiæ homines interdum obiurgandos esse: cæterum non satis est obiurgare aliquem, & ostendere in quantis erroribus uersetur, nisi etiam ostendamus, quomodo ab erroribus liberari possit. Subijcit igitur, *Resipiscite ad corruptionem meam.*) Vos qui seducti estis, quique alios seduxistis, agnoscite uestros errores & impietatem, agite pœnitentiam, conuertimini toto pectore ad Deum, & deinceps cauete uobis, ne uerbum fastidiatis, subsannetis, & odio habeatis. Cogitate quàm periculosum sit bene monentem contemnere. Tales exhortationes ad pœnitentiam, in sacris literis multæ leguntur.

Sapientia reuocat homines in uiã, & suã opem eis promittit.

Subiungit amplissimam promissionem. *Depromam uobis spiritum meum, manifestabo uobis uerba mea.*) Vltrò offert nobis spiritum suum, hoc est, uoluntatem, consilium, atque adeò spiritum sanctum, qui fidem in nobis accendat nosq; ad omnia bona opera idoneos reddat. Vox Hebræa נבע naba, significat bullire. Promittit igitur quòd ἀφθόνως & largiter effundere in nos uelit, spiritus sui dona. Sæpe autem in scripturis gratia spiritus sancti, per aquarum metaphoram significatur. Verba mea uobis manifestabo, hoc est, res meas, meamq; mentem uobis aperiam: omnia illa inquam quæ uestra scire refert. Homines enim suis uiribus inuestigare hæc nequaquam possunt, Iob. 38.

Spiritus sapientiæ.

Si nũc cũ his cõferas, quę ęterna Dei sapiẽtia, Christus, cõcionatus est, omnia erũt euidentiora. Prima eius cõcio extat Mar. 1. cap. ubi dicit: Cũ Ioã. Baptista cõiectus esset in uincula, uenit Iesus in Galileã, prędicãs regnũ Dei, & dicẽs: Impletũ est tẽpus, instatq; regnũ Dei, resipiscite & credite Euãgelio. Socordiã hominũ nõ semel insectatus est. Matth. 11. cap. oẽs qui onerati sunt, amicè ad se uocat. Ioan. 7. in celebri festo iubet ad se uenire qui sitiũt, & aquã spiritus

sancti ad uitam æternam ebullientem promittit. Sic Luc. 11. Spiritum sanctum orantibus promisit.

Querela hominum. Magna itaq; est illorum hominum ingratitudo, qui in tanta opinionum de salute hominis diuersitate, quid sequi debeant se incertos esse uociferantur. An non sapientia Dei clamat in omnibus plateis? An non Christus ipse hinc inde apud Euangelistas perspicuè salutis negotium exposuit? Non est quod hominibus qui lubricæ sunt fidei, hac in parte credas: amplectere doctrinam filij Dei, qui te non fallet, quiq; sponte suam tibi operam pollicetur, teq; ad sapienter uiuendum inuitat. Quomodo sese in extremo illo iudicio excusabunt, qui contra conscientiam, in peruersa doctrina & uita scelerata pergunt: nec ueritatis uoce clarissima reuocari possunt à proposito? Quiq; asinos rudentes audire malunt, quàm suauissimam sapientiæ uocem? Ne sit tibi molesta uox illa sapientiæ, quin Deo age gratias, quòd denuò in tenebris densissimis eam sonare uoluit.

24 **Propterea quòd uocaui, & uos renuistis, extendi manum meam, & nullus est qui aduertit.**

25 **Irritum fecistis omne consilium meum, & correptionem meam non uoluistis.**

26 **Quare & ego ridebo in contritione uestra, & subsannabo cum euenerit timor uester.**

27 **Cum inquam uenerit, uelut uastitas id quod metuistis, & interitus uester quasi procella irruerit: cum uenerit super uos tribulatio & angustia.**

28 **Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane quærent me, & non inuenient me.**

29 **Eò quòd oderunt scientiam, & timorem Domini non elegerunt.**

Diximus sapientiam Dei, hoc est, ipsum Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum, in foro, plateis, & conuentibus hominum clamare, & expostulare cum ipsis, quòd sapientiam non modo non curent, sed & irrideant, atq; odio habeant: promittere item amplissima, si resipiscant. Iam deinceps iterum sequitur quibus beneficijs sapientia homines affecerit, & qua pœna ingratos afficere uelit. Vt paucis rem comprehendam, Magna, inquit, uos mala circumuenient, ex quibus explicare uos non poteritis. Hæc doctrina non ad hunc uel illum populum, nec ad hoc uel illud tempus duntaxat pertinet: sed communis est omnium locorum & temporum. Profectò si uitam nostram, studia & mores, priuatim & publicè cum his uerbis sapientiæ conferamus, uidebimus Deo iustissimo aliquando rationem à nobis reddendam. Verba ipsa, quæ magni momenti sunt, ordine expendamus.

Vocatio. *Vocaui uos, inquit, & renuistis, recusastis uel noluistis.*) Hoc uult dicere, Vocaui ad me fontem salutis, omnes qui sitirent, sed uos ex quauis lacuna mauultis bibere: salutem non mihi, sed nescio quibus fertis acceptam. Lucæ 14. ad cœnam magnam & opiparam multi uocantur, sed omnes ordine se excusant. Quotidie nos Deus uocat, quemadmodum Adamum fugientem uocauit: usurarium, scortatorem, ebrium uocat, quò ruitis uos miseri inquit? Concionibus, prodigijs, pœnis, & alijs rationibus uocare nos non desinit, sed uocatio illa & priuatim & publicè contemnitur. Multi sunt qui rarò aut nunquam ad cœtus sacros ueniunt, &c. Est etiam specialis uocatio, præter illam generalem, in qua homines sunt socordes.

Manũ extẽdere quid significet in scripturis. *Extendi manum meam, & nullus est qui aduertat.*) Isa. 65. dicit Deus, Extendi totâ die manus meas ad populum rebellem. Qui silentium indicunt, manus extendunt. Sic in Actis Apostolorum 21. cap. scribitur D. Paulum Hierosolymis à Iudæis captum, & miserè tractatum esse, accurrisse tribunum Lysiam cum suis militibus, eumq; eripuisse. Postea Paulum petijsse dicendi facultatem sibi concedi, qua impetrata, annuit manu ad plebem ut silerent, & attentè auscultarent: mox de suis rebus orationem habuit. Hoc igitur sapientia uult dicere, Petij silentium, uolui uos alloqui, sed nemo mihi auscultauit. Excitastis magnos tumultus, ne uox sapientiæ audiretur. Si quis pseudopropheta uel nugator, de rebus falsis & nihili dicturus processit, statim aures arrexistis. Deinde manum extendere, significat opem alicui ferre, beneficia conferre. Multa & magna inquit beneficia in uos contuli, obuijs ulnis uos excipere uolui: sed attendere noluistis. Manum extendere, significat etiam potentiam miraculis declarare: multa autem stupenda opera Christus edidit, quibus homines ad se uocauit, at illos nihil permouit. Manum extendere significat etiam punire, uelut Isaiæ 14. & 31. Si afflictiones uobis immisi, & more patris uos castigaui, ut in uiam reuocarem: deteriores facti estis, tantum abest ut de uita rectè instituenda cogitaueritis: sed de hoc iam mox sequetur. Tertullianus in libro contra Iudæos, Ambrosius & alij patres, ad crucem Christi referunt, in qua Christus expansis mani-

manibus genus humanum ad se inuitauit. Porrò si quis quærat cur non interius omnes mouerit, & ita suaserit, ut persuaderet, cum Augustino dico, ut doctiorem quærat qui hanc quæstionem ei explicet. *Omne consilium meum neglexistis.*) Bona uobis dedi consilia in uerbo meo, ostendi quid faciendum esset, si huius & futuri seculi pœnas subterfugere uelletis: sed irrita fuerunt omnia. Suspecta uobis fuerunt omnia consilia mea. Vestra consilia approbastis, fœdera pepigistis, collegistis pecuniam, ut muniti essetis contra omnem fortunam. Stultis illis consilijs regiones & urbes seruari posse putastis. Infelices illas esse respublicas & diu stare non posse, quæ consilijs uerbi diuini obtemperarent. *Increpationem uel correctionem meam noluistis.*) Quando per uerbum meum, impietatem & scelera uestra reprehendi, contempsistis & sannis excepistis me. Si uirgam adhibui instar ludimagistri, nunc famem, nunc pestem, nunc bellum uobis immittendo, nunquam de emendatione uitæ cogitastis: sed mox ad intermissa aliquandiu scelera redijstis. Nec plus uos hæc omnia mouerunt, quàm si pertinax aliquis puer uirgis cedatur. Nostrum est officium, ut nunc unusquisque ad hæc uerba diuinæ sapientiæ, mores & studia diligenter exigat, & expendat num etiam in contemptorum sapientiæ numero reperiatur. Quòd si in illorum numero non es, Deo gratias age, eumq; precare, ut deinceps etiam te custodiat. Quòd si similis hactenus fuisti contemptoribus illis, fatere culpam, pœnitentiam age, & sapientiã amplectere.

Pœna contemptorum sapientiæ & uerbi Dei.

Iam quæ pœna eos maneat ob tantam ingratitudinem & contumaciam, subiungit. *Etiam ego in interitu uestro ridebo, & subsannabo cum uenerit timor uester.*) Ego par pari uobis referam. Cùm uestris commodis consulerem, uosque redarguerem, contempsistis & irrisistis me: ego itaque ridebo ad perniciem uestram, & insultabo uobis, nullaq; utar misericordia, si uenerit timor uester, hoc est, si euenerit id quod timebatis. Metuistis ne aures præbendo cœlesti sapientiæ, opum iacturam faceretis, uel uitam denique amitteretis: ad hæc omnia incurretis. Vel simpliciter: Pœnam debitam quam metuebatis, uobis immittam. Faciam uos fabulam, omnibusq; irridendos tradam, dicent uos his & longè atrocioribus supplicijs dignissimos fuisse. Si calamitas nos excipiat, leuamento nobis est, si homines testentur suum dolorem, & consolationes afferant: sin uerò hostes nostri, uel quos hactenus in amicorum numero habuimus, naturam quodammodo exuentes, nobis insultent, magnum nobis hoc adfert dolorem. Medea apud Euripedem dicit:

Sarcasmi hostium.

οὐ γὰρ γελᾶσθαι τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν φίλαι:

Populus Israeliticus in captiuitatem Babylonicam tractus, inter alia inprimis queritur, se à Babylonijs hostiliter irrideri. Dauid de hoc dolore in Psalmis conqueritur. Inter acerbissimos dolores quos Christus nostra causa pertulit, sarcasmi commemorantur. Pios homines multum etiam hodie mouet, si in tormentis impij obijciant, Vbi est fides tua? Vbi Christus quem tantopere prædicabas? Solent enim Papistæ Euangelicos irridere, si eos uincant prælijs, si spolient opibus, si in exilium pellant, si ad supplicia trahant. Quoniam uerò hoc pijs maximum dolorem affert, quid de impijs sentiendum qui uera & interiore consolatione destituti sunt? Grauissimam igitur pœnam sapientiæ contemptoribus minatur. Vel deridere & subsannare sapientiæ, est consilia irrita reddere. Sic Psalmo 2. Deus potentum conatus & consilia ridere dicitur: hunc sensum sequutus est Pellicanus. Impij non tantum negligunt & contemnunt uocem sapientiæ, sed rident etiam. Hebraica uox significat non solùm subsannare, sed blæse loqui, balbutire. Solent autem Epicurei per contemptum in concionatoribus uitia linguæ, si quæ habent, imitari. Dicit itaque sapientia ipsos quoque irridendos & contemnendos esse.

Sequenti uersu duabus similitudinibus ostendit, quomodo malis implicandi sint. Primùm dicit, id quod metuerunt, ueluti uastitatem uel desolationem, uenturum. Quemaddum in bello, hostili impetu amœnissima oppida subitò euertuntur, cultissimi horti uastantur, omnia sanguine & rapinis miscentur: ita subitus & improuisus erit contemptorum sapientiæ interitus. Hæc uox שאה schaah etiam tumultum significat: solent autem tumultus subitò oriri in plebe. Sunt qui exponant, *Cum uenerit tanquam inundatio aquarum, uel tempestas.*) quæ repentè magno fragore & impetu uenit. Vel, sicut clamor aut uox, hoc est, repentè & subitò. Quocunq; modo sumas, idem erit sensus. Pertinet igitur hęc similitudo sicut & posterior, ad duo. Ostendit enim subitò pereundũ impijs, quãdo nihil tale suspicãtur: sed securi multos adhuc annos, & uoluptates sibi pollicẽtur. Sic rex Balthazar in luxurioso cõuiuio in maxima securitate oppressus est. Diuiti illi securo in Euãgelio dicitur, Hac nocte repetẽt à te animã tuã, & bona tua cuius erũt? D. Bernhard. addit, Et tu qui ea collegisti, cuius eris? Multò grauius est subitò & de improuisò opprimi, quàm paulatim. Quemadmodũ cœlũ nimbos subitò effundit, & torrentes in montibus crescũt: ita subitò ira Dei capitibus illorum ho-

Repentinus impiorum interitus.

minum imminebit. Deinde ostendit hæc similitudo magnitudinẽ mali, & quòd ex eo emergere nulla ratione posſint. Aquarum periculum maximum eſt: torrentes ſi creſcunt, trahunt lapides, pontes, molas, arbores, nemo eſt qui aquarum impetum cohibere poſsit. Ita illi nullis conſilijs, maxima hæc mala diuinitus immiſſa effugient. Apud prophetas aliam legis ſimilitudinem à cera ſumptam. Quemadmodum cera ſi igni admoueatur, ſtatim nulla eſt: ita impij quantumuis feroces ſint, & inuicti uideantur: tamen Deo nequaquam poſſunt reſiſtere. D. Paulus in priore epiſtola ad Theſſ. ſimilitudine à prægnantibus ſumpta, hanc impiorum ſortem exprimit. Prægnantes ſæpe à menſa ſurgere coguntur ut pariant, quando minimè putarant: nec pariunt ſine maximo dolore: ita impios quantumuis fremant, mala non leuia ſubitò apprehendent.

Impij malũ nõ poſſunt propulſare.

Turbo.

Altera ſimilitudo ſumpta eſt à uento. *Interitus ueſter quaſi turbo irruet*, inquit. Turbo eſt uentus repentinus, obiecta quæq; deturbans atq; proſternens. Hebraicè סופה ſuphah à סוף ſuph, id eſt, conſumendo dicitur, eò quòd citò obiecta cõſumat & diſpellat. Iſaiæ 17. de exercitu Senacheribi ſcribitur, quòd nullo negotio delendus ſit, & in fugam uertendus: Fugabitur inquit, quaſi ſtipula montium ante uentum, & ſicut ſtipula ante turbinem. Hoſtes, ſtipulæ: furor diuinus, turbini, alibi igni cõparatur. Eadem ſimilitudine in lib. Iob. 21. cap. oſtenditur, impios à Deo facilè perdi: Erunt, inquit, ſicut fœnum ante uentum, & ſicut gluma quam furatur turbo. Sæpe hæc allegoria uel ſimilitudo in ſcripturis ponitur, ut Ier. 23. &c. ad deſcribendum facilem & ſubitum interitum hoſtium Dei. Quanta uehementia ſit uentorum, quàm ſubitò arbores euellant, ædificia deijciant, naues euertant, experientia nos docet. Vide cap. 10. uerſ. 25.

Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, &c. Heteroſis eſt perſonæ, pro inuocabitis me. Dedignatur enim ſapientia impœnitentes amplius familiariter alloqui. In tantis malis cõſtituti, cum uidebunt ſapientiam ſuam nihil ualere, inuocabunt me: Domine exaudi nos, libera nos, ſis nobis propitius: ſed non reſpondebo eis, etiam ego obturabo aures meas. Ad rauim uſq; clamaui & ego: ſed clamorem meum non curarunt. *Mane quærent me*, hoc eſt, magno ſtudio: *ſed nõ inuenient me.* Cauſam tanti mali oſtendit: *Eò quòd oderunt ſcientiam*, non mundanam illam, de qua Iacob. 4. ſed uerbi Dei, quod uoluntatem eius aperit. *Et timorem Domini non elegerunt.* Quiduis potius amplexati fuiſſent, quàm timorem Dei. Omnia temere ſurſum ac deorſum uolui putauerunt, id quod fons eſt impietatis. Apud Iere. 11. cap. dicit Dominus, ſe mane ſurrexiſſe, & egiſſe cum populo: ſed fruſtra. Non ergo mirũ eſt, ſi poſtea à mane quærẽtibus nõ inueniatur.

Quæſtio, an Deus illos qui eius uerbum cõtempſerũt, exaudiat, ſi eũ inuocarint.

Cæterùm quæri poteſt, an non Deus in extrema neceſsitate poſitos, ſi ad eum clamauerint, exaudire uelit, & ab illis qui eum magna ſollicitudine quærunt, inueniri? Reſpondeo, Non eſſe ſermonem de uerè pœnitentibus: ſed de impœnitentibus & impijs, quorum uota non exaudiuntur. Impij dum omnia eis ex animi ſententia ſuccedunt, neq; Deum, neq; homines curant, quicquid eis ingeras de ratione reddenda Deo iuſto iudici, de præmijs & pœnis æternis, merus ipſis luſus eſt. At cũ magnis periculis inuoluuntur, nec uident quò ſe uertant, coacti clamant ad Deum, ut opem eis ferat: quia uerò uacui ſint fide, nihil accipiunt, Iacob. 1. Non diſplicent eis peccata, ea non confitentur: non cogitant de uita in poſterum emendanda: pœnam tantum cuperent eſſe ſublatam, ut iterum genio indulgere, & intermiſſa peccata repetere poſſent. Iacob. 4. Petitis nec accipitis: quia in malum finem petitis, &c. Rectè igitur negat ſapientia in extremis periculis audiendos eſſe.

Similes loci complures in ſacris literis occurrunt. Iſa. 1. Cùm extenderitis manus ueſtras, auertam oculos meos à uobis. Et cùm multiplicaueritis orationes ueſtras, nõ exaudiam: manus enim ueſtræ plenæ ſunt ſanguine. Micheas 3. cap. de proceribus regni qui pauperes oppreſſerũt: Tunc, inquit, (nempe cum hoſtes urbem obſederint,) clamabũt ad ſempiternũ, & nõ reſpondebit eis: quodq; maius eſt, abſcondet faciem ſuam ab eis, quemadmodum nequiter cœperũt in ſtudijs ſuis. Prouerb. 21. Qui obturat aurẽ ſuam ad clamorẽ pauperis, clamabit & is, at non exaudietur. cap. 28. Qui aurem ſuam auocat quo minus legem audiat, eius precatio quoq; abominanda eſt. Pſal. 17. de impijs, Inuocãt, ſed nemo exaudit: ad Dominũ clamãt, ſed nõ fert eis opem. Ier. 7. Deus prophetæ præcipit, ne oret pro populo impœnitente: irritas enim fore preces. Cap. 11. dicit, non exaudiendos ſi orent. Cap. 15. Si Moſes & Samuel intercederent pro illo populo: tamen perdam eos, dicit. Ezech. 8. cap. dicit Dominus, Vocabũt in aures meas uoce magna, & non audiam eos. Cap. 14. Si Noe, Iob & Daniel pro populo deprecarentur, nõ exaudiendos. Cauſas ſemper aſsignat: quia non pœniteat eos ſcelerũ ſuorũ. Apud Zach. 7. cap. dicit Dominus, Factum eſt ut ſicut clamabãt (ſcilicet uiduæ, pupilli, & peregrini) & non audierunt: ita clamabunt & ipſi, ſed non audiam eos. Iuſtum hoc eſt Dei iudicium, ut cum clamores pauperum audire dedignati ſint, nec eos facti pœniteat, ad clamores ipſorum etiam ſurdas aures præbeat. Ioan. 7. Quæretis me, & non inuenietis, &c.

Si

Si rectè & ex fide orassent, exauditi fuissent à Deo, quemadmodum ex multis scripturæ locis,& exemplis liquet. Psalm. 50. Inuoca me in die tribulationis,& eripiam te. Psalm.144. Prouerb.8.Ego diligentes me diligo,& qui me mane quærunt, inuenient me.2.Para.15. cap. Azarias propheta ad Azam, totumq; populum dicit, Dominus est uobiscum,quando uos estis cum illo,& quando requiritis illum,inuenietur à uobis.Exemplum huius rei in Niniuitis egregium habemus,quibus cùm Ionas uerbis Dei pœnam denunciaret,ipsi pœnitentiam agentes uota sua fecerunt ad Deum, & exauditi sunt.Christus latronem in cruce seriò pœnitentem & orantem exaudiuit. Possunt multa huius generis ex scripturis colligi,quæ ostendunt Deum rectè inuocantes se exaudire: tametsi certas ob causas interdum differat dare suis electis quod petunt. Propter peccata quidem pœnam meremur,& indigniores sumus, quàm ut Deus nos exaudiat: tamen propter filium suum,nos in filios adoptat,& preces nostras gratas habet. Quotiescunq; igitur Deus dicit,se hominũ uota non exauditurum, intellige de illis qui pœnitentiam non agunt,nec remissionem peccatorum quærunt. Magna est illa uindicta Dei,si homines non exaudit.Si amici alicuius consilium frustra peteres, no'nne te cruciaret?

Deus ex fide orantes exaudit.

Exempla ostendunt Deum rectè inuocantes exaudire.

Addendum est etiam hoc, homines etsi ueram pœnitentiam agant,tamen non semper exaudiri (quemadmodum rectè Lyranus in hunc locum annotat) quo ad amotionem temporalis pœnæ,licet semper exaudiantur quo ad amotionem culpæ.Dauid pœnitentiam egit de commisso adulterio,nihilominus tamen in multas & magnas calamitates incidit. Exercet enim Deus hoc modo suos electos. Hæc sæpe cogitanda sunt: uox sapientiæ non aspernanda. Deus enim non tantum clemens est & misericors, sed etiam iustus uindex:tradit iusto iudicio nonnunquam homines in reprobum sensum, suoque exitio eos relinquit. Rom. 1. 2.Thess.2. Quare si Christus fores pulsat,& intromitti cupit,non est repellendus.Quod & Isa. 55. pulchrè nos admonet dicens, Quærite Dominum dum inueniri potest,inuocate eum dum propè est.Quandoquidem uerò sapientia cœlestis etiam in hac uita, in qua pœnitentiæ locus est,incurabiles exaudire non uult:uana est illorum spes,qui post hanc uitam (quando pœnitẽtia locum amplius non habet)se precibus,& operibus sacrificulorum, monachorum, & monialium,nescio quid consequuturos sperant. Nemo seipsum decipiat. Bonum operemini, dicit Apostolus, dum tempus habetis,orate Deum assiduè pro uobis & alijs dum uult audiri.

Impij post hanc uitam non exaudientur.

30 Noluerunt consilium meum, & insuper execrati sunt omnem increpationem meam.

31 Comedent igitur de fructu uiæ suæ,& consilijs suis saturabuntur.

32 Auersio uel quies paruulorum, interficiet eos.

33 Qui autem mihi auscultauerit, habitabit securè, & tutus erit à pauore mali.

Postrema pars huius capitis,tria continet.Primum, quomodo sapientia palàm & publicè clamet,item ad quos,& quid clamet.Altero loco de ingratitudine hominum,qui,etsi sapientia omnes ad se ex gratia inuitet, tamen eam partim negligunt & fastidiunt:partim irrident: partim odio habent & persequuntur. Tertio loco agitur de pœna spretæ sapientiæ. Pergit nunc in commemoranda pœna contempti uerbi. *Noluerunt.)* Supple,obedire consilio meo. Isa.9.Messias quoq; consiliarius dicitur. Consulit enim nobis,non in ijs tantùm quæ corpus & res externas attinent,sed in illis quoque & inprimis, quæ salutem nostram æternam spectant. Consulit autẽ nobis, ut si æternis gaudijs frui uelimus,in ipsum credamus.Ioan.3. D. Paulus Acto.16. Philippis carceris custodi, qui euaginato gladio seipsum interfecturus erat,etiam consulit ut in Dominum Iesum credat,& saluus fiat. Non consulit ei ut peregrinationem transmarinam instituat,sacellum ædificet, cucullam induat,aut alia huiusmodi faciat,quæ hodie stulti homines ad consequendum uitam æternam,non parum momenti habere sibi falsò persuadent. His bonis Dei consilijs homines non acquiescunt,sed alia quærunt quibus res suas in tuto collocent,& remissionem peccatorum consequantur. *Omnem increpationem meam spreuerunt*,uel *execrati sunt*. Si idololatria & scelera hominum ex uerbo Dei taxantur,indignè ferunt.Etiamsi conuincantur & redarguantur,tamen impatientes sunt correctionis. Quia ipsi quæ uolunt faciunt, nec quenquam curant:putant etiam à uerbi ministris,non nisi illa esse dicenda,quibus ipsi delectantur.Quia item multa peccata non habent in numero peccatorum,indignè secum agi putant,si corripiantur.Paulò antè hoc idem questa est sapientia,nempe consilia sua non audiri, & correctionem contemni.Repetitio autem

Sapientia consulit hominibus.

illa ostendit quàm graue sit peccatum. Vox נאץ naaz quæ hoc loco ponitur, non tantum significat contemnere, & floccifacere, sed etiam abijcere, execrari, blasphemare aliquid.

Sequuntur plura de pœna. *Comedent ergo de fructu uiæ suæ.*) Id est, studij & instituti sui fructum percipient: peribunt tandem cum sua sapientia. Latini etiam prouerbio dicũt: Sementem ut feceris, ita metes, id est, reportabis mercedem tuis factis dignã. Infrà cap. 22. habebimus: Qui seminat iniquitatem, calamitatem metet. Metaphora sumpta est ab agricolis. *Consilijs suis saturabuntur.*) Propter mala sua consilia pœnas luent, conflabunt sibi exitium sua prudentia. Displicebunt tandem eis sua consilia: ut cum saturi cibos fastidiũt, quos antè appetebant. Si cursum uitæ nostræ proprijs cõsilijs regere uolumus, & religionis fideiq; negocium, secundum rationem nostram instituere, idem nobis accidit quod pueris, quos parentes primum docẽt incedere, quamprimum illi manum subtraxerint, eosq; sibi reliquerint, concidunt, neq; se in pedes erigere possunt: ita si Deus nostris nos consilijs relinquat, actum est de nobis. Ex nobis ipsis enim nihil possumus quàm labi & perire. Hic tandem est exitus, quando spretis diuinis consilijs, nostris acquiescimus. Ex aduerso, boni bonos fructus percipiunt.

Auersio enim uel defectio, occidit ignauos & expertes rerum.) Auersio stolidorum, qua se à Deo & sapientia eius auertunt, & ad malum conuertunt, est causa exitij eorum. Quemadmodum pueri qui primum natare discunt, si tabulam cui incumbunt, dimittãt, merguntur, & in aquis pereunt: ita si Dei consilia ex conspectu dimittamus, statim actum est de salute nostra. Ideoq; Satan primos nostros parentes tentans, uerbum Dei eleuabat, ut à Deo eos auerteret. משובה Meschuuah significat etiam quietẽ, pacem, ocium, & tunc idem erit sensus cum mox sequenti clausula: *Pax uel quies stultorum perdet eos.* Res secundæ exitio sunt stultis, hoc est, non regeneratis & impijs. Nam si opes eis affluant, si ad dignitates promoueantur, si prospera utantur ualetudine, uictorias consequantur, & alijs huius generis bonis abundent, non cogitant unde, & in quem finem acceperint: sed insolescunt, & præsentia tantum intuentur, conuertuntq; se ad uarias uoluptates. Teuthones prouerbio dicũt: Robustos pedes esse oportere, qui res prosperas ferre possint. Hoc est, Plerunq; fit, ut rebus secũdis maiores spiritus sumamus, & tandẽ nostræ stultitiæ pœnas etiam meritas demus. Solon dicit, ut legitur apud Clem. Alexãdrinũ:

Impios perdunt res secundæ.

Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν πολὺς ὄλβος ἕπηται.

Et Theognis totidem ferè uerbis:

Τίκτει κόρος ὕβριν, ὅτ' ἂν κακῷ ὄλβος ἕπηται.

Thucydides in historia, εἰώθασιν, inquit, οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ἐλαχίστου ἀπροσδόκητος εὐπραγία ἔλθῃ εἰς ὕβριν τρέπεσθαι. Xenophon scribit in Cyropædia: Δοκεῖ μοι χαλεπώτερον εἶναι τ' ἀγαθὰ καλῶς φέρειν, ἢ τὰ κακά. Τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. De hac re uide plura cap. 30. uersu 22. Referunt, pauones sibi ipsis placere quando pennas instar uanni explicant, sed mox conspectis pedibus, qui deformes sunt, pennas demittere & cõplicare. Ita nos Deus interdũ afflictionibus exercet, ut nos in officio retineat, ne elati nimiũ nobis ipsis tribuamus. Beneficia quæ ipse nobis confert in animo, corpore, & rebus externis, mouere nos debebant ad timorem ipsius & pietatem: sed contrarium fieri experimur, maximè in impijs, qui eius obliuiscuntur, omnia eius consilia aspernantur, & tandem suis relicti consilijs, miserè pereunt.

Exemplis ostenditur Deum contemptores sapiẽtiæ punire.

Tota hæc doctrina, publicis nunc & priuatis exemplis, ex sacris literis desumptis, illustranda est, ut intelligamus quo pacto Deus in contemptores cœlestis sapientiæ animaduertat. Primi seculi homines, corruptissimi fuerunt & ἄθεοι: Deus igitur per Mathusalẽ, Lamech & Noe eos adhortatus est ad pœnitentiã: unde 2. Pet. 2. Noe præco diuinæ iusticiæ appellatur, qui nõ tantũ uerbis, sed & reipsa concionatus est, ædificauit enim arcam, & proculdubio in quem finem eam pararet nõ dissimulauit. Sed illi homines uoce piorum cõtempta, edebãt, bibebãt, &c. Deus itaq; eos diluuio uniuersali perdidit. Cum crescerent aquę, credendũ est multos clamasse ad Deũ, Exaudi nos Domine, libera nos: sed pereundũ illis fuit. Si qui pœnitentiã egerunt, quo ad animã seruati sunt, pœnã aũt illã temporariã auertere nõ potuerũt. Ad Sodomitas & Gomorrhæos, Deo disponente, Lot uenit, eosq; à sceleribus reuocare conatus est: sed quoniã nõ sine magna cõtumelia eum reiecerunt, pœna est subsequuta, quam etsi orarunt, effugere nõ licuit. Ad Pharaonem misit Deus Mosem & Aaronem, qui populo captiuo manumissionem Dei sui nomine impetrarent. Pharao interrogat per cõtemptum, quis'nam sit ille Deus, cuius legationem obeant: ac tandẽ nullis motus prodigijs, conuicijs proscissos è cõspectu suo iubet discedere. Quid uerò est sequutũ? Ipse cũ suis proceribus, & toto exercitu in rubro mari miserè perijt. Saul magnã aliquãdiu crudelitatẽ exercuit, nec ullis admonitionibus, uel beneficijs à cœlesti sapiẽtia cohiberi uoluit. Tandem uerò cũ à Palestinis pressus, Deũ cõsuleret, ac neq; per somnia, neq; per Vrim & Thummim, neq; per prophetas respõsum ferret:

in ma-

in maximum incidit mœrorem, ac qui Samuelem & alios audire noluit, fictitium Samuelem consulens, tandem sibi ipsi manus intulit. Deus decem tribubus, regno Samariæ, misit prophetas qui hortarentur eos, ut deposita idololatria & sceleribus, uerum Deum colerent. Cùm autem surdis narrarent fabulam, tandẽ Samaria metropolis, ad tres annos à Salmanazare obsessa, expugnatur: populus rege occiso in Mediam & alias regiones transfertur, 2. Reg. 18. Vbi causa interitus eorum hæc commemoratur: quòd non audierint uocem Domini Dei sui. Duas postea tribus Deus per prophetas sedulò adhortatus est, ut fratrum suorum exemplo cautiores facti, idololatriam desererent, & pietati studerent: id si non facerent, funditus delendos esse. Ieremias diu multumq; hoc saxum uolutauit: illi uerò decepti à pseudoprophetis, meliora subinde sibi promittebant: factum itaq; tandem est, ut Magnus Nabuchodonozor urbem caperet, regem abduceret, sacra uasa Babylonem transferret, & ingentem partem populi in miseram captiuitatem traheret. Lege finem ultimi cap. 2. libri Paral. qui huc maximè facit.

Temporibus Christi, Iudæi ab ipso Christo uarijs similitudinibus admoniti sunt, item ab Apostolis & alijs, secundum uerba Christi Matth. 23. Mittam uobis sapientes, &c. At illi non solum aures suas obstruebant: sed etiam Christum & doctrinam Euangelicam omnium malorum causam esse dicebant, seq; felices fore, si Christum sustulissent: sequuta igitur est terribilis pœna, facti sunt fabula toti mundo, nec est, qui uicem ipsorum doleat. Et hodie preces eorum quæ per Christum patri non offeruntur, irritæ sunt & inanes. Post tempora Apostolica, doctrina sapientiæ cœlestis ubique terrarum uiguit: sed homines delicati (quemadmodum Paulus in 2. Tim. 4. futurum prædixit) sanam doctrinam sustinere nolentes, iuxta concupiscentias suas doctores sibi coaceruarunt, qui aures eorum demulcerent. Deus itaque Antichristum uenire passus est, qui sanam doctrinam oppressit, & fortunas, corpora atq; animas denique multorum perdidit. 2. Thess. 2. Nostro tempore abundamus exemplis illorum, qui cùm sapientia diu multumque frustra in aures ipsorum clamasset, tandem miserè perierunt. Quot sacrificuli in summa desperatione uitam finierunt? quot mœchi in scelere deprehensi, pœnas dederunt? Quot ebrij miserè extincti sunt? Videmus itaq; illis omnibus quæ sapientia comminatur, euentum olim respondisse, & respondere quotidie. Maximè autem in nouissimo die hæc fient illustria. Matth. 25.

Per antithesim fructum ostendit, qui illos sequitur qui sapientiæ aures accommodant: *Qui autem*, inquit, *mihi obtemperat, tutus habitabit, & securus erit à malorum metu.*) Impij sicut mare, iuxta Isa. 55. non quiescunt. Quia mala fide cum pijs agunt, semper in magno sunt terrore. Quia externis nituntur, consternantur & animum abijciunt, si cladem aliquam accipiant: folium crepitans terret eos. Pij uerò qui sapientiæ consilia sequuntur, licet priuatæ & publicæ calamitates incidant: tamen sibi similes sunt, animum non despondent. Iam antè rationem secum subduxerunt, quemadmodum Christus duabus similitudinibus Luc. 14. docet: se totos in prouidentiam Dei conijciunt, eiusq; dulci consyderatione conquiescunt: sciunt Deum suos tueri, fidelibus & Dei amantibus omnia in bonum cedere: Deum item infinitas uias ac rationes habere quibus suos asserat, si ita necesse sit & utile. Lege Psalm. 91. Christus etiam docet Matth. 7. illum qui super petra ædificauit domum suam, tempestate orta, tutum esse. De hac re multæ insignes sententiæ sequentur.

Præmia illorum qui sapientiæ obtemperant.

CAPVT II.

Fili mi, si susceperis uerba mea, & præcepta mea absconderis apud te,

2 Vt accommodes sapientiæ aures tuas, & inclines cor tuum ad intelligentiam.

3 Si ad intelligentiam clamaueris, & prudentiæ dederis uocem tuam.

4 Si uelut argentum quæsieris eam: & ut thesauros inuestigaueris eã.

5 Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.

6 Dominus enim dabit sapientiam: ex ore suo dat scientiam & intelligentiam.

7 Ipse reponet pro rectis salutem, & clypeum illis qui ambulant in integritate.

8 Vt conseruet uias iudicij, & uiam custodiet piè colentium eum.



HOC caput duos potissimum locos continet. Primus est, quomodo uera sapientia parari possit: & quis eam conferat. Alter, quę sit sapientiæ utilitas. Per sapientiam illam intelligo, qua cognoscimus quomodo uitam æternam, atque adeò ipsum Christum comparare queamus. Cęterùm scriptura ipsam sapientiam loquentem introducit, qua nemo melius hos locos explicare potest. Quod primum locum attinet, quomodo ad ueram sapientiam perueniatur: hoc nobis consilium suggerit, ut uerbũ Dei audiamus, custodiamus, eumq; pro uero sensu precemur, atq; nostram industriam & laborem adhibeamus: hoc si fecerimus, Deum sapientiæ datorem, nobis non defuturum. Singula uerba uideamus.

Primum, si sapientiæ cœlestis desiderio tenemur, audire debemus uocem sapientiæ, doctrinam inquam prophetarum, & Apostolorum. *Fili mi, inquit, si acceperis sermones meos, & mandata mea penes te reposueris*, uel *absconderis, ut sapientiæ aures tuas accommodes, & cor tuum inclines intelligentiæ*: postea inferet, *tunc intelliges sapientiam, &c.* Sæpe repetitur blãda illa uox, Fili mi. Solomon, quin Deus ipse, sumit sibi personam parentis. Natura enim comparatum est, ut proposita consilia ab illis recipiamus libentius, quos putamus nobis bene cupere, quales præcipuè sunt parentes erga filios. Hoc uult dicere: Ego uos omnes inuito, & per prędicationem uerbi Dei ad me uoco, uestrum erit audire.

1. *Sapientia audienda est. Humilitas.* Quoniam autem non satis est audire obiter, mox iubet, ut attentas ei aures præbeãt, & cor inclinent intelligentiæ uerbi Dei, hoc est humiles sint, non superbiant. Superbia enim maximum est sapientiæ impedimentum. Isa. ultimo, dicit Dominus: Ad quem respiciã, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos? Trita est illa D. Petri sententia: Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiã. Seruator noster Matth. 11. dicit mysteria regni cœlestis abscondita esse à sapientibus, & prudentibus, & reuelata paruulis. Vt in uallibus aquæ colliguntur: ita in cordibus demissis Dei charismata. Vides itaq; quàm inepti illi sint, qui non sustinent se doceri, nec ad sacros cœtus ueniunt, dicentes: se melius scire ipsis concionatoribus, quid facere aut omittere oporteat. Cogitare debebant cur sacrum ministerium esset institutum: item quòd proprium hominis sit labi & errare. Dauid certè in suo exilio hoc maximè deplorat, quòd sacris cœtibus adesse non posit.

Sapientia cor postulat, ne simus hypocritæ: quemadmodum multi qui uerbũ Dei tantum eò audiunt, ut in fidelium numero habeantur. Corpore sacris cœtibus intersunt, animo autẽ alibi uersantur. Mitte omnes alias curas & cogitationes, cogita in quem finem populus confluat. Da operam ut intelligas quæ dicuntur, ne in templo statuæ similis sedeas. Notandum autem est, quid audiri præcipiat: non somnia hominum, non traditiones patrum: sed uerba & præcepta cœlestis sapientiæ. Non igitur rectè agunt, qui alia rudi plebeculæ obtrudunt.

2. *Custodienda quæ audiuimus.* Secundo loco, custodienda sunt quæ audiuimus. Non enim satis est uerbum Dei audiuisse (quanquam aliquid sit,) sed custodire oportet. Abscondere iubet, hoc est, amplecti, magnifacere. Nam quæ preciosa, nobisq; chara sunt, non relinquimus in scamnis: sed diligentissimè custodimus, & recondimus. Verbum nobilissimus thesaurus est. Christus Matth. 23. thesauro in agro abscondito comparat, & margaritæ preciosissimæ, cuius assequendæ studio mercator ille omnes suas opes prodegerit. Dauid uerbum Dei auro, argento, & rebus preciosissimis anteponit: & Psal. 119. In corde meo eloquia tua abscondi, dicit. Sed de precio sapientiæ, 3. & 8. cap. plura habebimus. Deinde uerbum Dei in cordibus nostris abscondi debet, quemadmodum semina in terra absconduntur. Christus quoq; per parabolam, Luc. 8. nos docet, ne semen uerbi Dei uolucres comedere sinamus. Non autem ita recondendum est, ut neque tu utaris, neq; cum alijs communices: quemadmodum auari homines pecunias recondũt, quibus nec ipsi utuntur, nec alios uti concedunt: sed subinde cogitandum est, quomodo thesaurus ille & tibi & alijs usui esse posit. Vtendum est eo ad confirmandam fidem, & uitam sanctè instituendam. Nam quantò plus eo thesauro uteris, docendo, consolando & corripiendo proximum tuum, tantò plus crescet. Cæterùm nemo existimet, ideo quòd sapientia nos ad audiendum, & conseruandum uerbum Dei hortatur: uel quia ostendit qua ratione ad sapientiam perueniri posit, in nostra facultate positum esse ut audiamus, & custodiamus: addit igitur precibus opus esse.

3. *Sapiẽtia ardentib. precibus petenda est.* Tertium enim est, ut sedulis uotis, à Deo patre sapientiam petamus: uel, intelligentiam Dei, hoc est, opem spiritus sancti, aut ipsum Christum, inuocemus. Similis locus est in epistola D. Iacobi cap. 1. ubi inquit: Quod si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, &c. Luc. 11. cap. Non iuberet nos orare pro sapientia, si in nostro horto nasceretur, & citra illuminationem ac operam spiritus sancti eam consequi possemus. Quid opus est nos anxiè illa ab alijs emendicare, quæ in nostra potestate, nostroque arbitrio posita sunt?

Deinde

Deinde eam non iuberet petere, nisi eam nobis communicare uellet. Deus enim non similis est auaris illis hominibus; qui ut fauorem sibi comparent, suam sæpe operam & pecuniam, uicinis & alijs promittunt, postea rogati nihil conferunt: sed quæcunq; Deus promittit, prolixè præstat. Cæterum quàm efficaces sint preces sanctorum aliàs exposui.

Quarto loco, nostram etiam diligentiam & industriam requirit, idq; pulchra similitudine, uel potius duabus. *Si uelut argentum eam quæsieris, & inuestigaris eam ut thesauros, &c.* Tametsi sapientia solius Dei donum sit, nec unquam eam consequamur, nisi Deus nobis largiatur: nostram tamen curam & sedulitatem accedere oportet. Deus enim nostra opera uult uti. Tanto studio, inquit, inquirenda est, quanto opes nobis comparamus. Homines nihil non faciunt, ut opes colligant. De honestis tantum & necessarijs negotiationibus loquar: quid agricolæ, pastores, uinitores non faciunt, ut opes necessarias acquirant? Opifices per bonam etiam noctis partem labori incumbunt. Caupones omnes honorificè excipiunt, nulli labori parcunt, ut opes suas augeant. Mercatores à teneris annis uarias linguas discunt, & arithmeticæ dant operam, ut melius cum exteris etiam, mercaturam exercere possint: quiduis periculi subeunt propter lucrum, quemadmodum Horatius dicit: 4. *Diligentia nostra requiritur.*

"Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes
"Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Quot labores suscipiunt, quot pericula adeunt, quot sumptus faciunt metallici, ut aurum & argentum à multis philosophis conuicijs proscissum, in uenis terræ scrutentur? Ouidius,

"sed itum est in uiscera terræ,
"Quásq; recondiderat, stygijsq; admouerat umbris,
"Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Plinius lib. 2. cap. 65. Penetramus in terræ uiscera, auri argentiq; uenas, & æris ac plumbi metalla fodientes: Gemmas etiam & quosdam paruulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis, uiscera terræ extrahimus, ut digito gestetur gemma quam petimus. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus? Simili studio, industria & constantia, sapientiæ perquisitioni incumbendum erat.

Vel hoc modo accipe hanc similitudinem, sensus tamen idem erit: Velut argentum quære sapientiam. Si quis aurum uel argentum amittat, quanto studio inquirit? Christus Dominus noster, Luc. 15. proponit parabolam de muliere habente didrachmas decem, si unam perdiderit, accendit lucernam, uerrit domum, quæritq; diligenter donec inuenerit. Nisi res amissas inueniamus, anxij sumus & solliciti, diligenter omnia inquirimus: ita danda est opera, ut ueram sapientiam, quam primorum parentum culpa amisimus, denuò inueniamus, & imaginem Dei quæ in nobis obfuscata est, reparemus.

Altera similitudo est, quòd uelut thesaurus inuestiganda sit. Idem sensus est cum superiore similitudine. Thesauri è terra auidissimè effodiuntur ab hominibus. Quidam uiderunt in bellis suppellectilem, aurea & argentea pocula: item pecunias in terram defossas, magno labore & periculo à militibus esse effossas. Strues lignorum, lapides, & alia huius generis quæ superinijciuntur ad decipiendum milites, ipsi statim disijciunt. Quot à magis decepti, qui loca ostenderunt, in quibus thesauri laterent, magnos sumptus fecerunt, nulliq; labori pepercerunt, ut thesauris illis potirentur? Simile studium in acquisitione rei maximæ impendendum, sapientia clamat.

Hîc non tantum mirari nos, sed etiam deplorare oportet nostram socordiam, qui tanta industria diuitias quærimus, per totum uitæ nostræ cursum: ueritatis autem inquisitioni uix minimam uitæ particulam tribuimus. Diximus de necessarijs negotiationibus quibus homines sedulò incumbunt, nullamque occasionem negligunt, ut honestè & se & suam familiam alere possint. Proceditur ulterius: multi enim curiosis artibus incumbunt, ut lucrum faciant. Quid non quotidie nummi excogitant? Quidam se ad inhonestas artes & negotiationes conuertunt, ut parasiti, aleatores, usurarij, monopolæ. Multa in ore habent impia prouerbia de comparandis per fas & nefas diuitijs. Quæ flamma est per quam isti homines non currant, ut lucrum faciant? Sunt etiam, quod turpissimum est, qui lenocinio, furtis, rapinis, latrocinijs uictum & opes quæritent. Hæ opes in uniuersum, siue iustè, siue iniustè partæ sint, infinitis casibus & periculis obnoxiæ sunt: tineæ eas corrodunt, ærugo consumit, incendijs, eluuionibus aquarum, grandine pereunt, per bella, diuturnos morbos, fideiussiones amittuntur, seruorum negligentia perduntur, fures eas auferunt, latrones cum ipsa uita eas hominibus eripiunt: necdum omnia enumeraui quibus opes amittimus. Fluxæ itaque sunt & instabiles. Sed finge stabiles esse, tu tamen qui eas possides, ut uno uerbo dicam, homo es, non diu uicturus. Id quod morientibus astantes omnes confitemur. *Socordia nostra in acquirenda sapientia.*

Sed esto, diu uiuas, non'ne uita tua perpetua est carnificina? Hæredes tui, obitum tuum tanquam uultures cadauer auidè expectant, & opes tuas te adhuc uiuente, animo inuaserunt. Hæc cùm ita esse omnes confiteamur, cur non thesaurum potius sapientiæ colligimus, de quo Christus loquitur Matth. 6. qui nullis insidijs & periculis est expositus, quiq; in altera etiam uita perdurat? Si ciues esse uolumus cœlestis patriæ, certè maiore cura, & diligentia, cœlestia quàm terrena sunt curanda. Inprimis uerò illos qui alios sapientiam docere debent, uelut ministros ecclesiæ, dies noctesq; sapientiæ studere, & omnibus alijs studijs ualedicere oportet. Hæc paucis dicta sint de his similitudinibus.

Tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.) Iam colligit sententiam ex superioribus: Si uerbum Dei audias, custodias, pro intelligentia uera Deum preceris, & tuam industriam adhibeas, assequeris ueram sapientiam. Duo iungit, quibus uera sapientia constat, nempe, timorem Domini, & scientiam Dei, qua scilicet Deus cognoscitur, quamq; de se nos in scripturis docet. Promissio hæc insignis est, quòd Deus nobis non uelit deesse, sed largiri sapientiam, qua uoluntatem ipsius cognoscamus. Falsò queruntur multi ex plebe, & etiam ex clericis, se incertos esse, qua uia salutem consequantur, negotium esse doctorum disputationibus implicatum & perplexum. Nam si illi tanto studio uocem sapientiæ audirent, & sacros libros legerent, quanto alijs rebus uacant: hi uerò quanto Euangelium persequuntur, & sibi amicos ex opib. ecclesiæ comparant, eaq; legunt quæ ad augendas opes faciunt: certè sapientiam ueram acquirerent. Idem plerisque accidit, quod diuiti illi adolescenti, qui tametsi audiret quid Christus ab eo postularet, suas tamen opes Christi doctrinæ præferebat.

Hominum uana querela.

Deus sapiẽtiæ author.

Sequitur de authore ueræ sapientiæ. *Dominus enim*, inquit, *largitur sapientiam.*) Quemadmodum Deus fons est omnis boni, ita etiam sapientiæ. Quomodo largitur eam hominibus? Ex ore eius prudentia & scientia egreditur. Ex uerbo Dei sapientia discenda est, ex libris inquam ueteris & noui Testamenti. Ioan. 5. dicit Christus: Scrutamini scripturas, quæ testificantur de me. Paulus 2. Tim. 3. post uaticinium de nouissimis temporibus, Timotheum suum hortatur, ut sacras literas studiosè legat, quæ ipsum possint sapientem reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Prophetis usitatum est ordiri suos sermones his uocibus: Os Domini loquutum est: Hæc dicit Dominus, &c. Sapientia illa cœlestis non inuestiganda est ex Platone, Aristotele, Scoto, aurea legenda, quæ uix plumbea dici meretur, multò minus ex idolis, mutis illis Papistarum magistris: sed ex libris quos Deus suo spiritu dictauit.

Quandoquidem uerò Deum fontem esse dixit, & originem cœlestis sapientiæ, obiter quædam eius opera prædicat, uel potius fructus recenset, quos illi percipiunt, qui sapientiam amplectuntur. Sunt autem huiusmodi digresiunculæ familiares sacris scriptoribus. Primum dicit, quòd abscondat uel reponat iustis salutem. Vox תּוּשִׁיָּה thuschiah uariè ab interpretibus redditur. Quidam firmam subsistentiam, hoc est boni perseuerantiam: quidam longæuitatem: quidam thesaurum iustis à Deo repositum: quidam propositum hominis: quidam æquitatem & iustitiam: quidam sapientiam: quidam opus bonum: quidam bonum consilium: quidam legem exponunt. Sed non multum interest, cùm Deus omnium illorum author sit & fons. Vox ipsa deriuatur à יֵשׁ iesch, quod esse significat: igitur per תּוּשִׁיָּה thuschiah hoc ipsum potest intelligi, quod dat esse rebus, easque conseruat. Esse hominis uita est, non naturalis illa tantum: sed qua Deus, qui solus esse est, in nobis uiuit in hoc & futuro seculo. Paulus Col. 3. dicit: Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos manifestabimini cum illo in gloria. 1. Pet. 1. dicitur hæreditatem nostram immortalem conseruatam esse in cœlis. 1. Ioan. 3. Nondum apparuit quod futuri sumus, &c. Emphasim habet quòd dicit: Deus reponet תּוּשִׁיָּה thuschiah, & clypeum: cum salus nostra apud Deum abscondita, hoc est, reposita & conseruata sit, non est quòd terreamur, extra periculum est. Deinde abscondita est, quæ non apparet in oculis huius mundi, qui nihil minus putant quàm fideles manere uitam æternam. Rectos uel iustos uocat, qui per fidem iustificati sunt, & fidem suam factis testantur, quemadmodum Iob. 1. cap. fecisse ostenditur.

Opera Dei uel fructus sapientiæ.

Secundo loco, *Clypeus est*, inquit, *illorum qui innocenter ambulant, & alieni sunt ab hypocrisi*: hoc est, protegit & defendit eos. Clypeis enim corpora muniuntur contra ictus & tela. Vide capitis 30. uersum 5. Huius generis metaphoræ multæ in Psalmis occurrunt: quando Dauid Deum iam scutum, iam arcem, iam petram & propugnaculum suũ appellat. Is defendit suos contra insultus hostium, excutit ignitas, & uenenatas sagittas diaboli. Multa sunt tela, id est, tentationes quibus impetimur, sed Deus clypeo suo eas repellit. Ipse diabolus fatetur Iob. 1. cap. se Iobum nulla in re lædere potuisse: eò quòd Deus sepes fuerit pro ipso, & domo ipsius, & pro omnibus quę habebat in circuitu. Psal. 34. Castra figit angelus Domini circum eos qui ipsum timent,

Deus defendit pios.

timent,& eos eripit.Sic Deus apud Zachariam,se populo suo murum igneum,& apud Esaiam,flumen latissimum fore testatur,quo eum muniat & defendat.Deus ille, Dauidem in tot periculis seruauit,Ionam in uentre piscis, Danielem inter famelicos leones,Socios Danielis in flamma ignis,Petrum in carcere, Paulum in naufragio.Hodie etiam multa & admiranda liberationis & protectionis diuinæ exempla extant.

Finem addit, cur Deus pios defendat: *ut custodiant semitas iudicij*: hoc est,ut rectè iudicent de omnibus rebus, ut inter bonum & malum discrimen habeant.Vel,ut faciant suum officium: iudicium enim latè accipitur in scripturis. Alij ad Deum referunt, quòd pios protegat,ut ostendat se iudicare inter pios & impios.

Tertio loco dicit: *Iter beneficorum suorum custodit.*) Iter per metaphoram in scripturis significat negotia, instituta, opera & incœpta. Deo suorum actiones curæ sunt. חסידים chasidim non tantum sunt misericordes, sed illi quos Deus sua misericordia complectitur. Pij mille periculis expositi sunt,sed Deus custodit eos,& conatus eorum fortunat.

9 Tunc intelliges iusticiam atque iudicium, æquitatem, & omnem uiam bonam.

10 Cum ingressa fuerit sapientia in cor tuum,& scientia tuę animæ iucunda fuerit.

11 Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.

12 Vt eruat te à uia mala,& ab homine loquente peruersitates.

13 Qui deserunt uias recti, ut ambulent in uijs tenebrosis.

14 Qui gaudent ut faciant malum,atque exultantes in peruersitatibus malitiæ.

15 Quorum uiæ sunt tortuosæ, & ipsi peruersi sunt in semitis suis.

Nihil sanctius & antiquius toto uitæ tempore nobis esse debet,quàm ut ueram sapientiam perdiscamus: in hoc enim omnia consistunt. Queruntur multi se non uidere, quid in tot,& tam discrepantibus doctorum opinionibus sequi debeant: sed scriptura ipsam sapientiam in priore huius capitis parte docentem introduxit, quæ uia ingredienda sit, ut artem hanc excellentissimam perdiscamus.

Sequitur iam altera capitis pars, de commodis & utilitatibus ueræ sapientiæ: quarum duas præcipuè commemorat.Vnam,quòd nos introducat in cognitionem uirtutum,& nostri officij: alteram, quòd tueatur & defendat nos à malis. Principio dicit: *Cum intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ suauis fuerit, tunc intelliges iusticiam, iudicium, & æquitatem, uel, rectitudines.* Disces iusticiam,hoc est,quomodo iustificemur in conspectu Dei, & quæ nam opera Deo placeant. Disces iudicium, hoc est, disces tuum facere officium, si fueris magistratus,si cõcionator,si paterfamiliàs.Rectitudinem,ut nec ad dextram, nec ad sinistrá declines. Hæ uoces in sacris literis aliquando generaliter,aliquando specialiter sumuntur,ut cum eas iudicibus attribuit. Addit: Non solum has uirtutes cognosces, & exercebis: sed ut multa paucis dicam, *Omnem uiam bonam.*) hoc est, mores honestos. Rectè te geres erga Deum,erga proximum,erga teipsum. Notandum autem est quod dicit: *Si scientia amœna uel dulcis fuerit animæ tuæ.* Nihil dulcius est scientia uerbi Dei. Psal. 19. Eloquia Domini, inquit,dulciora sunt melle,& fauis stillantibus.2.Cor.2.nominatur Eũágeliũ suauis odor pijs,quo recreētur.Hanc iucunditatē & suauitatē soli fideles percipiũt. Quia uerò multi sunt qui doctriná & sapientiá ueram,absynthio amariorē esse putant,non mirũ uideatur,si nõ operam dent uirtuti,suumq; officium non faciant. Quæ carni suauia sunt, huiuscemodi homines magni faciũt,& amplectuntur.Porrò magnus ille fructus est ueræ sapientiæ, scire quo pacto Deo placere possimus.

Vtilitas ueræ sapientiæ.

Alteram sapientiæ utilitatem his uerbis explicat. *Consilium custodiet te*, uel, *excubias aget super te: & intelligentia seruabit te.* Verbum Dei suppeditat consilia,quibus instructi,contra tentationes diaboli,exempla mundi,& carnis illecebras pugnare possumus.Quæ tria sæpe spem nobis faciunt rerum maximarũ:sed in magna & extrema mala nos præcipitant.Expositio subijcitur,à quib. malis nos nõ solum defendat,sed etiá ex quib.nos eripiat.Primũ à uia mala: deinde à prauis hominibus, uelut pseudoprophetis, item alijs facinorosis,& scortis. *Sapientia uel intelligentia liberat nos à uia mala.* Via inter alia per metaphoram in sacris literis significat uitam hominis. Nam instar uiæ alicuius nos ad finem aliquem ducit,nempe uitæ uel mortis.De hac uia loquitur Dominus noster, Matt 7.ostendens latam & amœnam esse,multosq; per eam incedere, nosque hortatur ne per eam ingrediamur: sed per angustam & strictam, quæ ducit ad uitam æternam. De qua uia iam mox dicemus. Isa.53.cap.dicit,Omnes nos quasi oues errauimus, singuli in uiam propriam deflexim us, &c. alius enim uoluptates

Descriptio falsorũ doctorum. quærit, alius diuitias, &c. Deinde liberat & eripit nos à falsis doctoribus: quorum uitam & mores describit, ut melius à nobis caueri posint. *Derelinquunt uiam rectam.*) Via perueniendi ad ueram salutem, Christus est, & fides in ipsum. Sic enim ipsemet dicit Ioan. 14. *Christus unica uia est ad salutem.* Ego sum uia, ueritas, & uita. Via quidem non corporalis, sed spiritualis, qua itur in æternam fœlicitatem. Nam mox ad hunc modum exponit: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Hoc omnes libenter concedunt, sed negant unicam illam uiam esse. Audiant igitur Petrum Acto. 4. qui disertè testatur, non aliud nomen sub cœlo esse, in quo æternam salutem consequamur, præter nomen Christi. Ioan. 10. Christus dicit: Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Mox: Ego sum ostium: per me si quis introierit, seruabitur, &c. Hanc uiam unicam, planam, & compendiariam omnes sancti ingresi sunt, falsi uerò doctores eam relinquentes, alias ad impetrandum iusticiam coram Deo, inquirunt & excogitant. Statuunt enim bona opera, hanc esse uiam & portam qua perueniatur ad uitam æternam. Neque per bona opera duntaxat ea intelligunt, quæ Deus uerbo suo requirit: sed quæ ipsi confinxerunt, ut sunt, missæ, uota monastica, peregrinationes religionis causa susceptæ, indulgentiæ, fumigationes, tinnitus nolarum, cantus superstitiosus, & alia huius generis innumera.

Eunt per uias tenebricosas.) Nam qui Christum, qui lux est mundi, & uerbum ipsius deserit, densissimis tenebris inuoluitur. Qui Christum audire non uult, diabolum principem tenebrarum audiat oportet. D. Paulus 1. Tim. 4. sic uaticinatur: Posterioribus temporibus descìscent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, &c. Hæc uerba expositione non indigent: lippis enim & tonsoribus notum est, de quibus hæc prophetia Apostolica sit intelligenda. Breuiter, lux significat doctrinam Christianam: tenebræ, diaboli- *Tenebræ.* cam, quæ humana figmenta & somnia affert. Tenebrarum nomine Paulus ad Gal. 5. uocat commessationes, lasciuias, simulachrorum cultus: & sic etiam pseudoprophetæ in tenebris ambulant. Præcipua hæc causa est, propter quam lucem Euangelicam respuunt, ut impunè in omni genere scelerum uiuere posint. *Gaudent malè facere, & in malitijs & peruersitatibus exultant.*) Gaudent si multos praua sua doctrina inficiant, & stultis hominibus quiduis persuadeant: si flagitiosè uiuant: si pios uexent & affligant: id quod in nostri temporis falsis doctoribus manifestum est: si regna uel oppida ad sedis Romanæ obedientiam reducunt, non tantum in animis gaudent, sed gaudium illud suum signis externis testantur: mittunt ultro citroq; suos legatos, & epistolas gratulatorias: si cæsos audiant Euangelij studiosos, canunt epinicium, Te Deum laudamus: campanas impellunt, tormenta bellica exonerant, & nihil non faciunt, ut læticiam suam publicè testentur: quemadmodum de Romanis legitur, cum Nero crudelissimus tyrannus sibi manus intulisset.

Semitæ eorum peruersæ sunt, & peruersi sunt in uijs suis.) Non doctrina tantum corrupta est, & uitiata, sed & uita eorum. Nemo profectò negare potest, uitam spiritualiũ, ut uocantur, esse omnium corruptissimam. Plerique alunt in ædibus suis scorta, quotidie genio indulgent, alea ludunt, quauis de causa deierant, & prophanè omnino uiuunt. Quid Romæ faciant sanctissimi illi patres, & ecclesiæ columnæ, pudet referre. *Vita clericorum corruptissima.* Quemadmodum autem inter Euangelij ministros non pauci reperiuntur qui turpissimè quoque & flagitiosissimè uiuunt: ita sunt etiam inter falsos doctores, qui seueram in speciem uitam agunt. Postquam enim diabolus uidit turpissimam illam uitam pseudoprophetarum regno suo magnum detrimentum attulisse, mirabili artificio effecit, ut quidam sanctam in speciem uitam degant. Sic legimus Baalitas seipsos cultris incidisse. Ante nostra tempora Flagelliferi (sectæ nomen est) flagellis sese conciderunt. Hinc originem traxerunt in monasterijs tam crebra ieiunia, asiduę illę preces, cilicia, &c. In eo autem peccatur, quòd nouos cultus comminiscuntur, cùm Deo non placeat ἐθελοθρησκεία, Col. 2. Deinde suis illis operibus iusticiam tribuunt. Nostro tempore quidam Anabaptistarum sanctimoniæ nomine bene audiunt, cum tamen interim sub specie illa religionis pesimas opiniones alant, & sua hypocrisi multis imponant. Cæterum his artibus Satan mirus artifex, regnum suum conatur stabilire. Hæc de seductorum descriptione.

Magnum & inenarrabile est beneficium sapientiæ, quòd à falsis doctoribus nos defendit, & liberat. Constat enim, quantum damnum omnibus seculis pseudoprophetæ hominibus dederint. Multi certè qui neque minis tyrannorum frangi, neque exemplo multitudinis à uera uia abduci, neque carnis illecebris deliniri potuerunt: per pseudoprophetas à Christo, nihil tale metuentes abstracti sunt. Si quis tibi iter ad oppidum aliquod non monstraret: sed blandis uerbis in uia te abduceret, quàm indignè ferres? Quod si in syluã aliquam latroci-

latrocinijs infestam, quid cogitares? Periculum hic longè maius est, hic agitur animarum salus. Agnoscamus igitur maximum illud sapientiæ beneficium, quod nos liberat à periculo falsorum prophetarum. Hoc loco iterum deploranda est ingenij humani prauitas & corruptio. Multi enim felices & beatos illos existimant, qui quotidie cum lupis illis uersantur: amant tales homines: oderunt sapientiam, quæ periculi magnitudinem detegit, & à pseudoprohetis eos reuocat. Scribunt, pisces, si ardeæ in fluuium aliquem ingrediantur, pedib. ipsarum non sine desyderio adnatare, quos illæ deuorant: ita multi illorum familiaritate gaudēt, qui ipsorum opibus inhiant, corpora perdunt, & animabus etiam insidiantur.

Hæc uerba, quæ præcipuè ad pseudoprophetas pertinere dixi, omnibus etiam alijs sceleratis hominibus applicari debent, à quibus nos sapientia liberat, quemadmodum ordine audiemus. Sapientia liberat nos ab homine peruersa loquente. Quot impia prouerbia quotidie audiuntur? Multi de resurrectione, extremo iudicio, felicitate piorum, &c. non aliter loquuntur, quàm si essent inania & frigida figmenta. Ab his sapientia nos liberat. Eripit nos ab illis etiā qui derelinquunt semitas rectas, ut ambulent per uias tenebrarū. Multi nolunt amplecti Christum, nolunt regi uerbo ipsius, sed sibi ipsis sunt regula. Ioan. 3. Ideo condemnatur mundus, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem: erant enim eorum opera mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera eius, &c. Hos fugiendos docet sapientia. *Sapientia liberat nos à sceleratis hominibus.*

Ab his qui lætantur facere malum, & in peruersitatibus exultant.) Si pij peccant, dolet eis peccatum, orant à Deo ueniam, & deinceps à peccato sibi cauent, reprehensionem item non indignè ferunt: at impij subinde, etiam noctu in cubilibus suis, ut Micheas dicitur, cogitant de admittendis peccatis, non dolent de admissis, non petunt ueniam: sed gaudent se peccasse, sibi placent, gloriantur de peccatis suis, defendunt item scripturis, dant operam ut etiam alijs peccandi sint authores, reprehensionemq; indignissimè ferunt. Israelitis ab Isaia cap. 3. obijcitur, quòd peccatum suum quasi Sodoma prædicarint. Ieremias quoque 11. cap. exprobrat suis hominibus, quòd exultent in peccatis, ceu re bene gesta, cùm metu imminentis pœnæ consternari debuissent, atque subijcit, quid Deus de ipsis facere constituerit. Doig gloriabatur quòd iubente Saule in sacerdotes Domini irruisset, eosq; occidisset. Psalmo 52. Hoc peccatū uulgare est hodie: nihil tam ineptū est, & absurdū, quod suos patronos nō habeat. Gaudiū suum multi celare non possunt quod ex eo concipiunt, si quid contra uerbum Dei, uel ipsi uel alij fecerint. Ebrij, usurarij, adulteri, mercenarij milites, mirè sibi placent, putant res suas bene habere, si inuitis omnibus monitoribus pergere possint. A' pestilentibus illis hominib. sapientiæ beneficio liberamur. Ab illis deniq;, quorum semitæ peruersæ sunt, & qui peruersi sunt in uijs suis, hoc est, quorum mores, consilia, & instituta omnia uerbo Dei aduersantur: quiq; nihil aliud sciunt quàm peccare. Nam qui semel aberrauit à uera uia, magis magisque errat. Contra omnes huiuscemodi pestes, ceu sepes quædam munit nos sapientia. Ingens hoc quoque est beneficium sapientiæ, quòd scilicet ab impuris & flagitiosis hominibus nos liberat. Quid enim colloquia praua apud bonos efficiant, ex uerbis Pauli, 1. Cor. 15. constat. Exemplum multitudinis impiè & sceleratè uiuentis, & tamen uitam æternam sibi promittentis, maximè homines commouet. Remedium igitur, quod contra has pestes nos tuetur, maximum sit oportet. Homines autem tam negligentes sunt & socordes (quemadmodum de pseudoprophetis etiam paulò antè diximus) ut tantum beneficium non agnoscant: sed felices illos putent, qui ab huiuscemodi profanis hominibus in amicorum numerum recipiuntur, & à bene monentibus quàm longissimè absunt. *Impij lætantur si scelera patrent.*

16 Vt quoque te eruat à muliere aliena, & ab extranea, quæ uerba sua blanda facit.

17 Et quæ deserit ductorem, uel maritum iuuentutis suæ, obliuiscitur pacti Dei sui.

18 Nam uergit ad mortem domus eius, & ad gigantes semitæ eius.

19 Omnes enim qui ingrediuntur ad eam non reuertuntur, neque assequuntur uias uitæ.

20 Propterea ambula in uia bonorum, & semitas iustorum custodi.

21 Recti eorum inhabitabunt terram, & integri relinquentur in ea.

22 Impij uerò succidentur de terra, & præuaricatores eradicabuntur ab ea.

In altera parte huius capitis, recēset spiritus sanctus uarias utilitates ueræ sapientiæ. Rectè

nos de officijs instruit: conseruat nos à uia mala, hoc est, incredulitate, corruptis moribus, & exemplis: liberat item nos à seductoribus, qui relicto Christo, & sacris scripturis, sua somnia proponunt: & alijs qui perniciosis suis sermonibus, & turpi uia, multos offendunt, quique non ex imbecillitate, sed destinata malitia peccant.

Sequitur alius fructus sapientiæ, qui sanè maximus est. Liberat enim sui studiosos à periculo quod mœchæ struunt: ne scilicet blanditijs earum capiantur, aut si capti fuerint, iterum euadant. *Liberabit te à fœmina aliena, & peregrina, quæ eloquia sua emollit.*) Mulierem alienam uocat omnem quæ non uerè uxor tua est, quamq; Dominus tibi non concessit. Sic Deus alienus Exod. 20. appellatur, quicquid nobis præter Deum uerum confingimus, in quo confidimus, & à quo salutem, auxiliumq; expectamus. Ventrem quorundam deum uocat Apostolus ad Philip. 3. sic opes, cognati, munitiones, &c. dij sunt alieni. Sic alienus ignis dicitur importatus in tabernaculum, diuersus scilicet ab eo, quem Dominus iusserat incendere.

Aliena mulier quæ.

Describit nunc breuiter hanc mulierem alienam, uel adulteram, qualis sit. Alia quoq; colligi possunt ex scripturis, quæ huc pertinent. Primum dicit, *Blanditur sermonibus suis.*) De hac re infrà cap. 5. sequetur, ubi dicet: Fauum stillant labia alienæ, & guttur eius blandius est oleo:
1. postrema uerò eius amara sunt uelut absynthium. Meretrices blandæ sunt, & loquaculæ: maritis suis quiduis persuadent. Omnia bona de se eis pollicentur: at mœcho interim signo aliquo turpia promittunt. Eximunt animis maritorum omnes suspiciones, ut si à cognatis admoneantur de uxorum custodia, eos uerborum lenocinio in odium mariti facilè adducant. Hinc fit ut multi honestatis amantissimi, malè audiant, quasi conscij sint uxorum impudicitiæ, & lenones agant. Deinde scortatores uel amatores suos, blanditijs suis quocunq; uolũt, pertrahunt. Cum plures habeant amatores, stultis tamen persuadent, solos illos se habere. Quibus uel hoc in mentem uenire debebat, quod Germani prouerbio dicunt: cauponem non suspendere hederam unius hospitis gratia. Dicunt magnum suum amorem esse erga scortatorem, cum tantum opes quærant. Quod si amatores suos argento emunxerint, plerunque eos amplius non curant. Hęc omnia Comici in comœdijs suis egregiè expresserunt.

Maritis suis blandiuntur mœchæ.

Mœchæ blandiuntur adulteris.

2. Secundo loco, dicit: Fœderis Dei sui oblitam esse. Deus enim fœdus pepigit cum primis nostris parentibus, quod postea cum Noe innouauit, inprimis uerò cum Abrahamo, cuius posteris quoque, hoc est, omnibus fidelibus promisit, se fore Deum ipsorum, & missurum filium suum. Deinde uicissim nobis fidelibus præscribit quid faciamus & omittamus: ac inter alia prohibet adulterium. Fœdus hoc Christus cruore suo sanxit. Signa illius sunt baptismus, & cœna dominica. Fœdus hoc rumpit mulier peregrina. Deinde tempore nuptiarum fœdus cum uiro pepigit in conspectu Dei & ecclesiæ, ac fidem marito seruare recepit: hanc fidem fallit, & rumpit fœdus Dei, quod nomine ipsius inuocato est sancitum. Turpe est si in mensa fidem datam fallas, in rebus etiam leuiculis: turpissimum itaq; est illa non præstare, quæ in
3. præsentia totius ecclesiæ sanctè sunt promissa.

Mœcha fœderis Dei obliuiscitur.

Tertiò dicit: *Deserit dominum, uel ducem adolescentiæ suæ.*) hoc est, maritum, cui iuuencula nupsit, cuique obtemperare debuit. Primus amor est uehemens (loquor de casto, non de turpi amore) in coniugibus. Quod si primus maritus decedat, mulieres alios quibus nubunt, ferè non tantopere amant. Indicium itaque est magnæ impudicitiæ, si uxores primos suos maritos deserant, hoc est, si fidem coniugalem eis non seruent: sed amatores in domum uocent, uel alibi quærant quibus corporis sui potestatem faciant: aut, quod turpissimum est, relicto prorsus suo marito, adulteros sequantur: quemadmodum Helena Paridem sequuta est: quędam in militiam abeunt, aut cum sacrificulis habitant. Colligis hinc obiter, quid fidendum sit huiusmodi mulierculis. Multi amatores sibi persuadent, eas in amore constantes fore: sed quid tibi de illis polliceare, quæ Dei fœdus rumpunt, & maritos quibus uirgines collocatæ sunt, aliquando etiam liberos, perfidè deserunt?

Deserit maritum suũ.

Subiungit nunc quæ pœna tandem illas mulierculas sequatur. *Inclinat ad mortem domus eius, & ad mortuos* (uel ut alij uertunt, gigantes, hoc est, impios & damnatos: de hac uoce sequitr 9. cap.) *semitæ eius tendunt.* Hoc uult dicere: imaginantur sibi omnis generis uoluptates, quibus relictis maritis, frui uelint: sed longè falluntur. Nam præter opinionem, & se & suam familiam, nec non amatores suos, magnis malis implicant. Ad mortem temporariam & æternam properant, unà cum illis qui domos ipsarum frequentant. De hoc iam nihil dicam, quod omnes morti sumus obnoxij, neq; uel crastinum nobis promittere audemus: hoc duntaxat annotabo, quòd mariti adulteros in αὐτοφόρῳ deprehendentes, sæpe iugulant: quàm rectè, nunc non disputo. Etsi uerò sæpius euaseris, ne tamen securus sis, & impunitatem tibi promittas. Deinde lex Dei Leuit. 20. quæ in Deut. repetitur, adulteros & adulteras iubet occidere. In Imperialibus etiam legibus, adulterium capitale est. Et quanquam multi magistratus

Pœna adulterij.

tus in puniendis adulterijs officio suo non fungantur: ostendit tamen Deus, quantopere sibi displiceant. Multa enim bella, ipsius prouidentia mota sunt, in quibus non modò adulteri, & adulteræ, sed alij quoq; multi perierunt. Aliquando morbis horrendis eos conficit. Aliquando patitur in scelera capitalia, ut furta & latrocinia, mœchos incidere, & sic pœnas dare. Quod si temporali morte eos non statim perdat, sæpe in tantas calamitates conijcit, ut quotidie quodammodo mori cogantur. Exemplum eius rei memorabile habemus in Dauide.

At mors temporalis leuis est præ morte æterna, qua adulteria puniuntur. Paulus enim disertè dicit, 1. Cor. 6. Neq; scortatores, neq; simulachrorum cultores, neq; adulteri regni Dei hæreditatem posſidebunt. Heb. 13. Scortatores & adulteros iudicabit, uel condemnabit Deus. Hoc loco dicit: *Quotquot ad eam ingrediuntur, non redeunt.*) scilicet per pœnitentiam: *nec uias uitæ apprehendunt.*) hoc est, non saluantur. Quæ uerba non negant, lapsos posse resurgere. *Lapsos posse resurgere.* Multa enim loca scripturæ extant, ex quibus certò colligitur, lapsis negandam non esse ueniam: sed sensus est, paucos redire in uiam salutis, eò quòd rarò eos sui sceleris pœniteat. Sic Lyranus exponit: dicit enim hyperbolam esse, ut cum dicimus, Omnes ex ciuitate currunt ad tale spectaculum: ad ostendendam multitudinem euntium, quamuis plures non eant. Vel per comparationem intelligenda est hæc oratio: Tam pauci pœnitentiam agunt, ut nulli uideantur comparatione illorum qui securè uiuunt in suo scelere. Glossa, pronomen, Eam, ad mortem refert, non mulierem. Nam dicit mœchum posse Domino iuuante reuerti: at eum qui semel æterna morte perijt, ad uitam nunquam redire, id quod pugnet cum dogmate Origenis. Affert tamen & hanc expositionem, Ad eam, id est, ad meretricem, uel domum eius non amplius reuertetur, scilicet quod corruptam naturam attinet, sed per Dei gratiam qua adiuuatur. Quæ expositio sumpta est ex August. lib. 9. de Genesi ad literam 18. cap. Quod attinet ad naturam, inquit, iniqua sua uoluntate deprauatã, recursum per semetipsum non habet: sed per Dei gratiam qua adiuuatur, & restauratur. Neq; enim desperandum est hominibus in illa sententia, in qua scriptum est: *Omnes qui ambulant in ea, non reuertentur.* Dictum enim est secundum pondus iniquitatis suæ, ut quòd reuertitur qui reuertitur non sibi tribuat: sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne fortè extollatur, &c. Ideo autem difficulter & rarò in uiam redeunt, quòd ita excæcantur & dementantur, ut turpitudinem suam non uideant, nec possunt relinquere consuetudinem illarum muliercularum, id quod sæpe testantur. Noctes diesq; de amoribus suis cogitant, & oderunt illos qui eos amicè admonent, ut suæ saluti consulant. Quòd si inepti ad res Venereas propter senium reddantur, gaudent tamen recordatione patratorum scelerum, atque alios ad peccandum alliciunt. Subinde in ore habent sua prouerbia, quibus adulterium extenuant. Quæ omnia argumenta sunt, eos non uerè pœnitere. Non autem remittuntur peccata nisi pœnitentiam agentibus. Pauci itaq; quibus Deus peculiariter fauet, hos laqueos effugiunt. Atq; hic est exitus alienæ mulieris, & illorum qui ad eam ingrediuntur.

Hinc colligimus quantum hoc sit beneficium sapientiæ, quòd nos tuetur ab impuris illis mulierib. Magno beneficio nos affectos diceremus, si quis nos ex graui aliquo morbo liberaret, aut ex carcere: sapientia uerò ex maximis fortunarum, uitæ & animæ periculis nos liberat. Nostrum igitur est, gratitudinem declarare, uitare personas, loca, & alia quæ ad scortationem & adulterium nos pellicere possunt, nosque præceptis sapientiæ armare contra tentationes diaboli. Vides item illos non sapienter agere, nec beneficio iuuenes afficere, qui eis authores sunt, ut libidinibus indulgeant: illos etiam qui lupanaria & prostibula publica defendunt. Stulti etiam sunt illi iuuenes, qui ingens beneficium interpretantur, si illicitis illis amoribus potiantur.

Exponuntur hæc etiam per allegoriam de idololatria & falsa doctrina. Quæ exposi- *Allegoria.* tio non inepta est. Nam est etiam spiritualis scortatio, & adulterium, nempe idololatria. Hæc etiam emollit suos sermones: multa & magna promittit suis cultoribus: salutem nostris operibus ascribit, blanditur nostris uitijs: ducem pubertatis suæ relinquit (idololatræ enim relinquunt Deum, qui ab utero matris eos defendit: uel, ut inquit Glossa, doctorem à quo fidem ecclesiæ didicerant) fœderis Dei obliuiscuntur, mortem non solum temporariam, sed & æternam sibi accersunt. Pauci enim qui idololatria & hæresibus polluti sunt, in uiam salutis redeunt.

Per extraneam mulierem, possumus etiam intelligere alienigenam & impiam. Cauit enim Deus in sua lege, ne Israelitæ alienigenas ducerent: rationem adiecit, ne seducerentur. Hæ enim blanditijs suis ad idololatriam maritos illiciunt, quemadmodum in ipso Solomone insigne exemplum habemus.

Claudit nunc hoc caput exhortatiuncula, dicens: *Idcirco bonorum itinere incedito, & iustorum*

semitam obserua.) Christus est uia salutis nostræ, ad hunc respexerunt omnes sancti, & piè uixerunt. Horum uestigijs insistendum est, quatenus à uia illa non deflexerunt. Sic Paulus dicit, 1. Corinth. 11. Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Sancti suis etiam uitijs non caruerunt, cautè itaque imitandi sunt. Præpostera est illa imitatio, quando uitia imitamur, uirtutes uerò non exprimimus. Hodie multi multa de patrum nostrorũ pietate loquuntur, & omnino eos imitandos censent: interim tamen non in uitæ honestate, sed duntaxat in idololatria eos imitari uolunt.

Imitatio sanctorum patrum.

Alij hæc uerba ad hunc modum legunt: *ut ambules per uiam bonorum.*) ut sensus ex superioribus dependeat. Dixit enim, Si sapientia cor tuum inuaserit, intelligentia te seruabit, &c. Subiungitur nunc: Vt ambules, &c. Est hic non exiguus fructus sapientiæ, quòd diriget nos in uiã Dei: sed ad sensum parum interest. Addit: *Quia recti inhabitabunt terram, & integri superstites erunt in ea.*) Sic in Psalmis legitur: Qui expectant dominum, hæreditate possidebunt terram. Non autem loquitur de hac terra in qua peregrinamur: sed de terra uiuentium. Licet pij in hisce terris locum ubi consistant non habeant, sed incertis sæpe sedibus hinc inde uagentur: regni tamen cœlorum hæredes sunt & ciues.

Impij à patria exulabunt.

Econtrariò dicit: *Impij è terra excindentur, & funditus euellentur.*) Impij uitam æternam non possidebunt, sed in exteriores tenebras eijcientur. Etiamsi in hisce terris sua latifundia habeant, multis pagis, oppidis, & regionibus imperitent: tamen quia uera spe uitæ æternę carent, sunt pauperrimi. Possent tamen hæc etiam de hac terra quam à Deo accepimus, exponi: in qua pij tranquillè uiuent, & in medijs calamitatibus à Deo defendentur: impij uerò ad dimidium dierum uix peruenient, & è tabernaculo suo extirpabuntur, iuxta psaltem. Sunt autem multi modi quibus id fit. Nam uel morte immatura & uiolenta pereunt, uel in captiuitates trahuntur, uel sponte propter æs alienum, solum uertunt. Exempla huius rei publica & priuata multa sunt. Terra Chanaan Chananæis in possessionem data fuit: cum autem idololatria, & nefarijs sceleribus contaminati essent, expulit eos Deus, & Israelitis terram concessit. Qui cùm & ipsi mores Chananæorum imitarentur, etiam ipsi, quemadmodum Deus comminatus fuerat, expulsi sunt, primùm ab Assyrijs, deinde à Babylonijs, quibus terra à Deo tradita fuit. Postea illis quoq; erepta est, & reddita Israelitis, quibus rursus adempta fuit, & Romanis concessa, atq; tandẽ à Turcis occupata. Multi hodie quoq; sunt, qui potuissent honestè in patria uiuere, at propter nimios sumptus quos fecerunt, solum uertere coacti sunt.

CAPVT III.

NOli obliuisci legis meæ, fili mi, & præcepta mea custodiat cor tuum.

2 Dies enim & annos uitæ atq; pacem addent tibi.

3 Beneficentia & fides ne te destituant, liga eas ad collum tuum, & tabulis cordis tui inscribito.

4 Nanciscerisq; gratiam & bonum intellectum, in oculis Dei & hominum.

5 Confide Domino toto corde tuo, & prudentiæ tuæ ne innitaris.

6 In omnibus uijs tuis agnoscito eum, ipse enim semitas tuas diriget.

7 Ne sis sapiens in oculis tuis, sed Dominum time, & à malo recede.

8 Sanitas erit umbilico tuo, & irrigatio ossibus tuis.

Scopus huius capitis.



HOC caput uarium est & multiplex. In primis autem Solomon, quin spiritus sanctus per os ipsius, nobis in hoc capite commendat legem Dei, beneficentiam, humilitatem, patientiam: sapientiæ item laudem proponit, nosq; ad studium eius hortatur. Mox uaria uirtutum præcepta subiungit, quemadmodum uidebimus.

Primo loco, familiariter nos pro more alloquitur, & nobis legem & præcepta sua inculcat, id quod ad sequentia præcepta, & in primis misericordiam & ueritatem adstringi: uel, (quod probabilius uidetur,) de tota lege, atq; adeò uerbo Dei, intelligi potest, ostendente quales nos esse, quid facere aut omittere oporteat, & quæ in uniuersum uoluntas Dei sit. Non satis est uerbum Dei audire & de eo loqui: sed curandum in primis, ne eius obliuiscamur: quod non tantum fit, quando ex animo nobis excidit: uerum etiam quando factis non implemus. Tam benignus & misericors est Deus, ut cum simpliciter obedientiã à nobis pro suo in nos iure postulare possit: tamen aliquando dignetur causas suorum præceptorum, & amplissimas promissiones adijcere. Quemadmodum parentes liberis suis multa promittũt, ut suum faciant officium: ita Deus nobis multa pollicetur.

Promittit

Promittit autem hoc loco custodientibus legem suam, uitam diuturnam, & pacem. Per uitam Hebræi intelligunt etiam sanitatem, robur, & res ad uictum pertinentes. Exemplum habemus in Calebo Iosue 13.cap.& in alijs. Per pacem quoq; non externam illam tantum intelligunt, sed interiorem, & omnia quibus homo ad hanc uitam indiget. Ideo autem uita diuturna promittitur, quòd naturaliter uitam amamus, & mortem exhorrescimus. In Psal. etiam de fideli dicitur, Longitudine dierum implebo eum. In Deut. quoq; & alibi habetur hæc promissio. Dicis, Supplicium potius uita diuturna est, cùm multis omnino miserijs & ærumnis obnoxia sit. Feliciores uidentur qui ex his miserijs citò euocantur, quàm quibus uita producitur. Io in Aeschyli Prometheo captiuo dicit:

Pax.

Vita longa pijs promissa.

κρεῖσσον γὰρ εἰσάπαξ θανεῖν,
ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Respondeo: Etsi pij multis calamitatibus in hac uita subiecti sint, nihilominus tamen propter spem futuræ gloriæ beati sunt, & in Deo quem sibi placatum esse sciunt, exultant. Deinde uita per se bona est, afflictiones extrinsecus, uel ut loquuntur, per accidens eam perturbant. Quomodo igitur fit, inquis, ut pij homines, id quod multi conqueruntur, citius sæpenumero moriantur quàm impij? Arcana sunt hæc Dei iudicia, qui certas ob causas aliquos pios ex hac uita ad æternam euocat, ne maiores miserias cogantur experiri. Sic Iosiam optimum & religiosissimum regem sustulit. Aliquando præter ordinem morte sancti alicuius, gloriam sui nominis & confirmationem fidei aliorum quærit. Quod si corporalia bona pijs non conferat, dat tamen eis præstantiora. Nam promissiones temporariæ non sunt perpetuæ, nec omni exceptione carent. Lyranus quoq; dicit, Hi qui præcepta diuina custodiunt, frequenter hæc consequuntur in præsenti. Deus corporalia, quomodo & quando sibi uidetur uult conferre nobis. Neque aliter à nobis petenda sunt, quàm si ad gloriam nominis ipsius, & animarum nostrarum salutem spectent. Hîc conspicitur hominum cæcitas, qui cùm uitæ sint cupidissimi, tamen pietati, qua uita prorogatur, non student. De impijs scriptum est, quòd dimidium dierum suorum non consequantur. Quot adulteri confodiuntur? quot ebrij seipsos perdunt? quot milites mercenarij miserè pereunt? quot contentiosi homines uita sua contentiones finiunt? quot flagitiosis per magistratum supplicium infertur? qui si uerbo Dei obtemperarent, uiuerent diutius. Frustra igitur querimur, uitam nostram angustis spacijs circumscriptam esse. Diu uiuunt impij interdum, sed uita eorum, quoniam in carne uiuunt, mors potius appellanda est.

Cur pij citius moriãtur quàm impij.

Promissiones corporales.

Impij non diu uiuunt.

Secundo loco duæ præclaræ uirtutes, beneficentia seu misericordia, & fides nobis commendantur. Beneficentia est uirtus, qua indigentibus benefacimus. Fides, est ueritas & constantia in dictis & factis. Fidei alioqui uocabulum latissimè patet. *Liga, inquit, has uirtutes super guttur tuum, & scribe eas super tabulam cordis tui.*) Similem loquutionem habes 2. Cor. 3. Sensus est, Familiares tibi sint, semper obseruentur oculis tuis, sollicitè eas obserua. Ea quæ grata nobis sunt, collo appendimus: ea quorum recordari uolumus, in tabulis describimus. Vide infrà cap. 7 uersum 3. Sic obseruatio legis nobis commendatur Deut. 6. Erunt uerba hæc, dicit Deus, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Ligabis ea quasi signũ in manu tua, erunt inter oculos tuos. Non uult ut in tabulas æreas uel lapideas, sed cordi insculpamus. Dominus enim Matt. 23. reprehendit pharisæos, quòd dilatarent phylacteria sua, quemadmodum hodie monachi, qui uestitu mystico utuntur. Multi Euangelium Ioannis de collo suspendunt, & Testamentum nouum auro includunt, animo interim in Euangelium sunt infesto.

Beneficentia & fides.

Calcaria diuinæ promissionis addit: *Inuenies gratiam & intellectum bonum (quidam distinguunt intellectum & bonitatem) coram* Deo *& hominibus.*) Deus amat his uirtutibus præditos. Nam & ipse beneficus est, sinit solem suum exoriri super bonos & malos. Verax item, & constans in minis & promissis. Conciliant etiam hæ uirtutes apud homines nobis gratiam & authoritatem. Magnum est illud donum Dei, sicut & intellectus: nec omnibus concessum. Pijs interdum negatur, nouit enim Deus, ex gratia & fauore hominum, sæpe superbiam & arrogantiam exoriri. Melanchthon sic exponit: *Misericordia & ueritas* Dei *te non deserent.*) id est, Deus benefaciet tibi, & fideliter, hoc est, semper te proteget.

Gratia.

Sequitur itaq; tertio loco præceptum de fiducia in Deum, & uera humilitate. Dicit enim: *Confide Domino ex toto corde tuo.*) Quia uerax est & omnipotẽs, præstare potest quæ promittit, *Nec innitaris prudẽtiæ tuæ.*) Ne nimium tribuas tibi, ne putes te omnia scire, & solũ sapere: ne innitaris rationi tuæ. Dauid cùm de ædificando templo consultat, nõ innititur suæ sapientiæ: sed Nathanem prophetam, qui spiritu Dei præditus erat, in consilium adhibet. 2. Sam. 8. In externis rebus experimur rem pessimam esse, quando iuuenes putant se plus alijs uidere:

Modestiam nobis commendat.

ita enim bene monentibus non obtemperát,& ſeipſos magnis periculis inuoluunt. Hæc res multos errores inuexit in eccleſiam,inuocationem diuorum,purgatoriũ,imagines,primatũ Romani pontificis.Hæc enim omnia rationi humanæ probantur.Abutuntur quidã hoc præcepto dicentes:Ne præponas ſenſum tuum decretis patrum:& ſic omnes errores retinendos putant.Sed quid nobis Gregorios & alios obijciunt? Quatenus conſentiunt cum prophetis & Apoſtolis,ſunt ſequendi,quatenus uerò ab illis deſciuerũt,ſunt fugiendi.Nam etiamſi angelus de cœlo aliud Euangelium afferat,anathema ſit,inquit Apoſtolus.

In omnibus uijs tuis cogita,uel agnoſce eum.) hoc eſt, perpende quid ipſe uelit, & quomodo quid uis uelit fieri.Non quod nobis bonum uidetur,ſed quod ipſe uerbo ſuo præcepit faciendum eſt.Implorandum eſt eius auxilium, & cogitandum omnium rerum inſpectorem eſſe. Si de uoluntate Dei conſtat,facienda eſt,& euentus ipſi permittendus. Seruus non quærit cauſas conſiliorum domini ſui, ſed quod imperat,facit.Tabellarius qui ad principem aliquem, aut urbem mittitur,non interrogat magiſtratum quid literæ contineant, & quæ ſit ratio conſiliorum,nec diſputat quid commodi uel incommodi inde ſequuturũ ſit.Item,*cogita illum*, hoc eſt, ſi quid rectè & prudenter facis, non tibi,ſed Deo fonti bonorum acceptum referas. Ex tuis enim uiribus nihil boni uel cogitare potes. *Ipſe diriget greſſus tuos.*) hoc eſt,inſtituta.In rebus publicis & priuatis, ſacris & prophanis, ſi facias id ad quod uocatus es, Deo curæ erit, & feliciter cedet.Dauid Pſal.119.orat,Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum.

Ne ſis ſapiens in oculis tuis.) Iterum modeſtiam nobis commendat. Iſa.5. Væ his qui ſapientes ſunt in oculis ſuis,& his qui coram ſeipſis ſunt prudẽtes.Paulus ad Rom.12,Ne quis arroganter,inquit,de ſe ſentiat,ſupra quàm oportet.Mox iterum dicit: Ne ſitis arrogantes apud uos. Sic hoc loco:*Ne ſis ſapiens apud teipſum.*Si quis uera ſapientia ornatus eſt,ſciat ſe à Deo accepiſſe. Ideo autem toties hæc admonitio repetitur in ſacris literis, quòd ex hoc quaſi fonte omnes errores in omnibus rebus ſcaturiunt.Hinc fit ut homines ſuo confiſi ingenio,contra Dei uerbum & pericula propulſare,& Deum falſis cultibus demereri uelint.

Mox addit quæ uera ſit ſapientia:dicens,*Time Deum.*) Requirit timorem qui ſolicitudinem nobis incutiat,ne ſecuri torpeamus:ſed caueamus ne Deus offendatur. Carnalis ſecuritas in rebus externis turpis eſt & periculoſa,in rebus fidei turpiſsima & periculoſiſsima. *A malo recede.*Aſsiduè cum uitijs pugnandum eſt.Hoc bellum honeſtiſsimum eſt, maximè neceſſariũ, &c.Baſilius inquit,ἀρχὴ πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν καλῶν,ἡ ἀναχώρησις τῶν κακῶν,&c.

Iterum annexa eſt promiſsio,quò libentius pareamus. *Sanitas uel medicina erit umbilico tuo,& irrigatio,ſeu pinguedo oſsibus tuis.* Per umbilicum interanea intelligi poſſunt, quæ ſi ſana ſint, totum corpus hominis bene habet:per irrigationem oſsium,medulla quæ oſſa alit & roborat. Vt ſit promiſsio bonæ ualetudinis:cuius beneficium maximum eſt,id quod illi optimè norunt,qui cum morbis difficilibus & diuturnis aliquando conflictati ſunt. Munſterus hæc uerba,*Sanitas erit umbilico tuo.*) ita exponit: optimè habebis, & nullus erit tibi in his quæ corpori ſunt neceſſaria defectus.Et propterea umbilici mentionem fieri dicit, quòd homo prima fomenta per umbilicum ſuſcipiat.Sunt qui ad hunc modum exponant:Quemadmodum ſanitas internarum partium,hominis corpus reddit incolume:ſic timor Dei cupiditates coercet. Et uelut medulla irrigat oſſa:ſic timor Domini robur confert ad honeſtas actiones. Vtcunq; hæc omnia habeant,certum eſt,bonum nobis hoc loco inſigne à Deo promitti.

9 Honora Dominum de tuis opibus, & de primitijs omnis prouentus tui.

10 Et implebuntur horrea tua ſatietate, & torcularia tua muſto exundabunt.

11 Caſtigationem Domini non abominaberis fili mi, neq; faſtidiet te increpatio eius.

12 Quem enim diligit Dominus obiurgat, & tanquam pater in filio delectatur.

Hæc uerba duos inſignes locos cõtinent.Prior eſt,quomodo opibus ad gloriam Dei utendum ſit,qui ad diuites præcipuè ſpectat.Alter eſt,de patientia in afflictionibus, qui pauperibus & alijs oppreſsis potiſsimum inſeruit.

Deo aliquid dandũ ex noſtris opibus. Quod ad priorem partem attinet,*Honora*,inquit,*Dominum de tua ſubſtantia.*) Nõ loquitur tantum de eleemoſyna,ſed etiam de alijs pijs donationibus,& oblationibus.Hoc autem uult dicere:Si amplas opes poſsides,confer etiam Deo aliquid.Profitere te omnia quæcunq; habes à Deo accepiſſe,& gratiam refer.Quid habes,inquit Apoſtolus,quod non acceperis? Fruſtrà terram

terram coleres, negotiationem exerceres, & rei familiari dares operam, nisi Dominus sua adesset gratia. Apostoli tota nocte frustra laborabant, donec Dominus successum dabat, Luc. 5. Opes igitur Dei donum sunt, nec parantur nostra cura & industria. Mox ab origine mundi (iussu nimirum mandatoq; Dei) Cain ex frugibus terræ, Abel uerò è grege suo pecus obtulit Deo in holocaustum. Idem alij quoq; patres fecerũt. Sub Mose Dominus sacrificia distinxit, & certa mandata de sacrificiorum ritib. præscripsit, eosq; obseruari uoluit. Requisiuit item à suo populo decimas, primitias (quarum hoc loco fit mentio) primogenita & alias oblationes: cum alias ob causas, tum ut cultus Dei externus inde conseruaretur, Leuitæ & sacerdotes sustentarentur, ædificia sacra reficerentur, pauperes item alerentur.

Tametsi uerò lex ceremonialis, unà cum sacerdotio Leuitico abrogata sit, certum tamen est, ad conseruandum sacrum ministerium, & alendum pauperes, opes esse necessarias. Ex Act. Apost. liquet, primitiuam ecclesiam opes habuisse. Quidam enim agros suos, uineas, domos, & pecunias ad conseruationem pauperum, & rerum ecclesiæ necessariarum conferebant. Postea principes, nobiles, ciues & rustici ecclesiæ multa legarunt ac donarunt, memores huius præcepti: Honora Dominum de substantia tua. Quod si quis ecclesiæ uel reipublicæ aliquid debet, puta decimas, annuos redditus, & alia huius generis, bona fide persoluat. Hoc enim leges postulant. Nulla etiam cogente necessitate, aut lege requirente, sponte ad cultum Dei aliquid contribuere debemus. Quod si non placet ministris aliquid conferre, uel scholis, confer aliquid Xenodochijs, leprosarijs, uiduis, pupillis, peregrinis, & alijs afflictis hominibus. Sic enim Deum glorificabis ex tuis opibus, qui tametsi nostris rebus non indiget, imò nihil habemus quod non ex ipsius manu accepimus: tamen si in pauperes benefici sumus, sibi impensa esse officia illa interpretatur. Christus mox moriturus, diligentissimè nobis pauperes commendauit. Dolendum profectò est, quòd homines olim in simulachra diuorum sumptus infinitos fecerunt: nunc uerò in uiua Dei simulachra, ubi nusquam melius poni possent, nullos faciunt: in insanas quoq; substructiones monasteriorum multum contulerunt, nunc ministris Christi uix teruntium conferunt. Honoratur etiam Deus à nobis non tantum quando aliquid conferimus uel ad conseruationem ministerij, uel pauperum: sed etiam quando diuitijs rectè utimur: quando non inanes, sed necessarios sumptus facimus.

Dominum, dicit, *honora.*) Dei, non nostra gloria spectanda est in collationibus, non captanda à nobis aura propularis. Multi nihil aliud quærunt, quàm nominis sui celebritatem, quemadmodum de multis fraudationibus manifestum est. Christus eos reprehendit qui in eleemosynis suis hoc uenantur, ut glorificentur ab hominibus, Matth. 6. Videndum etiam ut secundum Dei uoluntatem demus, alioqui non honorabimus ipsum. Non quæuis donatio propter Deum ipsi placet, ut si in missas, simulachra & eiusmodi multa alia conferas: sed cum ita conferimus, ut nomen Domini magis innotescat & sanctificetur. *Quid spectandum in donationibus pijs.*

Expendendum item quod dicit, *De tuis opibus, & primitijs omnium frugum tuarum.*) De tuis opibus & iustè quæsitis, non alienis Deo offeras. Non uult Deus ut malis artibus diuitias cumules, & postea ipsi partem conferas. Negat enim apud Isa. 61. sacrificia ex rapinis sibi placere. Infrà cap. 21. dicet, hostias impiorum abominabiles esse, quæ offeruntur ex scelere. De hac re quædam etiam Ecclesiastici 34. & 35. leguntur. Iere. 7. cap. populum grauiter accusat, quòd cum turpissimè uiuerent, se in templum tanquam latrones in speluncam suam reciperent, existimantes per templi religionem, per uictimas, & cultum externum, se tutos fore ab impendentibus malis. Quasi Deus accepta prædæ parte, delinire se pateretur. Hodie multi qui mercenaria militia, usuris & pessimis artibus ingentes thesauros cumularunt, sacellum aliquod ædificant, anathemata suspendunt, certam pecuniam sacrificulo numerant, pauperibus particulam aliquam decerpunt, putantes se suo functos officio, & à peccatis absolutos esse: sed longè falluntur. Deus enim uult ut pœnitentiam agamus, iniustas opes legitimis possessoribus restituamus (id quod Zachæus fecit) & deinceps cauentes ab imposturis & sceleribus, manibus nostris laboremus, quò non modò necessaria nobis suppetant, sed egentibus quoq; opitulari possimus. Peccarunt in hoc sacrifici, qui furto & rapinis partas opes ad se deferri iusserunt: ac tametsi eos à peccatis illis absoluerint, Dei tamen iudicio nondum satisfecerunt, nisi uiam quam uerbum ipsius nobis monstrat, fuerint ingressi. Addit, *De primitijs, uel melioribus* (Heb. enim uox etiam præcipuam cuiusq; rei partem significat) *Omnium frugum tuarum.*) Non tantum de uilioribus, Mal. 1. cap. Testari enim hac re debemus, nos fruges ex Dei manu accepisse. Confirmat hic locus etiam proprietatem rerum. *Quid dandum sit.*

Non aũt præscribit quantũ dandum sit: difficile enim est certum modum præscribere. Si non sis fide & charitate uacuus, facilè intelliges quantum dandum sit: uide capite 4. Tobiæ. *Quantum dãdum sit.*

Peccant contra hoc præceptum, qui ea quæ ciuilibus etiam legibus dare tenentur, uel non dant, uel malignè dant. Deinde qui facultates ab alijs ad conseruationem ministrorum & pauperum iam pridem collatas, in alios usus conuertunt, furantur, aut malignè dispensant. Item diuites auari qui pauperibus nihil de suis diuitijs conferunt, nec aliàs ijs rectè utuntur.

Præmia liberalitatis.

Dicis, Quòd si opes meas Deo conferam, quid mihi & meis liberis reddetur? Promissionem amplissimam subijcit. *Implebuntur horrea tua satietate.*) hoc est, frugum copia, unde & tu & familia tua saturari poterit. Et, *Torcularia tua musto exundabunt.*) uel rumpentur. Ne perijsse putes quæ Deo offeruntur. Tantæ est bonitatis ut retributionem promittat, si de bonis ab ipso gratis acceptis, aliquid in pauperes contulerimus. Promittit autem magnam abundantiam rerum. Experientia certè docet, eos qui persoluunt quod debent, & munifici sunt in pauperes, sæpe alijs ditiores reddi. Malachiæ 3. capite, fertilitas promittitur populo, si liberaliter uectigalia sacra persoluant. E diuerso uidemus illos qui non dant quod debent, & alios fraudant, ad extremam sæpe pauperiem redigi. Haggeus dicit causam cur fruges malignè proueniant hanc esse, quòd non soluerint quæ templo debebant. De sacrilegis multa extant in historijs exempla, quomodo sceleris sui pœnas dederint. Quòd si in hoc seculo hæc non fiant, tamen beneficos remunerabit Deus in futura uita: satiabuntur gloria, & uino gratiæ Dei recreabuntur. Non quòd nostris operibus uitam æternam mereamur: soli Christo hæc laus debetur. Gratia Dei primum opes acquirimus, deinde benefici reddimur, ex gratia quoq; nobis merces promittitur.

Patientia in afflictionibus.

Locus ad Hebr. 12. cap. explicatur.

Secundus locus est de patientia in afflictionibus: qui ualde utilis est & necessarius, præsertim in tristi illa mundi senecta, in qua uelut fluctus fluctum trudit: ita una calamitas alteram excipit. Omnes autem natura queruli & impatientes sumus. Hunc locum adducit Paulus ad Hebr. 12. cap. & sequitur uersionem septuaginta interpretum, quod mirum alicui uideri potest, cum scribat Hebræis. Verba eius hæc sunt: *καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως, ἥτις ὑμῖν ὡς υἱοῖς διαλέγεται, υἱέ μου, μὴ ὀλιγώρει παιδείας κυρίου, μηδὲ ἐκλύου, ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐλεγχόμενος· ὃν γὰρ ἀγαπᾷ κύριος, παιδεύει· μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν ὃν παραδέχεται*, id est: Obliti estis exhortationis, quæ uobis tanquam filijs loquitur: Fili mi, ne neglexeris castigationem Domini, neq; animo deficias, cum ab eo argueris. Quem enim Dominus diligit, castigat: flagellat autem omnẽ filium quem recipit. Postquam Paulus cap. 11. tractauit de fide, subiungit adhortationem ad patientiam, quæ fructus est fidei, uaria afferens argumenta, ab exemplo sanctorum, ab exemplo Christi, item quòd nondũ satis perpessi sint. Postea subiungit hũc locum ex Solomone: Obliti estis exhortationis uel consolationis, ut uetus interpres habet. (*παράκλησις* enim utrunq; significat.) Possunt hæc uerba etiam interrogatiuè legi.

Non reijcienda correctio Domini.

Fili mi.) Blanda & suaui appellatione utitur, ut penitus in animos nostros penetret. *Ne neglexeris castigationem Domini.* תמאס maas significat cum fastidio quodam aliquid reijcere, cõtemnere, abominari. Castigationem uel disciplinam Domini uocat, quia Dominus immittit. Nõ casu nobis accidunt aduersa, neq; enim diabolus, uel mundus obesse nobis possunt, nisi Domino ita uisum sit. Ne passer quidem in terram cadit, absq; nutu patris cœlestis, Matth. 10. *Neq; deficias animo cùm ab eo argueris.*) In Hebræo legitur: *Neq; tædio afficiaris propter increpationem uel correctionem eius.* תקץ koz significat angustijs affici, affligi, horrorem, fastidium & nauseam habere. Sensus est: Si tibi Deus immittit calamitatem aliquam, puta morbum, paupertatem, contemptum: ne feras impatienter, nec cum ipso expostules, neq; ad uias illicitas ex malis euadendi te conuertas: sed æquo animo suscipe, & auxilium diuinum pete & expecta.

Deus amat homines quos castigat.

Rationem reddit: *Quem enim diligit Dominus, hunc corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.*) In Hebræo est, *Et sicut pater filium ualde amat.*) Dominus non idcirco calamitates nobis immittit, quòd nobis malè uelit: sed potius quòd nos amet. Res declaratur exemplo. Sicut pater filio quem amat non semper blanditur, non subinde munuscula dat: sed interdum eum castigat, & castigando eum, sibi complacet in eo, nec ex odio castigat, ut eum interficiat, sed ad hoc, ut filium habeat in quo sibi complaceat: ita si Deus nos castigat, conijciendo in publica uel priuata mala, non est argumentum auersi Dei, quemadmodum diabolus interpretatur: sed potius paternæ ipsius beneuolentiæ. In Hosea tanquam præsens ultio ponitur, quòd eos non castiget. Paulus 1. Corinth. 11. dicit, eos puniri ne cum mundo iudicentur. Dauid gratias Deo agit propter castigationem.

Deus impios quoq; castigat.

At scriptura, inquis, sæpe docet, & experientia confirmat, impijs quoque afflictiones immitti. Respondeo, Solomonem & Paulum de pijs loqui, in quibus sunt signum dilectionis Dei. Hortatur nos Petrus, ne affligamur ut fures, & adulteri, &c. nihilominus tamen si electi incidant in horrenda scelera, & castigentur, signum est beneuoli Dei.

Bonis enim omnia in bonum cooperantur. In impijs afflictiones sunt argumentum irati Dei, malis enim omnia in malum. Quemadmodum è contrario, si eis omnia ex animi sententia succedant, signum est irati Dei: dabunt enim in futuro seculo pœnas, Iacob. 5. Quandiu parentes liberos castigant, bene habet, solliciti enim sunt de ipsorum salute: quamprimum eos sibi permittunt, parum boni ab eis expectant. Multæ autem sunt utilitates, ob quas Deus suos uarijs calamitatibus exercet. Vide hac de re epistolam 22. D. Aug. ad Victorianum, in qua eum hortatur ut patienter ferat mala, quæ Barbari in Italiam & Hispaniam incursiones facientes, sanctis inferebant.

Ex his uerbis Solomonis Paulus multa deducit, & similitudinem patrum qui filios castigāt, pulchrè illustrat. Si castigationem inquit, sustinetis, Deus uos ut filios amplectitur. Deinde communem hunc morem esse ostendit, ut patres saltem prudentes, liberos castigent, quos alioqui uix ac ne uix quidem, ad frugem peruenturos intelligunt. Deus itaq; hoc remedium non negliget. Addit, si immunes esse uultis à castigatione, non estis legitimi filij. Omnes enim participes sunt castigationis. Adhęc si carnalis patris castigationem reuerenter pertulimus, quantò patientius ferenda est castigatio patris spirituum, qui animas & uitam spiritualem nobis concedit? Confert item patres carnales cum spirituali. Illorum castigatio ad præsentem tantùm uitam confert: Dei uerò ad uitam æternam nos sanctificat. Non quòd afflictiones propriè sanctificent, sed quia adminicula sunt ad sanctificationem. Rebus enim secundis non rarò Dei obliuio nobis obrepit. Adhæc parentes qui liberos castigant, modum aliquando excedunt, uel iræ impulsu eos castigant: Deus autem disciplinam suam optimè temperat. Molestum est castigari, inquis: Est quidem, at non præsentem castigationem, sed finem potius perpendere oportet, ac fructum qui tandem consequitur. In Apo. 3. cap. Christus etiam dicit, Ego quos diligo arguo & castigo. De qua sententia præclarè scribit August. in lib. 83. quæstio. cap. 82. disputans quomodo iusti multas molestias in hoc seculo patiantur, florentibus interea impijs, &c.

13 O felicem hominem, qui inuenit sapientiam, & qui educet intelligentiam.
14 Siquidem melior est negotiatio eius, negotiatione argenti, & auro optimo fructus eius.
15 Preciosior est margaritis, & omnia expetibilia tua non sunt æqualia ei.
16 Longitudo dierum est in dextra eius, & sinistra eius diuitiæ & gloria.
17 Viæ eius sunt uiæ iucunditatis, & omnes semitæ eius pax.
18 Lignum uitæ est ipsa apprehendentibus eam, & beatus est qui tenet eam.
19 Dominus in sapientia fundauit terram, formauitq; cœlos per intelligentiam.
20 Per scientiam eius ruperunt sese abyssi, & æthera stillabunt rorem.
21 Fili mi, ne recedant ab oculis tuis, custodi sapientiam, & cogitationem.
22 Erunt enim uita animæ tuæ, & gratia gutturi tuo.
23 Tunc perges confidenter uiam tuam, & pes tuus non impinget.
24 Cum dormieris nō pauebis, cum cubabis, dulcis erit somnus tuus.
25 Non timebis à pauore repentino, neque à desolatione impiorum, cum illa ingruerit.
26 Quoniam Dominus erit fiducia tua, & custodiet pedem tuum à captione.

Spiritus sanctus his uerbis duo tractat. Prius, est encomium sapientiæ: ostendit enim quæ sit eius dignitas & præstantia, quidq; boni ex ea sequatur. Alterum, est exhortatio ad studium sapientiæ. *Beatus* inquit, *homo qui inuenit sapientiam.* Per sapientiam intelligo ut suprà uerbum Dei, atque adeò ipsum Christum, sapientiam patris. Non autem putandum est, quòd nostris uiribus inuestigari & inueniri possit: Dei donum est. *Et qui educit, uel profert in lucem, intelligentiam,* hoc est, qui eam assequutus candidè alijs etiam communicat. Qui notitia

Christi prędıtus est,alios etiam docere debet,suo tamen modo. Nemo enim ecclesiastæ munus temerè usurpare debet,nisi ad hoc sit uocatus. Multi sunt qui beatos illos putant,qui opibus & uoluptatibus huius mundi abundantes,quàm minimũ solliciti sunt de studio uerbi Dei:infelices ac miseros esse illos,qui diu noctuq; uerbum Dei meditantur,& præcepta Dei uita sua exprimere conantur: sed toto cœlo errant.

Precium uerbi Dei. Sapientia præfertur auro,argento, gemmis uel preciosis lapidibus, chrysolito,smaragdo, topasio,&c.Imò omnibus alijs rebus quæ desyderantur & maximi fiunt, ut cibus,potus,uestitus,&c.Psaltes etiã uerbũ Dei rebus quibusuis maximis, & nobilissimis prætulit. Psal. 19, Præcepta tua desyderabiliora sunt,inquit,auro obryzo & multo.Et Psal.119, Dilexi mandata tua supra aurum & topazium. Hæc enim omnia fluxa & caduca sunt,cœlestis sapientia clara æternaq; habetur. פנינים peninim ꝓpriè margaritas seu uniones significat. Veteres testãtur eas olim in maximo precio fuisse. Plinius dicit,Principiũ culmẽq; omniũ rerũ precij margaritę tenent. De Cleopatræ luxu idẽ scribit,quòd unionem qui centies sestertium ualebat,aceto dissolutum in conuiuio absorpserit. Nostra ætate multis alijs gemmis postponuntur. Vide de hac re clarissimi uiri Conradi Gesneri historiæ de aquatilibus librum 4. Mirum profectò est,homines tam cæcos & stupidos esse, ut tanto studio cum iactura uitæ & animę interdum, terrena hæc inquirant: interim tamen parum,aut nihil solliciti sint de nobilissimo & preciosissimo thesauro, cuius comparatione quæcunq; hominibus magna uidentur, planè sordescunt. Quin potius illum mercatorem imitari debebant, de quo Matth.13.legitur,quòd diuenditis suis possessionibus, margaritam illam uerbi & sapientiæ Dei mercatus sit. Discendum etiam est,non metuendum esse,ne nos terrenarum opum iacturã facere oporteat, modo thesaurum uerbi diuini retineamus, qui ab hominibus nobis eripi non potest. Quàmdiu enim illum habuerimus,diuites erimus & beati. De Biante philosopho legimus,quòd rogatus cur ex incendio patriæ nihil rerum suarum exportaret,quemadmodum alij ciues? responderit:Ego omnia mea bona mecum porto,significans sapientiam. Quantò magis nos Christiani, de uera sapientia hoc affirmare possumus?

Marga-ritæ.

Longitudo dierum est in dextra eius.) Nemo est qui non quàm diutissimè uiuere cupiat: mortem omnes fermè perhorrescimus,tametsi eam interdum optare uideamur. Sapientia autem præstat longæuitatem uitæ: ut suprà quoque annotaui. Multi diutius uiuere potuissent, si sapientiæ præceptis aurem præbuissent. Inuidi seipsos conficiunt,ebrij ante tempus pereunt,contentiosi sæpe dant pœnas, scortatores aliquando phyltris perduntur,magi à satana iugulantur,multi facinorosi gladio magistratus è medio auferuntur. Etiamsi autem diutius uiuant,tamen uita eorum mors uerius appellanda est,quia conscientia scelerum subinde exagitantur. *In sinistra eius diuitiæ & gloria.* De hoc nihil iam dicam, quòd Deus sui uerbi studiosis,magnas sæpe opes contulit, uelut Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & alijs sanctis patribus: hoc tantum annotabo, quòd pij & fideles exiguas opes possidentes, sunt diuites: contenti enim sunt rebus præsentibus: præterea ipsi opes possident, nec quemadmodum auari,ab opibus possidentur. Adhæc thesaurum suum habent in cœlis. Dauid Psalm.16. suum describens thesaurum, Dominus ait, pars hæreditatis meæ. Gloria etiam ornantur pij. Nam quemadmodum umbra corpus: sic gloria uirtutem sequitur. Impij quoq; uirtutes in alijs amant & suspiciunt, cumque ipsi turpiter uiuant, cupiunt tamen plerunq; filios suos uirtute esse conspicuos.

Sapientia longæuos facit. *Pij sunt diuites.* *Sapientia gloriosos facit.*

Viæ eius sunt amœnæ.) Viuendi ratio quam sapientia præscribit, amœna est & suauis. Primo aditu uia eius est ardua & difficilis : seruire Christo , & uiuere secundum Euangelium eius, carni magnum uidetur onus esse: sed si quis primam difficultatem superarit,& aliquousque in uia Domini progressus fuerit, uidebit uiam esse amœnissimam. Via quam stultitia monstrat, prima specie blanda est, sed tandem in multa & magna mala præcipitat. Hæc multis exemplis possunt declarari. *Omnes semitæ eius pax.*) Præcepta & instituta sapientiæ,ad pacem nos deducunt,ita ut tumultus, quibus sine fine iactamur,in nobis considerant,& uera tranquillitas in animis nostris oriatur. Scimus enim nos propitium & placatum habere Deum. Deinde cum proximo pacem etiam colimus,& æternam pacem ac quietem auidè expectamus.

Lignum uitæ. *Lignum uitæ ipsa est apprehendentibus eam.*) Alludere uidetur ad lignum, hoc est, arborem uitæ, quæ fuit in medio paradisi, Gen. 2. Quemadmodum Deus herbis & radicibus quibusdam uim medicam indidit: ita arborem produxerat, cui ea uis inesset, ut si primi nostri parentes ex eius fructibus comedissent, senium & morbos repelleret, ac uitam conseruaret. Postquam uerò propter peccatum paradiso pulsi sunt, accessus ad arborem uitæ,uisibili impedimento interclusus est,ne fructus eius gustaret,Gen. 3. Sapientię nunc beneficio

neficio denuò restituitur, quod primi nostri parentes Adam & Eua per inobedientiam & sibi & posteris perdiderunt: non quòd morti amplius obnoxij non simus: sed quòd post mortem, per Christum uitam æternam consequamur. De hoc loco uide August. lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 3. & 4. *Beatus est qui eam tenet.*) Vtut mundus eum infelicem & miserum iudicet. Notandum autem est, quòd dicit, *qui eam tenet:* non qui eam uel aspernatur, uel ore tantum iactat, quemadmodum hypocritæ faciunt.

Subijcit nunc, per sapientiam mundi machinam conditam esse. Cœlum & terra non casu extiterunt, nec ab æterno fuerunt, ut quidam philosophi somniant: sed Deus æternus pater, cum filio, & spiritu sancto, ex nihilo, non ex præiacente materia condidit. Ioan. 1. Omnia per ipsum, nempe filium, facta sunt. Psalm. 32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Nec tantum condidit, sed gubernat & conseruat. *Terram fundauit.*) id est, in medio mundi immobiliter posuit. Psalm. 93. Iob. 38. Quando terram nominat, comprehendit omnia Dei opera in terra, animalia, plantas, gemmas, &c. Per cœlum omnes res creatas quæ cœlo continentur, luminaria illa magna, & parua, quibus cœlum ornauit: ut interim nihil dicam de beatis spiritibus. *Per scientiam eius ruptæ sunt abyßi.* Hoc quidam intelligunt de separatione aquarum à terra, quam Dominus à principio creationis fecit, ut homines & bestiæ terram commodius incolerent, quæ instar spongiæ fuerat aquis immersa. Quidam accipiunt de fontibus & fluuijs qui passim ex terra erumpunt, ut è nostris alpibus Rhenus, Ticinus, Rhodanus. Glossa intelligit de eruptione aquarum, facta in diebus Noe, quando genus humanum uniuersali diluuio interijt. Hæc omnia sunt eximia Dei opera. *Cœli stillant rorem.*) Solis ardore, uapores & exhalationes ex aquis educuntur, densanturq; in aëre: hinc fiunt nubes, ex quarum resolutione imber & ros gignitur. Hic alia etiam Dei opera cogitanda sunt, quorum diligens & assidua consyderatio, nos in cognitionem Dei introducere debet. Valeant illi qui simulachra nobis inspicienda proponunt, quibus ad Dei cognitionem perducamur. Cæterum magna laus est sapientię, quòd per eam non modo uniuersa condita sunt, sed etiam conseruantur & sustentantur.

Per sapientiam mundus est conditus.

Sequitur iam secundo loco exhortatiuncula ad studium sapientiæ, ducta ex superioribus. *Fili mi, non recedant ista ab oculis tuis.*) Hæc subinde in conspectu habenda sunt, nempe quæ de creatione & gubernatione mundi deq; commodis diximus, quæ sapientia largitur. *Custodi sapientiam* uel *legem, & cogitationem.* Veram hanc sapientiam amplectere, & subinde cogita quæ de sapientia hoc loco prædicantur. De utraq; uoce suprà dictum est.

Exhortatio ad studium sapientiæ.

Addit quæ utilitas eos maneat qui uerbo Dei, & eius consilio obtemperant. Promittit uitam, gratiam & securitatem: sed singula paulò diligentius inspicienda sunt. *Erunt uita animæ tuæ.*) hoc est, bene habebit anima tua. Vel de uita temporali & æterna, quam sapientia confert, iterum loquitur. *Et gratia gutturis tui.*) Grata erunt quæ loqueris. Glossa dicit, Dulcia erunt, & adducit locum Psalm. 33, Gustate quàm suauis est Dominus. Præterea securitatem promittit contra omnia pericula, quæ uel domi agenti, uel iter facienti, nec non dormienti uel uigilanti accidere possunt. *Tunc perges confidenter uiam tuam.* Si iter tibi faciendum sit, non metues latrones uel malas bestias. *Pes tuus non impinget.*) Feliciter iter tuum conficies. Scriptura per pedes affectus quoq; intelligit. *Cum dormies non pauebis: sed dormies, & dulcis erit somnus tuus.*) Sciunt fideles se Domini esse, siue dormiant, siue uigilent: ideoq; securè dormiunt. Deinde quia uirtuti student, meliora somnia uident. Impiorum uerò animus etiam in somnis iactatur, & non conquiescit: uigilantes enim mala cogitant quæ perficiant. *Non timebis à pauore repentino.*) Mala quæ de improuiso homines obruunt, uehementer eos percellere solent, ita ut sæpius quo se uertant nesciant: sed ueræ sapientiæ studiosi, rebus florentibus mala expectant: interim in dulci consyderatione prouidentiæ Dei ueluti in portu conquiescentes. Naturalis uerò timor si certis metis cohibeatur, non est peccatum. *Neq; à uastitate uel desolatione impiorum.*) Pij non consternantur, tametsi impij omnia populentur & uastent. Sciunt enim eos non ulterius procedere, quàm Deus eis permiserit, aut pijs utile fuerit. Vel, sensus est, pijs non metuendum esse ne euertantur ut impij.

Causam subijcit securitatis piorum. *Quoniam Dominus aderit lateri eorum.* In Hebr. legitur, *Erit fiducia tua: & custodiet pedem tuum à captione.*) Multi gloriantur affinitatibus, fœderibus principum, munitionib. locorũ, & alijs huiusmodi: at sciunt Deum sibi adesse. Si Deus pro nobis (inquit Apostolus) quis contra nos? Regius propheta Dauid in multis psalmis testatur, se non curare potentiam hostium, cum Deum à suis partibus stantem habeat. Idem iudicant omnes pij. Si uerò Deus, suos patiatur lædi, in bonum eis cedit, modò patienter ferant. Contemptores uerò sapientiæ nihil non metuunt, ex se enim alios metiuntur: noctu cum alij quiescunt, ipsi de insidijs quas pijs tendant, & patrandis sceleribus cogitant: quẽadmodum




ſequenti capite audiemus: in ſomno etiã affliguntur, cũ uident ſcelerum uindictã à ſe exigi.

27 Ne prohibeas bonum à dominis ſuis, quando manus tua fuerit ad eum, ut poſsis.

28 Ne dicas proximo tuo: uade, reuertere, & dabo cras, cũ ſit tecum.

29 Non machineris contra proximum tuum malum, ille enim confidenter tecum habitat.

30 Non contendas cum homine fruſtra, ſi ipſe tibi non retribuit (malum.

31 Non æmuleris, *uel imiteris* uirum rapinæ, neque eligas ullam uiarum eius.

32 Nam maledictio Domini eſt apoſtata: cum rectis autem eſt arcanum eius.

33 Maledictio Domini eſt in domo impij: habitaculo autem iuſtorum benedicit.

34 An non illuſoribus ipſe illudit, & manſuetis dat gratiam?

35 Gloriam ſapientes hæreditant: ſtulti autem ſuſtinent ignominiã.

In calce huius capitis multa præcepta ponuntur, ualde ſalutaria & neceſſaria. Poſſunt autem ad duo ferè capita reduci. Quædam enim ad charitatem pertinent: quædam impiorum æmulationem uetant. *Ne prohibeas bonum à Dominis ſuis, cum ſit fortitudo manus tuæ ad faciendum.*) à dominis ſuis, hoc eſt, ab his qui indigent beneficio. Vel ab his qui beneficium præſtare poſſunt. Simpliciſsimus huius loci ſenſus uidetur hic eſſe: Ne impedias alium qui indigenti benefacere cõſtituit, etſi facilè poſsis. Ex lege enim teneris, quantũ potes, iuuare proximum opibus proprijs: ſi non potes, debes ſaltem pro eo occaſione oblata, apud alios intercedere. Magnum nunc eſt peccatũ, ſi non modo indigẽtibus ipſe nihil cõferas: ſed alios qui cõferre parati erant, retrahas: dicendo, Serua hæc tibi tuisq; liberis: malè peribit quod alijs impendis: ſerua hæc aduerſis temporib. Ita etiam cùm quis proximũ de rebus diuinis erudire cupit (eſt enim & hoc genus eleemoſynæ, quam ſpiritualẽ nominãt) ne obſiſtas illi. Chriſtus phariſæis & ſcribis Luc. 11. exprobrat, quòd ipſi in regnũ Dei introire non modo recuſent: ſed & alios introire cupiẽtes impediant. Hoc peccatum hodie uulgare eſt inter proceres eccleſiæ, qui in comitijs & alibi, omnẽ mouent lapidem, ne populo pura doctrina proponatur. Ipſi nolunt docere, nec poſſent pleriq;, & alios qui libenter docerent, nõ tantũ impediũt, ſed & igne torrent. Alij putãt hunc eſſe ſenſum: *Ne ſubtrahas bonum à dominis ſuis*, hoc eſt, ab ijs ad quos tanquã dominos pertinet, cum poſsis benefacere. Diſpenſatores enim bonorum nos Deus conſtituit, ut ex illis pauperibus benefaciamus. Quidam dicunt præceptum eſſe iuſticiæ, ut hero ſi poſſumus, rem ſuam reſtituamus. Poteſt hæc ſententia etiam ad alia accommodari.

Non impediendi ſunt qui proximis benefacere uolũt.

Non dicas proximo: uade, reuertere, & dabo cras, cum ſit apud te.) ſcilicet quod tribuas. Docet hæc ſententia, non ſolum dandum eſſe, ſed citò: prohibet dilationem, tam in debitis quàm in gratuitis. Si amicus, uicinus, aut alius qui ope indiget (nam quis nomine proximi intelligatur, ex parabola Samaritani, & eius qui in latrones inciderat, Luc. 10. cap. manifeſtum eſt) beneficium à te petit, ne uana ſpe eum lactes: ſi uis, da ſtatim ei quod poſtulat. Notum eſt illud, Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. Seneca dicit, Ingratum eſt beneficium quod diu inter manus dantis hæſit. Si non potes, uel non uis eum iuuare, admone eum, ut alios quærat. Sunt multi qui cùm non poſsint opitulari amicis, opem tamen ſuam eis polliceantur, falſisque pollicitationibus eos lactent: uolunt enim uideri. Deinde ſunt qui cùm nolint iuuare proximum, tamen præ ſe ferant neſcio quid. Sunt item qui etſi poſsint & uelint, tamen difficiles ſe præbent, & uix magnis precibus tandem adducti, proximos ſubleuant. Phocylides ex hoc loco uidetur mutuatus præceptum illud:

Bis dat, qui citò dat.

πτωχῷ δ' εὐθὺ δίδου, μηδ' αὔριον ἐλθέμεν εἴπῃς.

Idem docet, melius eſſe exiguum dare, ſed celeriter & libenter, quàm magnum tardè & coactè. Ouid. lib. 3. de Ponto.

Gratiaq; officio, quod mora tardat abeſt.

Cum ſit apud te.) ad uerbum: *& eſt tecum*, hoc eſt, potes eũ iuuare. Quidã ſic intelligunt: ne dicas, *eſt tecũ, uel tibi*, hoc eſt, cur à me petis, quæ tibi ſuppetũt? ditior es quã ego. Sed prior ſenſus uidetur ſimplicior. Baſilius dicit, Audi ô homo Solomonem: Ne dicas, reuertere aliàs, & cras tibi dabo, cum poſsis beneficium præſtare: neſcis enim quid craſtinus dies pariat. O' quæ præcepta contemnis, & triſtitiam ac grauitatem præ te fers, declinans obuios, ne quid uel modicum expendere cogaris. Vnam hanc uocem noſti, cum nihil habeam nihil dabo, pauper

per

per enim sum. Atqui uerè pauper es, & inops omnis boni: inops fidei erga Deum, inops benignitatis, inops spei. Quin impertiris fratribus tuis ea, quæ aliter à tineis erodentur? Pessimum illud auaritiæ genus est, ne corruptioni quidem ad breue tempus obnoxia, indigentibus communicare, &c.

Ne machineris contra proximum tuum malum, quando ille confidenter tecum habitat.) Docet bona fide cum illis agere, qui nobis bene fidunt. Iniustissimum & turpissimum est illis insidiari, qui nihil sinistri de nobis suspicantur, seq; à nobis putant diligi. Si quis arcana in sinum tuum effundat, ne prodas in eius exitium. Si quis pecunia proposita, tuam te portionem iubet accipere, eum ne fallas. Si quis egens auxilio ad tuam fidem & beneuolentiam confugiat, ne deseras eum. Laert. lib. 4. cap. 1. scribit, Xenocratem passerem qui fugiēdo imminentem accipitrem, se in sinum eius coniecerat, protexisse, ac demulcendo dimisisse, dicens: Innocentem & supplicem non esse prodendum. Hesiodus in Ergis dicit, non minus peccare, qui supplicē, quàm qui hospitem lædit, &c. Deus per prophetā Amos, Ascalonitis & Tyrijs pœnam denunciat, quòd cùm tempore belli quidam ad eos confugissent, opemq; quærerent, ipsi hostibus eos prodiderint. Vide Esa. 16. quid Moabitis propheta minetur, quòd ad se confugientes Iudæos non protexissent. Cumq; multa eis exprobrare potuisset, hoc inprimis cōmemorat. *Qui nobis bene fidūt, non sunt lædendi.*

Ne contendas cum homine sine causa, si tibi ille non retribuit malum.) Cum proximo nulla ab eo iniuria læsus, ne disceptes: nō quòd qui læsi sunt, suas iniurias persequi & uindicare debeant. Christus enim seruator noster, Luc. 6. Diligite, inquit, inimicos uestros, benefacite his qui oderūt uos: benedicite maledicentibus uos, & orate pro calumniantibus uos, &c. Vltimam particulam huius sententiæ Solomonicæ, *Si non rependit tibi malum.*) ad hunc modum possumus accipere: Si non sequutus fueris meum consilium, aut aliquid simile, malum tibi retribuet. Ideo Zuinglius hunc uersum reddidit: *Ne temerè litem cum quoquam suscipias, quo minus superior factus, malum tibi retribuat.* Docet, ne temerè cum proximo nostro altercemur, aut iure agamus. Sunt enim homines qui quauis de causa cum aduersarijs suis in iudicio litigant, & aliorum simplicitate abutuntur: glorianturq; se causam etiam malam uincere posse. Abbas quidam Heluetius interrogatus, cur toties in iudicio disceptaret, cum sciret se causam sæpe non bonam tueri: respondit, se imitari pueros, qui prætereuntes nucem arborem, saxis & lignis peterent, experirenturq; num quæ nuces deciderent. Præstat interdum iniuriam pati, quàm in iudicio contendere. Iusti enim iudices sæpe falluntur: & qui causam malam defendunt, suffragijs interdum uincunt. Hinc immodici sumptus, inimicitiæ, & multa alia mala, &c. Quod si res maximi momenti incidat, nihil uetat in iudicio causam agere. Sententia hæc non tollit correctionem & increpationem fraternam, de qua Matth. 18. cap. *Non temere cum aliquo contendendum.*

Ne æmuleris uirum uiolentum.) Ne cruciet te, ne sis impatiens, ne'ue inuidiam concipias erga uiolentos homines, qui ueræ doctrinæ amantes persequuntur: item impostores, usurarios, iniustos milites, si prospere eis omnia eueniant. *Neque eligas ullam uiarum eius.*) Ne exemplum eorum imitandum tibi proponas: ne spe aliquorum commodorum, studijs & moribus similis ipsis euadas: committe eos iusto Dei iudicio. Rationem subijcit: *Quia abominatio Domini est peruersus, uel apostata, qui recedit à lege.* Dicis, Illi homines uulgò felices prædicantur, & in magno sunt precio: At Dominus abominatur eos. Abominatio est, quod offendit sensus. Si tibi quis exosus est, oculos ab eo auertis, horres conspectum eius: ita Deus homines illos auersatur. Distinguenda autem est defectio, duplex enim est: altera est salutaris, altera perniciosa. Salutaris est si à falsa religione ad ueram, à sceleribus ad uirtutes nos transferimus, &c. *Cum rectis est secretum, uel consilium eius.*) Deus pijs & studiosis diuinæ legis significat, impios illos sibi non placere, etsi prospera fortuna utantur, nec statim scelerum pœnas persoluant. Deinde alia etiam arcana, quæ eos scire interest, eis cōmunicat. Matt. 11. Quemadmodum nos aliquorundam consuetudinem refugimus, quosdam uerò tāta charitate complectimur, ut secreta eis communicemus: ita dicit Deum agere cum pijs. *Mali non imitandi.* *Apostatas abominatur Deus.*

At inquis, Impij interea rebus omnibus abundant, pollent authoritate, domum habent refertam preciosa suppellectile. Subijcit, *Maledictio Domini est in domo impij.*) Vxores, liberi, familia, possessiones impiorum infelices sunt, sæpenumero ad inopiam rediguntur: malè partum malè disperit. Quoties dicunt, Vtinam infelices hæ diuitiæ in profundum maris essent demersæ? In liberis coguntur multa indigna uidere: ideo autem liberi affliguntur, quia insolescunt propter opes paternas. Econtra, *Habitaculo iustorum benedicit.*) Etsi humilem casam incolas, tamen abundabis rebus necessarijs: familiam habebis frugi & concordem, conscientiam bonam: etiam in medijs malorum procellis exultabis in Domino. Hæc rident impij, stultos & insanos putant, qui huiusmodi uerbis fidem adhibent: subijcit itaque, *Verè illusoribus ipse uicissim illudit.*) Illusores sunt qui uerbū Dei contemnunt, & iudicia Dei omnesq; *Illusores.*

illos rident: qui cum ipsis, conculcata religione insanire nolunt. Si sequutus fuisses, inquiunt, aliorum exemplum & consilium, non ita iam egeres, &c. Tales homines ridebit Deus. De hoc in primo capite quædam diximus. Econtra, *Humilibus & mansuetis dat gratiam.*) Humiles uocat illos qui Deum timent, inuocant, & omnem fiduciam in ipso collocant. Hi tametsi ab illusoribus affligantur, Deum tamen propitium & fauentem habent. Septuaginta hanc sententiam ita reddiderunt: κύριος ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν. Et iuxta hanc interpretationem citatur hæc sententia in nouo Testamento, 1.Pet.5.Iaco.4.

Gloriam sapientes hæreditabunt, & stulti sustinebunt ignominiam.) Ad uerbum est, *& stulti eleuabit* uel *exaltabit ignominiam*, id est, Vnus quisq; ex stultis. Sensus est: Pij homines gloriosi sunt coram Deo & hominibus, ac tandem æternam gloriam consequuntur: unusquisq; uerò stultorum, hoc est, contemptorum ueræ sapientiæ, ignominia afficietur. Vel ipsi *extollunt ignominiam*, hoc est turpia facta, uel uirum indignum laude, per metonymiam. Perperá enim de rebus sentiũt: ne ergo moreris ipsorum iudicia. Non autem simpliciter dicit, acquirent, sed quod plus est, *hæreditabunt*, hoc est, proprio, perfecto, & perpetuo iure possidebunt, ut rectè annotat Pellicanus. Hæc omnia eò spectant, ne impios imitemur, ne'ue felicitate ipsorum offendamur. Nam ualde afficit non modo hypocritas, sed & ueros Dei cultores, si uideant impios florere: pios uerò uarijs calamitatibus & ærumnis exerceri. Quod etiam ex alijs multis scripturę locis patet, Abac.1.Malach.3. Iere.12.Psalm.37.& 73. In hoc etiam libro sæpe hac ipsa de re disputatur. Docemur autem hanc impiorum felicitatem instabilem esse. Exemplum habemus in diuite Euangelico Luc.16.& innumeris alijs. Non igitur malis exemplis moueri debemus ad perpetrandum mala: sed uerbum Dei semper habere in promptu, quod contra omnes tentationes nos munit & defendit.

CAPVT IIII.

AVdite filij eruditionem patris, & aduertite ut sciatis intelligentiam.

2 Nam doctrinam bonam dedi uobis: legem meam nolite derelinquere.

3 Fui & ego filius patris mei, tener & unicus coram matre mea.

4 Et ipse docuit me, dixitq; mihi, Suscipiat cor tuum uerba mea, custodi præcepta mea, & uiue.

5 Posside sapientiam, & acquire intelligentiam: ne obliuiscaris, neq; declinaueris à uerbis oris mei.

6 Non derelinquas eam, & te custodiet, dilige eam, & seruabit te.

7 Inprimis posside sapientiam, sapientiam inquam, & in omni possessione tua acquire intelligentiam.

8 Attolle eam, & eleuabit te: & si eam amplexus fueris, glorificabit te.

9 Dabit capiti tuo additamentum gratiæ, & quasi corona pulchritudinis proteget te.

10 Audi fili mi, & suscipe eloquia mea, & multiplicabuntur tibi anni uitæ.

11 In uiam sapientiæ direxi te, & duxi te ad semitas rectas.

12 Cum incesseris, non artabitur gressus tuus: & si cucurreris, non impinges.

13 Apprehende instructionem & non remittas: obserua eam, quia ipsa est uita tua.

14 In semitam impiorum noli ingredi, neque ambulaueris in uia malorum.

15 Execrare eam, & non transeas per eam: declina ab ea, & præteri.

16 Nam illi non dormiunt nisi malum perpetrarint, & rapitur ab eis somnus, donec (*aliquem*) impingere fecerint.

17 Comederunt enim panem impietatis, & biberunt uinum iniquitatum.

SALO-

ALOMON hoc capite iunioribus præcipuè, deinde omnibus hominibus, iterum multis modis & uerbis sæpe repetitis, sapientiæ studium commendat. Per sapientiam sæpe dixi uerbum Dei, atque adeò ipsum Christum, ueram & unicam Dei patris sapientiam intelligi. Similes exhortationes suprà quoque habuimus, ex quibus hæc uerba planiora erunt. Vtitur ordine aptisſimo.

Primum dicit, *Audite filij patris disciplinam.*) Patris scilicet cœlestis, uel meam. Aut hoc uult dicere, Si parentes uestri, aut quotquot parentum nomine cēsentur, uos instituunt, ac uel uerbis, uel uerberib. uos castigant, nolite uos immorigeros præbere, aut rebelles: quin potius in hoc incumbite, ut intelligentiam consequamini, hoc est, ut ea percipiatis quæ intellectu digna sunt & necessaria.

Secundo loco subijcit rationem: *Quia doctrinam bonam uobis propono.*) Non pœnitebit uos, si meo consilio obtemperaueritis. Doctrinam enim uobis utilem trado & necessariam, non ex meo crebro depromptam, sed à patre luminum inspiratam.

Tertio suum exemplum proponit, quod eo spectat, ut doctrinam conseruent, & à teneris sapere incipiant. Hoc uult dicere: Audite paterna monita sicut ego audiui, & fructum haud pœnitendum reportabitis. De hac exhortatione uide 1. Para. 28. cap. Nihil autem magis ad spem percipiendæ sapientiæ nos erigit (ut habetur in glossa) quàm cum eos quos iam in sapientia clarere miramur, aliquando paruulos & indoctos fuisse recordamur. Porrò Salomon utilia præcepta de studio sapientiæ in medium afferre optimè potuit, cum à teneris, ut aiunt, unguiculis, sub patre sapientisſimo, & prudentisſimo, sapientiæ operam impenderit. *Filius,* dicit, *patris mei cum essem, & matris meæ delicatus & unicus, uel primogenitus:* Non quòd Dauid ex Bethsabea plures filios non habuerit (quatuor enim nominantur, 1. Par. 3. qui Dauidi nati sint Hierosolymis, primus uerò quem ex Bethsabea suscepit, sine nomine, inquit Hieron. ante circuncisionem discesſit, quasi nunquam fuisset.) Sed sensus est, Tam charus matri fui, ac si fuissem unicus. Jch bin ein liebhärtlin vnd müterkindlin gewesen. Vnicis filijs plerunque pro libidine omnia permittuntur, atque ita pesſimi euadunt. Alij dicunt tres fuisse naturales filios Vriæ, adoptiuos uerò Dauidis. Ponit uerba patris quibus eum alloquutus est. Verborum hæc summa est: Ne pigeat te fili maturè sapientiam amplecti, uberrimum enim ex sapientia fructum percipies. Copiosè autem hanc sententiam, & pulchris uerbis exprimit.

Salomō est idoneus magister sapiētiæ.

Apprehendat uerba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & uiues.) Non solum audienda sunt, sed cordi inscribenda, & in memoria perpetuò conseruanda. Hæc omnia in superioribus capitibus sunt exposita. *Principio sapientiæ compara uel eme sapientiam.* Vel, *Principium sapientiæ est emere uel acquirere sapientiam,* id est, præcipua est & summa sapientia. Sic Eccle. 10. habetur, Principium dulcedinis fructus eius, id est, præcipua & summa dulcedo. *Et in omni substantia tua eme intelligentiam,* id est, omnes opes tuas expende pro intelligentia. Emendi uocabulo ostendit magnifaciendam: obuia enim parui pendimus: quæ autem emenda sunt, magnipendimus. Magnifacere autem sapientiam, non est paruum initium sapiendi. *Exalta eam.*) Non tantum eme, sed dilige & præfer omnibus rebus. Multa enim emuntur non ex dilectione, sed ex necesſitate, uel empta non diliguntur. Prima cura esse debet, ut ueræ doctrinæ primaria capita imbibamus. Idem Christi quoque est præceptum, Primùm, inquit, quærite regnum Dei, eiusque iusticiam, & reliqua uobis adijcientur. Lyranus ex R. Solomone hunc sensum depromit: Principium acquirendi sapientiam, est, sibi precio uel obsequio comparare doctorem, qui hoc loco sapientia dicitur.

Emenda est sapientia.

Quia uerò ratione utilitatis plurimum mouemur, primùm dicit, *Exaltabit te:* Deinde, *Glorificabit te,* iuxta illud 1. Sam. 2, Honorantes me uicisſim honorabo. Tertiò, *Dabit capiti tuo augmentum gratiæ.*) hoc est, gratiosum te alijs reddet. Quartò, *Corona decoris tanquam clypeo proteget te.*) De his suprà dictum est. Porrò euentus ostendit ueritatem huius admonitionis. Solomon paternum consequutus consilium, ad maximos & amplisſimos honores euectus, cumq; fratribus ipsius ex priuilegio ætatis regnum deberetur, diuino suffragio rex declaratus est: gratus insuper fuit & acceptus, non solum subditis, sed & uicinis populis & regibus. Breuiter, quàm diu in uera sapientia perstitit, felix fuit & fortunatus.

Discunt parentes hoc exemplo Dauidis, quid liberis suis, statim à primis annis inculcēt, nempe amorem ueræ sapientiæ. Non loquimur nunc de mundana sapientia: sed de cognitione potisſimorum capitum Christianæ doctrinæ. Extant autem plurimi libelli in omnibus linguis, unde hæc commodè peti posſunt. Deducendi sunt pueri in sacras conciones, postea interrogandi quid profecerint. Committendi etiam sunt fidis ludimagistris, qui non solum literas, sed & pietatem eos doceant. Ita enim ratio subducenda est: Si præstan-

Liberi à parentibus rectè instituēdi sunt.

tissimum illum regem Dauidem non piguit domi filios suos informare,cur tuo officio deesses? Filij nobis à Deo conceduntur,ut eos rectè educemus,& ipsi consecremus. Mouere nos debet magna utilitas quæ ex religiosa educatione,partim ad nos,partim ad liberos nostros, partim ad alios homines,totamq; rempub.redit:ratio item, quæ aliquando iusto iudici de liberis reddenda erit. Quod si tuum officium fecisti,liberi autem contumaces fuerint,non tibi fraudi erit. Sæpe enim fit ut pij parentes pessimos filios habeant, quemadmodum Samueli & Dauidi accidisse legimus.

Liberi maturè instituendi sunt. Maturè autem nō uerbis tantum,sed etiam uitæ exemplo instituendi sunt. Nam quemadmodum rami teneri facilè inflectuntur, equi canesq; adsuefiunt, morbi nondum inueterati curantur:ita pueri à teneris melius formari possunt. Veluti color nunquam eluitur, quo lana primum tingitur,uasculaq; diutissimè odorem quo primum sunt imbuta retinent: ita pueri illa retinent,quæ eis à prima ætate instillantur. Quantū institutio possit,Lycurgus suos Spartanos exemplo canum docuit,ut est apud Plutarchum.

Parentes illi grauissimè peccant, qui præpostero amore, liberos non statim erudiunt,sed eos liberè uagari sinunt,qui non modò ipsi eos non instituunt, sed nec alijs instituendos & erudiendos tradunt:qui toti in hoc sunt,ut liberis ingentes opes corradant,nec quomodo ijs utendum sit docent: maximè uerò qui eos non modò non bene instituunt, sed perdunt etiam inculcando eis mala:uestitu sumptuoso superbire docent, cibum & potū ætati non conuenientem ministrant,ad templa rarius ducunt,&c.

Liberorum officium erga parentes suos. Liberorum autem officium est, quemadmodum primus uersus docet, se parentibus suis obsequentes præbere. Cogitare enim debent,hoc esse præceptum Dei: nec esse quenquam, qui ipsis melius consultum uelit quàm parentes. Naturaliter enim hoc affectu præditi sunt erga liberos, ut eis quàm optimè consultum uelint, & ob diutinum rerum usum optimè eis consulere possunt. Plura hac de re cap.10.uersu 1.sequuntur.

Expositis his quæ à patre Dauide accepit,iam quarto loco redit ad commendationem sapientiæ & eius utilitatū. Vna est,uita longæua,de qua suprà diximus: altera est, quòd nos ex itinerum anfractibus & angustijs expedit, & in uiam latam ac expeditam deducit. Studiosi ueræ sapientiæ,non in illas angustias facilè rediguntur,ut nesciant quo se uertant: sed ex periculis facilè emergunt. Dauid psalmo 17,& alibi prædicat, quòd Deus eum in uiam latam eduxerit. Qui uerò sapientiam spernūt,in calamitatibus,erroribus & periculis,inopes sunt cōsilij,nec sese explicare possunt. Hoc plurimi sub Antichristo experti sunt,qui cùm uera sapientia destituerentur,se absconderunt in speluncis, & in petris montium, & dixerūt montibus, Cadite super nos:iuxta uaticinium Christi,Apoc.6.

Constantia. Est & alia utilitas,quòd currentes non impingent. Malum enim mundi exemplum,bonū ipsorum cursum non sistet,nec retardabit. *Teneto disciplinam, ne languescas, seu remittas.*) Iterum nos exhortatur ne abijciamus disciplinam, utpote rem maximi momenti, ne'ue remittētes, turpiter ab incœpto desistamus:perseuerantia enim requiritur.

Societas malorum. Quia uerò nihil est ueræ sapientiæ sectatoribus periculosius, quàm impiorum consuetudo,hortatur nos,ne quid commercij cum ipsis habeamus. Per impios,falsi doctores et alij homines corrupti & prophani intelligendi sunt. Non autem simpliciter dicit, Vita impiorum consuetudinem seu cōgressum,sed, *in uiam impiorum noli ingredi.*) Ne beatum te existimes, si illi homines te in amicitiam suam receperint,quo nomine sibi multi mirificè placent. Mox iterum dicit, *Desere eam,cessa ab ea,uel elonga te ab ea.*) Quę uox etiā abominari significat, sicut Munsterus uertit. Deinde, *deflecte ab ea.*) Quod si aliquandiu opiniones & mores eorum sequutus es,emenda uitam. Addit, *transi.*) longè recede,ne te in uiam suam reuocent. Vsu comperimus multos adolescentes,malis illis exemplis,à uia uirtutum abstractos esse.

Impiorum descriptio. Describit autem illos homines,qui & quales sint. Primum dicit, eos ne somnum quidem capere,ni malum aliquod dederint,& impingere uel offendere aliquem fecerint. Pij peruigiles noctes ducunt,cogitando quomodo ueram doctrinam propagare possint, & reipublicæ inseruire:illi autem ut ueram religionem extinguant,leges aboleant,bonos opprimāt. Somnum tanquam medicinam Deus homini concessit, quò sese reficiat: sed illi seipsos munere hoc spoliant. Longè difficilior est conditio impiorum quàm piorū. Deinde cibo impiè quæsito uictitant,& uinum bibunt iniquitatum & rapinarum. Pij uerò manducant labores manuum suarum,& beati sunt,Psal.127.

18 Via uerò iustorum quasi lux splēdet, quæ progreditur & lucet,usq; quò perfectus est dies.

19 Via impiorum est sicut caligo,ideo nesciunt ubi corruant.

20 Fili

20 Fili mi auſculta uerbis meis, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.

21 Non recedant ab oculis tuis: ſed cuſtodi ea in medio cordis tui.

22 Quoniam uita ſunt his qui inueniunt ea, & medela uniuerſæ carni ſuæ.

23 Omni cuſtodia ſerua cor tuum, ab ipſo enim ſunt progreſſus uitæ.

24 Remoue à te prauitatem oris, & peruerſitatem labiorum longe fac à te.

25 Oculi tui in directum aſpiciant, & palpebræ tuæ rectum teneant (iter) ante te.

26 Stude librare ſemitam pedis tui, & cunctæ uiæ tuæ rectè diſponantur.

27 Non declines ad dextram uel ſiniſtram, ſed auffer pedem tuum à malo.

Poſtquam nos ſuo exemplo adhortatus eſt, ut à prima ætate ſapientiæ ſtudeamus: mox ſubiunxit cauendam eſſe impiorum ſocietatem. Multi enim ad ſapientiam peruenire potuiſſent, niſi impiorum commercio ſeſe polluiſſent. Iam deinceps ad finem uſq; capitis, tria pertractat, quæ ordine explicanda ſunt. Primum, oſtendit pios magis magisq; in fide & bonis operibus proficere: impios uerò in erroribus & flagitijs. Deinde ſuas adhortationes ſedulò nobis commendat. Tertio loco, docet quomodo membra corporis cuſtodienda ſint à malo.

Quod ad primum locum attinet: *Semita iuſtorum,* inquit, *ſicut lux fulget, it & lucet uſq; ad paratum diem.*) Similis phraſis habetur Gen. 8. Aquæ autem ibant & decreſcebant, id eſt, magis magisq; uel paulatim decreſcebant. Hoc uult dicere: Quemadmodum lux ſolis ſubinde creſcit, donec dies paratus fuerit aut ſtabilis, quod fit circa meridiem, cum ſol maximè illuſtris eſt & ſerenus: ita pij indies in cognitione Chriſti ac fide, magis magisq; proficiunt. Solem interdum obducunt nubes, ut à nobis conſpici non poſsit: ita pij ex ignorantia & imbecillitate interdum peccant, atque ita obfuſcatur eorum fides. Exemplum habes in Dauide, Petro, & alijs: at renouantur per pœnitentiam, & in uiam redeunt: atq; tandem æterna luce fruuntur, quam Deus fidelibus ſuis præparauit, utut in hoc ſeculo obſcuri ſint, regnantibus interim & ſplendentibus in eccleſia impijs. Daniel quoq; in 12. cap. dicit, fideles in reſurrectione inſtar firmamenti rutilaturos. Deinde in bonis operibus indies illuſtriores fiunt, ac in caligine & tenebris huius mundi lucent, quemadmodum Dominus noſter docet Matth. 5. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, glorificentq; patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. D. Paulus ad Philip. 2. cap. nos etiam hortatur, ut in medio nationis prauæ & tortuoſæ, tanquam luminaria in mundo luceamus. Item in 1. Theſſ. 5. cap. Turpe eſt ſi illi qui Euangelij nomine gloriantur, omnis generis ſcelera impune graſſari ſinant. Mundum enim in tenebris ſedentem illuminare debebant, & exemplum eſſe quod alij imitarentur. D. Ioan. in 1. epiſt. cap. 1. inquit: Si dixerimus quòd ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus. Epheſ. 5, Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux, &c. Opera itaque tenebrarum relinquenda ſunt. Santes hunc locum conuertit, *Semita iuſtorum ſicut lux luciferi.* Nam in theſauro ſuo linguæ ſanctæ oſtendit, ex R. Himanuele, נגה nogah ſignificare ſtellam cuius lumen non occultatur aſcendente aurora, ſed procedit & illuminat donec oriatur ſol. Hæc ſtella Latinè cum ſolem antegreditur, φωσφόρος, & ἑωσφόρος dicitur: cum ſubſequitur, ueſper, ueſperus. Antiqui dicebant ueſperugo & ueſpera. Senſus erit idem cum ſuperiore. Quemadmodum dies in ortu luciferi magis magisq; inclareſcit: ita iuſti ſubinde magis magisq; in Chriſti cognitione promouent. Hanc interpretationem adduco propter locum 2. Pet. 1. Apoc. 2. & 22. cap.

Pij in fide & bonis actionibus magis magisq; proficiunt.

Via impiorum ceu caligo eſt.) Dixit de inſtitutis piorum: è contrario nunc de impijs dicit, quòd in tenebris ignorantiæ, errorum, & peccatorum uerſentur. Nolunt enim recipere Chriſtum qui eſt lux mundi, & uerbum eius quod eſt lucerna pedibus noſtris. Cauſam Chriſtus ipſe indicat Ioan. 3. Quia diligunt magis tenebras quàm lucem. Omnis autem qui malè agit odit lucem. Tenebras prolixæ conſuetudinis & humanarum traditionum, præferunt doctrinæ lucis, quæ impietatem ac flagitia hominum detegit, & omnes ad uitæ ſanctimoniam adhortatur. Hinc fit ut magis magisq; erroribus, & ſuperſtitionibus implicati, ac flagitijs immerſi,

lucem Euangelij implacabili odio persequantur,& tandem in exteriores tenebras conijciantur. *Nesciunt ad quod impingant.*) Eò perueniunt, ut Deo his cultibus placere uelint, quibus ei maximè displicent. Cumq; in moribus grauissimè peccent, se peccare tamen nesciũt. Putant se Deo obsequium præstare, si multos propter Euangelij professionem crudeliter interficiãt. Quando item pœna seu temporalis seu æterna eis imminet, nihil minus metuunt, sed securi sunt. 1. Thess. 5. Cum dixerint, pax, &c. Exempla huius rei multa suppeditat historia omnium ætatum: sed uice omniũ sufficiat Hamani, qui cum minimè cogitat, in crucem agitur, quam alteri erexerat.

Diligentia audiẽdi uerbum Dei. Secundo loco suas admonitiones nobis commendat. Intelligit autem omnes illas, quas partim habuimus, partim in sequentibus habituri sumus. Requirit à nobis primùm audiendi diligentiam, quam Deus passim apud prophetas, & Christus etiam Ioan. 8. & 10. cap. à ueris ouibus postulat. Multi enim sunt qui nolunt uerbum Dei audire, dicunt se satis iam antè instructos esse, quid credendum aut faciendum sit. Complures uerbum Dei irrident, quasi à stultis hominibus profectum sit. Est igitur aliquid, si uerbum Dei audire dignemur. Deinde *Verbũ Dei in cõspectu habendum.* iubet ut subinde in conspectu habeamus. Nam quemadmodum iuuenes qui artem pingendi discũt, sibi imaginem aliquam à perito artifice expressam, imitãdam proponũt, & subinde in eam intuentur, lineas etiam minutissimas penicillo exprimere studentes: ita nos uerbum Dei in omnibus nostris actionibus obseruare debemus, nec oculos ab eo auertere. Addit, Asseruanda esse in medio cordis nostri, omnes nostras cogitationes, studia & desideria postulans. Sic Deut. 6. Erunt uerba in corde tuo, &c.

Vsus uerbi Dei. Vtq; magis nos alliciat, duplicem fructũ ostendit. Dicit enim, uitam adferre, de quo aliàs: & addit *inuenientibus*, non enim omnes quærunt. Deinde, medicinam esse uniuersæ carni, hoc est, corpori nostro. Hæc uel unico exemplo facilè intelligemus. Verbum Dei docet, cauẽdam crapulam & ebrietatem. Hoc quia nõ facimus, corpus nostrum morbis grauissimis & quam plurimis est obnoxium. Hinc enim tanquam ex seminario, pullulant dolores capitis, paralysis, apoplexia, memoria opprimitur, oculorum uis hebetatur, manus & pedes suum officium non faciunt. Quod si in cibo potuq; præscriptum uerbi Dei sequentes, frugalitatem amplecteremur, mens sana esset in corpore sano. Porrò quæ Solomon de suis uerbis, instinctu tamẽ afflatuq; spiritus sancti prolatis, dicit: de obseruatione uerbi Dei in uniuersum intelligenda sunt. Leguntur enim multæ similes hortationes in Mose & prophetis, quæ iubent uerbum Dei meditari sedentes in domibus, & ambulantes in itineribus, uigilantes ac dormientes: iubent etiam filijs inculcare.

Cor. Sequitur tertius locus, de custodia membrorum corporis. Primò loco curam cordis habendam præcipit. *Præ omni custodia, inquiens, custodi cor tuum.*) hoc est, summo studio & diligentia, mentem ab omni cogitatione mala cohibe. Quemadmodum cum hostium aduentus expectatur, castra & oppida muniuntur, & quantò maius est periculum, tantò cautiores sunt homines: ita nos quoq; corda munire debemus, ne ab hostibus nostris, qui ubiq; in procinctu stant, opprimantur. Si ab oppidanis metuenda sit proditio, reliqui ciues ualde sunt solliciti, ne portæ hosti aperiantur: ita nos quoq;, cum sciamus cor nostrum prauum esse & ad mala procliue, dare operam debemus ut diligenter arcem cordis nostri custodiamus. Curandum est ut mundum sit & sincerum, utq; omnes cogitationes & affectus nostri (quales sunt gaudium, spes, metus, &c.) ad Deum referantur.

Cor custodiendum. *Inde enim exitus sunt uitæ.*) Cor est fons uitæ, ex ipso (tradunt physici) uita ad omnes corporis partes transfunditur. Reliquis membris uel læsis uel ablatis, homo potest uiuere, at si cor lædatur, mox interit. Cor primum uiuit, ultimum emoritur. Si cor mœrore afficitur, totum corpus languescit. Quæ de uita corporali dicuntur, ad spiritualem quoq; accommodanda sunt. Si cor sincerum & mundum fuerit (purificatur autem fide) uiuunt quodammodo ipsa opera: sin uerò saucium fuerit, omnes nostræ actiones corruptæ sunt. Christus inquit: quod si oculus tuus dexter obtenebratus fuerit, quantæ erunt tenebræ? Item Matth. 15. cap. Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, &c.

Lingua. Deinde de custodia oris loquitur: *Remoue, inquit, à te prauitatem oris, & peruersitatem labiorum longè à te relegato.*) Præclarũ & excellens Dei donum est, quòd cogitata mentis nostræ, lingua proferre possumus. Videndum igitur ne hoc tanto munere abutamur. Cauendũ est à blasphemijs, obtrectatione, mendacio, uerbis obscœnis & inanibus, Coloss. 3. Matth. 12. Linguæ situs etiam quodammodo ostendit, non quiduis effutiendum esse, cum tanto præsidio tecta munitaq; sit. Præcipuè uerò iuniores à prima ætate lingua rectè uti assuescant, & sibi ab oris prauitate cauere. Prauitas autem est quicquid à recto discedit, & uerbo Dei repugnat. Quod de lingua dicitur, de scriptis etiam intelligẽdum est, in quibus danda est opera, ne quid falsum, obscœnum,

obscœnum, aut blasphemum admisceatur. Curandum item est, ne homines blasphemi, quiq; ad res turpes nos pellicere student, locum aliquem apud nos habeant: sed longè à nobis ad κόρακας ablegentur.

Sequitur de oculis. *Oculi tui ad ea intenti sint,* inquit, *quæ coram te sunt, & palpebræ tuæ rectà inspiciant in ea quæ ante te sunt.*) Prohibetur uaga oculorum libido. Conuenit oculos sedatos & quietos esse, non uagos & mobiles. Nullum enim animi speculum certius quàm oculi. Prisci sapientes dixerunt, animi sedem esse in oculis. In primis uerò uirgines & matronas decet habere uerecundos oculos. Si intersunt concionibus sacris, ad concionantem spectent: huc illuc circumferre oculos, meretricum est. Docet item hæc sententia cauere πολυπραγμοσύνην. Inuenias homines qui rerum ad se nihil pertinentium, curiosissimi sint obseruatores, & rigidissimi censores, festucam in oculo fratris uideant, nec in suo trabem. Illis idem accidit quod senibus, qui propius admota non uident, longè posita cernunt. Quisq; sua curet negotia, & suo talento rectè utatur. Germani præcipiunt ne ignem restinguamus, quo non urimur. Latini uidendum, dicunt, ædibus in nostris quæ praua aut recta gerantur. *Oculi.*

Potest etiam hæc gnome hunc habere sensum: magna cautione in uia pietatis & uirtutis, quam semel ingressi sumus, pergendum & ad propositum terminum contendendum esse. Christus dicit Luc. 9. Neminem qui manu aratro admota retrospexerit, aptũ esse regno Dei. Deinde 17. cap. memores nos esse iubet uxoris Lot. Qui in stadio currunt, ad metam oculos dirigunt, ac tametsi ante, post, & iuxta eos multi concidant, risumque moueant, ipsi tamen non remittunt: sed ad metam contendunt, ut βραβεῖον assequantur: ita nos quoq; ad nostrum agonothetam respicere debemus, nec in medio cursu deficere, quantumuis multi subsistant & prolabantur, omnemq; religionem irrideant, alioqui præmio frustrabimur.

Vltimo loco de pedibus disserit: *Librato orbitam pedum tuorum, & omnes uiæ tuæ rectè dirigentur.*) Incessus non fractus sit, nec uacillans: sed grauis & rectè compositus. Docet etiam maius quiddam, nempe arduas res non temere suscipiendas esse. Priusquam magnum quid aggrediaris, expende omnes circumstantias, ac præcipuè an uerbo Dei non aduersetur, quod facere instituisti, ne teipsum in discrimen conijcias. Facile est res arduas incipere, sed feliciter conficere, hoc opus, hic labor est. Occipere bellum facile est, sed nõ tam facile deponere. Omnia sapientem, dicit ille, prius experiri consilio quàm armis decet. In Heluetiorum annalibus legitur, Leopoldum huius nominis primum Austriæ ducem, cum consultaret de inuadendis tribus Heluetiorum pagis, fatuum suum per iocum interrogasse, quid nam ipsi uideretur. Consultatis omnes, ille respondit, de ingressu in hanc terram, neminem audio consultantem de exitu. Quæ uox magno quidem risu excepta est: sed prudenter eum respondisse, postea euentus comprobauit. *Rectè dirigantur.*) hoc est, consiste in regula uerbi Dei: uel in futuro lege, ut sit prædictio. *Ne declines ad dextram uel sinistram.*) ad dextram declinant, qui prosperis rebus insolescunt. Ad sinistram, qui aduersis franguntur. Ad dextram declinant, qui promissis: ad sinistram, qui minis à recto deflectunt. Vel hæc gnome docet modum & medium in rebus tenendum, ne sis auarus nec prodigus, sed liberalis: ita etiam in alijs mediam tene uiam, neq; ad aliquod extremum uitiosum declines. Horatius dicit: *Pedes.*

Dum uitant stulti, uitia in contraria currunt. "

Reuoca pedem tuum à malo.) Multa sunt quæ nos à uia uirtutum ad uitia abducunt, ideo magna cautione opus est, ne à uirtutis uia resiliamus. Nemo autem sibi placeat, suisq; uiribus blandiatur, quòd iubemur curam habere cordis, linguæ, oculorum, pedum, & in his aliarum corporis partium, quasi hæc in nostro arbitrio, nostrisq; uiribus posita sint. Ex nostris uiribus hæc non possumus præstare: solius Dei donum est. Sine ipso nihil possumus, Ioan. 15. 1. Cor. 3. Philip. 2. Sed præstat de hoc loco audire D. August. in epist. 47. ad Valentinum. In his uerbis, inquit, sanctæ scripturæ, consyderate fratres, quia si non esset liberum arbitrium, non diceretur, Rectos fac cursus pedibus tuis, & uias tuas dirige. Et tamen sine gratia Dei si posset hoc fieri, non postea diceretur, Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet. Lege reliqua. *Non est in arbitrio nostrarum uirium positum, ut rectè agamus.*

CAPVT V.

FIlli mi, ausculta sapientiæ meæ, & prudentiæ meæ accommoda aurem tuam.

2 Vt custodias consilia, & scientiam labia tua obseruent.

3 Quoniam fauum stillant labia (*mulieris*) extraneæ, & faux eius est nitidior oleo.
4 Nouissimum autem eius est uelut absynthium: acutum est quasi gladius biceps.
5 Pedes eius descendũt in mortem, & uestigia eius tenent sepulchrũ, *uel sustentant infernum.*
6 Viam uitæ fortasis librabis (*cum ea*) tam mobiles sunt gressus eius, ut scire non posis.
7 Nunc igitur filij audite me, & nolite recedere ab eloquijs oris mei.
8 Elonga ab ea uiam tuam, & ne appropinquaueris ad ostium domus eius.
9 Ne forte des alijs robur tuum, & annos tuos crudeli.
10 Ne forte satientur alieni uirtute tua, & labores tui (*ueniant*) in domum extranei.
11 Et rugias in nouisimo tuo, cum defecerit caro tua, & succus tuus.
12 Dicasq́: Quare odi castigationem, & cor meum execratum est increpationem: & non acquieui uoci instruentium me, & docentibus me nõ accommodaui aurem meam?
13 Pene fui in omni malo, cum essem in medio congregationis & multitudinis.

Partes capitis.



HOC caput in duas partes diducemus. In prima, cauendam docet scortationem & adulterium: in secunda, partim tectè per allegoriam, partim apertè & palàm, ritè colendum suadet matrimonium. Sunt tamen qui de opibus comparandis & dispensandis priores uersus intelligant, quemadmodum explicabitur. Priusquam ad priorem partem aggrediatur, præmittit exordiolum, in quo iterum nobis cum hæc uerba, tum alia atq; adeò uerbum Dei in uniuersum commendat. Est autem hæc parænesis in præsenti materia ualde necessaria. Omnibus enim temporibus fuerũt homines, qui scortationem leue peccatum esse duxerunt. Quemadmodum nostro quoq; tempore, multa impia prouerbia uulgus in ore habet, quibus non modo scortationem, sed & adulterium eleuat. Deinde quia ad hoc peccatum in primis adolescentes sunt procliues. Hanc ipsam ob causam Paulus quoq; in 1. Cor. 6. cap. multis egit de scortatione uitanda.

Exordiolũ quo hæc admonitio nobis commẽdatur.

Fructum ostendit qui ex diligenti auscultatione uerbi uel sapientiæ diuinæ, ad nos redit. *Vt custodias cogitationes.*) Ne impiæ cogitationes tibi obrepant, & te ad mala pelliceant. Prima enim cura esse debet, ne cor omnium actionum fons, impuris cogitationibus inquinetur. *Et scientiam labia tua custodiant.*) Ne ore aliud loquens, quàm quod uerbo Dei consentaneum est, meretricum blanditijs capiaris. Magna enim cautione in loquendo opus est, maximè si quis in improbas fœminas incidat: initium enim amoris est ex sermone. Cauendum dicit à muliere extranea, hoc est, illa quæ non est uxor tua.

Propositionem paulo pòst ponit: *Iter tuum quàm longissimè ab illa prohibe.* Et quia incommodis quæ ex re aliqua sequuntur, plurimùm cõmouemur, recenset quæ ex libidinibus consequantur. Cumq; breuiter & simpliciter dicere potuisset, Initia sunt læta & suauia : exitus autem tristis: rem pulchris similitudinibus illustrat. Blanditias muliebres duplici similitudine exprimit. *Quia stillationem* (scilicet mellis, faui, aut aromatis) *stillabunt labia extraneæ : & faux eius nitidior est oleo*, uel *unguento.* Stillare sæpe ad sermonem transfertur. Dauid etiam Psal. 54. de hostibus suis loquens, qui dum res eius florerent, amicos se esse simulabant, & nihil non ei pollicebantur: Os eorum, inquit, mitius est butyro. Exemplum de mulieribus 7. cap. habebimus. Amatores capti meretricum blanditijs, sentiunt aliquam uoluptatem: sed tandem infelicem exitum sortiuntur. Hoc ueteres significarunt Syrenarum cantu, qui nauigantes remoratus est. Exitum rei, duabus similitudinibus declarat. *Nouissimum eius amarum est sicut absynthium.*) In amore multum est amari: & *Acutum est quasi gladius biceps.*) Incidunt enim amatores in multa & magna pericula. Conscientiæ quoq; stimulis exagitantur. Exitum itaq; meretricij amoris, nõ initium considera. Porrò non cõtentus est hæc summatim dixisse: sed sigillatim ostendit scortationem & adulterium perdere animas, existimationem, corpus & uitam, fortunas deniq; & facultates. Non autem scortatores & adulteros tantũ, sed scorta quoq; & mœchas perdit.

Blanditiæ muliebres.

Primum, id quod maximum est, perdit animas. Dicit enim : *Pedes eius descendunt in mortem.*) Quod

Scortatio perdit animas.

Quod intelligi potest non tantum de naturali morte, quæ est dissolutio corporis & animæ: sed & de spirituali, qua Christo & spiritu eius uacui, in peccatis uiuimus, unde postea mors æterna consequitur. *Et foueam uel infernum, passus eius tenebunt,* uel *apprehendent.* Turpis est scortatio, nam Christi membra contaminat, & fœdus Dei cum hominibus rumpit, opprimit spiritum: non igitur mirum si excludit à regno Dei. Eph. 5. 1. Cor. 6. *Semitam uitæ forsitan ponderabis, uel ponderabit, mobiles sunt uiæ eius & non cognosces.*) Rabi Da. in libro radicum admiratiuè legendum censet hoc pacto, *Semitam uitæ num fortè ponderabit?* Ac si dicat, Putas fortè ponderabit semitam uitæ? non faciet, sed mobiles erunt gressus eius: non sciet, id est, non sentiet, donec moueantur gressus eius ad mortem. Alius quidam פן pæn, fortè, exposuit pro לא lo, id est, non. Iuxta illud Isa. 27. uers. 3. Ne fortè uisitet, pro, non uisitabit. Vel respondet ad obiectionem illam impurorum hominum, qui dicunt, Etsi familiariter cum ea degam, nihilominus tamen satis ero cautus, non sequar uocantem in uiam perditionis, ipsam habebo, ut de Laide dixit philosophus ille, ab ipsa non habebor. Respondet, & si diligenter eam obserues, tamen non poteris omnia pericula cauere, & laqueos eius euadere. Idem illis accidit quod Δωροφάγοις, qui etsi dicant se acceptis muneribus nihilominus quod ius & æquum postulat, facturos: tamen mox excæcantur, & à tramite iusticiæ deflectunt, &c. Solomon sapientissimus, huius rei exemplum nobis est, qui se etiam alienigenas citra religionis detrimentum ducere posse sperabat: sed scriptura ei idololatriam exprobrat.

Scortatio lædit bonam famam.

Secundo loco ostendit scortationem & adulterium, gloriæ & honori officere. Gloria, inquit Cicero, est consentiens bonorum uirorum laus incorruptè iudicantium, de eximia uirtute. Poeta dicit:

> Omnia si perdas, famam seruare memento, ,,
> Qua semel amissa postea nullus eris. ,,

Infrà capite 22. habebimus, famam magnis opibus anteferendam, & gratiam auro argentoq; meliorem esse. Qui uerò scortatione sese polluunt, & alienos thoros uiolant, maculam ineluibilem sibi aspergunt. Etsi enim flagitia suo nomine non appellentur, & mundus corruptè de omnibus ferè rebus iudicet: tamen semper pij uiri sunt, qui hæc flagitia detestantur. In rebus publicis bene constitutis, scortatores & mœchi nullos honoris gradus assequuntur. Non enim iustum est ut alijs imperet, qui prauis affectionibus dominari nescit: utq; nouis honoribus afficiatur, qui gloriam suam dat scorto. Deinde ab illis qui in honore sunt & precio, maximè requiritur ut coniugia & honestatem tueantur: si ipsi scortatores & adulteri fuerint, quid boni quæso ab eis expectabis? Incidunt etiam sæpe iusto Dei iudicio in scelera capitalia, unde sibi extremam ignominiam accersunt. Præcipit itaque nobis sapiens, ut caueamus ab amore meretricio, ne demus alteri gloriam aut honorem uel etiam robur nostrum.

Scortatores à gubernaculis reip. submouendi.

Scortatio lædit corpus.

Tertio, perdit corpus & uitam. Ex scortatione enim & adulterio, tanquam ex seminario multi morbi pullulant, podagra, chiragra, paralysis, bubones, morbus Gallicus, quo bello Neapolitano, anno 1495. castra primum à scorto sunt infecta: multiq; perierunt priusquam tanto malo remedia sint inuenta. Amantes etiam sæpe mortem sibi consciuerunt: de qua re multa amatoria carmina loquuntur. Nonnunquam meretriculæ dum phyltris constantiam in amore quærunt, suos amatores perdunt. Interdum etiam eos odio prosequi incipientes, uenenis è medio tollunt. A' maritis quoq;, affinibus, & cognatis sæpenumero mœchi iugulantur. In magnis urbibus, lenones aliquando illos qui cum meretricibus familiariter uersantur, interimunt. Et hoc est quod dicit, *Ne des annos tuos crudeli.* Quanquam quidam per crudelem, mulierem: quidam uerò generis humani hostem intelligant. Factum quoq; est, ut diabolus iam in fœminæ, iam in uiri forma apparens, homines deceperit, eosq; perdiderit.

Scortatio lædit opes.

Quartò, lædit opes & fortunas. Magnis enim sumptibus meretrices sunt alendę, iam hęc, iam illa amoris pignora insatiabiles expetunt, uestes, anulos, & id genus alia ornamenta. Apud Plautum in Truculento rectè dicitur:

> Meretricem ego idem esse reor ‹‹
> Mare ut est, quod das deuorat, nunquam abundat. ‹‹
> Des quantum uis, nusquam ‹‹
> Apparet neq; datori, neq; acceptrici. ‹‹

Accedit ad hæc, quòd meretrices amant luxuriosa conuiuia: & quòd spurij magnis sumptibus clàm alendi sunt. Lenæ item & lenones suam partem decerpunt. Vicini etiam, nisi dederis, silentium non promittunt. Est præterea hoc ferè adulterorum ingenium, ut cum erga uxores & liberos tenacissimi sint, in scorta tamen & libidinum ministros sint liberalissimi.

Exemplum habes in Herode, qui dimidium regni filiæ Herodiadis ſaltanti pollicetur. Hinc fit, ut libidinoſi illi homines ad egeſtatem redacti, in alienis ædibus & in ſcortis, ſuas opes non ſine gemitu cogantur aſpicere. Maledictio quoq; Dei opes eorum atterit. Infrà cap. 29. uerſ. 3. etiam dicit, Paſcens ſcorta perdet opes. הוד hod ſeptuaginta & uulgata editio, nunc gloriam, nunc honorem, nunc ſpeciem & decorem: Rabi Kimhi robur, fortitudinem & potentiam: quidam opes interpretantur. Certum autem eſt etiam robur corporis libidinibus eneruari. Heſiodus etiam præcipit:

,, μηδὲ γυνή σε νόον πυγόστολος ἐξαπατάτω,
,, αἱ μύλα κωτύλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν.

Per nidum domum intelligit.

Scortatorũ ſera pœnitẽtia. Quinto loco de ſera pœnitentia illorum hominum loquitur, qui ſapientiæ præcepta reſpuunt. Quando opes & ætatem conſumpſerunt, tandem in ſeipſos deſcendentes miſeram ſuam conditionem, magno eiulatu & clamore fruſtra deplorant. Habui, inquiunt, parentes, cognatos, affines, amicos, præceptores, & concionatores, qui me mei officij admonuerunt, cur miſer eorum uocem contempſi? Quamdiu opes amatoribus ſuppetunt, & ætate ſunt integra, accepti ſunt & grati: ſed quamprimum opes ſunt conſumptæ, & uires fractæ, contemptiſsimi ſunt, quemadmodum de filio prodigo in Euangelio legitur. Germanico etiam prouerbio iactatur, Si nihil attuleris, non amplius eris gratus. נהם naham ſignificat fremere, uociferari, rugire: eſt uox leonum, &c. *Penè fui in omni malo in medio congregationis & multitudinis.*) Hoc eſt, tametſi in medio cœtu hominum uerſer: tamen per uarias calamitates quibus opprimor, dolores inferni mihi uideor perſentiſcere. Poteſt & hic eſſe ſenſus: parum abfuit, quin omni pudore abſterſo, etiam publicè omne nefas commiſerim. Amittunt enim illi homines ſpiritualia dona, & ex uno flagitio in aliud ruunt: cæci, ſtupidi, ſurdi & amentes redduntur. Hinc oriuntur furta, rapinæ, inceſtus, & alij nefandi concubitus, ueneficia, homicidia, idololatria. Videmus itaq; quid tandem ex diuinarum & humanarum admonitionum contemptu ſequatur: nempe quòd homines ſera & inani pœnitentia perturbantur. Licet enim ſeipſos excrucient, non tamen uires uel opes redeunt. Pœnitentia quidem uera, quoad animam, nunquã eſt inanis. Quod de mœchis & ſcortatoribus hîc dicitur, etiam ad prodigos, ebrios, aleatores, ſcholaſticos item negligentes, &c. eſt extendendum.

Remedium contra ſcortationem, adulteriũ & alia flagitia. Hac adhortatione tanquam pharmaco, contra adulterium, & omnes carnis illecebras utendum eſt. Tametſi primo aſpectu multa nobis promittant, & ad amorem ſui nos pelliciãt: tamen exitus rerum cogitandus eſt. Damna quæ ex ſcortatione & alijs ſceleribus ſequuntur: exempla item aliorum, qui in hæc mala inciderũt, animo repetenda ſunt. Exhortationes etiam quotidianæ non ſunt aſpernandæ, ne tandem noſtrã uicem deplorare cogamur. Cauenda item ſunt otia, colloquia & ſodalitia praua: *Elonga*, inquit, ſapiens, *ab ea uiam tuam, nec appropinques foribus eius.*) Germani dicunt, ſtramentum ab igne remouendum eſſe. Ouidius lib. 2. de remedio amoris:

,, Manet (inquit) amor tectus, ſi non ab amante recedas.
,, Turbaq; in hoc omnes ingenioſa ſumus.
,, Proximus à tectis ignis defenditur ægrè:
,, Vtile finitimis abſtinuiſſe locis.
,, Non facilè eſuriens poſita retinebere menſa:
,, Et multa ſaliens incitat unda ſitim.

Item:

,, Vt penè extinctum cinerem, ſi ſulphure tangas
,, Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
,, Sic niſi uitaris, quicquid reuocabit amorem,
,, Flamma redardeſcet, quæ modò nulla fuit.

Habet alia quoq; præclara in hoc ipſo libro. Præcipuè aũt à Deo precib. contendendũ eſt, ut ſuam gratiam nobis conferre, noſq; à ſcortatione & alijs ſceleribus defendere dignetur.

Allegoria. Quidam totum hunc locum de falſa doctrina, uel idololatria, & uoluptatibus carnis intelligunt: quidam de adulatione. Fit certè mentio paſsim in ſcripturis ſcortationis animæ, quæ ſe polluit falſa doctrina, quæ carni delectabilia concedit: deinde uoluptates nobis etiã blandiuntur: ſed ſcriptura hoc loco pręcipuè de ſcortatione & adulterio carnali loquitur. De alienigena etiam ſuprà quædam annotauimus.

14 Bibe aquam è fontibus tuis, & fluenta de medio putei tui.
15 Deriuentur fontes tui foras, & riuuli aquarum in plateas (*manent.*)

16 Sint

16 Sint tibi soli, & non participent alieni tecum.

17 Sit uena tua benedicta, & gaudium habeto cum uxore adolescentiæ tuæ.

18 (*Sit ueluti*) cerua amabilis, & hinnulus gratissima: ubera eius inebriabunt te omni tempore, & in amore eius oberrabis semper.

19 Vt quid fili mi erras in aliena, & amplecteris sinum extraneæ?

20 Siquidem coram oculis Dei sunt uiæ hominis, libratq; ille omnes gressus eius.

21 Suæ ipsius iniquitates capiunt impium ipsum, & funibus peccati sui (*irretitus*) tenetur.

22 Ipse morietur absque emendatione, & in multitudine stultitiæ suæ errabit.

In prima parte huius capitis, ostendit quæ pericula & incommoda ex scortatione & adulterio oriantur: quomodo lædant animam, existimationem, corpus, & fortunas: adiecit etiam remedium: nempe foribus domus scorti non appropinquandum, omnesq; occasiones horum malorum præcidendas esse. Sequitur iam deinceps in secunda huius capitis parte, de alio remedio, nempe de coniugio, quod Deus ad hoc instituit, ut scortationem uitare, & castè uiuere posimus. Docet matrimonium castè & sanctè colendum esse: utitur autem allegoria. *Bibe aquam è fontibus tuis, & fluenta de medio putei tui.*) Hoc est (quemadmodum sequentia ostendunt) uxore propria contentus sis, ex qua liberos procrees, neq; concupiscas aliam. Idem docet Paul. 1. Cor. 7. Bonum est, inquit, homini uxorem non attingere: attamen propter uitanda stupra, suam quisq; uxorem, & suum quæq; maritum habeat. Dicit bonum & commodum esse multis de causis, cœlibem uiuere: sed hoc donum non omnibus est concessum. Christus ipse negat omnes hoc posse capere, hoc est, bona conscientia absq; ardore, extra coniugium uiuere posse. Itaq; Deus matrimonium in remedium nostræ imbecillitatis instituit, & opera coniugalia non ceu impura improbat, loco iam citato, sicut & ad Heb. 11. ca. Paphnutius in concilio Niceno, cum ministros ecclesiæ coniugio spoliare uellent, confessus nuptias honorabiles esse, castitatem esse dixit, concubitum cum uxore propria. D. quoq; Cyprianus castitatis gradum primum uirginitati, secundum matrimonio tribuit. Proinde qui donum continentiæ (quod rarum est) non habent, medicinam à Deo datam amplectantur. Neminem ab hac regula excepit Deus, leges de cœlibatu Antichristus inuexit. Sępe dicimus, Cur ille uxorem duxit, cur illa marito nupsit? potuissent aliàs liberius uiuere: at ita sanctius. Debent autem mariti contenti esse suis uxorib. uxores suis matitis. Ethnici quoq; per fluuiũ uxorem allegoricè intelligunt. Nam quod Hesiodus in Ergis præcipit, fluuium perennẽ non esse pedibus transeundum, nisi prius effusis precibus: Ioan. Grammaticus arbitratur fluuij nomine, uxorem intelligendam, perpetuo habitantem cum uiro. Docere autem poetam, non antè rem habendam cum uxore, quàm dijs preces fuderis, &c. *Vxor ducenda.*

Deriuentur uel deriuabuntur fontes tui foras, & riuuli aquarum in plateas.) Loquitur de liberis, qui sunt fructus coniugij. Habeto uxorem ex qua suscipias liberos, qui ita educandi sunt, ut cum honore in publicum egrediantur, & alijs sint utiles. Adultis prospiciendum est de uxoribus & maritis, ne inscijs parentibus matrimonium contrahentes, in mala illa incurrant quæ plerunq; ex clandestinis nuptijs consequuntur. Parentes illi qui liberos suos in monasteria trudunt inuitos, & continentiæ dono uacuos, parentum nomine indigni sunt. *Sint*, uel, *erunt tibi soli, & non alienis tecum.*) Si honestam uxorem nactus es, ne eã prostituas, quemadmodum olim Nicolaitæ, & hodie quidam Anabaptistæ, & alij perditi homines: sed solus ea fruaris. Lenones omnibus seculis pessimè audiuerunt. Possunt hæc uerba etiam de liberis haud incommodè intelligi. Si uxorem habeas honestam, scies liberos quos ex ipsa suscipis, tuos esse: si cum scorto rem habeas, dubitabis an tui sint, & negligenter eos educabis, nec ut debebas diliges. *Sit*, uel, *erit uena tua benedicta.*) Hoc est, Deus uult pijs maritis & matronis adesse, & benedicere. Benedictio autem ea non solum in generatione prolis, sed etiam in protectione, & rerum prospero successu consistit. De hac re Psalm. 128. loquitur. Vtile est in ærumnis coniugalibus hæc diligenter cogitare.

Superiora illa uerba, quidam de acquisitione & dispensatione opum intelligunt, (possunt enim unius loci uarij esse sensus) & ad hunc modum interpretantur. *Bibe aquam è cisterna tua, &c.*) Hoc est da operam ut honestè pares propria, ne alijs sis oneri, Ephes. 4. Fons in scripturis pro substantia aliquando accipitur. Sic apud prophetas cuiq; suus puteus promittitur. Opes partæ non sunt prodigendæ, sed conseruandæ. Permissa enim est Christianis

rerum

Rerum proprietas concessa pijs. rerum proprietas: mendicitas & communio illa bonorum, Deo non probatur. Quòd uerò alijs etiam communicare & quantum debeamus, hac quoq; similitudine ostendit. Promissio apponitur: *Vena tua erit benedicta.*) Sensus est, augebuntur res tuæ, nec decrescent tua liberalitate. Exempla plurima hoc declarant.

Gaudium habeto cum uxore adolescentiæ tuæ.) Vxorem adolescentiæ uocat, quam quis duxit in adolescentia. Iam non metaphoricè amplius, sed apertè loquitur. Gaudium honestum Deus coniugibus concedit, quò matrimonij molestias facilius tolerent, quarum multæ sunt, ueluti paupertas, infelices partus, infelix soboles, &c. Gaudium hoc augetur ex mutuo amore coniugum, quem commendat. *Sit uelut cerua amorum, & hinnulus gratiæ.*) Id est, gratiosus.

Amor coniugalis. Ponit exemplum de cerua & hinnulo uel capreolo. Quemadmodum cerua fœtum suum tenerum diligit, ac fouet: ita mariti uxores suas diligant. Vel, ut hinnulus matrem diligit: ita mariti uxores diligant, & uicissim uxores maritos: hoc est, amor coniugum sit simplex & sincerus, qui nihil morositatis habeat. Potes etiam ad hunc modum uerba hæc intelligere: Quemadmodum potentes uiri, ceruas in delitijs habent, item ibices uel capreolos (ita enim uocem יעל iaal interpretantur) sic mariti uxores in precio habeant, deque eis sint solliciti. Augustinus in libro 83. quæstionum, quæstione 71. putat Solomonem ad hanc ceruorum naturam respexisse, quòd (ut quidam scripserunt) æstate cum fretum ad insulam pabuli gratia transeunt, singuli (ut onus capitis super aquas extantis, facilius sustineant) caput super anterioris clunes imponunt, dux uerò cum defessus est, ad ultimum transit locum, &c. Sic coniuges quoque officio mutuo se adiuuare, & ut Paulus dicit, alter alterius onera portare debet.

Amor coniugalis sit constans & stabilis. *Vbera uel amores eius, te semper inebrient, uel inebriabunt.*) Amor ille non duret diebus tantum aliquot, die treütelwochen, ut nostri loquuntur, postea refrigescat: sed toto uitæ tempore. Peccatur sæpe hac in re. Facilè enim amor commutatur in odium. Satyricus dicit:

,, Si uerum excutias, facies non uxor amatur.
,, Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
,, Fiant obscuri dentes, oculiq; minores,
,, Collige sarcinulas, dicit libertus, & exi,
,, Iam grauis es nobis, &c.

Vxores non modò dum bona ualetudine utuntur, dumque formosæ sunt, & integra ætate, amari debent: sed constantia requiritur in amore. Deus enim ægerrimè tulisse legitur, quòd Iudæi uxoribus suis ex captiuitate domum reductis, ob rugas & squalorem contemptis, iuuenculas superinduxissent. Priusquam uxorem duxeris, hæc omnia perpendas: neque propter opes, formam, cognationem, & alia huius generis aliquam ducas, sed delige quam amare uelis. *Et in amore eius erres, aut, errabis iugiter.*) שגה schagah errare, & per ignorantiam peccare significat. In amore eius ignores, uidelicet alias. Vel hoc uult dicere: si errandum, hoc est, stultè & ineptè agendum est, in tua erra. Germani quoq; dicunt, einer im angsicht verirren. Hac in parte imitandi sunt amatores, qui amicæ suæ uitia non animaduertunt: unde

Amor est cæcus. amor cæcus dicitur. De adolescente quodam narratur, quòd dum deperiret unoculam quandam, pergre sit profectus, ac cum redisset, amorq; refrixisset, eam interrogauerit, quando oculum amisisset. Quin morbis uirtutis nomen imponitur.

Ouidius dicit:

,, In facie næuus causa decoris erit.

Huc pertinent uersus Lucretij lib. 4.

,, Multis modis igitur prauas, turpesq; uidemus
,, Esse in delitijs, summoq; in honore uigere.
,, Atq; alij alios irrident, Veneremq; suadent
,, Vt placent quoniam fœdo afflictantur amore.
,, Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.
,, Nigra μελίχροος est, immunda & fœtida ἄκοσμος,
,, Cæsia παλλάδιον, neruosa & lignea δορκάς, &c.

Sic strabonem inquit Horatius, appellat pater filium pætum: & pullum male paruum: hunc uarum, distortis cruribus. Mariti itaque uitia uel deformitates uxorum suarum extenuent: pulchra & bona uideatur, quæ reuera talis non est.

Quod de maritis dicitur, sibi quoque uxores dictum putent: quæ maritorum quoque in animis suis bona augere, & uitia excusare debent. De hoc amore sancto & honesto, loquitur etiam Apost. in epist. ad Col. 3. cap. Diligite uxores, & ne sitis amarulenti erga eas. Ad Eph. 5. cap. Viri diligite uxores uestras. Modum subiungit, quemadmodum Christus ecclesiam

suam

suam dilexit,&c.Postea addit,Viri uxores suas diligere debent, ut sua ipsorum corpora.Multa egregia exempla amoris coniugalis etiam apud Ethnicos extant. Mutuus ille amor conseruabitur, & augebitur, si coniuges uitia innata,generis obscuritatem, paupertatem, & alia huiusmodi, sibi inuicem non exprobrent: illosque ualere iubeant, qui inter ipsos dissidium uolunt.Multi possent commodè uiuere modò ipsi uellent,& bene monentium consilia non aspernarentur.Atqui modus quoq;, ut in alijs rebus omnibus,ita in amore coniugum adhibendus est. Hieron.alicubi scribit, adulterum esse quisquis in uxorem suam ardentior est amator.Quippe in uxorem alienam omnis amor turpis est: in suam uerò nimius.Seneca scribit sibi notum fuisse quendam,qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus alligabat,& ne momento quidem eius præsentia carere poterat. Vitium hoc Græcè φιλογυνεία,à Cicerone mulierositas dicitur. Apud Homerum Paridi exprobratur,Iliad.γ. *Amor coniugalis non sit immodicus.*

Δύσπαρι εἶδος ἄριστε,γυναιμανὲς.

Cur fili mi erras in aliena,& amplecteris sinum extraneæ?) Cum Deus unicuiq; propriam uxorem concedat,& coitum in connubio moderatum, peccati loco non habeat: atque etiam benedictionem suam coniugibus promittat,cur adhærescis alienæ? *Cum coram oculis Dei sint uiæ uniuscuiusq;,libretq; ille omnes gressus eius.*)Etsi homines quid agas uel reuera ignorent, uel se ignorare simulent,uel floccipendant quod facis (ut qui ijsdem uitijs obnoxij sunt) Deum tamen non falles. Ne putes densissimas noctis tenebras, uel densos parietes, te à Dei conspectu subducere.Oculi eius omnia intuentur,renes & corda nostra scrutantur.Nec tantum omnes cogitationes nostras,uoluntates & studia nouit:sed etiam tanquam in trutina ponderat.Rationem à nobis cùm in fatali hora,tum in extremo iudicio exigens. Vide Siracidem 23.cap. Hæc semper,etiam aliorum flagitiorum blanditijs sunt opponenda. Seneca ad refrenanda uitia,suadet,ut cum soli sumus,grauem aliquem uirum,qualis fuit Scipio,Lælius,Cato & testem & spectatorem nostrarum rerum,nobis adesse fingamus.Hunc imitatus S. Bernhardus in epistola ad fratres de monte Dei,etiam docet, ad sanctè uiuendum priuatim & in solitudine, plurimum ualere, ut homo imaginetur sibi quasi præsentem aliquem uenerabilem uirum, in cuius conspectu agat omne id quod agit: & quod illo inspiciente agere uereretur,coram Deo agere uereatur. Poetæ quoque gentilium,cum homines ad uirtutum studium hortantur, deos omnium humanarum actionum inspectores & obseruatores constituunt.Hesiodus magistratus ut rectè iudicarent, admonuit deos in cœtibus hominum uersari,& opera eorum consyderare.Sophocles,inquit: *Deus omnia inspicit*

Ζεὺς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει.

Huc pertinent magnifica illa uerba Ciceronis: Satis persuasum esse debet,si omnes deos hominesq; celare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè,nihil incontinenter esse faciendum.Sed de hac re plura infrà 15.cap.uersu 3.dicemus. Sequitur quid illis eueniat,qui hæc omnia securè contemnunt. *Suæ ipsius iniquitates capiunt impium, & funibus peccati sui apprehendetur.*) Hoc uult dicere: impij qui sibi in suis sceleribus placent, neque Deum neq; homines uerentur,peccata peccatis cumulant, & magis magisq; sese implicant,fiunt captiui diaboli,& ad pœnas constringuntur,ac tandem absq; pœnitentia decedentes,æternùm pereunt: req; ipsa experiuntur,uera esse Dei oracula,quæ ipsi prorsus neglexerunt: nec est quòd alios accusent,suapte enim culpa perierunt.

CAPVT VI.

FIli mi,si fideiussorem te dedisti proximo tuo, & defixisti pro altero manum tuam,irretitus es uerbis oris tui,& captus es sermonib.oris tui.
2 Fac nunc hoc fili mi, & liberaberis, postquam incidisti in manum proximi tui:uade, prosterne te & magnifica (*creditorem unà*) cum amicis tuis.
3 Ne dederis somnũ oculis tuis, atque dormitationẽ palpebris tuis.
4 Euade uelut caprea de manu(*uenatoris*)& sicut auis de manu aucupis.



PRAESENS caput,quatuor insigniores locos continet. Primum de fideiussione agit: deinde ab otio & pigritia nos deterret: hinc uirum Belial describit: postremò homines ab adulterio reuocat, peius esse furto ostendens. Quoad primum locum,commodè cum superioribus cohæret. Nam in calce præceden- *Partes capitis.*

Continuatio. tis capitis, tractauit de coniugio. Coniugum est rem familiarem curare: nihil autem est quod eam uehementius lædat, quàm si imprudenter & temere pro alijs spondeamus. Ostendit itaque primum, quàm periculosum sit fideiubere pro aliquo: deinde proponit consilium prudens, quo pacto fideiussor sese gerere debeat, nempe omnes uias pertentare, ut liberetur.

Quod primum attinet, ostendit sponsiones non carere periculo. Nam siue pro amico, siue pro alieno manu tua stipulatus fueris (tales enim obligationes per manus dationem, ut uocant, plerunq; fieri solent) uerbis tuis captus es, & ad seruandam fidem obstrictus. Non simpliciter prohibere uult, ne pro alijs fideiubeamus, ut quidam perperam ex hoc loco colligunt. *Quæstio, an fideiußio sit licita.* Nam ut quisq; maximè ope indiget, ita ei potissimum opitulandum esse, sacris scripturis docemur. Hoc autem fit mutuum dando, remittendo, communicando: quomodo igitur Solomon uetaret fideiussionem? Charitatem ubique nobis Christus inculcat: illa autem exigit, ut proximorum utilitatibus studeamus, pericula uerò auertamus: id quod fit si pro alijs fideiubeamus. Siracides quoq; 29. cap. Vir bonus inquit, fideiubebit pro amico, at qui pudorem amisit, amicum deseret. Mox succurre proximo pro uirili parte tua, ueruntamen caue tibi ne qua irretiaris.

Fideiußiones sunt periculosæ. Non igitur in uniuersum fideiussionem damnat Solomon: sed ostendit plenum esse periculo, si quis temere pro aliquo fideiubeat, ideoq; cautè in ea re uersandum. Extant etiam aliæ sententiæ in hoc libro, quæ idem docent. Postquam fideiussisti, inquit, amplius non liber es: sed uelut laqueo captus teneris uerbis tuis. Veniet enim tempus quo satisfaciendum erit creditori, si ille pro quo ei fideiussisti, non satisfaciat. In lucro ponendum est, si nihil cogaris soluere. Hinc prouerbio dicitur, Sponde, noxa præsto est: cui nostrum illud respondet, Bürgen sol man würgen. Sæpe autem fit, ut etiam uiri boni propter aduersos casus, fidem uel prorsus, uel tempore quo promiserant liberare non possint. Opes enim uarijs casibus sunt obnoxiæ. Fit etiam ut quibus bene fidebas, fidem fallant. Vulgaris querela fuit omnibus seculis de inconstantia humanarum uoluntatum, seu humana perfidia. Sinit autem aliquando Deus, nos hominum perfidiam ideo experiri, ne nimium eis tribuamus: sed nostro damno discamus quàm fallaces sint, & quàm uerax sit uerbum Dei. Ita enim natura comparati sumus, ut quæ damno facultatum nostrarum didicimus, diu memoriæ inhæreant. Siracides quoq; cap. 29. dicit, Beneficium fideiussoris malè compensat sceleratus, & ingratus animo liberatorem suum deserit. Fideiussio multos perdidit feliciter agentes, & eos in modum marini fluctus exagitauit: uiros potentes domo pepulit, & uagos fecit inter gentes peregrinas. Vtilis igitur est hæc admonitio, ne temerè fideiubeamus: sed si honestè possumus, recusemus: deinde ne fideiubeamus supra uires nostras, quò postulante necessitate soluendo simus: ne & nos & familiares nostri in discrimen ueniamus, dicentes, non putaram rem ita casuram. Quod si homines prodigi, qui omnia bona sua turpiter abliguriunt, nec laborare uolunt, fideiussionem pro se postulent, non teneris id facere: nam tuæ etiam familiæ prospicere debes, 1. Tim. 6. Illos non subleuares, interim te præsentissimo periculo inuolueres. D. Paulus non uult in largiendis eleemosynis, ut alijs sit relaxatio, nobis uerò angustia. Quod si tua alijs elargiri uelis, multi occurrũt honesti & pij homines, quorum potior ratio habenda est, quàm perditorum. Nemo tamen ex hoc loco prætextum suæ auaritiæ petat, ut in necessitate constituto fratri manus auxiliares non porrigat, atq; ita contra Deum & propriam conscientiam agat. Multa enim loca scripturæ & exempla, beneficentiam nobis commendant, & præmia amplissima liberalibus ac beneficis promittunt: è diuerso, sordes & auaritiam prohibent, quibus hic Solomonis locus non aduersatur. Nam qui iter facientem de periculis & difficultatibus submonet, ab eo auocasse non censetur.

Sequitur altera pars, quæ est consilium, quo pacto se gerat, qui uel prudens uel imprudens fideiussit. *Fac nunc hoc fili mi, ut libereris, uel, & liberaberis, postquam incidisti in manum amici, uel, proximi tui.)* Si quis libertatem amisit, omni ope niti debet ut eam recuperet: at qui pro alijs fideiusserunt, liberi amplius non sunt, sed uenerunt in manum, hoc est, potestatem proximi sui. Quod uel ad creditorem, uel ad eum pro quo te obligasti, referri potest. Curare itaq; debent, ut tricis illis liberentur, uel solicitando debitorem, ut creditori satisfaciat, uel soluendo quod promiserunt. Cogitet quisq; illam actionem non fideiussione consummari: sed fidei liberatione ac persolutione. Stulti sunt qui pecuniam mutuò accipiunt hac conditione, ut multò pòst reddant: tandem enim uenit tempus præfinitum: ita stulti quoq; sunt, qui in fideiubendo securi, de futuro tempore non cogitant, quo uelint nolint satisfacere eos creditori oportebit.

Vade prosterne te.) Ad uerbum est, *Conculca te.)* id est, calcandum te præbe. Latinè possemus commodè dicere, Proijce te à pedes eius.

Et ro-

Et robora, conforta, extolle uel honora proximum tuum.) Sensus est, Si pro altero fideiussisti, mone eum, ut seipsum & te liberet. Vel, si uenit tempus ut soluas debitum creditori, & non potes, uade & humilia te coram creditore, sicut de illo Matth. 18. cap. legitur: lauda illum, & facilè placabis. Hoc si multi facerent, sæpenumero non urgerentur à creditoribus: sed quia ingrati sunt, & conuitijs agunt, implicant se multis malis. Vel, רְעֶיךָ reæcha est numeri pluralis, & sic deficit, בְּ beth præpositio, *magnifica creditorem unà cum amicis tuis.*) Alij uertunt, *robora uel multiplica amicos tuos.*) hoc est, adduc tecum omnes amicos & cognatos: nos dicimus, Küff fründ vnd maagen/ qui pro te apud creditorem intercedant.

Ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis.) Dormitare est paululum dormire, Germanicè dicimus entnucken. Ne sis securus & negligens, adhibe magnam sollicitudinem. Germanicè quoq; dicimus, Non dormiam; pro eo quod est, sedulus ero, & rem hanc diligenter curabo, non negligam occasionem. Dormire, est securum esse & supinū. Hoc sensu Christus Matth. 13. dicit, diabolum dormientibus hominibus zizania seminasse, &c. Græci quoq; dormiendi uoce sic utuntur. Nam cum Philippus rex, ut est apud Plutarchum, interdiu dormiret, & Græci ad fores conuenientes eum criminarentur: Nolite mirari, Parmeno dixit, quòd nunc Philippus dormit. Nam quando uos dormiebatis, ille uigilabat. Deinde nox propter silentium meditationi ualde est accommoda. Hinc prouerbio dicitur, ἐν νυκτὶ βουλή, eandemq; ob causam poetæ noctem εὐφρόνην appellant. *Dormire, pro securū esse.*

Elabere uelut caprea de manu (uenatoris, uel creditoris) & sicut auis de manu aucupis.) Duplici similitudine ostendit quanto studio curandum sit, ut liberemur ab illa seruitute. Primam ducit à capreis, quæ captæ nihil non tentant, ut in liberum campum, ualles & syluas redire possint. Rarò enim & difficulter cicurantur. Alteram ducit ab auiculis, quæ si ab aucupibus capiantur, tentant se tricis expedire: si caueæ includantur, rostro omnes rimas tentant, ut possint auolare. Quamuis uictus copiosè eis ministretur, mallent tamen hinc inde quærere. Hac similitudine Plautus quoq; usus est in Captiuis:

> "Liber captiuus aui ferè similis est.
> "Semel fugiendi si data est occasio,
> "Satis est, nunquam post illum possis prendere.

Ouid. 1. de Ponto:

> "Cum bene sint clausæ cauea Pandione natæ,
> "Nititur in syluas quæq; redire suas.

Officium etiam illorum pro quibus obligati sumus, est ut grati sint. Sic enim Siracides loquitur, Ne obliuiscaris gratiæ fideiussoris, nam animum suum pro te deposuit, &c. Qui non sunt solliciti quomodo benefactores suos liberent, non sunt boni uiri. Creditores quoque non importuni sint & rigidi, sed humanitatis meminerint. Hoc consilium sapientis de fideiussione, generaliter omnibus obligationibus & contractibus accommodari debet. Cauendum enim est, ne quid uoueamus uel promittamus, quod præstare uel non possimus, uel non debeamus. *Officium illorum pro quibus fideiubemus.*

5 Vade ad formicam ô piger, uide uias eius, & sapiens sis.
6 Quæ cum non habeat ducem, præfectum & dominatorem, parat in æstate cibum suum, congregatq; in messe alimoniam suam.
7 Quamdiu piger dormis, quando surges à somno tuo?
8 Modicum dormiendum, & modicum dormitādum, atq; modicum manus conserendæ in accubitu.
9 Et ueniet quasi transiens uiator egestas tua, & penuria quasi uir armis tectus.

Hæc uerba aptissimè superioribus iunguntur. Nam mox ab initio capitis, docuit non solum quàm periculosum sit fideiubere: sed etiam omnia tentanda esse, ut datam fidem liberemus. Dicis, Quid mihi agendum est, ut fidem liberare possim? Exemplo formicæ docet cauendum esse ab otio & ignauia, ac honestum laborem esse suscipiendum. Multi si non languori se desidiæq; dederent, uel æri alieno non essent obnoxij, uel honestè se liberare possent: sed quia pigri sunt & socordes, in multas difficultates incidunt. Sapiens itaque inquit, *Ito ad formicam ô piger.* Quid faciam? *Vide uias eius.*) hoc est actiones, studia, sollicitudinem, prouidentiam, & labores eius. Vel simpliciter secundum literam, consydera uias eius. Plinius enim scribit, silices inueniri formicarum pedibus attritas, & in opere semitam fieri. Finem addit, ut sapiens fias, & animum ad honestum laborem applices. Quid facit formica? Etsi duce, exactore, principe, atque etiam ratione careat: tamen hac sollicitudine prædita est, ut *Formicarū sedulitas.*

æstate cibum colligat, & in messe quando grana in agris reperiuntur, alimentum suum conuehat. Hoc igitur uult dicere, Si non moueris exemplis laboriosorum hominum (puta agricolarum, uinitorum, opificum) non legibus, non sacris scripturis, nō amicorum exhortationibus: saltem formicæ exemplo mouearis, ac pudeat tali animalculo in uiuendi ratione inferiorem esse. Non potuisset exemplum conuenientius afferre. Nam omnes excusationes desidiosorum tollit. Mira scribunt non modò prophani, Aristoteles, Ælianus, Plinius: sed etiā ecclesiastici scriptores, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, de formicarum ingenio, natura, industria, & sedulitate. Hinc inde ex agris grana magno labore comportant, quæ ipsarum onera, si cum earum corpusculis conferantur, maiora sunt. Vnde quidam formicam non à ferendis micis: sed simpliciter à ferendo dictam putāt. Morsu minora gestant, maiora trahunt, & auersæ postremis pedibus impellunt, nec antè relinquunt, quàm aliæ eis auxilio ueniant. Sedulitatem & industriam earum nihil unquam retardat, non asperitas, non itineris longitudo, nō solis æstus ardentissimus, imò ne nox quidem. Nam plena luna dicuntur opus suum exercere. Congerūt maximos aceruos, quemadmodum passim in syluis & agris cernere licet, quos si quis baculo dissipet, statim restaurant. Semina arrodunt ne rursus in fruges è terra exeant, & labor earum pereat, cibiq; inopiam incurrant. Hinc apud Hebræos & Germanos, à succidendo uel arrodendo nomē sunt sortitæ. Grana imbre madefacta ad solem proferunt, ne cō putrescant. Agricolæ obseruarunt, nunquam eo die pluere, quo à formicis frumentum exponitur. Recondūt itē quò per longā & inclementē hyemē uescātur, nec statim omnia deuorāt.

Exemplum formicarū hortatur nos ad suscipiendū honestos labores. Hinc primùm colligendū nobis est: si tantillum animal, debile, expers rationis, quod non habet ductorem (qui iter & loca pabuli monstret) non ἐργοδιώκτην (qui segnem impellat & urgeat,) non principem (qui leges præscribat, & pœnas comminetur) si, inquam, formica tam assiduè laborat, & nullum tempus suis laboribus idoneū perire sinit: quantò magis homo ad laborem natus, Iob 5. cap. & ratione ornatus, suo officio deesse non debet? Septuaginta interpretes formicæ apem adiungunt: apem adi & disce, quàm operosa sit, quamq; augustum opus exerceat. Phocylides, qui sua carmina è Sibyllinis libris suffuratus esse scribitur, omnes diligētissimè ad laborē extimulat, & inter alia etiā adducit exemplū formicarū & apū.

" Μύρμηκες (inquit) γαίης μυχάτης προλελοιπότες οἴκους,
" Ἔρχονται βιότοιο κεχρημένοι, ὁππότ' ἄρουραι
" Λήϊα κειράμεναι, καρπῶν πλήθουσιν ἀλωάς.
" Οἱ δ' αὐτοὶ πυροῖο νεοτριβὲς ἄχθος ἔχουσιν,
" Ἢ κριθῶν· αἰεὶ δὲ φέρων φορέοντα διώκει.
" Ἐκ θέρεος ποτὶ χεῖμα βορὴν σφετέρην ἐπάγοντες
" Ἄτρυτον· φῦλον δ' ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον, &c.

Labor non est unius generis. Multa extant scripturæ loca, quæ nobis laborem cōmendant, & ab ignauia reuocant. Ephes. 4. inquit Apostolus: Qui furabatur, nō furetur amplius: magis autem operetur laborando manibus, quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. Quibus uerbis nō omnibus quidem necessitas laborandi manibus imponitur: sed hoc uult dicere Apostolus, potius dura quæq; ferenda esse, quàm ut nobis aliena contra ius usurpemus. Duplex est labor, unus ingenij, alter manuum. Ingenio potissimum prosunt magistratus, ecclesiastæ, ludimagistri. Inter labores quoq; manuum, magna est diuersitas, quædam artificia alijs sunt duriora. Quisq; in sua uocatione ambulet. Ne putes illos non laborare, qui non arant, uel ligna secant. Christus concionatores operarijs connumerat. Non autem uult Deus, ut quis immodicis laboribus sese conficiat. Adhæc Paulus 1. Thess. 4. & 2. Thess. 3. ociosos homines in ordinem redigendos docet. Gentiles quoq; laborem laudant, & ocia detestantur. Draco Atheniensium legislator, eos qui ocij damnati fuissent, capite plectendos censebat. Areopagitę quoq; diligenter scrutabantur, qua arte quisq; se aleret, & desidiosos mulctabant. Massilienses neminem in ciuium numerum recipiebant, qui non honestam aliquam artem calleret. Intelligebant enim nullam urbibus pestem nocentiorem esse ocio: hinc pleraque uitia nasci, item nouas tabulas, & ciuilia bella. Omitto uarias ipsorum sententias, de labore contra ocium. Minutissimum etiam hoc insectum, quemadmodum audiuimus, docet laborandum esse, nec ocio indulgendum. Prouidendum tamen est, ne instar formicarum omnes nostras cogitationes & studia in res terrenas cōferamus, nec de alijs rebus simus solliciti, quàm ut cibo potuq; saturemur. Adhęc nobiles qui ex suis redditib. uiuūt, legāt aliquid & instruāt se, ut cōsilijs prodesse possint.

Assiduitas. Deinde discimus exemplo formicarum, etiam Plinio teste, quantum in omni re ualeat qualiscunq; sedulitas. Vtq; historicus dicit, nihil tam altum à natura constitutum esse, quò nō possit uirtus eniti. Menander apud Stobæum dicit, πάντα γὰρ ταῖς ἐνδελεχίαις καταπονεῖται πράγματα. Nihil est tam arduum, quòd assiduitas nō efficiat. Hoc enim animalculū, paulatim

magnos

magnos aceruos colligit. Durissima quoq; saxa stillis assiduè decidentibus excauantur.

Adhæc docent nos piam sollicitudinem & prudentiam, ut in futuras necessitates aliquid reponamus. Non enim in præsens tantum sibi consulunt, sed futuræ hyemis memores, cibaria comparant & recondunt. At inquis, Christus uetat anxium esse pro uictu & amictu, aut de crastino. Respondeo, Christum non prohibere in uniuersum omnem sollicitudinem: sed illam tantum quæ ex diffidentia oritur. Duplex enim est cura uel sollicitudo. Vna cum fide coniuncta, qua labore parta non prodigimus: sed damus operam ut & nos & nostros honestè alere possimus. Talis in patriarchis laudatur, & 1. Tim. 6. exigitur. Vide infrà cap. 15. uersu 6. & cap. 21. uersu 20. Prodigalitatem Deus non approbat. Deinde est alia sollicitudo quæ ex desperatione nascitur, cùm nimis anxij nos ipsos subleuare uolentes, in tentationes diaboli incidimus: non cogitantes Deum esse qui benedicat opibus, nosq; frustra fatigari, nisi ille successum dederit. Nemo igitur formicæ exemplo, ad auaritiam suam defendendam abutatur, quod uitium Horatius quoque lib. 1. Satyr. 2. notauit. Modum in quauis re tenere oportet. Vtile esset seruos & ancillas, dum florenti adhuc sunt ætate, & prospera ualetudine utuntur, interdum cogitare, Quid si in morbum incideres? quid si propter senium labores amplius tolerare non possis? ut reseruarent unde futuræ necessitati succurrerent: neque omnia temerè in sumptuosas uestes, in uina, & res inutiles profunderent. Patres familias etiam cogitent, Fieri potest ut incidas in morbum, & artem tuam amplius exercere non possis, ut prospera tempora tristia subsequantur: uis itaque ex abundantia rerum aliquid reponere in futuras necessitates, ne postea ad paupertatem miseramque seruitutem redigaris. Id quod fit quando formicas non imitamur: sed quotidie genio indulgentes, multo luxu nostra prodigimus. In Iosepho laudatur hæc prudentia, quòd fertilibus annis granaria impleuit, ut in rerum penuria, non solum Ægyptijs, sed exteris etiam posset prodesse. Laudanda est hæc cura hodie quoque in magistratibus. Sæpe enim inopia commeatus munitissima oppida ad deditionem compulit. Phalaris Agrigentinorum Tyrannus, hoc strategemate munitissima Siciliæ loca occupasse legitur. Simulato enim cum oppidanis fœdere, frumenta eis seruanda dedit. Curauit autem ut granaria in quibus condebantur, pluuiam admitterent, & sic inutilia redderentur. Illi fiducia depositi apud se tritici, abutebantur proprio. Tyrannus itaq; obsessos propter commeatus inopiam nullo negotio cepit. Quare non audiendi sunt decoctores illi, qui semel omnia esse absumenda putant. Hanc prouidentiam Deus formicis indidit, ut non simul & semel, sed paulatim, quæ collegerunt, absumant.

Prouidentia.

Cura duplex parandi & conseruandi uictum.

Discimus item occasionem non negligendam: sed suo tempore unumquodq; opus conficiendum esse. Formicæ enim colligendi uictus tempora obseruant, æstate quando campi frugibus pleni sunt, cibos colligunt, quibus hyeme uescantur. Præuident enim naturali instinctu, se hyeme in uacuis agris frustra pabulum quæsituras esse. In omnibus rebus aggrediendis & conficiendis, plurimum habet momenti occasionis & temporis obseruatio. De hac re multæ extant apud Græcos sententiæ. Veteres non sine causa occasionem Deam finxerunt, quæ à fronte capillata sit, à tergo calua. Æstate colligendi sunt fructus, hyeme frustra quæruntur. Infrà 10. cap. uers. 5. dicit: Qui congregat in æstate, prudens est: qui uerò in messe stertit, pudori se obijcit. Pulchrè dicit Ouidius:

Opportunitas non negligenda.

Dum uires anniq; sinunt, tolerate labores: "
Iam ueniet tacito curua senecta pede. Tibullus, "
At tu dum primi floret tibi temporis ætas, "
Vtere: non tardo labitur illa pede. "

Non autem ad res turpes, sed honestas uiribus & ætate utendum est. Senex apud Plautum in Mercatore, inquit: Adolescens cum sis, tunc cum est sanguis integer, rei tuæ quærendæ conuenit operam dare. Proinde non simus ignaui & desides: sed exemplo formicæ paremus in iuuentute, quibus in senectute perfruamur. Notus est apologus de formica & cicada.

Ab animalculis etiam discendum.

Elicimus præterea ex hoc loco, quòd nos non pudere debeat ex animalibus, atque adeò ex minutissimis & contemptissimis uermiculis, quæ utilia nobis sunt addiscere. Isaias exemplo asinorum qui præsepe suum norunt, & ciconiarum quæ certo anni tempore auolant & redeunt, Israelitas sui officij admonet. Christus iubet nos passeres contemplari. Quin ad uolatilia cœli, fœnum & lilia agri nos remittit, ut discamus nihil defuturum illis, qui Deum colunt. Iobis 12. item 30. cap. ostenditur, ex animalibus sapientiam diuinã percipi. Hic enim finis est inter alios propter quos conditæ sunt, ut ex eis uaria discamus. Defendunt multi idola & simulachra in templis hoc nomine, quòd sint uelut libri laicorũ, quodque ex eis multa discamus: sed profectò in formicis, & alijs animalculis, plura multò habe-

mus quæ discamus & miremur, quàm in omnibus sculptis, fictis, fusis, pictis'ue simulachris. Nam formicæ nobis quodammodo Dei naturam exhibent. Potentiam eius uidemus in eo, quòd tot & tam uaria condidit, eisq; uitam indidit: Sapientiam, quòd tam egregijs corporis & animi (ut ita dicam) dotibus, eas ornauit & instruxit: Bonitatem, quòd eas conseruat. Apparet etiam Dei bonitas erga nos, quòd eas nobis in bonum condidit, ut scilicet, quod Græci dicunt, μυρμήκια ἀγαθῶν ex eis perciperemus. In medicina enim usum suum habent: agricolis futuram tempestatem significant. Multarum adhæc & pulcherrimarum uirtutum in illis quædam simulachra nobis adumbrantur. Inducunt nos in nostri cognitionem. Videmus eas Deo obedientiam eam præstare, quam nos non præstamus. Discimus item ex illis, quàm tenuis sit nostra cognitio. Quis enim est qui uel formicæ naturam pro dignitate explicare possit? Docent item laborem (ut iam antè diximus) quem simulachra nos non docent: prudentiam, quæ in idolis nulla est. Docent nos obseruare opportunitatem temporis, quod idola nõ possunt. Valeant igitur illi cum suis mutis & cæcis magistris: & oculos ad res à Deo creatas potius conuertant, quibus suæ diuinitatis illustria uestigia impresſit. Quod si non pigere nos debet, etiam ex contemptissimis animalculis discere, multò minus ex hominibus utilia discere pigeat. Sunt enim non pauci adeò arrogãtes, qui ab alijs, etiam ecclesiasti, nisi magna authoritate & eloquentia præditi sint, discere dedignantur. Cogitandum erat Deum nobis per illos loqui, qui etiam ad formicas nos remittit. Atq; hæc sunt, quæ in exemplo formicarũ nobis proponuntur.

Mala imitatio formicarum. Sunt qui alia ratione formicas imitantur. Nam quemadmodum illæ rapto uiuunt, ita isti quoq; rapinis delectantur: quemadmodum illæ homines morsu infestant, & fructus corrodunt: ita illi hominib. molesti sunt, ore suo maledico, & sacrilega lingua, aliorũ famã rodunt.

Iam ignauum quasi crinibus arreptum, ex somno excitat, dicit enim: *Piger quamdiu dormis? quando surges à somno tuo?*) Quasi dicat, non indigebas tam longo somno. Quemadmodũ enim illi qui modico cibo & potu: sic etiam qui modico somno cõtenti sunt, meliore sanitate utuntur. Mediocris somnus, corpus reficit: immodicus ipsum conficit. Per mimesim imitatur uoces pigrorum. Cum à somno excitantur, clamant: *Paululum dormiendum, paululum dormitandum, paululum complicandæ manus ad dormiendum.*) Ad opus excitari non possunt. Etsi clarum mane, ut ille dicit, per fenestras intret: tamen negant se uel horam dormiuisse, & in oculis suis dicunt multam adhuc noctem esse. Quidam hæc uerba ita accipiunt, ut sit admonitio, parum est dormiendum, &c. Compresſis sedere manibus, apud Latinos quoq; dicitur in ociosos, & nihil aliud quàm sua fata deplorantes. Sic enim apud Liuium ab urbe condita lib. 7. legitur: Cur ueteranus dux fortissimus bello, compresſis, quòd aiunt, manibus sedeas? &c.

Quid uerò tandem fit? *Et ueniet ceu uiator egestas tua, & penuria tua ceu uir clypei.*) Ignaui illi homines, tandem ad extremam egestatem rediguntur. Hoc duplici similitudine explicat. Dicit egestatem pigrum sequi ceu uiatorem, hoc est, citò & de improuiso: & uelut armatũ, hoc est, pigrum se contra penuriam defendere non posse. Veluti si nudo & semisomni, cum uiro armis munito pugnandum esset. Idem docent alia etiam scripturæ loca. Prouerb. 21. Piger omnis est in egestate. Hoc etiam gentiles uiderunt. Plautus enim in Rudente inquit,

" Nimis homo nihili est, nimisq; id genus odi ego malè.
" Vigilare decet hominem, qui uult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt.

Exemplis abundamus ociosorum hominum, qui suas facultates dilapidant, oppignorant, æs alienum conflant, & postea rationem ineunt, quomodo de alieno helluentur. Non autem mirum est illos homines ad paupertatem redigi. Nam quia Dei præcepto, quo nos labori astrinxit, parêre nolunt, neq; formicam magistram audire & imitari: Deus eis has pœnas tandem meritò infligit. Sunt qui contrarium sensum sequuntur, nempe, si monitionem meam non contempseris, non premeris egestate & inopia: sed uelut uiator qui non diu in uno loco subsistit, & uelut uir armatus, qui castra sequens subinde pergit, paupertas pertransibit.

Allegoria. Totum hunc locum (cuius historicum, uel literalem, ut loquuntur, sensum iam ostendimus) per allegoriam etiam possumus exponere, ad hunc modum. In præsenti seculo (quod per æstatem significatur) fides per bona opera exercenda est: quia nulla facultas ea edendi in altera uita (quæ hyemi assimilatur) relinquitur. Non dormiẽdum est in uitijs, sed surgendum ad bona opera. Peccatores semper dicunt: Paululum adhuc iacebo, postea pœnitendo resurgam: sed priusquam ex ueterno peccatorum excitari queant, iudex adest. Paulus etiam nos hortatur, ut operemur bonum, dum tempus habemus: & seruator ambulandum dicit, dum lucem habemus. Pulchra sunt quæ in hanc sententiam D. Cyprianus scribit, in suo tractatu contra Demetrianum in fine. Hîc, inquit, uita amittitur & tenetur. Quando isthinc excessum

excessum fuerit,nullus iam locus pœnitentiæ est,nullus satisfactionis effectus, &c. Opportunitas itaq; non negligenda est. Augustinus in lib. contra Adimantum Manichæi discipulum,hunc locum allegoricè sic exponit: Quemadmodum,inquit,formica æstate colligit,unde in hyeme pascatur: sic unusquisq; Christianus in rerum tranquillitate (quam æstas significat) colligat uerbum Dei,ut in aduersitate & tribulationibus (quæ hyemis nomine significantur) habeat unde spiritualiter uiuat. Non enim in solo pane uiuit homo,sed in omni uerbo Dei. Terentius quoq; in Phormione eleganter dicit:

Omnes cum secundæ res sunt maximè, tum maximè “
Meditari secum oportet,quo pacto aduersam ærumnam ferant, “
Pericla, damna,exilia,&c. “

10 **Homo Belial est uir uanus,obambulans ore peruerso.**

11 **Annuit oculis suis,& uelut pedibus suis loquitur,atque docet digitis suis.**

12 **Peruersas cogitationes habet in corde suo, machinatur malum omni tempore,& immittit contentiones.**

13 **Ob id interitus eius repente ueniet, subitò conteretur absque medicamine.**

Exemplo formicæ pigros & desidiosos ad laborem excitauit, atq; ostendit ex otio & pigritia tandem extremam paupertatem: ex labore uerò & sedulitate, opulentiam consequi. Subiungit iam deinceps,descriptionem hominis Belial, quæ præcedentibus commodè annectitur. Nam pigri & otiosi homines, paulatim in magna uitia prolabuntur,ac tandem absterso omni pudore,nihil non audent,& fiunt homines Belial. Vel hoc modo superioribus coniungi potest. Magna paupertas (quam ex ignauia oriri intelleximus) quemadmodum opulentia quoque, maximorum flagitiorum est occasio, si in homines fide uacuos incidat. Hinc est quòd sapiens infrà cap.30. Deum precatur,ne inopiam ne'ue copiam sibi det. Aptè itaq; descriptionem hominis Belial superioribus subiunxit. Porrò hoc loco excutiendæ sunt animi nostri latebræ: quod si in nobis has impiorum proprietates non inueniamus,est quòd Deo gratias agamus,eumq; precemur, ut porrò nos custodiat. Sin uerò uel unam uel plures in nobis deprehendamus, pœnitentiam agamus,& studeamus contrarijs uirtutibus. Quædam hîc ponuntur quæ uulgò leuicula habentur,& apud illos quoq; admodū uulgaria sunt, qui optimi Christiani uideri uolunt: sed audimus quales sint Deo iudice.

Continuatio.

Hæc uox Belial,sæpe occurrit in sacris literis: significat autem hominem impium,& contemptorem Dei. Hebræi componunt ex בלי beli,non,& עלה alah,ascendendo,eò quòd non ascendat,hoc est,proficiat & prosperetur in suis actionibus: uel quòd non ascendat ad honores. Hinc quidam reddunt,absque honore. Vel, quòd omnes cogitationes suas in terrena & secularia conferat,nec assurgat ad consyderationem rerum cœlestium. Col. 3. Sunt qui deducant à יעל iaal prodesse,utile esse,eò quòd, ut dicitur, nec sibi nec alijs prosit. Hieron. deducit à בלי beli, non, & על ol, iugum, quasi sine iugo, quòd impius diuinæ legis iugum excutiat,& nullis uel diuinis,uel ciuilibus, uel naturæ legibus teneri uelit. Deut.13. Nomen hoc illis tribuitur,qui alios ad idololatriam sollicitant. Iudic.19.cap. illis qui Leuitæ uxorem constuprauerant. 1.Reg.21. cap. falsis testibus qui contra Naboth dixerunt. 1. Sam.1.cap. Mater Samuelis dicit Heli,qui eam suspicabatur ebriam esse: Ne reputes ancillam tuam coram Domino filiam Belial. Accommodatur etiam rebus,ut Deut.15. Caue ne sit uerbum uel res Belial,id est,impia & nefaria,cum corde tuo. Psal.18. torrentes Belial, id est,impietatis uocat. Psal.101. uerbum Belial, &c. Videamus nunc proprietates seu attributa hominis Belial. Primum, *Est uir uanitatis uel iniquitatis.*) delectatur iniquitate. Non est sollicitus de propagando honore & gloria Dei: nec studet inseruire proximi commoditatibus: sibi & alijs est inutilis,& ut Græci dicunt γῆς βάρος. Si tales homines aliquando utiles sunt,fit contra eorum uoluntatem & naturam.

Belial quid significet.

Descriptio hominis Belial.

Deinde, *Obambulat ore peruerso.*) Deus inter animantia omnia,soli homini rationis & orationis usum concesit. Maximum aūt donum est, quòd cogitata mentis per sermonē proferre possumus. Curandum itaq; nobis est,ut os rectū habeamus. Rectum uerò uocat scriptura, quod cum uerbo Dei consonat. Quando ad propagandum gloriam Dei & utilitatem proximi, lingua nostra utimur, rectè ea utimur: quando loquimur quæ,quando,& quemadmodum oportet: quando nobis cauemus à blasphemijs contra Deum & uerbum eius,à mendacio,obtrectatione, obscœnis & uanis sermonibus. His enim omnibus abutimur dono sermonis. Illis autem uitijs præcipuè pigri & otiosi homines obnoxij sunt. Cum enim per

Os rectum quid.

luxum & libidinem sua prodegerint, curiosè inquirunt in res aliorum : si quis nolit eis dare quod prodigãt, statim in cõuitia erumpunt: Adhæc si negocientur, fraudibus & dolis agunt.

Tertiò, *Annuit oculis, pedibus suis loquitur, & docet digitis suis.*) Cum peruersus homo impietatem suam per linguam effundere non potest, quemadmodum uellet: signis quibusdam oculorũ, pedum, & digitorum, prodit mentem suam. Oculis & reliquis membris, libidinis suæ, & contemptæ religionis dat indicia.

Quartò, *Peruersitates habet in corde suo.*) Hactenus de externis loquutus est: iam ad ipsum fontem bonorum & malorum descendit. Seruator noster Matth. 12. inquit, Bonus homo è bono thesauro cordis expromit bona: & malus, ex malo thesauro mala. Alio in loco dicit: Arborem bonam bonos fructus ferre: malam malos. Matth. 15, Ex corde exeunt cogitationes malæ, cędes, adulteria, stupra, &c. Intelligenda autem hæc sunt de corde impuro, quod per fidem non purificatum est. Si fons infectus sit, aqua ex illo fonte ebulliens, impura erit.

Quinto loco, *Homo Belial machinatur* (potest etiam ad cor referri) *malum omni tempore.*) Impij aliud facere nõ possunt, quàm subinde cogitare quomodo pijs sint molesti. Isaias impios mari comparat, quod non quiescit. Excitant funesta bella, & persequutiones contra pios. Exemplum habemus in Iudęis, qui dies noctesq; de Christo opprimendo cogitabant. *Omni*, inquit, *tempore*, nõ tantum semel & iterum, oblata aliqua occasione : sed tota uita sua. Noctu quando alij homines quiescunt, quin etiam quando mortui uidentur, pijs insidias struunt. Exempla multa uetera & recentia hoc testantur.

Sextò, *Immittit contentiones.*) Gratum ei est & acceptum, si posit homines coniunctißimos inter se committere. De hoc in sequentibus plura annotabo.

Exitus hominis Belial. Subiungit nunc quis tandem exitus futurus sit. *Interitus eius repentè ueniet.*) cum nihil eiusmodi expectabit: sed omnes res suas in tuto positas esse existimabit. Repete ex superioribus quę de repentino impiorum interitu annotauimus. Magnum est subitò opprimi. Si paulatim pœnæ infliguntur, possunt homines pœnitentiam agere, & ad Deum conuerti: post obitum nullus est locus pœnitentiæ. Addit: *Non erit sanitas.*) Vulnera aliquando homines accipiunt, quæ curari possunt. Sic Iob sua amiserat, postea uerò in integrum fuit restitutus. Aliquando uulnera infliguntur, quæ nulla arte medicorum curari possunt. Tale uulnus homines Belial accipient, rarò enim pœnitentiam agunt. Rident nunc, & omnia securè cõtemnunt: sed olim magno suo malo sentient, hæc omnia esse quàm uerißima. Horum omnium euidens exemplũ Nabal est, 1. Sam. 25. cap. Nos operam demus, ne simus filij Belial, sed filij Dei, ut hæreditatem filiorum Dei accipiamus.

14 Hæc sex odit Dominus: & septimum est abominatio animæ eius.

15 Oculi sublimes, lingua mendax, & manus effundentes sanguinem innocentem.

16 Cor machinans cogitationes iniquas, & pedes qui festinantes currunt ad malum.

17 Testis falsus qui profert mẽdacia, & qui mittit discordiã inter fratres.

Ad descriptionem diabolici hominis, pertinent etiam hæc uerba, in quibus septem uitia recensentur, quorum sex priora Deus dicitur odisse, septimum uerò prorsus abominari. Cæterùm hæc non tantum scire, uerum ad ea uitam nostram examinare oportet. Molestum tibi foret, si scires te ab hominibus odio haberi, at multò est grauius si quis Deo exosus sit. His autem flagitijs obnoxios odit Dominus. Non quidem affectibus obnoxius est Deus: sed humano more loquitur scriptura, ut ea quæ dicuntur, planius intelligamus. Odit, hoc est, detestatur ea, damnat & supplicijs afficit. Sic Isa. 1. cap. Odiuit anima mea solennitates uestras. More quoq; humano anima ei tribuitur. Septem illa enumerat, eleganti & naturali ordine, ab oculis primum ad os descendens, ab ore ad manus, à manibus ad cor, à corde ad pedes.

Septem uitia exosa Deo recensentur. Primùm, odio habet *Oculos elatos.*) hoc est, homines superbos & arrogãtes. Nam quemadmodum ira in oculis elucet, ita etiam superbia. Latini quoq; attollere supercilium prouerbio dicunt, arrogantiam & fastum significantes. 1. Pet. 5. cap. Superbis, inquit, Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Maria in suo cantico Luc. 1, Potentes detraxit de sedibus, & euexit humiles. Exempla multa hoc testãtur. Angelos superbientes Deus cœlo expulit, Pharaonem submersit, Saulem, Sanheribum, Hammanum, & alios oppreßit. In nouo Testamẽto legitur de Herodę Agrippa quòd ab angelo percussus, superbiæ pœnas dederit, Acto. 12. Odit igitur Deus superbos, nec mirum est: quæ enim Deo tribuere debebant, sibi tribuunt, alios despiciunt, seipsos non cognoscunt, reprehensiones uerbi Dei auersantur, &c.

Superbos detestatur Dominus.

Secundo loco ponit linguam mendacij seu mendacem. Idem etiam Dauid pater Salomonis dicit psal. 5. Mendaces odio habentur à Deo & hominibus. Deus enim homines sibi quàm simillimos esse uult: mendacijs autem diabolo similes efficiuntur. Contra mendacium multa apud Ethnicos quoq; grauiter dicta extant.

Grauitas cædis. Tertio, *Manus fundentes innocentem sanguinem.*) Atrox est peccatum humanum sanguinem temerè fundere, ut si quis ex ira & odio hoc faciat: si militatum abeat contra iusiurandum magistratui factum. Verbum enim Domini iubet illius sanguinem effundi, qui humanum sanguinem fuderit, Gen. 9. Num. 25. dicit lex, sanguine humano pollui terram, nec antè eam expiari, quàm effundatur sanguis illius, qui alterius profudit. Deut. 27, Maledictus pronunciatur, qui accipit munera & effundit innocentem sanguinem. Deus apud Isa. 1. capite negat se exauditurum preces Israelitarum, eò quòd manus ipsorum sanguine innocenti madeant. Natura enim dictat magnum esse, cædem facere. Quod si homo aliquis confossus intereat, magna est concursatio, magna trepidatio: si sontes ducantur ad supplicia, magna est commiseratio. Interim quod mirandum est, nemo stupet, si multi simul in bello iniusto pereant. Luce naturali gentiles quoq; grauitatem huius sceleris uiderunt. Id quod abunde ex Ionæ exemplo colligitur, quem nautæ (durum genus hominum) uix tandem, iussi in mare eijciunt. Cum Paulus ex naufragio enatasset, & Barbari uiperam è manu pendentem uiderent, mox suspicantur eum homicidam esse, & uindictam ab eo cui mare & homines pepercerant, pœnas exigere. Cato filio suo, ut est apud Ciceronem in Officijs lib. 1. negabat ius esse pugnandi contra hostem, nisi denuò iuramento militari à duce esset astrictus. Huc pertinent ueneficia, latrocinia, & aliæ indignæ cædes. Deus charitatem ubiq; nobis commendat, ideoq; odio habet iniustas cædes. Diabolus uerò ab initio fuit homicida. Porrò non ita iudicandum est de omnibus cædibus, ut cum quis uim ui repellens, insidiatorem inuitus cædit: uel cum quis amicum inuitus & inscius interficit (casus in lege ponitur elapsæ securis ex manubrio) uel cum magistratus facinorosos è medio tollit, aut bellum necessarium ad pacem publicam & ad fines libertatemq; defendendum suscipit. Non enim simpliciter à Solomone dicitur, manus fundentes sanguinem, sed additur, innocentem. Magistratui mandatur ut sceleratos cædat: sin autem innocentes cædat, uel etiam nocentes, ex affectibus, aut bella temeraria gerat, etiam abominationi est Deo.

Quarto loco commemorat, *Cor machinans iniqua consilia.*) Hoc additur, ne quis putet externa tantum opera Deo displicere, non interiores cordis prauos motus. Omnibus quidem incidunt prauæ cogitationes: sunt tamen qui non peccant ex humana infirmitate: sed præferentes amicitiæ signa proximo, pessimis affectibus incitati, opibus & uitæ ipsius insidiantur.

Quinto, *Pedes qui festinant ad malum.*) Peccatum suos habet gradus. Cogitare aliquid mali in corde, peccatum est: maius uerò peccatum est, si quis malum corde conceptum reipsa perficere studeat. Pedes enim festinantes, animum ad patrandum malum uehementer propensum & anhelantem significant.

Testis falsus. Sexto loco, ponit *testem falsum qui profert mendacia, aut instar follis spirat.*) Multum refert quales sint testes. Qui testimonium dare iubentur, cogitent se stare in conspectu Dei, quem nihil latet: affectus exuant amoris, odij, metus: nihil perfidè omittant uel addant: sed simpliciter & fideliter rem gestam exponant. Falso testimonio contumelia afficitur Deus, fallitur iudex, læditur proximus. Grauissima supplicia in iure ciuili constituta sunt periuris. Sunt etiam extra forum falsi testes, nempe qui uel scriptis uel uiua uoce, pijs aduersantur.

Fratres. Septimo loco sequitur omnium grauissimum, quod est, dissidia serere inter fratres. Per fratres intellige alios quoque homines coniunctissimos, ueluti coniuges, parentes, liberos, dominos, seruos, cognatos, affines, amicos, uicinos, fœderatos, & socios eiusdem religionis. Nam & illi fratres sunt, cum unum eundemq; cœlestem patrem habeant. Vide infrà cap. 16. uersu 28. Peccant igitur grauissimè susurrones, calumniatores, obtrectatores, seditiosi, falsi doctores, & schismatici, qui illos homines uel uerbis, uel alijs quibuscunq; rationib. inter se cõmittunt. Nam quò præstantior est uerus & mutuus fratrum amor, eò grauius peccant, qui eos inter se committunt. Deus est Deus pacis & concordiæ: Christus charitatis tesseram suis ex hoc mundo abiturus commendauit. Vult enim ut omnia in meliorem partem accipiant, & modis omnibus studeant, quò pax sartatecta conseruetur. Diabolus uerò totus est in hoc, ut homines rixis studeant. Non ergo mirum si pacis turbatores, Deo tantopere displiceant.

Pax et concordia bona et mala. Sciendum tamen est, non unum genus esse pacis & concordiæ. Est genus concordiæ & pacis, quod Deo non probatur, ueluti cum homines in idololatria, & sceleribus sunt con-

cordes. De hac pace Christus dicit Matth. 10, Non ueni mittere pacem in terram, sed gladium. Nam ueni ut dissidere faciam patrem aduersus filium, &c. Euangelium quidem per se non docet dissidia, subinde enim urget charitatem: sed quoniam prædicatum à multis recipitur, à multis uerò respuitur, hinc grauissima oriuntur dissidia & certamina. Mallent quidem pij in pace uiuere, sed si eam detrimentum ueritatis coniunctam habere sentiunt, dissidium potius eligunt propter ueritatem, quàm mendacia & errores propter pacem. Exempla prophetarum, Christi, & Apostolorum docent concordiam illam errorum & flagitiorum esse perturbandam. Querela hodie uulgaris est de discordia per prædicationem Euangelij excitata. Antequam sparsa esset, uociferantur, hæc noua doctrina, omnes de religione idem sentiebant, nulla erant dissidia, omnia erant pacatissima: nunc uerò omnia intestinis dissidijs feruent, & coniunctissimi quiq; distrahuntur. Ex his fructibus facile est colligere, an hæc noua doctrina ex Deo sit, cui pax & tranquillitas unicè probatur, an uerò ex cacodæmone, omnium dissidiorum parente. His clamoribus non pauci permouentur: speciosum enim & plausibile nomen pacis est. Omnes pij & moderati homines, à certaminibus & contentionibus abhorrent. At de hoc iam nihil dicam, quòd omnibus seculis fuerunt, qui Papæ Ro. contradixerunt, nec tam alta pax fuit quemadmodum isti gloriantur: sed ostendant nobis, diuinam fuisse hanc concordiam, & non uana erit ipsorum querela. Quia uerò hoc non possunt, dicimus, meliores esse dissensiones propter ueritatem, quàm pacem in erroribus & sceleribus. Recipiant Euangelium & cedant ueritati, pax erit. Filius etiam queritur, concordiam quæ ei cum patre fuit, esse ruptam, quia ei non concedit, ludere, potare, scortari, noctu discurrere. An uerò pater conseruandæ concordiæ causa, filio quiduis indulgere debet?

Hæc & alia diligenter cogitanda sunt quotiescunq; de constituenda inter Euangelicos & papistas, concordia tractatur. Multi putant ad retinendam uel recuperandam concordiam quiduis faciendum & concedendum esse. Longè alia hîc est ratio, quàm in rebus ciuilibus. Nihil concedendum est de pura doctrina propter concordiam & pacem: hac enim ratione non pax uera constituitur, sed potius perturbatur. Optanda quidem est consensio in doctrina, summoq; conatu quærenda: sed interim cauendum, ne iactura ueritatis eam redimamus. Experimur autem ecclesias, quæ semel à puritate doctrinę declinant, & aliqua saltem ex parte se corrumpi patiuntur, quod reliquum est puritatis doctrinæ, perdere. Quemadmodum uerò non statim dicendus est dissidium inter fratres serere, qui errores & flagitia publicè taxat, neque ueritatem sibi eripi finit: ita nec illi qui fratres, amicos, coniuges monent, & reprehendunt. Si dicas marito ut uxorem suam custodiat: uxor illa dicet, te perturbasse concordiam, sed in te nulla hærebit culpa. Sæpe qui amicus erat, si reprehendatur, iram exercere incipit, sed immeritò.

Quæstio, quomodo discordiam serere homicidio grauius sit.

Scrupulus hîc inijcitur, quomodo septimum hoc sit grauissimum, cum grauius uideatur, fundere innocentem sanguinem, quod præcessit: Respondeo, quosdam ita interpreterari, *Sex ista odit Dominus, & septem sunt abominatio eius animæ.*) ut sit ἐπανόρθωσις quædam, imò septem sunt. Hæc loquendi forma infrà 30. cap. etiam ponitur. Thomas in secunda secundæ, inter omnia peccata quæ fiunt, grauissimum dicit esse homicidium, tamen quo ad aliquid, seminationem discordiæ grauiorem reputari, quia directè auferat uitam charitatis & pacem, homicidium uerò uitam, &c. Habes nunc catalogum eorum peccatorum, quæ Deus odit, ex quibus etiam alia multa nascuntur. Cauendum igitur est, ne his uitijs simus obnoxij, sed contrarijs uirtutibus ex fide studeamus, ut Deo probemur.

Antichristus est homo Belial.

Hæc uitia omnia deprehenduntur in Antichristo, qui in Sibyllinis quoque oraculis filius Belial dicitur, nam quo ad oculos elatos, illo nihil est superbius, qui supra omne quod numen est Dei, sese extollit. Si linguam mendacem spectes, nihil eo uanius esse, doctrina ipsius satis superque declarat. Quantum sanguinis manus eius effuderint, & quotidie fundant, horribile est uel cogitare. Mentem impias cogitationes & consilia machinantem, tot tetra flagitia produnt. Ad horrenda scelera non pedetentim, sed laxissimis habenis fertur. Quot falsa testimonia quotidie leguntur in scriptis, & ex ore Antichristianorum audiuntur? Nihil habet antiquius Antichristus, quàm ut coniunctissimos homines diuellat.

Cur nō alia quoq; tetra flagitia in hoc catalogo ponantur.

At quæri potest, an non alia etiam sint grauiora peccata, aut æquè grauia: & si sint, cur hæc tantum ponantur? Alia esse quibus Deus non minus offendatur, negandum non est, ueluti idololatriam, impietatem, adulterium: ideo autem hæc ponuntur meo iudicio, quòd homines his flagitijs obnoxij, ferè putant se uel non peccare, uel leuiter tantum peccare. Quidam etiam de ijs glorientur, & nihilominus amici Dei haberi uolunt.

18 Custodi fili mi præceptũ patris tui, & ne deseras legem matris tuæ.
19 Liga ea super cor tuum iugiter, & annecte ea gutturi tuo.
20 Cum ambulaueris ducet te, & cum dormieris custodiet te, & cum
euigilaueris, ipsa loquetur tecum.
21 Quia lucerna est præceptum, & lex est lumen, atque uia uitæ casti-
gatio & correptio.
22 Vt custodiat te à muliere mala, & à blanditijs linguæ extraneæ.
23 Non concupiscas pulchritudinem eius in corde tuo, ne capiat te
palpebris suis.
24 Quoniam propter mulierem meretricem (*peruenit fornicator*) usq; ad
massam panis, & mulier uenatur preciosam animam uiri.
25 Nunquid fouebit aliquis ignem in sinu suo, ut uestimenta sua non
comburantur?
26 Aut si gradietur quis supra carbones, ut pedes eius non com-
burantur?
27 Sic qui ingreditur ad uxorem proximi sui, non innoxius erit, quis-
quis accesserit ad eam.

Quemadmodum terreni parentes, ea quę filijs prodesse sciunt, subinde repetunt & incul-cant: ita Deus pater cœlestis nobiscum quoque agit. Ea enim quæ nobis utilia sunt & salutaria, subinde urget. Quare cum optimè nouerit, quæ mala libidines secum trahant, subinde nos à scortatione & adulterio per Solomonem reuocat. Suprà enim similes dehortationes habuimus, & per totum sequens caput, de illo ipso negotio tractabitur. Aptè autem superioribus hæc uerba coniungi possunt. Recitauit enim quæ uitia ex otio & ignauia oriantur, quibus nunc scortationem & adulterium coniungit, quæ ex eodem fonte profluunt, secundum illud Ouidij: *Ex otio nascitur adulterium.*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus:
Contemptæq; iacent, & sine luce faces. Item
Quæritur, Ægestis quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat, &c.

Idem quoq; Dauidis exemplum satis attestatur.

Hunc autem ordinem in his uerbis obseruat. Primùm liberis commendat præcepta parentum, uel potius nobis omnibus legem & uerbum Dei patris nostri cœlestis: deinde dehortatur nos à scortatione & adulterio.

Quod ad primum attinet, *Custodi*, inquit, *præcepta patris tui.*) Parentes liberis suis ab ineunte ætate, non generalia tantum illa capita instillare debent (quæ gentiles etiam suis filijs inculcarunt) nempe ut studeant ueritati, caueant sibi à mendacio, principes suos colant, &c. sed etiam sublimiora illa, ut uerum Deum colant, ipsum inuocent, patientes sint in omnibus afflictionibus: postea alia quoq; addant. Non enim maiorem thesaurum liberis suis possunt relinquere. Hæc præcepta pueri in oculis gerere debent. *Liberi parentũ præcepta obseruent.*

Et legem matris tuæ ne deseras.) Sæpe enim fit, ut filij annis crescentibus, matrum monita contemnant: nec cogitent à Deo sibi magistras uitæ esse datas. Monet itaq;, ne matris legem reijciant. Cæterum parentum præcepta eatenus sunt custodienda, quoad cum uerbo Dei consentiunt: nam si Deo aduersentur, ipsi maior debetur obedientia. Quidam per præcepta patris intelligunt patris cœlestis, & mandata matris ecclesiæ, quæ ex uerbo Dei haurit. Sed ad sensum parum interest, nam Deus quoq; per parentes agit cum filijs. Qui parentum & ecclesiæ sana præcepta contemnunt, Dei præcepta contemnunt.

Alliga ea cordi tuo semper, & annecte gutturi tuo.) Hoc est, in cogitatione & memoria infixa tene. Sine intermissione de illis cogita & loquere: quemadmodum homines preciosa ornamenta de collo suspendunt: ita uerbum Dei in magno apud te sit precio, & semper oculis tuis obuersetur. Mulierculæ de collo suspendunt gestamina, quæ Tau appellant, paucę uerò cogitãt quã habeant significationẽ. Ezechielis nono capite legitur, quendã qui typũ scribæ & sacerdotis habuit, frontibus fidelium notam Tau impressisse, quam quidam legis nomine interpretantur: qui enim legem Dei obseruant, obsignati sunt. Hinc nimirum originem trahunt illa ornamenta, quæ pectori appenduntur: sed cordi lex imprimenda erat. Non externus ille ornatus, sed interior mulieribus ab Apostolis commendatur. *Cum ambulaueris ducat* uel *ducet te.*) Etiam cum iter facis, meditare legem Dei. Multa subinde in uia occurrunt, quæ *Tau.*

nos adducunt in admirationem uirtutum & operationum Dei. Christus in itinere discipulis euntibus Emaunta, legem & prophetas interpretatur. Psaltes quoq; legem uocat lucernam pedum nostrorum. *Cum dormieris excubabit super te.*) In eorum meditatione obdormi. *Cum euigilaueris, ipsa alloquatur te.*) Sit tibi instar sodalis sermones tecum conferentis. Cum primum è somno expergefactus fueris, uerbum Dei in mentem reuoca.

Fructus uerbi diuini.

Vel hunc uersum ita intellige, quòd fructus seu beneficia legis diuinæ comprehendat. Lex ducet te, aderit tibi bonus consultor, tuiq; curam habebit indefessam. Qui enim uerbum Dei seriò amplectuntur, securi sunt ab omni malo, siue domi siue peregre agant, uigilent aut dormiant. Sciunt enim fideles ex uerbo Dei, quòd propitium habent Deum propter Christum, & in medijs afflictionibus in Deo exultant. Addit, *Præceptum.*) scilicet parentum, uel ipsius Dei, *Est lucerna.*) Quemadmodum enim lucerna in tenebris lucens, nobis uiam monstrat, ne impingamus: ita lucerna uerbi Dei in mundi tenebris, cursum nostrum dirigit, conscientias serenat, uerumq; in nobis gaudium parit. Traditiones uerò humanæ, densissimæ sunt tenebræ, quæ homines non explicant, sed implicant, & in extremas miserias conijciunt, id quod sub Antichristo multi reipsa experti sunt. *Correptio est uia uitæ.*) Correctio ut in œconomia & repub. ita in ecclesia ualde est necessaria. Nam in uia uitæ nos & retinet, & in eam nos reuocat. Quando homines propter scelera corripiuntur, sæpe in se descendunt, atrocitatem peccatorum uident, & in uiam salutis redeunt, quibus alioqui pereundum fuisset. Proinde correptio æquo animo est ferenda.

Hactenus dixit de encomio & obseruatione legis: sequitur secundus locus, qui continet dehortationem à scortatione & adulterio. Est autem & hoc legis beneficium, quòd nos contra hæc & alia uitia munit. Per mulierem malam, sicut per extraneam, intelligit meretricem & adulteram. *Vt custodiant te à blanditijs & adulationibus linguæ mulieris extraneæ.*) Blandiuntur suis sermonibus, paradisum promittunt, ubi reuera infernus est. Plautus in Bacchid.

Lingua blanda.

" Miserius nihil est, quàm mulier.
" Viscus merus uestra est blanditia.

Idem in Truculento:

" Meretrix meum herum
" Miserum sua blanditia intulit in
" Pauperiem, priuauit bonis, luce, honore atq; amicis, &c.

Ab his blanditijs, & illecebris, liberat nos studium uerbi Dei. Quod antidotum inprimis necessarium est uirginibus & matronis, ne ipsarum pudicitia, lenarum & adulterorum blandis sermonibus, in discrimen adducatur. *Non concupiscas pulchritudinem eius in corde tuo.*) Non indulgendum est oculis: quod si oculi fuerint saucij, cordis tamen ualetudo curanda est. *Ne capiat te superciliis suis.*) Supercilia, sicut & oculi, faciem hominis pulchram & deformem reddunt, hinc quidam supercilia tingunt ad uenustatem augendam. Vnde Satyricus:

Pulchritudo.

Supercilia.

" Ille supercilium madida fuligine tinctum
" Obliqua producit acu.

Nihil igitur aliud dicit, quàm quod modò dixit. Ne capiaris forma eius, multos enim forma muliebris decepit. Vel nutibus oculorum, quibus signa dant, & stolidos pelliciunt, ne capiaris. Auerte oculos à muliere alterius: non quòd simpliciter nefas sit aspicere aliquam: sed si quis aspicit ad concupiscendum, ille peccat. ἐκ τοῦ ὁρᾶν dicunt Græci, γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Propertius dicit: Si nescis, oculi sunt in amore duces: quod explicat Erasmus in suis Chiliad. De hac re uide Chrysost. 17. Hom. in Matthæum. Santes uertit, *Neque te capiat splendoribus suis.*) Vox עפעפים apheapaim (quæ deriuatur à uerbo עוף oph uel עפה aphah, id est, uolare uel uibrare) & palpebras, & fulgorem uel claritatem significat. Idem autem erit sensus cum superiore.

Rationes subiungit quibus nobis persuadeat, ut ab his sceleribus nobis caueamus. Prima sumpta est à periculis: altera à grauitate peccati, quam collatione adulterij & furti ostendit. *Propter mulierem meretricem usque ad buccellam*, siue, *frustum panis ueniet scortator.*) Fit interdum ut scorta mœchos conducant magna pecunia: plerunque tamen scorta magnis sunt alenda sumptibus. Prouerbium apud Germanos circumfertur, scortatores rarò altas ædes ædificare, eò quòd plerunque ad extremam paupertatem redigantur (de quo suprà etiam diximus) ita ut ostiatim panem emendicare cogantur. Iob certè cap. 31. fatetur adulterium peccatum esse, quod instar ignis omnia absumat ac deuoret. Vetus interpres hęc uerba ad uilitatem scorti retulit, ut sit sensus, *Meretrix cum ualeat unum panem*, id est, cum sit uilissima, &c. Sed leue est hoc periculũ præ illo quod sequitur. *Mulier uiri.*) scilicet, alterius

Scortatio pauperes reddit.

(alij

(alij cum anima coniungunt) uenatur *preciosam animam.*) Per hæc flagitia homines animæ iacturam faciunt. Mœchi enim sæpe de improuiso iugulantur, ut pœnitentiam agere nequeant. Deinde qui spiritu fornicationis agitantur, nullis admonitionibus commouentur, sibi ipsis placent in scelere, & miserrimi tandem, ni Deus ipsis manum porrigat, euadunt. Dicit, *Venatur, uel, insidiatur animæ.*) Metaphora ducta à uenatoribus, uel aucupibus. Meretriculæ quæ fuco suo & uerborum illecebris sese amatoribus uenditant, aues illectrices, canes uenaticæ, & retia sunt diaboli. Ac quò constantiores in illo suo amore meretricio sunt, tanto magis periculum & sibi & amatoribus suis creant. Animam uocat preciosam, quoniam cum anima ne mundus quidem comparari debet. Christus inquit Matt. 16, Quid prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturam fecerit? Quando igitur à diabolo & carne tentamur, hæc cogitanda sunt. August. in libello de honestate mulierum tomo 9. adducto hoc loco exclamat: ô quanta iniquitas, ô quanta peruersitas, quòd animam quam Christus suo sacro sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis, diabolo pessimo inimico uendit, ac tradit. Verè nimium miseranda & plangenda conditio est, ubi citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus transit; & permanet sine termino animæ infelicis opprobrium, &c.

Anima preciosa.

At mihi dicis, Cautus ero, non meretrici me regendum dabo, neq; mihi mentem eripi patiar. Quid fidendum sit meretricibus, multorum exemplis edoctus, haud ignoro. Cauebo adhæc ne quis rescíscat, ne' ue pœnas luam. Duplici igitur similitudine ostendit periculosum esse, nimis familiariter cum scortis uersari: nec sine macula aut damno illos euadere, qui rem habent cum uxore proximi.

Num capiet uir, uel quispiam, ignem in sinu suo, & uestimenta non comburentur? aut incedat aliquis super prunas (nudis pedibus) & pedes eius non comburentur? Sic qui ingreditur ad uxorem alterius, non innoxius erit.) Ingredi ad uxorem alicuius, primùm significat, uersari cum ea. Quod quàm periculosum sit, pulchrè docet August. in libello de honestate mulierum. Deinde Hebræi usitata phrasi, ingredi ad mulierem, usurpant pro rem habere cum ea. Gen. 29, Da mihi uxorem meam, ut ingrediar ad eam. Sensus igitur est, Qui rem habet cum uxore proximi, non immunis erit, scilicet, à pœna. Quæ loquutio etiam infrà ponitur, 19. cap. Qui lætatur calamitate alterius, non erit immunis uel innocens: & iterum, Testis falsus non erit immunis. In Decalogo dicitur, Non habebit insontem qui nomen Dei uanè sumpserit, id est, non sinet impunitum. Id similitudinibus alijs quoq; peccatis accommodandis declarat. Vitanda sunt, inquiens, praua sodalitia & colloquia: nihil enim est quod dicis, scio quid faciendum sit uel fugiendum. Qui in uestimento ignem gerit, uestem perdit: qui incedit super prunas nudis pedibus, læditur: ita qui cum prauis hominibus consuetudinem habent, aliquid semper uitij contrahunt. Qui attrectat picem, ab ea inquinatur. Similitudine illa ignis Socrates quoq;, quamuis paulò aliter usus est cum dixit: οὔτε πῦρ ἱματίῳ περιστείλαι δυνατὸν, οὔτε αἰσχρὸν ἁμάρτημα χρόνῳ. Glossa totum hunc locum (quemadmodum etiam superiores de scortatione & adulterio) de hæreticis intelligit, qui sub specie meretricis intelligantur.

Ingredi ad uxorem alicuius.

Allegoria.

28 Non reputant probro furi, quando furatur ut adimpleat animam suam: esuriens enim facit.

29 Et deprehensus reddit septuplum, & totam substantiam domus suæ rependit.

30 Qui autem adulterium committit cum muliere, is deficit corde, & qui uult perdere animam suam, agit in hunc modum.

31 Plagam & ignominiã inueniet, atq; opprobriũ eius non delebitur.

32 Zelus enim est furor uiri, & non parcit in die ultionis.

33 Non accipit faciem ullius placationis, nec acquiescet etiam si multiplicaueris munera.

In postrema parte huius capitis, dehortatur Solomon homines ab adulterio: utq; magis eos permoueat, ostendit paupertatẽ, & æternã infelicitatẽ ex eo cõsequi. Sequitur iã de grauitate huius sceleris. Nã furtũ & adulteriũ quasi in trutina ponderãs, adulteriũ furto quod ex paupertate committitur, grauius esse pronunciat. Non quòd furtum eleuare uelit (contra quod lex posita est in decalogo, quæ sæpe repetitur, & infrà dicet, cap. 29. Odit animam quicunq; furis socius est. Paulus item, 1. Cor. 6. Fures regnum Dei non possidebunt: & ad Eph. 4. Qui furatus est, ne furetur amplius) sed quòd furtũ, licet ex se fœdũ sit, tamen comparatione peccati maioris, non ita fœdum uideatur. Sic Ezech. 16. capite dicit: Sodomitas melio-

Grauitas adulterij collatione furti ostenditur.

Furtũ graue peccatũ.

res esse Hierosolymitanis, non quòd illos purget, sed quòd hos deteriores arguat. Siracides 20. cap. Potior est fur, inquit, quàm qui assiduè mentitur. Vbi furtum respectu assiduitatis mentiendi extenuatur, ut hoc loco respectu adulterij.

Collatio est odiosa. Hæc collatio malè sonat in auribus adulterorum. Num inquiunt, me fure peiorem putas? Non equidem me ideo inhonestum existimo, etsi adulterium committam: non pugnat cum natura quod facio. Quasi uerò peccatum esse desinat, quod ipsi peccati loco non habent. Est quidem hoc nostrum ingenium: at secundum Dei mentem de rebus omnibus est iudicandum. Dura sunt hæc uerba, fateor, sed tamen uera. Nec est quod nobiscum hac de re contendas, cum Deo ipsa ueritate, non nobiscum expostula, & iube ut recantet suam sententiam. Cæterum si uerba positis affectibus, diligenter expendamus, fateamur necesse erit, adulterium uirorum & mulierum, simplici & uulgari furto peius esse: causæ enim indicantur, quæ id cuiuis sano facilè persuadent.

Non contemnent, aut uilipendent, furem, qui furatur ut impleat animam suam.) Primum si fur suadente & instigante fame, furetur esculenta ut stomachum placare possit: seuiente frigore, pannum uel uestes, ut frigus depellat, non exprobramus ei, sed condolemus: irascimur potius auaris diuitibus, qui nulla tacti misericordia, esurire & algere eum passi sunt. Dicimus, ah nunquam antè furatus est, cauebit sibi deinceps. Necessitas eum impulit, fames malesuada est, dura paupertas audacem fecit. Fame mori miserrimum est, æquè miserum frigore perire. *Fame nihil miserius.* Dionysius tyrannus cùm alios sceleratos homines diris afficeret supplicijs: his tamen ignouisse legitur, qui uestes furati essent, quò facilius Syracusanos suos luxuria submoueret. Suidas prouerbij nomine refert, πεινῶντι κλέπτειν ἐσθ' ἀναγκαίως ἔχον, uiro esurienti necesse est furari. Non quòd idonea excusatio sit, si quis dicat se necessitate compulsum, furtum admisisse. Verbum enim Dei, laboribus manuum uictum iubet parare: à Deo uictum petere, & ab eius prouidentia pendere: esurire, & fame potius mori, quàm aliena subripere: ad hunc tamen modum homines quibus sua ablata non sunt, furem excusant. Deinde res illæ quas furatur, puta aurum, argentum, uestes, cibaria, nihil sunt comparatione coniugis. Adhęc furtum restitui, & ille cui furto aliquid sublatum est, si uel sua uel etiam meliora recipiat, facilè placari potest. Lex Dei Exod. 22. cap. præcipit, Si quis furatus fuerit bouem (intelligit alias etiam grandiores pecudes) aut ouem (intelligit minora pecora) & occiderit, uel uendiderit, quinque boues pro uno restituat, & quatuor oues pro una oue. Item, si inuentum fuerit apud eum quod furatus est uiuens, siue bos, siue asinus, siue ouis, duplum restituat. De rebus inanimatis, puta de uestibus, auro, argento, duplum restitui debuit. Si fur reddendo non erat, uenundabatur, & de precio eius satisfiebat illi qui damnum accepisset. Nec permittebat lex furem occidere: nisi hoc casu, si noctu effringens domum, uel effodiens, fuisset inuentus armatus: tunc enim percussor sanguinis reus nō erat. Quòd si orto sole hoc fecisset, & ipse mori debuit. Deinde plagium etiam erat capitale, Exod. 21. Quòd autē hîc dicitur, *Reddit septuplum, & totam substantiam domus suæ.*) sic est intelligendum: plenam & perfectam facit restitutionem, *Pœna furti.* ut numerus septenarius non præcisè capiatur. Sic Psal. 79, Redde uicinis nostris septuplum, in sinum eorum. Nam numero septenario perfectio designatur, eò quòd septem dierum numero totum tempus euoluatur & computetur. Si ille cui per furtum aliquid sublatum fuit, aliter placari non potest, omnes suas fortunas & facultates ei confert. Vendit item quæ habet, uel uenditur ipse, adhuc tamen uitam retinet. Vel, fieri potest, ut propter incrementum furti, additum fuerit ad pœnam legis, ut homines à furtis cohiberetur. Hoc certum est, quòd non fuit fas illi, cui sua sunt sublata, furem interficere. De hac re tractat Thomas in prima secundæ.

Adulter grauius peccat fure. Econtrà nunc mœchum consyderemus, & facilè apparebit, eum grauius peccare. Peccata enim non sunt æqualia, ut Stoici sentiebant. Pauperi peccandi occasionem fames præbet: adultero autem omnis adempta est excusatio. Nam id quod facit, ex defectu rationis facit, non coactus, sed spontè ex mera malitia, non ad implendam animam, sed ad perdendam. Verùm obijcis, compellitur naturali concupiscentia. Respondeo, uel uxorem habet, uel non habet. Si uxorem habet, cur sua non contentus, thorū alienum uiolat? Si non habet, cur non ducit propriam, & eo remedio utitur, quod Deus ei propter infirmitatem carnis concessit? Cur uiolat ordinem à Deo institutum? Chrysost. super uerbis Isa. Vidi Dominum, &c. Hom. 3. multis ostendit, adulteris omnem excusationem ademptam esse. Deinde preciosior est uxor in qua adulter iniuriam proximo facit, quibuscunq; rebus quæ per furtum auferuntur. Nullus est (non loquor de lenonibus) qui non mallet furem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendere, quàm adulterum. Si honestatis sis amans, malo, inquis, ut fur omne meum aurum & argentum auferat, domumq; exurat, quàm adamatam coniugem uitiet. Adhæc adulter satisfacere ei cuius

uxorem

uxorem corrupit, restitutione nequaquam potest. Non enim uxorem probam & honestam reddet, sed adulteram. Ideoq; maritus adultero non placatur, sed tanto zelo furoreq; agitatur, ut nec uelit, nec possit mœcho parcere, quantumuis nobili, & ueniam deprecanti, ac tantum non aureos montes promittenti. *Non uolet*, inquit, *non concupiscet, si multiplicaueris munera.*) Nisi leno sit & stomachum quiduis concoquentem habeat, qualis ille fuit, qui adultero in scelere deprehēso dicebat: Vix mihi temperare possum, quin pileum tuum in plateam proijciam. Quæri autem potest ex hoc loco, an iure diuino mœchum cum uxore ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensum occidere liceat, quam quæstionem in finem capitis reijciam. Sunt & alia quæ ostendunt furtum adulterio esse leuius. Vt quòd Deus priore loco adulterium in decalogo uetuit, posteriore furtum, &c.

Quin adulteri & adulteræ furtum quoque & rapinam committunt. Paulus enim 1. Cor. 7. disertè ostendit uirum non habere sui corporis potestatem, sed uxorem. Et è contrario, uxorem non habere potestatem corporis sui, sed maritum. Vna caro sunt maritus & uxor. Et erunt, dicit scriptura, duo in carne una. Si itaque maritus usum corporis sui alienæ communicat, in uxorem propriam est iniurius. Similiter uxor quoque, si corporis sui potestatem alteri facit, non suum, sed mariti corpus prostituit & perdit. Alienum bonum aufert hero proprio, alteriq; communicat. Corpore autem nobis quid est charius? Deinde adultera furatur famam mariti, spoliat eum honore & existimatione sua, qua nihil est excellentius. Infrà 22. cap. dicit Solomon, famam præferendam esse multis opibus, &c. Suspicantur enim homines, quòd mariti uxores suas adulteras, scientes propter quæstum adulteris prodant: cum multi sint, qui uitam suam in certissimum discrimen offerrent, ad delendam hanc familiæ maculam, si sinistri aliquid de suis uxoribus suspicarentur. Filijs etiam magna fit iniuria: nam habentur pro spurijs, etsi sint legitimi. Accedit etiam hoc, quòd legitimi liberi propria hæreditate spoliantur. Nam si adultera liberos suscipiat ex adultero, ibi filij ex adulterio nati, cum liberis ex marito susceptis, ideoq; legitimis, æqua portione paternam hæreditatem diuidunt. Deinde maritus spurios cogitur educare, & idem misero accidit, quod currucæ & luteolæ, in quarum nidis cuculus oua parit, nec ipse incubat: sed auiculæ in quarum nido pepererit, oua illa incubant, excludunt, & pullos suppositios enutriunt, eorumque specie ita feruntur delectari, ut nutriendo eos famem ferant, cuculus uerò nidum repetens, nutricis pullos & matrem aliquando ipsam deuorat. Si hæc non est iniuria, nescio quid sit iniuria. Fit etiam, ut adulteræ in mœchos suos mariti opes conferant, sumptuosis conuiuijs multum absumant, remque familiarem negligant. Si mariti adulterium committant, uxoris fama & existimatio non læditur. Sciunt enim omnes, ipsa inuita & nolente, hoc fieri. Deinde non cogitur liberos alienos domi suæ nutrire, & partem suarum opum eis relinquere, fraudatis proprijs hæredibus. Omitto nunc quòd in causa sunt, ut homines sæpe matrimonio iungantur, quos coniungi fas non est. Omitto ueneficia, cædes, proditiones, bella, & alia multa quæ ex adulterijs oriuntur.

Adultera grauius peccat adultero.

His & alijs multis de causis, non solum in populo Dei, sed etiam apud gentiles, adulterium capitale fuit. Leuit. 20, Si mœchatus quisquam fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur mœchus & adultera. Quæ lex Deut. 22. repetita & confirmata est. Ex hac pœna licet colligere grauitatem adulterij. Maiora enim flagitia grauiori pœna cohercentur. Deus adulterium morte dignum iudicat, non furtum. Non quòd furtum æterna morte dignum non sit, loquimur enim iam de ciuilibus pœnis tantum. Apud ueteres Germanos, teste Cornelio Tacito (qui temporibus Tiberij Imperatoris uixit) pœna uxoris in adulterio deprehensæ, in uoluntate & arbitrio mariti erat posita.

Adulterij pœna.

Bonifacius primus Archiepiscopus Moguntinus, alio nomine Vunnifridus dictus (qui Pipini temporibus à Gregorio II. papa, in Germaniam missus est ad prædicandum Euangelium) in quadam epistola regem Angliæ obiurgat propter adulteria, & inter alia scribit: Saxones etiam priusquam ad Christum conuersi sunt, adeò detestatos esse stupra & adulteria, ut stupratas & adulteras strangulatas deinde cremarint. Stupratores uerò & mœchos supra rogos suspenderint & ustularint, donec morerentur. Opilius Macrinus Imp. adulterij conuictos, simul iunctis corporibus uiuos cremauit: meminit huius rei Iulius Capitolinus. Aurelianus, arborum duarum inflexis cacuminibus, ac ad pedes religatis, mox dimissis, adulteros diuulsit. Apud Romanos lex Iulia adulteros capite plectebat. Durauit ea lex longo tempore. Apud Turcas fertur in adulterio deprehensos, absq; misericordia lapidibus obrui: nec non scortatoribus suam pœnam esse propositam.

Cæterum patroni adulteriorum dicunt, In lege Dei pœnas quidem capitales contra adul-

teros esse constitutas, uerùm in exequutionem non uenisse. Dauidem enim adulterum non esse lapidibus obrutum. Quin Christum pœnã illam, adulteræ ignoscendo, penitus sustulisse.

De Dauide adultero nō sumptū est supplicium. Ad hæc, ne quis seipsum decipiat, paucis est respondendum. Quod primum attinet, non quidem sumptum est supplicium de Dauide secundum legem, rex enim erat, nec habebat superiorem iudicem in terris. Quid uerò interim accidit? Propheta denunciat ei uerbis & nomine Dei, gladium non auferendum de domo eius. Id quod postea factum esse sacræ literæ testantur. Multas enim calamitates in liberis cogitur aspicere. Ammon Dauidis filius Thamarē sororem suam ex patre, ui compresit. Id postquam Absalon resciuit, ad uindicandum iniuriā sorori germanæ illatam, Ammonem in conuiuio gladio transuerberauit. Postea idem Absalom blandis uerbis apud plebem se insinuauit & seditione excitata, patrem nihil non de hoc filio sibi promittentem, nudis pedibus, regno expulsum ad pœnas expetiuit. Vxores patris in propatulo constuprauit, sequutumq; est prælium atrox, in quo Absalom & multa millia seditiosorum perierunt. Non'ne satius fuisset Dauidi semel perire, quàm toties mori?

Christus ignouit adulteræ. Quoad secundū, de adultera Ioan. 8. Ignouit huic quidem Christus: at quibus uerbis, perpende: interrogat eam, Nemo te condemnauit mulier? Illa respondet, Domine, nemo. Subijcit Dominus: Nec ego te condemno. Ac si dicat, si condemnata fuisses à iudicibus, sententiā ipsorum nequaquam reuocarem. Non enim ueni ad abrogādum legem Dei: sed cum tibi iudices pepercerint, nolo ego ipsorum munus mihi usurpare. Sic cum ab illo rogaretur, ut sibi adesset in diuidunda hæreditate, negauit hoc sui esse officij. Nondum uenerat Christus ad iudicandum mundum, sed ad seruandum. Si alius facinorosus ei fuisset oblatus, non condemnasset eum ad supplicium: sed adhortatus fuisset ad pœnitentiam. Vides itaque ex his, legem contra adulteros, licet Dauid non lapidatus sit, suam tamen exequutionem habuisse, & Christum hanc legem non sustulisse.

Cur hodie adulteria nō puniantur. Quî fit igitur quòd apud multas gentes adulteria impunita sint? Dicam quod mihi uidetur. Postquam Antichristus cœlibatum ecclesiarum ministris per uim obtrusit, patefacta est latissima fenestra scortationi & adulterijs. Ministri ecclesiarum remissi fuerunt in taxandis his sceleribus, quibus ipsi præcipuè erant obnoxij. Principes item & magistratus, qui ijsdem flagitijs laborabant cōnixerunt, nec usi sunt ea qua debebant seueritate in ijs cohercendis. Læti sunt, ecclesiastas hac in parte sibi non esse molestos. Opes enim subditorum, honestis titulis ad se rapere possunt, uxores non item. In iure Pontificio adulterium leue peccatum appellatur: unde factum est, ut admodum sit uulgare. Similiter Antichristo debemus, quòd cædes ad quas gentiles quoq; exhorruerūt, inter Christianos hodie tam sunt uulgares. Conduxit enim milites, quibus pios principes opprimeret, suisq; illis militibus largas indulgentias promisit: hinc est quòd multi humani sanguinis effusionem nihili faciunt.

Adulteria grauiter puniri debent. Quia uerò uidemus adulteria in tam uulgarem usum abijsse, eò maiore seueritate legum cohercēda sunt. Quemadmodum furta grauius puniūtur, quàm lege diuina sit præscriptum, nimirum quòd fures pœna illa legali cohiberi nō potuerunt (possunt enim magistratus pro ratione temporum & morum, in bonum reipublicæ pœnas aggrauare) ita ob eandem causam, etiam adulteria grauiter puniri debebant. Profectò illi quorum erat crescenti malo occurrere, nisi suum diligenter fecerint officium, pœnas grauissimas dabunt.

Habemus nunc collationem illam, inter furtum & adulterium, quæ contra mundi peruersum iudicium sæpe multumq; expendenda est, ut matrimonium sanctè colamus, & adulterium singulari odio prosequamur. An'non magna est illa hominum cęcitas, quòd multi adulterij nomine sibi placent, at fures uocari etiam ioco, intolerabile esse iudicant?

Quęstio, an maritus mœchum cum uxore deprehensum occidere poßit. Ex hoc capite nascitur quęstio: An mœchum cum uxore ἐπ᾽ αὐτοφόρῳ, marito iugulare liceat. Ostendam autem uarijs rationibus, quòd non licere uideatur. Scio quidem, hæc multis superuacanea uideri: omnes enim mariti dolori ignoscimus, stultumq; hominem illum esse dīcimus, qui petat à magistratu sibi ius dici de adulterio: sed nō secundum uulgi iudicia & mores, de peccatis est pronunciandum. Quomodo pœnitentiam aget, qui se peccasse non agnoscit? Propter afflictas itaq; conscientias quædam sunt annotanda. Deus disertè dicit: Non occides. Quo præcepto non tantum priuatam uindictam externam prohibet: sed etiam uindictę cupiditatem, iram, odium. Postulat charitatem erga omnes, etiam inimicos, sicut Christus disertè dicit, Diligite inimicos uestros, &c. Vindictam sibi uult cōmitti, quam exercet uel manu propria, uel angelorum aut magistratuum ministerio. Non uult ut uindices simus nostrarum iniuriarum. Deinde nulla habemus scripturæ loca, uel exempla quæ ostendant, maritis hanc potestatem esse concessam. Priuatis omnibus præscribitur, ne occidant. Adhæc quantū fieri potest, omnes curare debemus, ut peccatores in uiam salutis per pœnitentiam reuocentur: at impeditur pœnitentia, si homines in ipsis sceleribus de improuiso iugulentur. Nec pos-

Argumenta quæ ostēdunt nō fas esse.

sunt

sunt Deo probari quæ ex iræ impulsu proficiscuntur, hæc autem cædis species non aliam habet originem. Sancti quoq; patres non probant tale homicidium. August. de adulterinis coniugijs ad Pollentium lib. 2. aliquot rationes affert, quibus ostendit priuatorum hominum non esse, ut pœnas ab adulteris exigant. Quin patribus & concilijs etiam displicet, quòd magistratus, adulteros capitali supplicio afficiant: sed quàm rectè ex uerbo Dei non difficile est uidere. Sunt aliæ rationes quibus maritus ab adultera liberari potest. Implorare potest opem magistratus, qui ius habet gladij, & diuortium petere, &c.

Argumētā illorū qui putant cōcessum esse.

Posset autem mihi obijci, quòd ex hoc loco Solomonis colligatur, consuetum fuisse Israelitis iugulare deprehensos in adulterio. Respondeo, Solomonem ostendere quid factum sit, non quid fieri oportuerit. Quanquam hæc uerba, *Furor uiri non parcit in die ultionis, non accipiet dona,*) sic accipere possimus: Maritus accusat deprehensos apud magistratus, ut de eis secundum leges pœnas sumant. Quidam per uirum, Deum intelligunt, qui non impunè dimittat, nec sacrificia acceptet, &c. Deinde obijci posset, quòd nocturnum furem interficere liceat, Exod. 22. Adulterum uerò Solomonis iudicio fure peiorem esse. Respondeo, Non quidem actio sanguinis contra interfectorem nocturni furis instituebatur, quia illum qui noctu ædes ingreditur, præsumimus ingredi ut interficiat. Debet autem paterfamiliàs uitam suam & suorum, aduersus uim iniustam defendere. Non debuit eum occidere, si uim illius citra necem reprimere poterat. Hîc autem longè alia est ratio. Quòd Pinhas scortantes interfecit, factum singulare fuit. Obijcitur usitatus mos, obijciuntur leges quibus hoc concedatur. Adulterum ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensum apud Græcos interficere licuisse, testatur Lysiæ oratio, in qua de Eratosthenis adulteri nece agitur. Polyb. etiam lib. 2. histo. Si mœchus interficiatur, esto, inquit, impune: quod legum Grecorum fragmentum esse uidetur. Plato lib. 9. de legibus, etiam lege sanxit, quòd adulterum maritus interficere impune possit. Gellius lib. 10. capite 22. ponit orationem M. Catonis, ex qua apparet marito licuisse & adulterum & adulteram interficere. Quæ potestas postea lege Iulia, marito est sublata, adulterum enim tantum occidere licuit, non adulteram, fortè præter reliquas causas, quas afferunt, etiam ob hanc, ne fœtus aliquando in utero materno interimatur. Non autem simpliciter licuit marito adulterum occidere, sed deprehensum in scelere, & in domo sua: si adulter aliquoties fuisset admonitus, & maritus uxorem suam & mœchum colloquentes incidisset, etiam extra domum mœchum occidere potuit. Nec quemuis occidere licebat, sed plebeium tantum. Generosis personis parci debuit, nimirum ne respub. turbaretur. Patri filiam in adulterio deprehensam cum adultero occidere concessum fuit in domo sua, & in domo generi. Si uerò maritus ex calore iræ, adulterum etiam occidisset, datum est aliquid iræ: non enim lege Cornelia de sicarijs tenebatur. Ad hæc respondendum est: si occidere licuit, non bene licuit, secundum patres. Concedunt leges humanæ etiam alia quædam, quæ Dei uerbum non concedit. Si quis obijciat, licere uiatori se defendere contra latronis impetum, eumq; impune occidere. Armari enim eum à magistratu, nec esse priuatum. Ita etiam armari maritum, maximè cum magistratus supplicium capitale non amplius contra adulteros exerceat. Respondeo, Casum non esse parem. Nam illo articulo temporis neque magistratus auxilium implorare, neque latronem in ius trahere potest, & ab eo liberari. At maritus potest hoc facere. Præterea si uiator se defendat animo occidendi latronem, non absoluitur: sed si casu hoc fiat, & aliter sese eripere non possit. Deinde quomodo priuato gladius à magistratu porrigitur, cum ipse magistratus deprehensos & conuictos, supplicio non afficiat? Sed hanc quæstionem iurisperitis diligentius uentilandam relinquo.

CAPVT VII.

CVstodi fili mi uerba mea, atq; præcepta mea reconde apud te.
2 Custodi mandata mea, & uiues, atque legem meam uelut pupillam oculorum tuorum.
3 Liga ea super digitos tuos, & scribe ea super tabulam cordis tui.
4 Dic sapientiæ, soror mea es tu, & amicam uoca intelligentiam.
5 Vt custodiant te à muliere extranea, & ab aliena, quæ blanda facit eloquia sua.
6 Ego quidem per fenestram domus meæ, & per cancellos meos prospexi.

7 Vidiq; inter imperitos, & animaduerti inter filios, iuuenem corde
deficientem,
8 Et transeuntem per plateam, iuxta angulum (*domus*) eius, atq; ince-
dentem per uiam domus eius.
9 In crepusculo diei uespertino, in caligine noctis, & in tenebris ipsis.
10 Et ecce mulier (*uenit*) in occursum eius, apertis signis scortationis,
(*solum*) cor erat absconditum.
11 Clamosa erat, & ad declinandum parata, cuius pedes domi consi-
stere nequiuerunt.
12 Modò enim foris, & modò in plateis, iuxta quemcunq; angiportum
insidias struebat.
13 Apprehēsoq; illo osculata est eū, atq; impudenti facie dixit ad eum:
14 Sacrificia pacificorum (*fuerunt*) super me: hodie reddidi uota mea.
15 Et ob id exiui in occursum tuum, ut tempestiuè præoccuparem fa-
ciem tuam, atq; inueni te.
16 Pannis mutatorijs straui lectū meū, tapetibus & funibus Ægyptijs.
17 Feci affluere lectum meum myrrha, aloe, & cynamomo.
18 Veni inebriabimur uberibus usq; mane, & exultabimus in amorib.
19 Siquidem maritus non est in domo sua, sed abijt in uiam remotam.
20 Sacculum pecuniæ accepit in manu sua, rediturus in domum suam
certo solennitatis die.

Partes capitis.



HOC caput in duas partes diducemus: quarum prima est exhortatio ad studium legis, uel uerbi Dei: altera est exemplum de stolido iuuene, & adultera. Potest aliter etiam in quatuor partes distribui. Nam primo loco præmittitur exordium, in quo nobis commendat obseruationem præceptorum: deinde colloquium stolidi adolescentis, & astutæ meretricis, describitur: tertio loco, miserabilis interitus adolescentis: quartò ponitur exhortatio, ut nobis caueamus ab adulterio. Ego priorem distinctionem ideo sequar, quia Solomon ostendit uerbi Dei hunc esse fructum, ut nos contra adulteria muniat.

Quod primam partem attinet, paucis eam potuisset complecti: sed multis uerbis, quæ singula suum pondus habent, rem eandem dicit. Sæpe autem hanc exhortationem repetit, quia est magni momēti. *Reconde, inquit, præcepta mea apud te.*) quemadmodum κειμήλια reponimus, & res charas. *Custodi mandata mea & uiues.*) Viuere Hebr. phrasi, aliquando significat commodè agere. Dicit igitur, Vita tua erit prospera & suauis, æternumq; beata. Vide quæ suprà de hac re annotauimus. Quomodo custodienda sit lex, mox subiungit, *Velut pupilla oculorum.*) Hoc est, summa diligentia & sollicitudine. Nam caput, & in primis oculos, diligenter obiectu manuū defendimus. Oculis nobis nihil est charius, nihilq; iucundius. Catull. ad Quinct.

Oculis nobis nihil carius.

„ Eripere ei noli, multo quod carius illi
„ Est oculis, seu quid charius est oculis.

Idem in C. Lici. Caluum:

„ Ni te plus oculis meis amarem,
„ Iucundissime Calue, &c.

Horatius in Satyr.

„ Eripiet quis oculos citius mihi, &c.

Quos unicè diligimus, oculos nostros uocamus. Sic Andromache apud Euripidem filium ὀφθαλμὸν βίου appellat. In oculis quoq; ferre eos dicimur, quos charissimos habemus. Deut. 32. Custodiuit eum, ut pupillam oculi sui, de diligenti custodia dicitur: sic Psal. 17. Custodi me, ut pupillam oculi. Zach. 2. de ecclesia, Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Vbi tamen alia uox quàm hoc loco in Hebræo ponitur.

Prouerbiū, tanquam digitos meos teneo.

Tabula cordis.

Liga eos super digitos tuos.) hoc est, opere imple. Manus enim est ὄργανον ὀργάνων, ut dicit philosophus. Vel ostendit præcepta Dei in numerato habenda esse. Quàm nobis notus est digitorum numerus, tam notus esse debet Decalogus: utq; semper digitos inspicimus, sic ob oculos habenda est lex, hoc est, pręcipua legis capita. Quæ alligantur digitis, firmiter retinentur: ita cor uerbi Dei tenax esse debet. *Scribe super tabulam cordis.*) Eadem loquutio suprà 3. cap. ponitur. Res memoratu dignas in tabulas referimus: præcepta Dei tabulis cordis insculpenda,

hoc

hoc est, in memoria firmiter tenenda sunt. Græci quoq; ad hunc modum loquuntur: Prometheus enim apud Æschylum dicit,

Σοὶ πρῶτον Ἰοῖ πολύδονον πλάνην φράσω,
ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσι δέλτοις φρενῶν. id est,
Tibi Io primum multiplicem errorem edisseram,
Quem tu inscribas tabulis firmis mentis, &c.

Dic sapientiæ, soror mea es tu.) Diligimus sorores & cognatas: ita sapientia diligenda est. Sunt tamen multi qui uerbum Dei, cane & angue peius oderunt.

Finem iam addit: *Vt te custodiant à blanditijs meretricum.)* Qui enim uerbum Dei in conspectu habent, & amore prosequuntur, non facilè in scortationem & adulterium prolabentur. Remedium etiam est contra alia flagitia. Si enim uerbum Dei in magno apud nos precio esset, ab idololatria, auaritia, ebrietate, alijsque sceleribus nobis caueremus. Hæc de prima huius capitis parte.

Sequitur iam altera pars huius capitis, quæ est enarratio, uel exemplum de stolido adolescente & adultera. Nam quia sæpe de blanditijs scortorum dixit, iam in parabola omnia ueluti depingit. Non enim necesse est ut sentiamus historiam, ac rem uerè gestam narrari. Est duntaxat parabola, uel narratio ficta, qualis est illa in Euangelio Luc. 16. de diuite & Lazaro: non quòd minoris apud nos ponderis esse debeat, quàm si esset res gesta. Ponit enim quæ sæpe euenerunt, & adhuc eueniunt. Quod si quis rem gestam recitari dicat, cum eo non digladiabor. Proponit autem hac parabola, partim iuuenum stulticiam, partim adulterarum uerba, facta, mores, & habitum: idq; tam euidenter, ut non modò audire, sed omnia coram oculis cernere uideamur: utque cogitemus, non esse utile, audientibus pueris & puellis, hæc publicè proponi, ne discant res amatorias. Verùm consyderandum est, ea recitari quemadmodum temeraria iuramenta, non in alium finem, quàm ut eorum fœditate perspecta, ab ijs abhorreamus. Est hoc nostrum ingenium, ut quando loquendum est, silentium requiramus: cum silendum est, temere in uerba prorumpamus. In priuatis enim ædibus, quando tacendum erat, obscœnis sermonibus teneram ætatem offendimus. Scriptura sacra similis est libris medicorum. Quemadmodum enim in illis multa de fœdis morbis in hunc finem ponuntur, ut curari possint: ita in sacris quoq; libris multa fœda ponuntur, non ut imitemur, sed ut aliorum exemplis cautiores fiamus. In hunc finem describuntur, ebrietas Noe, incestus Lot, stuprum Israelitarum cum filiabus Moabitarum, Samsonis cum Dalila complexus, Dauidis & Bethsabeæ adulterium, Ammonis cum sorore Thamar incestus, & alia. Ezechiel Israelitas comparat meretrici, quæ omnibus prostet diuaricatis cruribus, & mercede amatores bene mentulatos conducat. Hoc loco à Solomone in parabola, ceu hypotyposi quædam, proponuntur gestus, & sermones adulteræ, ut iuuenes discant, quibus artibus scorta eis insidientur: utq; uideant, adulterium læta quidem habere principia, sed funestum exitum. Quod si hæc uel similia uerba, à scortis audiant, statim eis hæc admonitio in mentem ueniat, sibiq; non secus caueant quàm cum latro nobis describitur, ut iter facientes nobis ab eo caueamus. Matronæ quoque & uirgines tanquam in speculo cernent, à quibus rebus quàm longissimè abesse debeant.

Parabola de stolido adolescente et adultera.

Multa fœda in sacris literis recitantur.

Potest autem tota hæc parabola, in tres partes distribui. Prima continet descriptionem stolidi adolescentis, & uersipellis adulteræ: Secunda quomodo adolescens uerborum illecebris motus, eam sequutus sit, pœnasq; dederit: Tertia est generalis adhortatio de fugiendo adulterio. Quod ad primam partem attinet, Solomon dicit, Se per cancellos de fenestra, inter alios stolidos iuuenem uidisse, hoc est, consyderasse quendam stolidiorem cæteris, qui sub crepusculum uespertinũ (quia mane etiam crepusculum est) & intempesta nocte per plateam incesserit, ad angulum uersus domum mœchæ, & colloquium cum ea habuerit.

Partes huius parabolæ.

Prima pars parabolæ.

Peccat autem hic iuuenis primum in eo, quòd nocturno tempore homini à Deo ad quietem & uirium reparationem concesso, turpissimè abutitur. Noctu enim per plateas solus & otiosus oberrat. Iuuenum est nocturno tempore domi se continere, honestis actionibus uacare, uel dormire, non hinc inde uagari, ne quod damnum accipiant. Nox etiam multorum malorum occasionem sæpe suppeditat, & inprimis furtiuo amori congrua est, hinc Menander:

Noctu non per plateas oberrandũ.

ὦ νύξ, σοὶ γὰρ δὴ πλεῖστον ἀφροδίτης. Et Ouid.
" Nox, & amor, uinumq; nihil moderabile suadent:
" Illa pudore uacat, Liber, amorq; metu.

Plautus in Bacchid.
" Illecebrosius fieri nihil potest, nox, mulier, uinum

» Homini adulescentulo.

Iulius Cæsar nocturnum tempus prælijs minus idoneum iudicat. Lucem enim multum pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum & centurionum præsentiam afferre, quibus rebus milites in officio contineri soleant. At Veneris prælijs, nocte nihil est congruentius & aptius.

Domus meretricũ cauendæ. Deinde in eo peccat, quòd iuxta angulum in platea obambulat, in qua meretrix iuuenibus insidiabatur: quodq́; ad ædes scorti appropinquat. Nam illa platea, domus, collocutio meretricis, & omnis mali occasio fugienda erat, quemadmodum suprà 5. cap. monuit. Optimum remedium contra scortationem est, longè recedere ab illis, quorum præsentia ad flagitiũ incitare posit. Certis enim gradibus peruenitur ad omnis generis flagitia. Nemo, ut est in prouerbio, fit repentè turpissimus. Quemadmodum usuræ gradatim crescunt: ita à paruis principijs, paulatim audacia robur colligit, & mores in deterius labuntur. Illi itaq; quorum fidei iuuenes concrediti sunt, uideant ne nocturno tempore discurrant: ne otiosi sint, ne'ue malorum congressibus delectentur.

Cultus meretricum. Iam accedit ad descriptionem adulteræ, quæ multis attributis constat. Hæc obseruata loci & temporis opportunitate, nec nõ iuuenis stoliditate, ei procedit obuiam. *Ornatu, uel, præparatione meretricis.*) שית schith est positio, ornatus, uestitus, in quo plicæ & alia, ex ordine & artificiosè sunt composita, à uerbo שות schuth, quod est, ponere. Solent autem meretriculæ sese comere, ornare, polire, pingere, fingere, ut amatoribus suis placeant, eorumq́; libidinem accendant. Contrà itaq; curare debent honestæ matronæ & uirgines, ut cultu ac uestitu honesto utantur, qui corpus contegat, quiq; ordini ac fortunis earum conueniat, quò ab impudicis discerni possint. Luxuriosæ uestes eas non ornant, sed dehonestant. Nam qui eas tam superbè & sumptuosè incedentes uident, statim omnes familiæ earum maculas detegũt. Multò minus autem immodicus ornatus corporis uiris conceditur. Augustus Cęsar uestimentorum luxum odio habuisse legitur, nec ueste alia usus esse, quàm domestica. Eius dictum erat, Vestitũ insignem ac mollem superbiæ uexillum esse, nidumq́; luxuriæ: qua de re ultimo cap. plura annotabimus. *Cauta corde.*) Quidam deducunt à צור zur, quod est, coartare, ligare, roborare: & interpretantur, corde robusto ac uirili esse, intrepidam. Rabi Dauid in libro radicum exponit, cauta corde, quasi dicat, quòd nemo hominũ illam posit capere, nec seducere, quin ipsa omnes seducat ac decipiat. Celare suum propositum nouit: Rodolph. Bayno ad ornatũ refert, quòd circa pectus constricta & colligata fuerit. Solent enim mulierculæ adhibitis aliquando ferreis laminis, sese constringere, ut sint graciles. De hac re Chærea apud Terentium in Eunucho dicit:

» Haud similis uirgo est uirginum nostrarum, quas matres student
» Demissis humeris esse, uincto pectore, ut graciles sient.
» Si qua est habitior paulò, pugilem esse aiunt: deducunt cibum:
» Tametsi bona est natura, reddunt curatura iunceas, &c.

Alij deducũt à נצר nazar desolare, obseruare, custodire. R. Ioseph exponit desolata, destructa corde, id est, intellectu & scientia, uacua uirtute. *Clamosa erat.*) Garrulæ ferè sunt meretrices, sua habent prouerbia. Nihil autem est quod mulieres magis ornet quàm silentium. Hinc Sophoc. dicit:

» γυναιξὶ κόσμιον ἡ σιγὴ φέρει.

Rebellis peruersa.) Recedens, uel, declinans, nempe, à fide coniugali, & uitæ honestate, uel, præcepto Dei, quod dicit, Non mœchaberis. *In domo sua non habitant pedes eius, nunc foris sunt, nunc in plateis.*) Solent meretrices hinc inde uagari, & non aliter ad choreas & ludos ruere, quàm apes ad flores, & formicæ ad grana, ut oculos pascant. Ouidius dicit:

» Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur ut ipsæ.

Mulieres domi se contineant. Honestas uirgines & matronas decet, sese non diu in plateis spectandas exhibere. Si necessitas postulat ut in publicum, uel peregrè eant, non diu in plateis, & in itinere hæreant, sed incunctanter progrediantur. Inuenias uirgines & uxores, quæ priusquam eò ueniant quo mittuntur, multa antè rogare & uidere uelint. D. Paulus requirit à mulieribus ut sint οἰκουρούς, hoc est domus custodes. In Psal. 67. mulier ornamentum domus dicitur, non fori, & platearum. Dina & se & alios in summum discrimen sua curiositate adduxit. Veteres significare uolentes mulierem decere ut ædes custodiat, Venerem testudini insidentem pingebãt. Plutarchus scribit, Ægyptias mulieres calceis uti, patrium morem non fuisse, ut facilius domi cõtinerentur. Electra apud Eurip. inquit, εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν. Et Hesiodus οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι. Præcipuè uerò noctu, mulieres se domi continere debent. Horatius Ode 7. lib. 3. Asteriem consolatur de uiri sui absentia sollicitam, & tandem dicit:

Pri-

Prima nocte domum claude, neq; in uias ,,
Sub cantu querulæ dispice tibiæ: ,,
Et te sæpe uocanti ,,
Duram, difficilis mane, &c. ,,

Iuxta omnem angulum insidiatur.) Subinde quærit quos uerbis blandis decipiat, circumueniat, & perdat. *Apprehendit eum & osculata est.*) Non decet honestam matronam uel uirginem, cum iuuenibus miscere colloquia, eosq; contrectare, & multò minus in amplexus ruere. Nihil est quo magis cohonestentur fœminæ, quàm pudicitia, hinc illud: *Oscula*

Quæ dos matronis pulcherrima? uita pudica.

Aurum, argentum, gemmæ, purpura, non ita ornant sexum muliebrem, atq; uerecundia & pudor. Euripid. in Heraclid.

Γυναικί τοι
αἰσχρὸν, μετ᾽ ἀνδρῶν ἑστάναι νεανιῶν.

Quanta autem uis sit osculi, gentiles quoq; obseruarunt.

Subijcit nũc orationẽ argumẽtosam, qua ad uecordẽ illũ adolescentẽ usa est. Solomõ imitatur eius uerba, ut hæc uel alia huius generis audiẽtib. statim hæc admonitio in mentẽ ueniat. Scopus & intentio orationis est, stolidũ illũ ad flagitiũ pertrahere. Deposito omni pudore dixit ei: *Sacrificia pacifica sunt mihi hodie, reddidi uota mea. Idcirco egressa sum in occursum tui, ut quærerẽ faciẽ tuã, & inueni te.*) Sacrificiũ pacificorũ offerebatur ab ijs, qui pro accepto aliquo singulari beneficio, Deo gratias agebant. Sacrificabant aũt boues, oues, agnas, uel capras. Pars cremabatur, pars sacerdotibus cedebat: nempe pectusculũ, & harmus: reliquũ illis qui offerebãt. Eodẽ die absumere oportebat. Si spontaneũ uel uotiuũ erat sacrificiũ, postera die licebat edere: sed partes illas seruare in tertiã diem permissum nõ erat. Iã dicit, *Solui uotũ meũ*, multas carnes domi habeo, instruxi opiparã cœnã: sed sola delicijs illis frui nõ possum: ideoq; ego ipsa mane egressa sum, ut te inuitarẽ, priusquã alijs condixisses. Res itaq; bene cessit quòd in te inciderim. Simulat se illius causa prodijsse, cũ aliàs subinde in publico obambulet. Dicit, se illum quæsijsse, cum nullũ recusasset, cumq; non illũ, sed crumenam eius petierit. Inuitat aũt ad cœnam, quòd luxu conuiuiorũ tanquã stimulo Venus concitatur, &c. *Ornamentis ornaui lectũ meũ.*) מרבדים marbodim sunt tapetia, panni uel stragula exquisita & pulchra, quib. lectus adornatur. R. Leui dicit: Ornamẽta pulchra posui super lectũ meũ. Targ. Lectisternijs straui lectũ meum. Secundum R. Himma, sunt panni aut cortinæ quæ ponuntur ante lectum. *Constantem lignis affabrè incisis.*) חטב chatab, secare, cædere, succidere, excidere, hinc חטבות chatabith ornamenta, tapetia. Vel, ad fulcra lectuli refertur potius, quæ sculpta erant, & fabrè excisa ascia & circino, Munsterus in suo lexico. R. Iona exponit, eleuata fune Ægyptio. R. Dauid in libro radicum sic exponit: Ornamentis ornaui lectum meum, cuius uectes sunt incisi aut excisi: *Et fune Aegyptio.*) Sensus hic esse uidetur, Funibus tabulæ lectuli mei ita sunt constrictæ, ut non sit periculum, ne dissoluantur. Puto Ægyptios funes ualidissimos fuisse, quoniam ea regio abundauit optimo lino. Annotat etiam D. Hieronymus lectos funibus intextos, alijs molliores esse. Chald. uertit, Ornamentis ex Aegypto ornaui. *Feci affluere lectum meum.*) Radix est, נוף nuph, quod inter alia significat perfundere, aspergere, suffire. Suffiui cubile meum myrrha. Targ. Stillare feci. Myrrha, aloe, cinnamomum species aromatum odoratæ, quarum loco apud nos in usu sunt, balsamum, & aqua rosarum. *Sacrificium pacificorũ.*

Veni inebriabimur.) id est, satiabimur *uberibus, uel, amoribus usq; mane.* Magnas uoluptates, & diuturna gaudia ei pollicetur.

Quia non est uir in domo sua, abijt uia longinqua.) Vt eũ omni metu & sollicitudine liberet, dicit maritum suum peregre profectum esse: quodq; breui non reuersurus sit, hinc colligit, quòd multum pecuniæ in uiam secũ acceperit. Si enim nõ diu abesse uolumus, parũ uiatici accipimus. *Rediturus est ad constitutum, uel, solennem diem.*) Ad tempus certum, ut est tempus solennitatis, hoc enim כסא kæsæ significat. Hieronymus uertit, *in die plenæ lunæ.*) fortè, ut Lyranus annotat, quòd Gentiles & alij, qui eos in hoc imitati sunt, libenter redeuntes, domos ingressi sunt in plenilunio, ut plenitudo lucri sequeretur. Vnde adhuc in quibusdam locis Christiani, uolentes initiare domum nouam, uel mutare domicilium, non faciant hoc deficiente luna, ne sequatur penuria bonorum temporalium: sed crescente luna, uel plenilunio, ut plenitudo bonorum temporalium sequatur: & rectè annotat, hoc de reliquijs gentilium esse, & propterea uitandum. Plena luna à Græcis πανσεληνή, à Pindaro in Olympijs διχόμηνις μήνη appellatur. Alij deducunt à כסה cissah, quod est, tegere, operire, abscondere, & conuertunt, *diem absconsionis.*) scilicet lunæ. Absconditur aũt in nouilunio uel interlunio. Græci σύνοδον uel νεομηνίαν, poetæ silentium lunæ appellant hoc tempus, quo luna soli congressa, *Pleniluniũ.*

Nouilunium. penitus occultatur. Neomeniæ autem uel nouilunia, antiquitus Domino consecrata erant. Forsterus interpretatur, *ad diem operimenti, ueniet domum.*) id est, Sub festum tabernaculorum, quo populus Israelis sedebat sub frondibus. Adducit locum ex Psal. 81. Clangite tuba in neomenia, in operimento, in die solennitatis nostræ.

Probas mulieres decet, ut suprà diximus, absentibus maritis se domi continere, nec excurrere in plateas, aut conuiuia & commessationes instituere. Inuenies tamen non paucas hodie, quæ cum primum maritus dorsum domui obuertit, statim conuiuia agitent, inq; plateis sursum ac deorsum cursitent. Laudatur Lucretia, quam Collatinus maritus, è castris ueniens, operi incumbentem reperit. Argumenta hæc petita sunt à delectabili, & tuto. Vbi etiam alia cogitanda sunt, quibus mœchæ & lenæ uti solent ad decipiendum incautos: & uicissim quib. scortatores & mœchi utuntur: interdum rationes petunt à misericordia Dei, *Allegoria.* ab ætate, ab exemplis, &c. Sunt qui per hanc mulierem, peregrinam doctrinam, de idolis alijsq; prophanis cultibus, allegoricè intelligant.

21 **Flexit itaq; illum multiplici sermone suo, & blanditie labiorum suorum impulit eum.**

22 **Vt sequeretur eam subitò, quasi bos qui ad uictimam graditur, & quasi stultus qui compede constrictus in castigatione (*gaudet.*)**

23 **Donec sagitta transfigat iecur eius, & quasi auis quæ festinat ad laqueum (*irretiatur*) nesciens quòd periculum uitæ eius immineat.**

24 **Nunc igitur filij audite me, & animaduertite uerba oris mei.**

25 **Non diuertat cor tuum ad uias eius, neq; oberres in semitis eius.**

26 **Quoniam multos in uulnera ruere fecit, & uiri fortes propter eam interfecti sunt.**

27 **Domus eius uiæ sunt ad infernum, deducentes usque ad penetralia mortis.**

Secunda pars parabolæ. Secunda huius parabolæ pars, ostendit quomodo meretrix stolidum illum iuuenem, blandis uerbis pellexerit, ut eam sequeretur, utq; miser uitam amiserit. Non debuit aures accommodare adulteræ, sed repugnare. Quia uerò securus est, benignè eam audit, neque ab eius colloquio abhorret, facilè animus eius expugnatur. Si repugnasset iuuenis, alium quæsiuisset mœcha. Si Eua non patienter serpentem audiuisset, sed aures auertisset, in tantas calamitates seq; suamq; posteritatem non pertraxisset. Rectè dicitur, quòd boni mores colloquijs prauis corrumpantur. Quàm miserabilem exitum habuerit, tribus similitudinibus ostendit. Vix enim alia ratio docendi tam est perspicua, præsertim rudibus hominibus. Ideoq; tam sæpe à Christo adhibetur in Euangelio. Sumit autem illas non à rebus arduis aut obscuris, sed uulgo notis. Vult enim Deus intelligi etiam à simplici plebe. Proinde non rectè faciunt, qui plebeios homines à lectione sacrorum librorum reuocant. Primam petit ab animalibus quæ mactantur. Quemadmodum bos qui ad macellum ducitur, putat se ducendum in meliora pascua, & cum minimè putat, securis fronti illiditur: ita miser ille cum meras delitias, & uoluptates expectaret, de improuiso à marito, opinione citius redeunte, ferro obtruncatus est.

Secunda similitudo ducitur à stulto: Quando stulto compedes inijciuntur ad castigationem, iocatur, & placet sibi, putat ad ornatum adhiberi. Quod si sciret se constringendum & castigandum, repugnaret. Ita adulter ille non uidebat, quid futurum esset. *Donec sagitta transfigat iecur eius.*) Sensus est, donec à marito adulteræ lethale uulnus accipiat. Vel, Sensus est, donec eius turpi amore capiatur, nec postea ab ea posit auelli. Nam philosophi amoris sedem in iecinore collocant. Plato enim disertè in hepate τὸ ἐπιθυμητικόν, id est, cupiditatem ponit. Mathematici quoque iecur Veneri subijciunt, poetæ etiam passim cupidinem sagit-*Iecur sedes est libidinis.* tis suis iecur configere queruntur. Horatius Ode 1. lib. 4. Venerem rogat, ut torrere iecur quærat idoneum, & se relinquat. Ode 25. lib. 1. Cum tibi flagrans amor & cupido Sæuiet circa iecur ulcerosum, &c. Theocritus:

„ ὁ δ᾽ ἇ πόδες ἦγον, ἐχώρει

„ μαινόμενος. χαλεπὸς γὰρ ἔσω ἧπαρ ἄμυσσεν,

Tityri iecur ideo apud Poetas uulturis rostro tunditur, quòd libidine accensus Latonam de stupro compellauit. Ouid. in Trist. affectuum sedes his uersibus expresit:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras,

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Sunt etiam qui per sagittam, diuinam ultionem intelligant.

Tertia similitudo ab aucupibus trahitur. Quemadmodum auiculæ ex appetitu cibi ad laqueum properant, illectæ fistulis, ac granis, ac captæ statim iugulantur: ita adulteri. *Nesciens quòd periculum uitæ immineat.*) Rodolphus Bayno in suis commentarijs hæc uerba ad tres illas similitudines accommodat. Vt bos non nouit se trahi ad mortem: stultus & aues nesciunt quòd de libertate, & uita eorum agatur: ita adulteri quo in periculo uersentur, non cogitant. Hinc fit ut sæpe cum nihil minus expectant, luce priuentur. Fit nonnunquam ut mariti putantes se honestas uxores habere, eas cum adulteris deprehendant, & iugulent. Fit item ut ab amicis admoniti, uel alioqui suspectas habentes, discessum simulent, mox autem eas obseruantes, occidant. Cognati non semel adulteros deprehendentes sauciarunt, & iugularunt. Nulla est propemodum ciuitas, nullum castellum, nullus pagus, nulla ferè uilla, in qua non aliqua huiusmodi aliquando contigerint. Etsi uerò sæpe euaseris, ne tamen impunitatem tibi promittas. Hæ similitudines alijs etiam flagitijs accōmodari possunt. Nam quia homines non cogitant quòd de anima agatur, securi sunt. Ipse quoq; diabolus principiò peccata eleuat, tādem uerò cū homines in ea perduxit, exaggerat.

Sequitur ultima huius parabolæ pars, quæ est exhortatio, ut nobis ab impudicis mulieribus caueamus. *Filij audite me, & animaduertite uerba oris mei.*) Quasi dicat, Ne audiatis illecebras mœcharum: sed aurem potius aduertite Dei uerbo, quod contra illas uos proteget. *Non diuertat cor tuum ad uias eius, neq; oberres in semitis eius.*) Hoc est, ne cogites de alienis mulieribus, ne cōsentias in peccatum, & ne opere perficias. Sunt gradus quidam per quos cum ad alia, tum ad hoc peccatum peruenitur. Primum sunt malæ cogitationes, quæ ex carnis corrupta natura nascuntur, uel à cacodæmone suggeruntur. Deinde est delectatio & consensus, quando non statim cogitationes illas excutimus, sed hospitium eis præbemus. Crescit item peccatum, si ea loca frequentamus ubi alienas uidere licet, si cum eis uel coràm, uel per literas, uel lenas colloquimur. Tandem accedit contactus, & concubitus. Quemadmodum autem peccatum paulatim crescit, ita etiam pœnæ & supplicia. Vtile igitur est principijs obstare, quemadmodum Iosephum fecisse legimus, Gen. 49. Qui cum ab hera sua ad cōcubitum pelliceretur, respondit, Herus meus omnium mihi copiam fecit, præterquam tui. Quomodo igitur tantum malum patrarem, & contra Deum peccarem?

Tertia pars parabolæ.

Gradus amoris.

Addit argumenta à periculis & incommodis. Primo loco dicit, multos propter adulteras uulneratos, & omnes uiros fortes interfectos esse. Non quòd singuli fortes sint occisi, sed quòd omnis generis fortes, qui hoc peccatum patrarunt, sint occisi, & spiritualiter, & corporaliter. Ad hunc modum uocabulum omnis, in dicto Pauli, Deus omnes uult saluos fieri, D. Aug. interpretatur. Samson qui indomito robore præditus erat, propter scortum, & robur & uitam amisit. Dauid propter adulteram sese in multa mala coniecit. Quot bella mota & gesta sunt, in quibus multi uiri fortes occubuerunt, propter adulteria? Paulus testatur 1. Cor. 10. multa millia hominum propter scortationem cecidisse, Notum est bellum Troianum, in quo multi fortes propter raptam Helenam ceciderunt. Exempla priuata, in exteris etiam historijs, multa extant.

Multi cæsi propter adulteria.

Deinde, *Domus eius*, inquit, *uiæ sunt ad infernum, deducentes usq; ad penetralia mortis.*) Adulterium non modò in temporariam, sed æternam etiam mortem homines præcipitat. Nam scriptura scortatores & adulteros, non seriam pœnitentiam agentes, regno Dei excludit. Rarò autem ueram pœnitentiam agunt illi homines. Cum enim deplorare commissa scelera deberent, uires amissas deplorant, magnaq; uoluptate adulteria memoria repetunt, ac iuuenibus magistri libidinum fiunt. Et quanto magis ex uerbo Dei taxantur, tanto magis pleriq; ad scelera anhelant. *Penetralia mortis.*) obscuriora tormenta & penitissimos recessus gehennæ interpretantur.

Adulteri damnātur.

Quoniam uerò in hoc capite monemur, ut à domo & platea scorti nobis caueamus, placet in calce eius, paucula quædam de lupanaribus annotare.

Sunt multi boni uiri, qui utile esse putant, ut huiusmodi domus in urbibus excitentur. Atqui uerbum Dei consulentes hac de re, deprehendimus huiusmodi latibula toleranda non esse. Deus enim disertè præcipit Deut. 23. ne sit meretrix, aut ulla prostituta in Israele. Et in præcedenti capite, puellam quæ se domi corrumpi passa fuerit, lapidari iubet. Voluit enim ut sancti essent, dicens in Leuit. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Quòd autem non rarò meretrices in Israele fuisse leguntur, contra legem Dei factum est. Sæpe enim collapsa fuit disciplina, & respublica deprauata. In hoc libro, Solomon sæpe detestatur scortationem. In nouo Testameuto, multa contra scortationem leguntur. Apo-

An lupanaria Christianis habere liceat.

ſtoli Acto. 15. in concilio Hieroſolymitano inter alia decernunt, ſcortationem fugiendam eſſe. Nam apud gentiles, concubitus ſeu mariti ſeu cœlibis cum mulieribus proſtitutis, non ſolum uſitati, ſed etiam conceſsi erant. D. Paulus 1. Cor. 5, Cum ſcortatoribus aut auaris, aut ſimulachrorum cultoribus, ne cibum quidem capiatis. In 6. capite, prolixam diſputationem contra ſcortationem inſtituit. Ad Epheſios 5. inquit, Scortatio, & omnis immunditia ne nominetur quidem inter uos, ſicut decet ſanctos. Non quòd nefas ſit etiam in concionibus ſacris, ſcortationem uel ſcortum, ligonem ligonem nominari (id quod quidam nimis ſuperſtitioſi cenſent) ſed quò hæc uitia grauius deteſtaretur, hyperbole illa prouerbiali uſus eſt. Si uerò ſcortatio tam aliena à moribus Chriſtianorum eſſe debet, quòd ſanguine Chriſti purificati ſint, quantò minus lupanaria publicè extrui ac defendi debent? Tertullianus in libro ſuo de Anima, Lupanaria execrabilia coram Deo eſſe dicit. Lactantius diuinarum Inſtitutionum libro ſexto cap. uigeſimotertio. Ne quis eſſet, inquit, qui pœnarum metu abſtineret alieno, aduerſarius ille noſter, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infœlicium mulierum publicauit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quàm quas pati neceſſe eſt. His obſcœnitatibus animas ad ſanctitatem genitas, ueluti in cœni gurgite demerſit, pudorem extinxit, pudicitiam profligauit. Clemens Alexandrinus pædadogi lib. 3. capite 3. deplorat uitam eò proceſsiſſe intemperantiæ, ut in ciuitatibus mulieres ſtent in fornice, carnem ſuam ad probrum uoluptatis uenundantes. Iuſtinianus in authent. titulo de lenonibus, uult ut meretrices prorſus eijciantur è ciuitatibus, ne aſtringantur ſi quid lenonibus promiſerint. Si uerò aliæ leges nobis opponantur, quæ meretrices non auferunt à Romana ditione: Reſpondendum eſt, iura ciuilia, cùm omnibus malis mederi non poſſent, quædam permiſiſſe, ſed non præcepiſſe. Quæ qui corrigit ex uerbo Dei, non modò non delinquit, ſed Deo ac iuri inſeruit. Legitur In eccleſiaſticis hiſtorijs, principes Chriſtianos, Conſtantinum, Theodoſium, & alios, templa Veneris (quæ aliud nihil fuiſſe uidentur, quàm lupanaria) cum alibi, tum in Græcia deſtruxiſſe, ubi Sodomia inueterauerat. De Conſtantino uide Euſeb. in uita eius lib. 3. Socratem lib. 1. capite 18. Sozom. lib. 5. capite 10. E diuerſo in hiſtorijs legitur Caligulam & Heliogabalum lupanaria conſtituiſſe. Experientia item docet, quot mala ex lupanaribus illis oriantur. Honeſtæ puellæ aliquando indignè tractantur: iuuenes meretricum conſpectu ad libidinem accenduntur, tandem paulatim excæcati, in alia ſcelera prolabuntur. Adhæc ſi in oppidis haberentur, in pagis quoq; ubi multi homines ſunt libidinoſi, tales domos excitari oporteret, & ita ſubinde creſceret ſcortatio.

Argumenta illorum qui lupanaria defendunt.

Sed breuiter audiemus & confutabimus illorum præcipuas rationes, qui rebuſpublicis utilia eſſe putant. Primùm dicunt, Satius eſſe ut meretrices in angulo aliquo urbis lateant, quàm ut paſsim per plateas oberrent, & innocentem ætatem offendant. Reſpondeo, tametſi locus certus eis aſsignetur, non tamen in illo ſeſe continebunt, ſed (quemadmodum de hac impudica dictum eſt) nunc foris erunt, nunc in plateis, ad omnem angulum inſidias ſtruentes. Deinde, minus, dicunt, uxores, filias & ancillas à petulantibus ad libidinem prouocari. Reſpondeo, petulantes illos homines in lupanaribus ita omnem pudorem abſtergere, ut magis poſtea in honeſtarum pudicitiam graſſentur. In urbibus quæ lupanaria aperiunt, nihilominus pudicitia honeſtarum tentatur. Virgines quoque liberius peccant, ſciunt enim ſe minus eſſe ſuſpectas, cùm publica ſint lupanaria. Si petulantes illi mulctarentur, minus inſidiarentur uirginum & matronarum pudicitiæ. Tertiò addunt etiam hoc, Domeſtica ſcorta minus locum habere, uexari enim à publicis illis. Vbi tamen conſtat, domeſtica illa ſcorta uexationem clàm redimere, ne publica eis moleſta ſint, utque liberè libidinibus poſsint indulgere. Quartò adducunt locum ex lib. 2. Auguſt. de ordine, cap. 4. ubi dicit, Tolle meretrices de rebus humanis, & omnia turbaueris libidinibus. Reſpondetur, Auguſtinum hunc librum ſcripſiſſe, cum adhuc eſſet catechumenus, nec ſatis in religione inſtructus. Idem Auguſtinus in libro de mendacio & alibi dicit, compenſationem delictorum non eſſe admittendam. Deinde illud eius dictum, palàm Dei uerbo aduerſatur. Poteſt etiam inuerti hoc dictum: Introduc meretrices, & omnia implebis libidinibus. Quintò obijcitur exemplum multarum urbium, in quibus lupanaria publica tolerantur. Reſpondeo, non uidendum quid ab alijs fiat, ſed quid Deus fieri præceperit. Viuendum eſt legibus, non exemplis. Deinde permittunt tantum, non prorſus approbant. Poſſunt autem uiciſsim multæ urbes numerari, quæ domos illas deſtruxerunt. Sextò, profertur Canoniſtarum & Iuriſconſultorum ſententia, qui has domos defendunt. Sed hominum quamuis præſtantium authoritas tanta eſſe apud nos non debet, ut omnibus quæ dicunt, aſſentiamur, niſi ſua probarint idoneis rationibus.

Septimum

Septimum & præcipuum argumentum quod afferunt hoc est, ut nefandis libidinibus hoc uelut remedio occurratur. Satius, inquiunt, est solutum cum soluta scortari, quàm deteriora patrare. Nota est sententia illa Aristotelis, ἔστι γὰρ τὸ ἔλαττον κακὸν μᾶλλον αἱρετέον τοῦ μείζονος. At inprimis cogitandum erat, an hoc remedium legitimum esset, & Deo probaretur. Libidinum incitamenta, temperantia, honestis laboribus, & sanctis exercitijs obruuntur. Hoc etiam Gentiles uiderunt. Seneca in Octauia dicit: *Remedia libidinis.*

Amor est. Iuuentæ gignitur luxu, ocio
Nutritur inter læta fortunæ bona,
Quem si fouere, aut alere desistas, cadit,
Breuiq; uires perdit extinctus suas.

Ouid. lib. 1. de remedio amoris:

Finem qui quæris amoris,
(Cedit amor rebus) res age tutus eris.

Deus coniugium ad hoc instituit, ut scortatio uitari posit. 1. Cor. 7. cap. Scorta publicè alere ad prohibendum fœdas libidines, est incendium oleo restinguere, & lutum luto purgare. Furtum quoque minus flagitium est latrocinio: Omnes tamen illum ineptum dicerent, qui ludum aperiret, in quo pueri docerentur furari, ne adulti latronum more grassarentur. Angeli non permittebant Loto, cum perturbatus & anxius, carnali quadam sapientia prostituere filias suas uellet, quò hospitibus parceretur: quin urbes illas igne & sulphure perdiderunt. Paulus in priore ad Corinthios, multis contra scortationem agit, licet apud eos uulgaris esset mascula libido: dicit enim sexto capite, Neque scortatores, neque adulteri, neque molles, neque ἀρσενοκοῖται regni Dei hæreditatem accipient. Postea subijcit, atque hæc eratis quidem, sed abluti estis, &c. Roman. 3. negat facienda esse mala, ut eueniant bona. In diuinis præceptis, ipsa præcepta sunt recipienda, euentus ipsi Deo committendus est, neque admittenda est delictorum compensatio. Quòd obijciunt ipsum Deum Hebræis libellum repudij ob ipsorum duritiem concessisse, fateor habere difficultatem: sed cogitandum est, non semper licere argumentari ab exemplo Dei. Constat etiam in illis urbibus, ubi multa sunt lupanaria, nefandas libidines præcipuè grassari. Et ferè fit, ut Sodomitæ, ac bestiales homines, mulieres prorsus non curent. Accedit ad hæc, quòd plures ferè mariti, lupanaria frequentant quàm cœlibes. Atq; has ob causas lupanaria inter Christianos toleranda non sunt.

Erunt quidem semper scorta, & impuri homines, domus item meretriciæ: at cauendum, ne authoritate publica defendantur. Boni principes & magistratus pro uirili honestatem tueri, ac libidines opprimere debent. Pontifex Ro. rem se non indignam facit, quòd tot greges in urbe sancta meretricum fert & fouet, tantumq; ex eis, ut quidem fertur, quęstum facit. Nam cum sit magna illa meretrix Babylonica, & inter omnes principatum obtineat, æquum est ut sacris illis, si dijs placet, uectigalibus alatur. Et hæc hactenus.

CAPVT VIII.

NOn'ne sapientia clamat, & prudentia dat uocem suam?
2 In uertice sublimium (*locorum*) iuxta uiam: & in præcipuo loco semitarum collocauit se.
3 Iuxta portas, & in ingressu ciuitatis, atq; ubi introitus est ostiorum, ibi clamat.
4 Ad uos ô uiri clamo, & uox mea est ad filios hominum.
5 Intelligite imperiti astutiam, & insipientes efficiamini corde intelligentes.
6 Audite quoniam loquar insignia, & apertio labiorum meorum (*proferet*) recta.
7 Veritatem siquidem meditantur fauces meæ, & abominantur labia mea impietatem.
8 In iusticia sunt omnes sermones oris mei, nec est in eis distortum quid, aut peruersum.
9 Sed omnes sunt plani intelligenti, atq; recti his qui inueniunt scientiam.

10 Accipite castigationem meam, & non argentum, & scientiam magis quàm aurum electum.

11 Melior est enim sapientia margaritis, & omnia appetibilia non possunt ei adæquari.

Summa huius capitis.



ER integrum hoc octauum, & partem sequentis etiam capitis, de sapientia tractatur. In hoc scribitur, quomodo sapientia se omnibus hominibus offerat: deinde qualis sit eius doctrina: mox cōmemorātur actiones, opera & fructus eius: tandem ex illis adhortatio deducitur, ut ei adhæreamus.

Primo loco Solomon sapientiā per Prosopopœiam inducit, quæ omnes homines ad se inuitat. Per sapientiam quidam intelligunt cognitionem Dei, quam habemus ex uerbo ipsius, atq; adeo ipsum uerbum Dei. Veteres Theologi ipsum Christum intelligunt, ut suprà ostendimus. Plura inuenies apud Euseb. hist. eccles. lib. 1. cap. 5. Lactant. lib. 4. cap. 6. Sapientiam omnibus esse obuiam & expositam his uerbis ostendit, quòd dicit, eam clamare uel uocare à summis uerticibus, nempe ut exaudiri possit. Hac ratione suggesta in templis construuntur, ut concionatores à tota multitudine conspiciantur, & melius exaudiantur. In superiori capite dixit, mulierem petulantem, sermone blando uiros ad libidinem prouocare: iam inducit sapientiam, inuitantem homines ad uirtutem. *Iuxta uiam*, ubi homines prætereunt. *In domo semitarum.*) hoc est, in compitis, ubi concurrunt uiæ. Vocabulum enim domus apud Hebræos transfertur ad omnia loca, receptacula, instrumenta & uasa, quibus aliquid continetur. Hinc uariæ loquutiones, domus sementis, id est ager, domus congregationis, id est cœtus publicus, &c.

Vbi sapientia homines uocet.

Ad manum portarum.) יד iad significat etiam locum, spacium, ut sit sensus: in loco publico & aperto: in hominum conuenticulis. In portis enim exercebantur iudicia, multiq; ibi conflue bant. *In ore ciuitatis.*) hoc est, in ostio, per metaphoram. Nam ut uerbum ex ore: ita homines ex ciuitate egrediuntur. *In ingressu ostiorum clamat,* uel *cantat.*) Breuiter, sapientia in omnibus locis affatur omnes homines.

Quos uocet.

Ad uos ô uiri clamo.) Homines nūc distinguit in uiros, hoc est, genere, potentia, doctrina, uirtutib. prēstantes: & in filios hominū, hoc est, uulgares & plebeios, opifices, agricolas. Itē in incautos, hoc est, parum exercitatos in rebus spiritualibus: & stultos, qui uitia pro uirtutibus amplectuntur, affectusq; suos non frenant: quos iubet dare operam ut seipsos & alios norint.

Christus publicè docuit.

Hæc secundum literam Christo optimè conueniunt, qui Euangelium publicè prædicauit, non tantum in synagogis, & templo: sed alijs etiam in locis, ubi populus confluebat: In monte egregium illum sermonem habuit, qui Matthæi 5. 6. & 7. capitibus continetur. In itinere sæpe cum aduersarijs suis disputauit: turbas & discipulos suos de uarijs rebus docuit, suamq; doctrinam insignibus miraculis confirmauit. Lucæ 7. capite, ad portam oppidi Nain, excitatione mortui filij uiduæ sese declarauit. In ædibus quoq; priuatis homines erudiuit. Dum mensæ assedit, non passus est hoc tempus sibi inutiliter perire. Omnibus in locis dedit operam, ut homines instituerentur. Plura de hac re ex primo cap. repetenda sunt, &c.

Quos erudierit.

Quod uerò illos attinet ad quos loquutus est, homines cuiuscunq; ætatis, sexus, conditionis erudiuit. Nicodemum familiariter instituit. Centurionem quamuis gentilem humanissimè complexus est. Vulgares homines, etiam insignes peccatores, non contempsit. Viris & mulieribus tam familiarem sese præbuit, ut hoc nomine malè ab hypocritis audierit. Infantes ad se adduci præcepit, inuitis & repugnantibus ipsis Apostolis. Adolescentem interro gantem quid faciendum esset, ut æternam uitam consequeretur, docuit: infirmos in fide nō reiecit, omnes ad se inuitauit. Habes itaq; quomodo sapientia clamarit omnibus in locis, & ad omnes homines. Hodie quoq; clamare non cessat per concionatores, scripta sacra, portenta, & prodigia.

Querela hominū iniusta, de uarijs opinionibus circa religionem.

Iterum igitur quod suprà monui, hoc loco repeto, multos immeritò queri, quòd incerti sint quid sequi debeant in religione: idemq; sibi in illis doctorum certaminibus, intricatisq; disputationibus accidere, quod uiatoribus in densam aliquam syluam uenientibus, in qua multæ sunt uiæ: nescire enim quam ingredi oporteat. An' non clamat sapientia, & se omnibus offert? Non est quòd uel meum, uel aliorum consilium sequaris: sequere consilium Christi, & ex ipsius doctrina pete cui uiæ insistere debeas. Christus qui homines iudicabit, ueram tibi uiam monstrat, nec te fallit. Excipis, at non similiter omnes Christi uerba intelligunt: respondeo, sensum illum qui conuenit articulis fidei, & alijs locis scripturæ, uerum esse. Breuiter, si ex animo quæris tuam salutem, sapientia tibi non deerit. Si quis indiget sapientia, petat à Deo, inquit Iacobus Apostolus. Sunt multi qui nolunt agnoscere ueritatem: metuūt enim

enim ne quid suo quæstui decedat,& malunt uiuere in scelerib.interim nescio quod ueritatis indagandæ studium præferentes. Quod si consensum hominum in doctrina expectare uis,priusquam alterutri partium te adiungas,post festum,ut dicitur, uenies. Non'ne temporibus Christi non idem omnes de Christo eiusq; doctrina sentiebant? Vt de melioribus tantum dicam, an' non alij dicebant, est Ioannes Baptista: alij, est Helias: alij Ieremias, aut alius prophetarum?Viuentibus adhuc Apostolis quot passim sectæ pullularunt? Multi multa loquuntur de unico pastore, & ouili, Ioan. 10. sed hæc iam pridem sunt impleta. Christus enim ex Gentibus & Iudæis unam ecclesiam collegit. Tantumq; abest ut Christus sentiat, omnes in unam ac ueram fidem coalituros, ut alibi dicat: Filius hominis cum uenerit, an reperturus est fidem in terris? Loquuntur inepti illi de unico ouili, ac interim in hara sua libentius uolutantur. Nisi perfidè ingratus fueris, Christo subinde fores pulsanti & acclamanti, aperies. *Vnū ouile.*

Secundo loco ponitur qualis doctrina sit sapiētiæ.Continet aūt hic locus egregium encomium uerbi diuini, siue scripturæ sacræ: ad minimum enim sex proprietates ex ordine ponit,quæ ad eius commendationem faciunt,& in Psalm.19.& alibi quoq; reperiuntur. *Encomium uerbi Dei.*

Audite,quoniam loquar insignia.) נגידים negidim,magna,aut uerba bona & sapientia. Quemadmodum נגידים negidim principes magni, uulgares homines excellunt: sic uerba mea præstabunt omnibus alijs sermonibus. Quid enim præstantius est Christo? quid nostra salute, de quibus uetus & nouum Testamentum tractant? 1.

Apertio labiorum meorum rectitudines (proferet.) Rectà ad uitam beatam ducit, nullis utitur ambagibus: traditiones hominum, iam hîc, iam isthic, salutem ostendentes, incertos reddunt homines, ut nesciant quò se uertant. Deinde uerbum Dei rectum est, quia mentiri nequit, quemadmodum mox subiungit. Rectos itē & iustos efficit, quotquot illi ex corde credunt. 2.

Veritatem meditatur palatum meum, & abominatur labia mea impietatem.) Verbum sapientiæ purum ac sincerum est, nullum admixtum habet errorem, nulla figmenta. Non enim ab hominibus profectum, sed à Deo, qui mentiri nescit. 1. Pet. 2. cap. dicitur, sanctos Dei homines, impulsu sancti spiritus loquutos esse. Etsi uerò loci scripturæ interdum inter se dissidere uideantur: tamen à peritis, & exercitatis, aptè conciliari possunt. Hæc laus alijs scriptis tribui non potest. Historici sæpe transiliunt metas historiæ, & ueritatem negligunt, ex affectibus multa scribunt, suos homines laudant, aduersarios deprimunt. Quòd si ueritati quàm maximè studeant: falsa tamen relatione nonnunquam decipiuntur. At sacræ literæ à ueritate nusquam aberrant. Quare impij & intolerabiles sunt illi, qui ad eleuandum scripturæ sacræ authoritatem, quærunt, an'non mendacium æquè ac ueritas scribi possit? Non ferres si debitor scripta rationum tuarum in dubium uocaret, quomodo itaque Deus hanc contumeliam ferat? Quod dicit, *meditatur*, emphasim habet. Cautionem enim in loquendo indicat. Deus non temere & præcipitanter in uerbo suo loquitur, ut temerarij quidam homines, quicquid in buccam uenit effutientes: uerum ea quæ ab æterno deliberauit. Sapientia impietatem, & quicquid ueritati Dei repugnat, detestatur. 3. *Veritas sacrarum literarum.*

In iusticia sunt omnes sermones oris mei, nec est in eis distortum quid, aut peruersum.) Iusticiam docent sacræ literæ erga Deum & homines. Nihil in ijs peruersi, iniqui, curui, & obliqui. Iusticiam uerò non quibusdam tantum, sed omnibus eius dictis tribuit. Principum & populorum leges, sæpe sunt iniustissimæ. 4.

Omnes sunt plani intelligenti, atque recti his qui inueniunt scientiam.) Sacræ literæ suam habent σαφήνειαν, hoc est, perspicuitatem, & claritatem. Tametsi uerò quædam (quod etiam D. Petrus in 2. epist. cap. ultimo fatetur) in sacris literis obscura loca occurrant: tamen difficultas illa superari potest, si rectam uiam ingrediamur. Nec est necesse homini Christiano, præsertim uulgari, difficilia omnia peruestigare: satis illi est si summam salutis teneat, quæ dilucidè in sacris literis est expressa. Quidam ad ordinem referunt, exponentes, *Rectum tenent ordinem.*) Libri enim prophetici & Apostolici aptissimo ordine (id quod ad intelligentiam & memoriam multum conducit) sunt conscripti. Seruatur enim in libris illis naturalis ordo. Initium faciunt à prima rerum origine, & deinceps omnium temporum seriem à rerum creatione, ultra Cyri monarchiam deducunt. Euangelistæ oriuntur à natalibus Christi, ac conceptionem eius, natiuitatem, reuelationem, doctrinam, miracula, mortem, resurrectionem à mortuis, ascensionem in cœlos describunt. Acta apostolorum regnum à Christo inchoatum, usque ad imperium Neronis prosequuntur & continuāt. Cæterum non tantum dicit, planam esse & facilem sapientiæ doctrinā, sed addit, *Intelligenti, & his qui inueniunt scientiam.*) Hoc est, studiosis sacræ scripturæ, non ociosis, & negligentibus. Lectioni enim attendere, & operam dare oportet, ut scripturas intelligamus. Hoc Christus ab hominibus, & Paulus à Timotheo suo postulat. Deinde precibus incumbendum est, 5. *Claritas uerbi Dei.* *Ordo sacrarum literarum.*

quod D. Iacobus suadet: honesto item animo, non prauis affectibus uel opinionibus imbuto, aut præiudicijs obfirmato, ad lectionem uel auscultationem uerbi Dei est accedendum. Illis enim qui affectus suos non deponunt, idem accidit, quod illis qui per rubeum uitrum res intuentur, quibus omnia rubea uidentur: ita illi quæcunq; uel audiunt uel legunt, suę sententiæ astipulari putant, & res per se planas atq; perspicuas non intelligunt. Res uarijs exemplis ostendi potest.

6. *Preciũ uerbi Dei.* Vltimo loco dignitatem & excellẽtiam doctrinæ sacræ, comparatione ostẽdit. Auro enim & argento, margaritis, & rebus quibuscunq; preciosis, eam pręfert. Ideoq; monet, castigationem eius æquo animo ferre, eamq; argento & auro præponere. Hanc excellentiã uerbi Dei, pleriq; non uident: sed inæstimabili illi thesauro, res uilissimas præferunt. Aliquando uerò in tentationibus constituti, cùm uerbo illo se erigi sentiunt, quod ab auro effici minimè poterat, agnoscunt. Sed de hoc plura suprà annotauimus. Verbis illis, *Accipite castigationem meam, & non argentum,* non uetat usum argenti, sed ostendit potiorem esse castigationem. Tale est illud Oseæ 6. Misericordiam uolo non sacrificium, hoc est, magis delector misericordia, quàm sacrificio. Mos enim est Hebræorum, ut cum duo quædam proponuntur bona, quorum alterũ probatur, alterum reijcitur, comparatio tantum inter ea fiat.

An laici sacras literas tractare debeant. Ex his iam refellitur perniciosa illorum hominum opinio, qui negãt sacras literas à laicis legendas esse. Non enim ab eis intelligi, errorumq; occasionẽ præbere. Sapientia diuina clamat, nihil perplexum, contortum, aut prauum esse in doctrina sua. Omnia esse plana & facilia, ijs qui discere uolunt. Alibi dicitur, Deum se patefacere simplicibus & humilibus. Constat certè, uetustis temporibus, etiam plebeijs hominibus, sacras literas familiares fuisse. Dauid in primo psalmo, beatũ illum prædicat, qui legem Domini diurna nocturnaq; manu uersat. D. Hieronymus in laudibus Bethlehem, inter alia dicit: Hic arator stiua manu tenens, cantat aliquid Dauidicum. Quoties patres auditores suos ad sacras literas remittunt? Præclarus locus extat apud Chrysost. hom. 9. in epist. ad Coloss. Audite, inquit, quotquot estis mundani, & uxoribus præestis ac liberis, quomodo & uobis præcipiat Apostolus sacras scripturas legere, idq; non simpliciter atq; obiter, sed magna diligentia. Item in eadem homilia: Audite obsecro seculares omnes. Comparate uobis Biblia animæ pharmaca: si nihil aliud uultis, uel nouum testamentum acquirite, Apostolum, Euangelia, Acta, continuos & sedulos doctores. Hoc demum omnium malorum causa est, quòd scripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo seruabimur? Armati uincere solent, inermes nequaquam. Non omnia in humeros nostros proijcite. Oues estis, uerum nõ irrationales. Multa etiam uobis committit Paulus. Idem exponens Euangelicam parabolam de Lazaro & diuite, omnes hortatur ad sacrarum literarum lectionem: & opifices illos reprehendit, qui se tam occupatos esse dicebant, ut non uacaret eis hæc legere, &c. An non uerbum Dei est scutum, gladius, hasta, qua contra tentationes Satanæ pugnamus? Malè igitur merentur de populo Christiano duces illi, qui armis ei detractis, inermem & nudum hosti tam sæuo obijciunt. Pij ex sacris illis fontibus non haurient errores: impij uerò ex publicis etiam cõcionibus deteriores domum redibunt. Profectò egregij illi homines, non metuunt ne plebs erroribus inuoluatur: sed ne fucos & fraudes ipsorum animaduertat, ipsosq; admirari & alere desinat, quos ex sacris literis uidet non ueros pastores, sed impostores esse.

Ingratitudo nostra, quòd sacras literas non legimus. Deinde hinc cernimus enormen nostram ingratitudinem, quòd tantum thesaurum tam parum curamus. Dies noctesq; philosophorum libros, ac nescio quas nugas euoluimus, nihil aut parum de cœlesti doctrina solliciti. Quotidie experimur, quot periculis & ærumnis uita nostra sit obnoxia, itaq; muniendi erant animi sacris literis ceu antidoto. Opes magno studio colligimus, cum interim incerti simus, quamdiu ipsarum usus nobis à Deo concedatur. Comparemus nobis potius thesaurũ, quo non in hac tantũ: sed & in futura uita perfruamur.

12 Ego sapientia cohabito astutiæ, & assequor scientiam consiliorum.
13 Timor Domini execratur malum, superbiam, arrogantiam, & uiam malam: sed & os peruersum ego odio habeo.
14 Apud me est consilium (*rerum*) conseruatio, apud me inquam est intelligentia & potentia.
15 Per me reges regnant, & consiliarij constituunt iusta.
16 Per me principes principatum gerunt, & munifici omnes iudices sunt terræ.
17 Ego diligentes me diligo, & qui mane me quærunt, inuenient me.

18 Diuitiæ

18 Diuitiæ & gloria sunt apud me, opes duraturæ & iusticia.
19 Melior est fructus meus, auro precioso, & gemma: & prouentus meus argento electo.
20 In semita iusta ducam te, in medio semitarum iudicij.
21 Vt habeant quod possideant ij qui diligunt me, & thesauros eorum cumulem.

In tertia parte huius capitis, recenset spiritus sanctus, bona diuinæ sapientiȩ quorum com plura sunt. *Ego sapientia cohabitaui astutiæ.*) Emphasim habet uerbum cohabitandi. Illorum enim mores & ingenium nouimus, cum quibus habitamus. Vult itaq; dicere, familiaris est mihi. Est quædam calliditas & astutia sancta, qualem in Christo fuisse, ex multis locis colligimus: qui uult ut in nobis etiam sit ea calliditas. Ablegaturus enim primum suos discipulos: Ecce, inquit, ego mitto uos uelut oues in medio luporum. Estote igitur prudentes, uelut serpētes, & simplices uelut columbæ, Matth. 10. Non uult ut fungi & stipites simus, utq; imprudentes nos in pericula conijciamus: sed calliditate sancta utamur, euitandi mala. Impij sæpe pijs altera manu panem ostentant, altera lapidem ferunt: magna itaq; cautione opus est. Vbi tamen discernendum est, inter hanc astutiam sapientiæ ueræ φρόνιμον, & inter calliditatem mundo familiarem, Deoq; aduersam. *Astutia bona.*

Scientiam cogitationum inueniam.) מזמה Simmah significat bonam & malam cogitationem. Accipitur etiam pro opere nefando. Christus æterna Dei sapientia, corda hominū inspicit. Sæpenumero aduersarij ipsius concionibus & operibus offensi, in cordibus suis uaria cogitabant: sed respondit ad ipsorum cogitationes. Cumq; simulato studio discendi eum interrogarent, & tentarent, hypocrisim eorum detexit. Cuius generis mirabilis legitur historia de discipulis pharisæorum, & Herodianis, qui interrogabant, num liceret tributum dare Cæsari, Matth. 22. Ipsa etiam sapientia suggerit cogitationes scientiæ, hoc est, doctas & sanctas. Multi queruntur quòd cogitationibus impuris & impijs obruantur: hi legant uerba sapientiæ, & sanctæ cogitationes eis oborientur. Vel, duo hæc uocabula non coniungenda sunt, sed separatim legenda. Sapientia non est absq; דעת daath, item absq; מזמות mesimmos.

Timor Domini odit malum.) Timor Domini qui initium est sapientiæ, atq; adeò ipsa sapientia, odit malum, hoc est, quicquid pugnat cum uolūtate Dei, qui summè bonus est. Id ipsum per partes aliquot explicat. *Superbiam & arrogantiam, uel elationem.*) Posterius nomen eiusdem est significationis. Nunc superbiam, elationem: nunc tumorem, exaltationem, & excellentiam significat. Hoc uitium est scaturigo & radix magnorum malorum. Ideoq; sæpe in hoc libro taxatur, &c. *Odit etiam uiam malam uel mali.*) Hoc est, instituta, & opera impia: non simpliciter dicit Deo displicere, sed Deum odisse. *Os item peruersitatum.*) In magnos & bonos usus, os & linguā Deus nobis dedit, nempe ad gloriam nominis sui, & proximi utilitatem. Quod si quis ijs nūc abutitur ad cōtumeliam Dei & iniuriam proximi, is Deo exosus est. Inter omnes autem qui lingua abutuntur, nulli grauius peccant, quàm falsi doctores, &c.

Penes me est consilium.) Consilium propriè sumptum, non est in Deo, in quo nulla est inquisitio de rebus agendis, sed æterna certitudo. Socrates apud Platonem, cōsilium ἱερὸν esse dicit, hoc est, rem sacram. In rebus afflictis & desperatis, experimur quid sit, hominem peritum habere à consilijs. Æterna Dei sapientia cùm omnibus in rebus, tum maximè in illis quæ æternam salutē spectant, saluberrima nobis dat consilia. Consilia eius in Veteri & Nouo testamento descripta extant. Iureconsulti pro suis consilijs sæpe magna petunt munera, nobis hæc gratis dantur. Recurre ad 1. capitis uersum 30. *Apud me est essentia.*) Hebr. uox תושיה thuschiah, quæ suprà etiam posita est, uariè exponitur ab interpretibus: quidam exponunt pro thesauro iustis à Deo reposito: quidam pro lege & statuto: quidam pro hominis uoluntate & proposito: quidam pro opere bono: uide dictionaria. Omnia bona à sapientia proueniunt. *Apud me intelligentia est.*) Sapientia bonum à malo, uerum à falso, utile ab inutili, optimè discernit. Dicunt multi, Libenter me accommodarem Dei uoluntati: sed nescio quid ei placeat, uel displiceat. Sapientia hoc ostendit: in decalogo summa proposita est, rerum faciendarum, & fugiendarum. *Robur, uel potentia.*) Sapientia uires subministrat, ut bonum facere, & malum uitare possimus. In nostris uiribus hæc non sunt posita. D. Paul. negat nos aliquid boni ex nobis cogitare posse, ne dum facere. Inepti igitur sunt, qui uires liberi arbitrij extollunt. Dei donum est, quòd bona intelligimus, uolumus, facimus, quodq; in bonis operibus perseueramus. Non enim satis est bene cœpisse, constantia requiritur. *Me duce regnant reges, & principes constituunt iusta.*) רזן rason est שר schar princeps, & מלך melæch rex, inquit R. Dauid in libro radicum. נדיב nadib, spontaneus, liberalis, princeps, à liberalitate sic dictus. *Consilium.*

Magistratus sunt à Deo.

Intelligit superiores & inferiores magistratus. Non est potestas nisi à Deo: id quod Ethnicos quoq; non latuit. Hesiodus enim scribit, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: & Homerus, τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι. Deus per suam sapientiam reges, duces, comites, consules, iudices, aliosq; magistratus constituit. Qui nisi essent, omnia sursum atq; deorsum uoluerentur. Illi quoq; suum officium (quod est, populum regere, bonas leges præscribere, munificos esse) præstare non possunt, nisi ab æterna sapientia adiuuentur, Dei sapientia, & necessarijs donis instruantur. Plato itaq; rectè, tum demum beatas fore respub. dixit, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. Quam sententiam Platonis, M. Antoninus philosophus, & Rom. Imp. Iulio Capitolino teste, semper in ore habuit. Deus Deut. 17. iubet regem exemplar diuinæ legis secum habere, in eoq; legere omnibus diebus uitæ suæ, ut discat in timore Dei legem eius custodire, neq; ad dextram uel sinistram deflectere. Valde igitur inepti sunt, qui dicunt, absq; uerbo Dei respublicas optimè gubernari posse. Ex hac sententia, etiam argumentum peti potest contra Anabaptistas, qui negant fas esse Christianos magistratum gerere.

Sapientia necessaria est magistratibus.

Tyranni quoque à Deo constituuntur.

Tyranni quoq; sine sapientia, uoluntate & decreto Dei, regna inuadere nequeunt: (distinguendum tamen est inter opus Dei & Tyrannorum) quod agnoscit August. de ciuitate Dei lib. 5. cap. 19. ubi inquit: Etiam Tyrannis dominandi potestas non datur, nisi summi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re uox diuina est, loquente diuina sapientia. Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram. Sed ne Tyranni non pessimi, atq; improbi reges, sed ueteri nomine fortes dicti existimentur. Vnde Virgilius ait:

Pars mihi pacis erit dexteram tetigisse Tyranni.

Apertissimè alio loco de Deo dictum est, qui regnare facit hominem hypocritã, propter peruersitatem populi. Idem de natura boni aduersus Manichæum cap. 32. dicit, Iniustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. *Ego diligentes me diligo.*) Dicat aliquis: Audio quàm præclara res sit sapientia: sed quo pacto eam acquiram, non uideo. Ostendit igitur facilem & compendiariam uiam, quomodo comparari possit. Postulat autem amorem eius à nobis. Nam quemadmodum amor optimus magister est artium: (unde Plato alicubi παντὸς ἐπιχειρητὴν appellat) ita etiam nos excitat, ut de uera sapientia comparanda, seriò cogitemus, nullumq; non laborem suscipiamus. Quid non facit adolescens in gratiam puellæ, cuius honesto amore tangitur? Multò magis propter sapientiam, nihil non faciendum erat. Christus dicit Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Rectè autem hoc loco annotat, Ricelius Cartusanus, in suis ad hunc librũ annotationibus: Deus uniuersos electos diligit ab æterno. Sed dilectio nostra non est causa aut ratio prima quòd Deus nos diligit. Imò contrà: quandoquidem ipse dilexit nos, & nos diligimus eum. Quia dilectio nostra ad eum, est donum ex eius dilectione ad nos habens ortũ. Ideo scribitur 1. Ioan. 4. cap. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus eum, &c. *Qui me mane quærunt, inuenient me.*) Hoc est, qui studiosè & diligenter me inuestigant. Non satis est amare sapientiam: sed eam oportet etiã inquirere. Si res aliqua nobis curæ est, noctu de ea cogitamus, ac mane surgimus ut eam perficiamus. Mane ad quæuis facienda expeditiores sumus. Manè item, id est, à pueritia discenda est sapientia, ne nobis eueniat quod multis, qui posteaquã in philosophiæ studio consenuerunt, in Theologia postea semper frigent. Laudatur in Timotheo, quòd à teneris arcanam sapientiam tractarit. Quod si serio ac diuturno studio sapientiam quæremus, eam certissimè inueniemus. Sic enim Christus loquitur Matth. 7. cap. Petite & dabitur uobis, quærite & inuenietis. Qui uerò somno & mundi delicijs dediti sunt, ijs non obtingit, &c. *Mecum sunt diuitiæ & gloria.*) Vera & æterna gloria potientur sapientiæ studiosi. Quin & in hoc seculo, non rarò propter sapientiam multis & magnis honoribus cumulãtur. *Opes antiquæ, & iusticia.*) הון עתק hon othek, substantia multa & magna. R. D. in libro radicũ exponit, opes pingues. Hieron. superbas, id est, magnas. Alij multiplices, alij antiquas, hoc est, duraturas & stabiles. Sapientia suis cultoribus opes affert cum iusticia. D. Hieron. alicubi ait, diuitem aut iniquum esse, aut iniqui hæredem. Plerunq; enim illi qui cumulandis opibus intenti sunt, proximos suos circumueniunt. Hinc etiam fit, ut opes eorum quæ per fas nefasq; partæ sunt, miserè pereant. Sapientes uerò absq; aliorum damno opes parant, & honestè possident, ideoq; diuturnæ sunt & stabiles. Præcipuè tamen hæc ad thesauros illos referenda sunt, quos in cœlis sibi parant. Alia quoq; ratione diuites sunt, quòd sorte sua contenti uiuunt. Sic enim Paulus scribit ad Coloss. 4. cap. Vbiq; & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Vel, *Mecum est iusticia.*) quia non est iusticia, nisi à Deo. *Fructus meus melior est auro, & obryzo.*) Non tantum ipsa sapientia, sed fructus quoq; eius, qui ex ea nascitur, ut sunt uariæ uirtutes,

Amor sapientiæ.

Sapientia inquirenda alacriter et celeriter.

Sapientia diuites facit.

uirtutes,auro quolibet est preciosior. Res præstantissimæ in hoc mundo non possunt cum ea conferri. Cicero etiam in Paradoxis ait,Nulla possessio, nulla uis auri & argenti, pluris quàm uirtus æstimanda est. *Et prouentus meus argento electo.*) Per prouentum etiam metaphoricè intelligit uaria eius effecta. *Per uiam iusticiæ ambulo, uel, deduco, in medio semitarum iudicij.*) Sapientia cultores suos docet omnibus in rebus exactum iudicium, & piam æqualitatem. *Vt hæreditate faciam diligentes me quod est,& thesauros eorum replebo.*) יש iesch est, uel, quod est. Cui opponitur הבל hæbel,uanum,inane,nihil. Sapientia confert suis cultoribus non res imaginarias: sed reuera existentes,& thesauros eorum implet. Qui sapientiam obseruant, dicit Pellicanus,hæreditario iure semper,& sine fine posidebunt felicitatem permanentem.Qui enim piè & iustè uixerint, remunerabuntur hæreditate sanctorum, eorumq; desideria plenè satiabuntur,ut habeant quantum uolunt.

22 Dominus possedit me in initio uiæ suæ, ante opera sua ab initio.
23 Ab olim constituta sum, & ab initio, ante primordia terræ.
24 Cum abyssi nō essent,ego formata sum, & antequam fontes aquis essent grauati.
25 Priusquam montes essent fundati, atque ante colles ego formata sum.
26 Adhuc non fecerat terram,& quæ sunt extra (*eam*) & caput pulue-rum orbis.
27 Cum ipse præpararet cœlos aderam, & cum describeret circulum super faciem abyssi.
28 Cum firmaret desuper nubes, & cum solidaret fontes abyssi.
29 Cum poneret mari legem suam, ne aquæ præterirent præceptum eius,& cum constitueret fundamenta terræ.
30 Ego fui coram eo ueluti educata, fui quoque ei oblectamento per singulos dies, ludens coram eo omni tempore.
31 Ludo præterea in orbe terræ eius, & deliciæ meæ sunt, ut sim cum filijs hominum.

Etsi omnes loci sacræ scripturæ hominibus Christianis diligenter expendendi sint: tamen illos inprimis cognoscere & expendere conuenit, qui de Domino nostro Christo Iesu loquuntur. Nam Christus ipse Ioan. 17. inquit in oratione sua ad patrem cœlestem: Hæc est uita æterna,ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quare cùm Satan tantum esse situm in uera Christi cognitione norit,omnibus seculis omnem, ut dicitur, mouit lapidem, ut loci scripturæ, qui de Christo loquuntur, corrumperentur. Et quanto euidentiores sunt, tanto magis eis insidiatur. Itaque cùm hoc caput de æterna & cœlesti sapientia,hoc est,filio Dei,secunda persona sanctæ trinitatis tractet,diligenter est expendendum.

Ostendit autem sapientiam ante condita secula extitisse, & omnia per hanc condita esse. Quæ ut melius intelligamus, tenendum est, unum esse tantum uerum & æternum Deum: seu unam tantum diuinam naturam & essentiam. Sic enim legitur Deut. 6. capite. Audi Israel, Dominus Deus uester, Deus unus est. Et apud Esa. 44. cap. Ego sum primus & nouissimus,& præter me non est Deus. In hac una diuina natura sunt tres hypostases uel personæ,Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus: quæ suis proprietatibus distinguuntur. In secunda persona considerare oportet duplicem naturam, nempe diuinam & humanam. Secundum diuinam fuit ab æterno, antequam quicquam esset factum aut creatum: secundum humanam,suo tempore esse cœpit in utero Mariæ uirginis. Hæc doctrina contra omnes errores diligenter retinenda est.

Diuina sapientia antiquior est omnibus creaturis.

Christus est uerus Deus.

Videamus primùm de uetustate sapientiæ: deinde de ipsius operibus. *Dominus possedit* uel *acquisiuit me initium* uel *initio uiæ suæ.*) Septua. reddiderunt *κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, εἰς ἔργα αὐτοῦ*, &c. Lactantius & alij reddunt, Deus condidit me in initio uiarum suarum. Iræneus, Tertullianus & alij, Principium uiarum suarum. Priores uidentur respexisse ad id quod est apud Ioan. In principio erat sermo. Nam accusatiuus sæpe per aduerbium redditur,ut Io. 8. *τὴν ἀρχὴν*,& Heb. 2. Hoc est,operū suorum. Alibi dicitur Deus Filium ab ęterno genuisse. קנה canah acquisiuit, possedit. Cæterū ne quis putaret eū cœpisse in creatione mūdi,addit: *Ante opera sua ab antiquo.*) Hoc est, ab æterno, antequam quicquam esset illarum rerum quas cernimus. Igitur sapientia Dei non est opus uel creatura eius:sed creaturę omnis

principium. Hac de re cōsule August. de fide ad Petrum Diaconum 12. cap. & proximè sequentibus. *A' seculo, uel, ab æterno principatum habui.*) נסך nasac principem constituere, magnificare, dominari, Chald. exponit ungere. Sensus est: Antequam mundus crearetur, æqualem cum Deo patre potestatem habui. Mox subiungitur, *A' principio ante terram.*) קדם Kædem principium, antiquitas, ante. Iterum ostēdit qualis fuerit ab æterno. Huius loci interpres appositissimus est D. Ioan. ab initio primi capitis sui Euangelij, ubi scribit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Filius Dei uerbum dicitur, quòd Deus per illum nobis innotescere uoluit: & fortè etiam quòd omnes ueteres de hoc uerbo, hoc est, filio Dei multa loquuti sunt. Hunc locum Iustinus martyr bis adducit in suo dialogo cum Tryphone Iudæo ad probandam diuinitatem filij Dei. Hoc testimonio, *Dominus possedit me ab initio.*) Veteres patres pro ἐκτήσε possedit, uitiosè legerunt ἔκτισε creauit. Hac lectione Arriani abusi sunt ad impij erroris sui defensionem, ac uitiosè legerunt, Dominus ἔκτισε creauit me, pro ἐκτήσε possedit. Hinc collegerunt sapientiam Dei κτίσμα esse, hoc est, creaturam, nec uerum Deum ab æterno. Hunc suum errorem longè lateq; sparserunt: & quoniam authoritatem & potentiam nacti erant, tandem multò crudelius orthodoxos persequuti sunt, quàm Romani imperatores. Epiphanius Solo. dictum contra Arrium defendens, primum indicatam esse docet τὴν ἔνσαρκον οἰκονομίαν: deinde reddit Hebraicum uerbum per ὠδίνησε, id est, instar pulli exclusit me (quod etiam Siracid. utitur, metaphoricè explicans hæc uerba Solomonis.) & D. Paulum cum Solomone hoc loco conferens, pro eo, quod est apud Sapientem, ἔκτισέ με τὴν ἀρχὴν τῶν ὁδῶν αὐτοῦ, posuisse Paulum ad Coloss. 1. cap. πρωτότοκος πάσης κτίσεως: & paulo pòst scribit, Ioannem pro ἔκτισε dixisse, καὶ θεὸς ἦν. Aquilas interpretatus est ἐκτήσατο. Alij etiam patres qui legerunt: *Dominus creauit me principium uiarum suarum.*) de incarnatione intelligunt. Vide initium lib. 4. Gregorij Nazianz. de Theologia. Basilius contra Eunomium torquet se circa sensum. Chrysostomus in sermone de Trinitate, dicit: *Dominus creauit me, &c.* Intellige secundum carnem fecit eum, non secundum diuinitatem: prædicit futurum quasi iam esset factum. August. de Trinitate lib. 1. cap. 12. Secundum formam Dei dictum est, ante omnes colles genuit me, id est, ante omnes altitudines creaturarum. Et ante luciferum genui te, id est, ante omnia tempora & temporalia. Secundum formam autem serui dictum est: *Dominus creauit me in principio uiarum suarum, &c.*

Christus uerbum dicitur.

Arriani dicunt uerbū esse creaturam.

Obiter autem uidemus quàm sit utile linguarum studium ad intelligendum, & explicandum sacras literas. Si ueteres fuissent Hebraicæ linguæ periti, nunquam legissent, Dominus creauit me, &c. Sunt hodie qui dicunt, linguarum studia non modò inutilia, sed & ualde noxia esse: nam hæreses parére. Cum hinc pateat ex linguæ sanctæ uel ignoratione uel deprauatione hæresim pestilentissimam esse ortam, & receptam: & hodie quoq; ex linguarum inscitia errores nasci. Præterea constat ex sacris literis, linguarum donum spiritus sancti peculiare beneficium esse.

Studium linguarum.

Deinde colligimus non mirandum, si hodie portentosi errores longè lateq; spargantur, cum idem uetustis illis temporibus acciderit. Christus certè prædixit, uarios in ecclesia sua errores exorituros esse, &c.

Iam deinceps uariæ creaturæ recensentur, ante quas omnes sapientia extiterit. *Ante primordia terræ.*) Antequam materia producta esset, fuit enim terra inanis, & sine specie. Gen. 1. *Cum abyssi non essent, ego enixa sum.*) Quod affirmatiuè dixit, nunc per negationes ostendit. תהום thehom uorago, abyssus, locus aquarum multarum. Sensus est, Nondum existentibus immensis profunditatibus aquarum, ego sapientia fui genita. *Antequam fontes aquis essent grauati.*) Hoc est, cum nondum abundarent aquis. R. Dauid in libro radicū non coniungit fontes cum נכבדי nicbaddei (quia fontes Hebraicè sunt fœminini, hoc autem masculini generis) sed sic exponit, dum non essent fontes, & dum non esset grauata aquis, id est, adhuc non erant abyssi, seu uoragines. R. Himanuel in comment. teste Pagnino נכבדי nicbaddei dicit esse loca, in quibus magna est aquarum copia. In lib. Gen. 13. cap. etiā dicitur, Abrahā grauis ualde, hoc est, ditissimus atq; abundātissimus. Significat hæc uox etiam multiplicare. Hoc uult dicere, priusquam Deus materiam futuri opificij præparasset, cœlum, & terram, rudem illam & indigestā molem, quam postea aptissimè disposuit, ego eram. Deus enim primū cœlum & terram, hoc est, rudem materiam creauit, mox eam ornauit & disposuit, quemadmodum faciūt domum ædificaturi. *Priusquam montes essent fundati.*) טבע taba significat immergere, infigere. Sensus est, priusquam montes terræ infixisset. Rem ita depingit, ut uidere te putes, Deum architectum montes manu sua collocare quocunq; uelit. Tertul. reddit, priusquam montes collocarētur. *Ante colles ego formata sum.* Filius Dei ante omne initium à patre est progenitus. Sic enim loquitur Deus pater: Filius meus es tu, ego hodie genui te: sed, hodie, apud Deum, nihil aliud est quàm

quàm ab æterno. Verba quædam ab hominibus ad Deum transfert, ut res ſublimes melius intelligamus. Sed nihil hic carnale, nihil humana ratione comprehenſibile imaginandum eſt. *Adhuc non fecerat terram.*) Hoc eſt, nondum ornarat plantis, animalibus nondum habitabilem fecerat: uel idem dicit, quod antè dixerat, ad maiorem rei euidentiam. Græci legunt *κύριος ἐποίησε χώρας καὶ ἄκρα οἰκούμενα τῆς ὑπ' οὐρανόν*. Lactâtius reddit: Ante omnes colles genuit me Dominus: fecit regiones & terras inhabitabiles ſub cœlo. Cum pararet cœlum, &c. *Et quæ ſunt extra eam.* חוץ chutz extra, ſignificat etiam plateas: ut ſit ſenſus: nondum fecerat plateas, nimirum partes habitationi idoneas, uel planicies: dixit enim de montibus & collibus. Caſtalio reddit fora. *Et caput puluerum orbis.*) Initium orbis terrarum. R. Dauid dicit quatuor eſſe ſynonyma, תבל thebel ארץ aræz אדמה adamah עפר aphar, & interdum unum uenire in coniunctione alterius, ut hoc loco, paruumq; diſcrimen eſſe inter illa. ארץ ærez eſt nomen uniuerſale, תבל thebel terra habitata, עפר aphar puluis comminutus, & ſic interdũ אדמה adamah. Ego ſimpliciter intelligo, ne puluiſculum fuiſſe: terra enim ueluti ſpongia terris adhuc erat immerſa. Caſtalio reddit, *Antequam humi mundanæ caput feciſſet.* Id eſt, terram, quæ eſt in quoddam quaſi caput & globum formata. *Cum ipſe præpararet cœlos ibi eram.* כון chon præparare, firmare, diſponere, dirigere, ſtabilire. הכין hachin fecit preparari. Grçcè *συμπαρήμην*. Tertul. aderam illi ſimul: Iræneus, eram cum illo. Nam per ſapientiam præparauit. Cœlum ſicut tentorium extendit, & ornauit ſole, luna & aſtris.

Hactenus ſapientia deſcripſit ſeipſam ante opera Dei, iam deinceps deſcribit ſe, quando Deus creauit mundum. *Quando deſcribebat circino ſuperficiem abyſſi.*) חקק chakak eſt ſtatuere, deſcribere, depingere. חוג chog, circinus, circulus, ſphæra, quæ circuit terram. De Deo loquitur tanquam de architecto, qui libella, funiculo & circino utitur, ut omnia aptè fiant. Dimenſus eſt altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profunditatem aquarum. Munſterus legit, *Cum deſcriberet circulum ſuper faciem abyſſi,* hoc eſt, cum terram & mare in figuram ſphæricam redigeret. Dicit autem ſe adfuiſſe cum hæc omnia fierent. Nam Deus pater omnia tàm uiſibilia quàm inuiſibilia per eum condidit, Coloſſ. 1. Omnia per ipſum & in ipſo condita ſunt. Et Pſalmo 32. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. *Cum firmaret deſuper æthera.*) אמץ amaz, roborare, fortificare. שחק ſchachak ſignificat cœlum, nubes, æthera. Cum roboraret cœlos, dicit ſe ad hanc actionem diuinam concurriſſe. *Per filium Dei omnia ſunt condita.*

Cum ſolidaret fontes abyſſi.) עזז aſan roborare, confortare, indurare. Dei iuſſu & potentia fontes fluuiorum non exhauriuntur: ſed ſubinde profluunt, & uim gignêdi & procreâdi aquas conſeruant. *Cum poneret mari legẽ ſuã, ne aquæ præterirent præceptũ eius.*) חק chak præceptũ, ius, ſtatutũ, lex. פיו piſos eius, hoc eſt, ſermonẽ & præceptum: uel litus & alueũ ſuum. Iob. 26. dicitur Deus maris impetũ præſcripto termino perpetuo frenare. Mare circũquaq; cingit terrã, eáq; ingreditur: terra eſt ueluti inſula quędã, tamẽ à mari nõ obruitur. Iob. 28. cap. Deus dicit: Quis præſcripſit portis mare, q. eruptione ſua quaſi ex utero exit? Quũ ponerẽ ego nubẽ ueſtimẽtũ eius, & caliginẽ faſciã eius. Et annũciaui ſuper eo decretũ meũ, & poſui uectẽ ac oſtia. Et dixi, huc uſq; uenias & nõ addes ut trãſeas, & hic pones elationẽ fluctuũ meorũ. Pſal. 104. dicit Dauid, Terminũ cõſtituiſti aqs, ne trãſgrediantur, neq; redeât ad operiendã terrã. Hierem. dicit, An non me timebitis, qui fines harenã impono mari? Stupẽdum certè eſt, elemẽtum tã barbarũ cõcitatũ à uẽtis, harena frenari atq; coerceri. Fit interdũ ut ſuis illis limitib. nõ cõtineatur, ſed inſurgat, & in terrã exſpacietur. Sic factum eſt ſuperiorib. annis, quâdo in Holãdia & alijs inferioris Germaniæ partibus maris inundatione multi perierunt. Quemadmodum enim Deus alijs creaturis, ita etiam mari interdum ad puniendum homines utitur: uel etiam ut cognoſcant, ipſius imperio mare intra fines ſuos contineri. *Et cum deſcribebat fundamenta terræ.*) Philoſophi multa diſputant de fundamentis terræ: pleriq; mirati ſunt eam non cadere, cum in aere pendeat. Ideò fulciri columnis ſunt arbitrati. Pſal. 24. Ipſe ſuper maria uel iuxta maria fundauit terram, & ſuper flumina firmauit eam. Item Pſal. 136. ſuper maria fundata eſt, quum terra potius maris ſuſtentaculum eſſe uideatur. Pſal. 102. Initio tu terram fundaſti. Fundatam terram dicit, quæ in aere librata, firmum & immobilem ſitũ teneat. Admirandũ aũt & adornandum eſt, quod Deus in leui & cedenti aere, tantam molem ſuſpendit, ut Ouidius inquit: *Maris terminus.* *Fundamenta terræ.*

Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa,
Aere ſuſpenſo tam graue pendet onus.

Hinc colligimus non eſſe inutile, ſi in Aſtronomia, Geographia & Phyſica operam collocemus. Harum enim diſciplinarum cognitio non parum momenti ad melius intelligenda opera Dei confert. *Ego fui coram eo, uel ad latus eius (ſ. Dei) ueluti educata.*) אמון Amon, nutritus ſiue educatus, ſecundum R. Dauid in lib. Radic. & eſt nomen Toar. uel Macor loco nominis, id eſt, in educatione. Alius quidam exponit, *tanquã nutritius aut alumnus.* Alij, *ueluti pædagogus;*

ut ſenſus ſit, quemadmodum filij nobilium, omnia quæ faciunt, auſpicijs præceptorum faciunt: ita pater cœleſtis nihil ſine me fecit. Vel ἀνθρωποπάθως ſimilem ſe facit nutritio ſtanti apud patrem ad ſeruandum uniuerſum. Septua. reddunt ἤμην παρὰ αὐτοῦ ἁρμόζουσα. Lactantius, eram penes illum diſponens, Tertull. ego eram cum illo cõpingens. Iræn. eram apud eum aptans.

Fui quoq; ei oblectamento per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.) שעשע ſchaſcha, delectauit uel luſit. Iſa. 11. Blanditus eſt, ut mater filio in gremio, lætificauit: hinc nomen שעשועים ſchaaſchuim, delectationes, gaudia, שחק ſchahak ridere, ludere, lætari. Significat amorem illum Dei patris, quo filium ſuum unigenitum complectitur, quemadmodum cœlitus uoce ſua teſtatus eſt dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo placatus ſum, Matth. 3. Ioan. 17. de hoc amore quædam leguntur. Chriſtus ſummè patrem lætificat. De hoc loco conſule Tert. contra Praxean. Iræneum contra hæreſes lib. 4. cap. 37. Epiphan. contra Ariomanitas hæreſ. 69. Athanaſium, Hilarium 12. de Trinitate, & alios patres, apud quos uerba quædam deſunt, non enim omnia ſuperſtitioſè citant.

Hinc etiam nõ obſcurè colligimus dilectionem Dei erga genus humanum. Mundum uſq; adeò dilexit, ut ne filio unigenito pepercerit, ſed eum in mortem tradiderit, ut omnis, qui crederet in eum, non periret, ſed habeat uitam æternam, Ioan. 3. 1. Ioan. 2. Rom. 5. cap. Æquum autem eſt, ut erga Deum, qui nos tantopere dilexit, noſtram gratitudinem uiciſsim declaremus. *Ludo præterea in orbe terræ eius, & deliciæ meæ ſunt, ut ſim cum filijs hominum.*) Chriſtus delectatur ſocietate hominũ. Sæpe ſpecie aſpectabili patribus apparuit, & cum ipſis egit. Cumq; tẽpus fatale euolutum eſſet, humanam naturam aſſumpſit, habitauit & uerſatus eſt inter homines. Suã erga homines beneuolentiã multis modis declarauit, aſsiduè concionatus eſt, cibos ſuppeditauit populo, uarijs morbis obnoxios curauit. Tamq; familiariter uerſatus eſt cum peccatoribus, ut aduerſarij eius ipſi hoc uitio uerterint. Non igitur alium mediatorẽ quæramus.

Mundus à Deo conditus eſt. Porrò ex hac narratione de operibus Dei colligimus mundum non caſu, nec ab æterno (ut quidam philoſophi opinati ſunt) extitiſſe: ſed conditum eſſe à Deo Opt. Max. à quo etiam hodie conſeruatur ac gubernatur. Opificium uerò mundi introducit nos in Dei cognitionem. Omnipotentiam eius hinc deprehendimus, quòd cœlum, terram, montes, fontes, abyſſos, breuiter tantam molem ex nihilo creauit. Sapientiam, quòd omnia certo & definito ordine creauit atque egregiè ornauit, cœlum Sole, Luna, & aſtris: terram plantis, arboribus, animalibus: quodq; hæc ſapientiſsimè gubernat. Bonitatem, quòd cum horum opera ſibi non eſſet neceſſaria, propter homines hæc produxit, qui eius bonitate fruuntur. Cœlum nos iubet aſpicere propheta. Ex minimis certè mundi & contemptiſsimis partibus plus habemus quæ diſcamus, quàm ex omnibus Papiſtarum ſimulachris. Si ſimulachrum affabrè factum ſit, artificis tantum manum miraberis: ſed quid ſimile habet cum uiuis Dei ſimulachris? Deo itaque nos committamus, illum reuereamur, amemus, illi obediamus, totique ab eo pendeamus.

Teſtimoniũ diuinitatis Chriſti. In primis uerò habemus euidens teſtimonium ueræ diuinitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti contra deplorandam cæcitatem ueterum & nouorum Arianorum, qui negant Chriſtum ab æterno à Deo patre progenitum. At niſi Chriſtus eſſet Deus, quomodo ſpem noſtram in eo poneremus? quomodo redemptor, mediator & interceſſor noſter eſſe poſſet? &c.

32 Nunc igitur filij audite me: beati qui obſeruant uias meas.

33 Audite caſtigationem & efficiamini ſapientes, & nolite fieri ſocordes.

34 Beatus homo qui auſcultat mihi, & ſolicitè uigilat ad fores meas quotidie, ut obſeruet poſtes oſtiorum meorum.

35 Quoniam qui me inuenerit, inuenit uitam, & prolíciet fauorem Domini.

36 Et qui peccauerit in me, uiolenter lædit animam ſuam: & omnes qui odiunt me, diligunt mortem.

Poſtquam expoſuit, quomodo ſapientia omnibus ſeſe offerat, qualis ſit eius doctrina, quæq; opera: ſequitur iam deinceps ultima huius capitis pars, quæ continet exhortationem, ut Sapientiam uel uerbum Dei amplectamur. Huius generis adhortationes iam aliquot habuimus. Cauſam repetitionis aliàs annotauimus. Singula membra uideamus.

Adhortatio ad ſapientiam. *Nunc igitur filij audite me.*) Cum hæc, quæ de ſapientia expoſita ſunt, ita habeant, audite me. Nos omnes filios appellat, quæ uox paterni eſt amoris, & ſæpe in epiſtola D. Ioannis repetitur. Ingenui autem filij magis ducuntur bonis uerbis, quàm uerberibus. Sunt è diuerſo, qui nihil rectè faciant, niſi uerbera adhibeantur. Deus itaq; reprehenſione etiam & aſperis uerbis

uerbis nonnunquam utitur. Emphasi non caret quod dicit, Me, & mox: *Beati qui obseruent uias meas.*) Hoc est, qui student uoluntati meæ. Quæ sit uoluntas Dei, intelligitur ex Ioannis sexto capite, & 1. Thessalonicen. quarto capite. Nempe ut credamus in Iesum Christum, & sanctè uiuamus. Tales homines miseri & stulti iudicantur ac spernuntur in hoc mundo: sed beati ab illo pronunciantur, qui solus & saluare & damnare potest.

Voluntas Dei quæ sit.

Audite castigationem & sapientes estote, uel, ut sapientes efficiamini.) Si iuniores à parentibus & alijs, qui eorum loco sunt, castigati disciplinam receperint, prudentiores efficiuntur. Primus enim ad sapientiam gradus est, disciplinam non aspernari. Adulti quoq; si ministrorum uerbi iustis reprehensionibus, & magistratuum pœnis, morbis item & alijs ærumnis à Deo inflictis, mouentur, sapientes euadunt. Constat certè multis exemplis correctionem hominibus non parum ad prudentiam attulisse.

Correctionis utilitas.

Nolite fieri socordes.) Vox פרע para, significat deficere, cessare, retrocedere, despicere. Sensus, Ne retrocedatis, ne despiciatis uerba mea, ne cessare faciatis à cordibus uestris. Constantia enim uobis retinenda est, & uidendum ne semen uerbi Dei uel in sentes, uel in saxosam terram cadat, & tandem pereat, Luc. 8. De perseuerantia in bono, multa extant loca scripturæ.

Beatus qui mihi auscultat, & solicitè uigilat ad fores meas.) שקד schakad, est uigilare, durare, festinare, solicitum esse. Qui obtemperat mihi, ut uigilet & festinet ad ostia mea. Hac phrasi uigilare ad fores, & obseruare postes ostij alicuius, amor, desiderium & solicitudo significatur. Adolescentes qui honestam aliquam uirginem ambiunt, libenter ad fores eius excubant. Qui aliquem obseruant & colunt, ad ostium domus eius subinde degunt. Apud Romanos, dominos & amicos manè salutatum ueniebant, in uestibulis ante fores eos expectantes, &c. Studium requiritur à nobis, si sapientiam inuenire uolumus: non dormitantes eam expectemus. Per ostium quidam intelligunt media uel instrumenta quibus ad ueram sapientiam peruenimus, ueluti sunt, lectio & auscultatio uerbi Dei, cogitatio, inuocatio diuini auxilij: per postes, sapientiæ doctores. Porrò Emphasim habet quod dicit: *Audite me, beati qui obseruant uias meas, beatus qui auscultat mihi, &c.* Vera sapientia audienda est, non figmenta hominum. Felices pronunciantur ueri auditores uerbi Dei: miseri & infelices sunt, qui traditiones hominum audiunt. Aduersarij nostri subinde in ore habent Romanam ecclesiam, Patres, Episcopos, Concilia, & ualde queruntur quòd illa audire & recipere nolumus: sed non moramur illas querelas. Filius Dei audiendus est. Hunc audite, dicit uox illa cœlestis. Romanam illam ueterem ecclesiam non reijcimus: sed nouam illam, quæ Christum non agnoscit caput, sed caput sine cerebro in eius locum substituit, & uera membra ecclesiæ miserè trucidat. Patres eatenus se uolunt audiri, quoad uerbo Dei non aduersantur. Concilia non semel errasse uel ipsos Papistas uelint nolint confiteri oportet. Episcopi non pauci sunt κωφὰ πρόσωπα, imperiti sacrarum literarum, tamq; turpiter uiuunt, ut de grege Epicuri potius, quàm de grege & ouibus Christi esse non immeritò iudicentur. *Quoniam qui me inuenit, inuenit uitam.*) Christus in sacris literis uita appellatur. Io. 14. dicit, Ego sum uia, ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Proinde qui Christum inueniunt, hoc est, qui in ipsum credunt, uitam assequuntur. In hoc seculo sciunt se propitium habere Deum, & propterea in medijs afflictionibus exultant: in altero autem seculo uitam æternam possident.

Vigilare ad fores alicuius.

Et obtinebit fauorem Domini.) רצון razon uoluntas, beneplacitum, beneuolentia, εὐδοκία. מצח mazah inuenire, educere. Sensus est, *educet uoluntatem.* s. suam, hoc est, id quod uult à Domino impetrabit, suæq; uoluntatis erit compos. Vel uoluntas refertur ad Dominum, erit gratus & acceptus Domino. Etsi totus mundus eum odio prosequatur, & stultum esse sentiat: tamen Deo probabitur. Quid non faciunt & patiuntur homines, ut gratiosum & clementem principem habeant? quàm insolenter multi gloriantur, si princeps amicè eos compellet? Quanto magis pij gloriari debent de fauore Dei, quo nos propter unicè dilectum filium suum complectitur? Si Deus nobis faueat & bene uelit, non est quod odia hominum expauescamus.

Qui uerò in me peccarit: iniurius est animæ suæ.) Postquam de præmijs studiosorum sapientiæ dixit: sequitur de pœnis contemptorum sapientiæ. Peccat in cœlestem sapientiam, qui tam benignè sese omnibus offerentem negligit, & salutaria eius consilia contemnit. חמס chamass rapere & remouere aliquid è loco suo significat. *Rapit animam suam*, id est, bona animæ suæ: *Aut spoliat animam suam:* Targum, *corrumpit. Omnes qui oderunt me, diligunt mortem.*) Sapientiā cœlestē non modò Iudæi oderūt, qui quotidie in suis synagogis Christo maledicūt, & Epicurei qui omnē religionem rident: sed & multi ex illis qui optimi Christiani atq; adeò columnæ

& propugnacula ecclesiæ uideri uolunt. Quales sunt illi gigantes, qui Euangelicam doctrinam armis persequuntur, & libros sacros exurunt. Hi diligere mortem dicuntur: non quòd quisquam ita insaniat, ut sciens & uolens diligat mortem, quam omnes natura exhorrescimus: sed quia hic est fructus spretæ sapientiæ Dei, ut mortem tandem afferat. Hac formula loquendi utuntur etiam Germani: dicunt enim, Hic homo seipsum odio habet, der mensch ist jhm selbs fyend.

Diligere mortem.

CAPVT IX.

SApientia ædificauit domum suam, exsculpsit septem columnas suas.
2 Mactauit uictimam (*uel mactationem*) suam, atque miscuit uinum suum, & instruxit mensam suam.
3 Misit puellas suas, clamauitque in excelsis locis ciuitatis.
4 Qui simplex est huc diuertat: atque uecordi dixit:
5 Venite, comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui.
6 Derelinquite stultos, ut uiuatis, & incedite per uiam intelligentiæ.
7 Qui castigat derisorem, suscipit ignominiam suam: & qui redarguit impium, maculam suam.
8 Noli corripere derisorem, ne forte oderit te: sed redargue sapiẽtem, & diliget te.
9 Da sapienti, & adhuc sapientior erit: instrue iustum, & adijciet eruditionem.
10 Principium sapientiæ, est timor Domini, & cognitio sanctorum intelligentia.
11 Siquidem in me multiplicabuntur dies tui, & adijcientur tibi anni uitæ.
12 Si sapiens, fueris tibi sapies: & si derisor fueris, tu solus feres.

Partes huius capitis.



OTVM hoc caput ferè allegoricum est. Primo enim loco sapientia inducitur, sub imagine matronæ opulentæ & liberalis, quæ palatium extruxit & conuiuium apparauit, ad quod omnes inuitat. Secundo loco, stulticia sub specie loquaculæ & stultæ mulieris describitur, quæ ad se uocat stultos, quos tandem seducit, & in multa mala conijcit. Primæ partis sensus & scopus est: Filium Dei ad communionem Euangelij, atque adeò æterna gaudia læticiamque cœlestem, homines inuitare.

Ecclesia domus sapientiæ.

Sapientia ædificauit domum suam.) Primum, sapientia Dei, hoc est, Verbum patri coæternum Mesias benedictus, regale palatium extruxit, nempe Ecclesiam, quam Apostolus in 1. ad Timoth. 3. cap. domum Dei, columnam & firmamentum ueritatis appellat, quia uerbo Dei innititur. Sapientiæ ponitur plurali numero, quòd, ut suprà diximus, omnes thesauri sapientiæ in Christo absconditi sunt.

Excidit septem columnas suas.) Septenarius numerus, est numerus plenitudinis in scripturis. Psal. 11. Eloquia Domini comparantur argento purgato septuplum, id est, perfectè & multipliciter. 1. Sam. 2. Quæ fuit sterilis, peperit septem, id est, plurimos. Hoc igitur uult indicare, domum illam firmissimam esse, extructam septem, hoc est, sufficientibus columnis. Ædificia enim quæ multis columnis constant, non facilè euertuntur. Non igitur est metuendum, ne hoc ædificium aliquando corruat, uel ab atheis subuertatur. Columnas in Repub. uocamus, qui pietate, prudentia & consilio, uel alijs dotibus antecellunt. Pindarus Hectorem appellat, Columnam Troiæ. In familia columnæ dicuntur, patres familiàs uel filij seniores, à quibus tota domus quasi dependet. In Ecclesia, columnæ sunt primarij doctores, Prophetæ & Apostoli. Paulus scribit 2. cap. ad Gal. Iacobum Cepham & Ioannem fuisse uisos columnas. Quemadmodum ædificium columnis nititur: ita fideles Apostolicæ & propheticæ doctrinæ. Chrysost. & alij interpretantur de septem donis Spiritus sancti. Alij de 7. sacramentis, quibus tota Ecclesia fulciatur. Alij omnes particulares ecclesias per totum orbem intelligunt, quæ significatæ sint per 7. ecclesias Asiæ in Apocalypsi. Alij uniuersitatem Apostolorum, qui doctrina sua Ecclesias fundarunt. *Excidit.*) id est, de mundo per gratiam suam segregauit, & donis suis ornauit. חצב chazaf est excidere, dolare. Nemo enim columna esse potest, nisi Deus eum formarit per spiritum suum, & quasi dedolauerit.

Columnæ ecclesiæ.

Quòd

Quòd hodie multi idonei sunt concionatores, diuinum est beneficium, Eph.4.

Deinde dicit, *Occidit occisionem suam.*) טבח thabach significat mactare, occidere, iugulare: item immolare, sacrificare. Hinc quidam reddunt, *Mactauit uictimam suam.* Pontificij hæc uerba ad festum corporis Christi, quod Anno 1264. sub Vrbano institutum est, detorserunt. Sensus est, tauros suos & altilia sua mactauit, delitias parauit. Nam per terrena, cœlestia adumbrantur.

Miscuit uinum suum.) Ex hoc loco colligit D. Cyprianus, uino aqua diluto in Eucharistia utendum esse. At hic locus nihil facit ad rem. Sapientia enim uinum meracum se suis conuiuis propinaturam esse pollicetur. Nam Hebræi quemadmodum Latini, dicunt miscere uinum aut calicem, pro infundere. Græci *κιρνᾶσθαι.* Isa. 5. cap. Viri robusti ad miscendum siceram. Sic libamina in sacris מסכים maschim dicuntur, etiamsi merum uinum aut oleum offeratur. Et מסכה maschah fusile simulachrum, etsi non diuersa metalla commisceantur. Lyranus annotat hoc loco, in utraque specie fideles antiquitus communicasse: sed propter periculum effusionis sanguinis ordinatum esse, ut Laicis sub specie panis tantum detur. *Instruxit mensam suam.*) Hoc uult dicere, æterna sapientia proponit nobis scripturas ueteris & noui Testamenti, siue uerbum Dei, uerum cibum & potum animæ. Scriptura tractat de Deo patre, qui fons est & satietas omnium bonorũ. De Christo, qui esurientibus proponitur, quiq; uerus cibus est, Ioa.6. sitientibus uinum Euangelicæ consolationis porrigitur, & aqua gratiæ cœlestis, Ioan.4.

Euangelica uocatio. Per quos uocemur.

Addit nunc tertio loco, de Vocatione ad epulas: quis uocet, quo loco, quibus uerbis, & quos. Vbi *φιλανθρωπία* Dei nobis se offert, qui nobiscum communicare hæc gaudia uoluit. *Misit ancillas suas.*) Intelligit omnia media per quæ homines uocantur ad epulas cœlestes, hoc est, ad communionem Euangelij ac regni Dei: inprimis uerò ministerium uerbi. Concionatores ancillis dicunt comparari, quia simplices, infirmi, pauperes, ignobiles sint, sed seduli. De his loquitur Christus Matt.11. & dicit, Gratias ago tibi pater, quòd reuelaris hęc paruulis, &c. Iidem appellantur stulti, quia tales esse mundus iudicat, 1. Cor.1. & 2. cap. Non uocauit armis instructos. Ecclesia enim non ædificatur armis.

Vbi uocemur.

Clamauit in excelsis locis ciuitatis.) Nimirum ut omnes exaudire possent. Deus enim à suis uult audiri & intelligi. Sic in exercitu in editiore aliquo loco dux milites alloquitur, ut ab omnibus conspici & intelligi possit. Alij intelligunt, misit ancillas ut uocarent uel inuitarent homines ad summam arcem ciuitatis, hoc est, regiam cœlestem, nimirum nouam illam Hierusalem, quæ in Apoc. ultimo cap. egregiè describitur. Huc pertinent loci Isa. 55. Matth. 11. & Ioannis 7. Parabola Lucæ 14. & Matth.22. de illo qui cœnam sumptuosam instruxerat.

Qui uocentur.

Duo autem hominum genera indicantur, illorum quos inuitat ad has epulas, nempe *Insipientes & uecordes.* Aristot. in Ethicis, auditores iuuenes & intemperatos, ab illa parte philosophiæ arcet, & illos tantum aptos censet, qui uel boni sint, uel boni fieri facilè possint. At Sapientia uocat ad se omnes, & nominatim homines, qui hactenus à quouis uento doctrinæ, ut Paulus inquit, agitati, quiq; à carnis illecebris, diaboli instinctu, & exemplis mundi, ad scelus pertracti fuerunt. Vel paruulos, hoc est, humiles qui modestè de seipsis sentiunt, quiq; se uerbo Dei gubernandos tradunt.

Deficiens corde.) Huc declinet qui nihil intelligit & considerat, incumbat sacris literis, comedat & bibat de mensa Domini.

Quomodo uocemur.

Quibus uerbis, uel quomodo uocantur? Non tantum uenire eos iubet, sed etiam cessantes reprehendit: *Venite,* inquit, *comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui. Derelinquite stulticiam, ut uiuatis,* uel *& uiuetis, & incedite per uiam intelligentiæ.*) Magna est illa stulticia, quando aliorum mala exempla sequimur, & caduca æternis anteferimus. Disertè autem dicit: *Comedite panem meum, & bibite uinum meum.*) Alij enim cibi & pocula, non exaturabunt nos. Requiritur à nobis ut epulum illud non contemnamus, sed nos præparemus. Frustra cibi proponuntur, si eis non uescimur. Addit fructum: *Et uiuetis,* hoc est, prospere habebitis. *Incedite per uiam intelligentiæ.*) Aperite tandem oculos. Non satis est dicere, Si crediderunt patres nostri, hoc alij faciunt, sed secundum præscriptum uerbi Dei uita instituenda est.

Qui nã frustra uocentur. Derisores correctionẽ nõ recipiũt.

Iam ostenditur qui nam frustra uocentur, nempe illusores & impij. Qui partim contemnunt uocationem, partim rebus leuiculis abstrahuntur, partim in illos irruũt à quibus uocantur. *Qui castigat derisorem, accipit ignominiam suam: & qui redarguit impium, maculam eius.*) Hoc est, ab eo ignominia afficitur. Tam abest ut contemptores rerum cœlestium, uitam mutent, ut monitores suos probris lacerent. Exempla hodie multa habemus in auaris, ebrijs & omnibus Epicureis porcis. *Noli corripere derisorem, ne fortè oderit te.*) Hoc uult dicere, nos

frustra laborare, si impuros & prophanos homines reprehendamus. *Ne odiat te.*) id est, ne malum pro bono reddat. Etenim admonitionem fraternam illi homines non modò non ferunt: sed monitores suos conuitijs adobruunt & neci tradunt. Nam quemadmodum canes aromatis cadauera præferunt, & si quis abigere eos uelit, in eum insiliunt: ita prophani illi & impuri homines, magis delectantur rebus fœdis: quando eos ab illis reuocare conamur, manifesto periculo nos obijcimus: tantum abest ut doctrina & correctio pondus apud eos habeat. Miracula quoq; eos nihil mouent, quemadmodum de aduersarijs Christi ex Euangelica historia constat: qui cum multa & stupenda in terris uiderent, in cœlo signa petebant: simulabant item se credituros in Christum pendentem in cruce, si de illa descenderet, cum interim maiora fierent, quàm hoc fuisset, nihil mouebantur: cum audirent Christum ex mortuis resurrexisse, militibus silentium imperabant. Similem doctrinam Christus proponit Matth. 7. ubi inquit: Nolite sanctum dare canibus, neque proijciatis margaritas uestras ante porcos: ne quando conculcent eas pedibus, & uersi lacerent uos. Quo allegorico sermone uetat, ne margaritam uerbi Dei, & res sanctas, prophanis & impuris illis proponamus, ac duplicem causam assignat, &c.

Quæstio, cur Christus et Apostoli irrisores corripiant.

Sed quæritur, Si irrisores non sunt corripiendi, cur Christus, Apostoli & prophetæ tales homines corripuerũt? Dicendum est, id factum esse propter electos impijs permixtos: deinde impijs in testimonium, ut in iudicio Dei inexcusabiles essent. Porrò illis quibus præcipuè Deus commisit ut scelera arguant, prouidendum est, ne metu odij, hominibus uitijs obnoxijs, de quibus adhuc spes est, parcant. Omnia prius tentanda sunt, quàm de salute hominum spem abijciamus: neque mox pro irrisoribus habendi sunt, qui non per omnia nobis assentiuntur: Opponunt se nonnulli, bona animi intentione. Nemo autem melius hac in parte quid facias ostendet, quàm fides & charitas. Quod si multis experimentis satis constat, aliquem irrisorem & impium esse, iudicio Dei relinquendus est, nec disputandum cum eo, ne ludibrio & periculo nos temere exponamus, illumq; ad maiorem insaniam prouocemus. Sanctus interim magistratus, suum quoq; officium non negligat, sed pœnis tales coerceat.

Qui idonei sint conuiuæ.

Habes nunc qui ad conuiuium cœleste non ueniant: ex opposito docet qui idonei sint conuiuæ. *Redargue sapientem, & amabit te.*) Si sapientẽ amicè admoneas, & horteris ut suo officio non desit, si peccantem reprehendas, gratum ei erit. Scit enim se mereri castigationem: scit homines facilè labi, & calcaribus subinde indigere. Augustinus in lib. Confessionum scribit de Alypio, quòd cum captus esset insania ludorum Circensium, post irrisionem mordacem Augustini illorum ludorum, sibi ipsi succensuerit, & ardentius eum dilexerit. Sapientes non sunt, qui reprehendi nolunt, & nihil sibi deesse putant.

Da sapienti, scilicet occasionem, correptionem uel consilium, *& sapientior erit.*) Vndicunque arripit occasionem, ut in sapientia maiores subinde progressus faciat. Hoc dictum D. Augustinus suæ causæ de ui coercendis hęreticis accommodat, epistola 48. ad Vincent. & epist. 87, ad Felicitatem & Rusticum, ubi inquit: Solet fieri, & frequenter accidit, ut frater ad horam contristetur cum reprehenditur, & resistat, & contendat, & tamen postea consyderet secum in silentio, ubi nemo est nisi Deus & ipse, & timet displicere hominibus, quia corripitur, sed timet displicere Deo, qui non corrigitur, & deinceps non faciat illud in quo iustè reprehensus est, & quantum odit peccatum suum, tantum diligat fratrem, quem sensit hostem peccati sui, &c.

Instrue iustũ, & addet doctrinã.) Omnes homines peccatores sunt, 1. Io. 1. sed Deus propter fidẽ in Christum nos pro iustis habet: & iusticiam filij sui nobis imputat. Si quis instruat talem hominem, pergit subinde, & seipsum quodammodo uincere studet. Nec sibi ipsi tantum, sed & alijs addit doctrinam.

Principium sapientiæ est timor Domini.) Quia dixit, Da sapienti & sapientior erit, ostendit quæ sit summa sapientia, nempe timor Domini. Vel quodnam sit principium, à quo incipientes progrediantur ad perfectam sapientiam. Aut rationem reddit, cur sapientes iusti proficiant, quia in eis est timor Dei. *Et scire sanctorum intelligentia.*) Summa & caput ueræ & solidæ sapientiæ, est intelligentia rerum sanctarum: Vel scientia sanctorum, hoc est, quam habuerunt sancti de Deo & rebus sanctis, est uera intelligentia.

Per me enim multiplicabuntur dies tui, & adijcientur tibi anni uitæ.) Fructus epuli Euangelici ostenditur, uidelicet uita longa, atq; adeò uita æterna. Non uideo, inquis, pios diutius uiuere impijs. Imò illi quos diu uiuere optamus, citius moriuntur quàm illi quibus mortem imprecamur. Per uitam ut iam sæpe dictum est, non modò illa naturalis intelligitur, sed etiam æterna felicitas. Vita impiorum mors potius appellanda est. Pij feliciter in hac uita uiuunt, nam fide Christum perceperunt, sciunt se charos esse Deo, non perturbantur ullis terroribus, mortis etiam

tis etiam cruciatus fortiter spe æternæ uitæ superant. Deinde post hanc æterna potiuntur, & cum Abrahamo, Isaaco, omnibusq; electis discumbunt. Falsum autem est, quod quidam putant, illis tantùm, qui in ueteri Testamento fuerunt, corporales promissiones factas esse.

Si sapiens fueris, tibi sapies.) Si uerbo Dei credas, & uocantem Deum sequaris, tibi præcipuè in bonum cedet: quisq; enim pro se rationem reddet. *Si derisor fueris, tu solus feres.*) Econtrà si epulum illud dominum deriseris, tu pœnas dabis, tibi ipsi potissimum nocebis. Sinit Deus improbos ad tempus omnia irridere: sed tandem pœnas ab impœnitentibus exigit. Chrysost. πονηρίαν ab eo dictam esse dicit, quod πόνον id est, laborem & ærumnam possessori adferat. Illusores certè & alij improbi homines semper iustas pœnas dederunt. Sunt alijs quoq; pœnæ causa, sed nisi consentiant, alterius prauitas eis non oberit. Chrysostomus homilia in Psalm. 139. mouet hanc quæstionem. Quomodo sapiens dicat, Si sis malus, solus exantlabis mala. Atqui, inquit, multos probris & contumelijs afficit: sed neminem lædit, qui non sit mollis, ignauus & iners. Et si uelis malo homine dimisso, ipsum cacodæmonem in medium adducamus. Dic autem mihi, an non omnem suam effundit improbitatem? nunquid autem læsit Iob? an non illum quidem reddidit clariorem? Cain non solus mala exantlauit, sed etiam Abel: sed celeriter liberatus est ex hac miseria, &c.

Quomodo derisores soli puniantur.

13 Mulier stulta & clamosa, imperita & nesciens quicquam.
14 Sedet ad ostium domus suæ, & in locis excelsis ciuitatis.
15 Vt uocet illos qui transeunt per uiam, & qui rectè incedunt per uias suas.
16 Qui est insipiens huc declinet, & ad uecordem dicit:
17 Aquæ furtiuæ dulces sunt, & panis clandestinus iucundus.
18 Et ille nescit, quòd mortui sunt ibi, & in profundis inferni inuitati eius.

Altera huius cap. pars è contrario describit, quomodo stulticia homines ad suum quoque epulum inuitet, & tandem æternis malis inuoluat. Per stultam hanc mulierem quidam intelligunt philosophiam, cæcam rationem, aut falsam doctrinam, quæ ad spirituale adulterium, id est, ad recedendum à Deo inuitat. Alij meretricem secundum literam. Sed quia per sapientiam ueteres communiter Christum intelligunt: per stulticiam, simpliciter Antichristum intelligamus. Quam interpretationem ideo libentius sequor, quòd sanctus Dei martyr Ioannes Hussius in libris suis eam etiam agnouit.

Stulticia.

Antichristi uox Græca est, componitur ab ἀντὶ & χειστὸς. Ἀντὶ in compositione significat par uel contra. Antichristus significat æmulum Christi, qui æqualis Christo uult esse, ac sibi arrogat quæ solius Christi sunt. Vel aduersarium, qui cum Christi uita & doctrina ex diametro pugnat. Antichristi omnes dicuntur, qui se Christo & doctrinæ eius opponunt. Ioannes 1. Epistola cap. 2. multos iam sua ætate Antichristos fuisse dicit. Complures enim seductores, Simon Magus, Ebion, Cerinthus, & alij iam emerserant. Inter omnes autem scriptura coryphæum ostendit, magnum & singularem Antichristum. Multi ex ueteribus putarunt scripturam de unica persona loqui, quidam Neronem crudelissimum tyrannum suspicabantur Antichristum illum esse. Fabula item excogitata est, quòd futurus sit Iudæus, ex tribu Dan, appetente die iudicij nascendus in Babylone, &c. Interim homines uero Antichristo præterito alium expectarunt. Veluti cum fur aliquis in frequenti foro clamat, Comprehendite furem, interea dum homines circumspectant, ipse per fugam elabitur. Scriptura enim non de unico homine loquitur, sed de toto regno.

Antichristus quid.

Quæritur hodie, An uenerit magnus ille Antichristus, an adhuc uenturus sit: quòd si uenerit, quis sit Antichristus. Respondeo doctissimos uiros nostra ætate accusare Pontificem Roma. quòd sit ille Antichristus. Nam si omnia, quæ de Antichristo à prophetis Christo & Apostolis prædicta sunt, diligenter cum doctrina & moribus pontificum conferantur, aquam aquæ, lac lacti similius non esse, quàm ille Antichristo. Quis quæso, dicunt, se uicarium Christi salutari patitur? quis dicit se remittere peccata, se conficere corpus Christi, se ἀναμάρτητον esse? Quis suos sectatores euehit, aduersarios exurit? quis Deum Mauzim patribus ignotum, auro & argento colit? quis nuptias & cibos prohibet? quis se sanctitatem salutari patitur? &c. Non'ne pontifex Romanus? nihil certè de Antichristo prædictum esse clamant, quod pontifices Romani non cumulatè præstiterint: quærunt quid facere debuerit Antichristus, quod illi non fecerint.

An uenerit Antichristus.

Non autem nostra demum ætate, ut quidam clamant, petulantia quadã ingenij, odio priuato, aut cõuitiandi libidine, pontifex Romanus accusari cœpit, quòd sit Antichristus: sed ante aliquot secula ab episcopis & principib. quin plerisq; pijs & bonis uiris hoc nomine male

Ante aliquot secula multi pon-

h

tificem Ro. dixerunt esse Antichristum. audiuit. Ex multis paucissima attingam. Arnulphus Aureliensis episcopus ante annos 550. in concilio Remensi pontificem Romanum apertè Antichristum nominauit. Idem fecisse circa annum Domini 1240. Eberhardum episcopum Salisburgen. in episcoporum conuentu, testis est Auentinus in annalibus Boiorũ. Abbas Ioachimus Calaber subinde Papam Antichristum uocauit. Hanc ipsam ob causam patrum memoria Hieronymum Sauanarolam prophetico spiritu clarum pontifex ferre non potuit. Quin ipsos pontifices sese mutuum Antichristos nominasse, proditur in historijs. Auentinus lib. 5. scribit, Heinrichum 4. in literis suis ad principes, quibus de pontificis iniurijs queritur, eum appellasse Antichristum. Idem fecisse Fridericum 2. in eius epistolis, quæ etiamnum extant, manifestè habetur. Ludouicum 4. scribit Auentinus, etiam edicto publico Papam Antichristum nominasse. Othonem ducem Bauariæ & episcopos idem sensisse, tradit lib. 7. Idem scribit de Menardo Tirolij comite. Adhæc ille ipse author tradit, ab omnibus doctis pariter & indoctis decantatum fuisse, quòd tempore Hiltebrandi pontificis regnũ Antichristi cœperit. Omitto Marsilij Patauini, Occami, Guilielmi Parisiensis, Francisci Petrarchæ, Laurentij Vallæ, & aliorum multorũ grauissimorumq; uirorum testimonia, quibus confirmant Papam esse Antichristum, &c.

Non autem mirum uideatur, quòd Antichristus sub specie fœminæ hoc loco proponitur. Nam etiã in Apocalypsi sub purpuratæ meretricis forma describitur. Nec sine singulari prouidentia Dei factum esse uidetur, quòd ut multi historici scribunt, circa annum Domini 854. *Ioannes 8. Papa.* mulier Maguntina sexum mentita, Pontifex creata, & Ioannes 8. dicta fuit: ut totus mundus oculos aperiret, & uideret, num scortum illud Babylonicum, de quo in Apocalypsi prædictũ est, in Ecclesia grassaretur.

Mulier stulta uel diues. Describit autem hanc mulierem aliquot epithetis. Primò uocat *stultam.* A' Zacharia quoq; 11. cap. Antichristus stultus pastor uocatur. Non quòd humana sapientia præditus non sit (est enim astutus, callidus & uafer) sed quòd res diuinas nõ intelligat. Potest autem stultitia Antichristi per partes doctrinæ ipsius manifestè ostendi. Vocem Hebræam כסיל chasil non modò stultum, sed etiam diuitem significare, qui suis diuitijs fidit: Hebræus quidam ex 19. cap. huius libri colligit, ubi Solomon dicit: Melior est pauper ambulans in perfectione sua, quàm peruersus labijs, & est כסיל chasil diues, fidens suis diuitijs. Pauperi opponitur כסיל chasil, id est, diues: & peruerso labijs, ambulans in perfectione sua. Congruit autem hæc interpretatio Antichristo, qui opibus suis fidit, & amicos sibi conciliat.

Deinde appellat, *Clamosam, streperam & tumultuosam.*) Quid enim Antichristo loquacius? Constat enim ex historia theologos postremis illis seculis operam suam non contulisse amplius ad explicationem sacrarum literarum: sed potius sentẽtiarum Longobardi, in quas complures uastissimos & uerbosissimos commentarios scripserũt. Ex his postea alij partes summas & tractatus copiosissimos compilarũt. Accesserunt etiam Monachi mendicantes, qui sermones de Tempore & sanctis, siue postillas composuerunt. Adhæc, disputationibus, cantu, precibus Antichristi nihil est prolixius. Legati eius in Apocalypsi 16. cap. ranis comparantur, quæ subinde non sine molestia hominum repetunt suum illud κοὰξ κοὰξ. Adhæc Antichristus magnis clamoribus ueritatis præconibus os obturare nititur, & multa quæ plus millies confutata sunt, iterum nugatoriè repetit. Multos præterea tumultus & funesta bella in omnibus regnis excitat.

Tertiò mulier simplicitatis dicitur, uel potius deceptionis & adulationis: de hac uoce 1. cap. dictum est. Adulatur hominibus, & se affectibus eorum accommodat, ut eos in falsa doctrina retineat, &c.

Quartò uocat mulierẽ *Nihil scientem.* Multi magnificis titulis ornãtur, quidã Magistri, quidã doctores, quidã Lux mundi appellantur: sed si Christũ nesciant, nihil tenent: si aliã uiã monstrant quàm uerbum Dei, stultè agunt. Petrus quoq; fontibus aqua, & nubibus pluuia carentibus, falsos doctores comparat. In rebus quidem ciuilibus Antichristus est oculatissimus, ænigmata intelligit, ut est apud Danielem.

Sedet ad ostium domus suæ.) Domum etiam habet quemadmodum Sapientia, nempe ecclesiam, hoc est Senatum Purpuratorum, Germani uocant rubram ecclesiam, multos quoq; habet potentes principes.

Cathedra. *Super solium in locis excelsis ciuitatis.*) Consuetudo olim fuit, ut Episcopi haberent sedes & cathedras in Ecclesia: sedendo enim docebant. Hinc Roma sedes Apostolica dicta est, eò quòd Apostoli ibi docuerunt. De hac sede insolenter gloriantur, quòd super omnes exaltata sit: quodq; Papa iure quodam hæreditario eam occuparit. Petro enim, super quem Christus ecclesiam suam ædificarit, eiusq; successoribus, etiam Theophylacto teste, non unius Ecclesiæ, non unius prouinciæ, ἀλλὰ πάσης τῆς οἰκουμένης, hoc est uniuersi terrarum orbis imperium esse demandatum.

demandatum. Quibus addere & hoc possunt, quod Chrysost. aduersus Iudæos 5. oratione scribit, Petrum per pœnitentiam ita abluisse abnegationem, ut etiam primus Apostolorum factus fuerit, ac terrarum orbem totum subiecerit. Hoc imperiũ perpetuum fore etiã ex poetarum oraculis, parasiti Papæ ostendunt. Huc enim accommodant uersus illos Vergilij,

His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Et, Capitoli immobile saxum.

Neq; terrarum tantum orbem, Pontifices suo imperio uendicant: sed cœlum & purgatorium: neq; in spiritualibus tantum se rerum dominos profitentur: sed etiam regna terrena inuadunt. Et huc pertinet duplex ille Bonifacij 8. gladius, quem in anno Iubileo protulit, & quod Distinct. 96. legitur de Donatione Constantini.

Vt uocet illos qui transeunt per uiam, & qui rectè incedunt per uias suas.) Illos ad se uocat, qui per rectã uiam incedunt. Christus uia est, quę ducit ad uitã æternã, falsa sapientia nos abducit in deuia. Iisdem autem ferè uerbis homines inuitat, quibus cœlestis sapientia. Habet etiam suam mẽsam, suos cibos & sua pocula. Etiam nos, dicit, prædicamus Euangelium, &c.

Qui est insipiens huc declinet.) Si quis, inquit, ueram uiam sibi cupit monstrari, si quis ab hæreticis seductus est, ad me ueniat, ego ueram uiam salutis ei monstrabo. Libros scribunt de recta uia, in quibus tamen toto cœlo errant.

Ad uecordem dicit, Aquæ furtiuæ dulces sunt, & panis absconsionum iucundus.) Quæ grata sunt carni, proponit stultis. Et quia doctrina ordinationum humanarum & operum delectamur, illam unicè urget. Deinde omnium scelerum impunitatem concedit. Quomodocunq; quis uiuat, modo egregius sit Papatus propugnator, illum tolerat. Hac ratione multum creuit regnum Antichristi. Facilè enim prohiberi nobis ea patimur, quæ facere malum non est, modò nobis præcepta Dei transgrediendi potestas cõcedatur. Finge duos esse ludimagistros, unum seuerum, alterum remissum: pueri certè alterum illum sibi deligent. Corruptæ naturæ uitio, illa nobis arrident, quæ prohibita sunt, secundum illud Ouidij:

Cui peccare licet, peccat minus. Ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Et alio in loco:

Quod licet ingratum est, quod non licet acrius urit.

Clemens Alexandrinus dicit Pindarum Bæotium hoc loco Salomonis adiutum, dixisse: γλυκὺ τί κλεπτόμενον μέλημα κύπριδος. In coniugio mulieres concessæ aliquibus uiris sordent: prohibitæ uerò, magis eos delectant. Pueri magis rebus clàm surreptis delectantur, quàm illis quas à parentibus acceperunt. Senarius est prouerbialis apud Græcos: γλυκεῖ' ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος, id est, dulcia sunt poma cum abest custos. Sic cultus ille Dei nobis maximè adlubescit, quem ipsi nobis confinximus, quiq; correptæ & uitiatæ nostræ naturæ est consentaneus. Hunc locum explicat D. Augustinus tractatu in Ioannem 97. Similis ferè sententia cap. 20. uersu 17. ponitur.

Et ille nescit quòd mortui sunt ibi, & in profundis inferni inuitati eius.) Miser ille qui purpuratæ meretricis blanditijs se uinci sinit, & carnis illecebris, tandem miserum & lamentabilem exitum sortitur. Nescit enim conuiuas meretricis, qui uino furoris eius inebriati sunt, tandem in profunda tartara deturbari, ut æternùm cũ impijs & sceleratis affligantur. Vox illa Rephaim, *Rephaim.* cap. 2. & 21. cap. huius libri etiam ponitur: significat gigantes, potentes, fortes, à רפה rafah sanauit, quòd sani sint & robusti. Deinde significat mortuos, destitutos uirib. & quib. nulla cura adhiberi potest, & deriuatur à uerbo רפה rafah dissoluit, eò quod mortui dissoluti sunt ab omni actione uitæ. Quia uerò gigantes propter tyrãnidem malè audiebant, quasi certò damnati, ideo sæpe pro infernalibus accipiuntur. Gigantes, Cyclopes, principes, humana sapientia & eloquentia turgidi, qui non resipiscunt, tandem cum Antichristo æternùm pereunt. Hoc multa scripturæ loca ostendunt. 2. Thess. 2. 2. Pet. 2. Apoc. 18. Vnica enim uia est in cœlos, Ioan. 4. Vnicum ostium, Ioan. 10. nempe Christus. Quod si illi spem suam in Christum non collocant, sed in sua & aliorum opera, ac credentes in filium Dei atrocissimè persequuntur, quomodo saluari poterunt? Hæc doctrina odiosa quidem est, sed omnino necessaria ad consolationem piorum. Nam si res secus habet, quomodo Antichristianos adhortaberis, ut à sua persuasione desistant? Furiosi certè fuissent omnes sancti martyres, qui ab Antichristo, propter purioris fidei confessionem se miserè lacerari passi sunt, si unusquisque in sua religione seruaretur. Stulti essent principes & magistratus, totq; sancti uiri, qui propter causam Euangelij tot pericula adeunt.

An omnes qui sub Papatu sunt, damnẽtur.

Quæris, An igitur omnes illos qui sub Papatu degunt existimas damnari? Nequaquam. Multa enim sunt illorum hominum genera, qui in Papismo uiuunt. Quidam intelligunt negotium religionis, & proram ac puppim, ut dicũt, salutis in Christo collocant, Antichristum ex animo detestantur. Nonnulli ueritatem quidem nondum uident, sed ex simplicitate quadam, communes errores sequuntur, postea tamen diuino beneficio conuertuntur. Quidam iam morituri, se totos in misericordiam Dei conijciunt, atq; ita saluantur, non per fidem Papisticam, sed ex mera gratia Dei per fidem in Christũ. Sed quid de illis speraremus, qui scientes & uolentes Antichristo addicti sunt, & uerã religionẽ propter affectus suos persequũtur?

An maiores nostri salutem adepti sint.

Quid autem sentiendum est, inquis, de maioribus nostris, qui sub Antichristi tyrannide, antequam doctrina repurgaretur, decesserunt, num & illi damnati sunt? Respondeo, Deum in medijs tenebris Antichristi, semper suam ecclesiam habuisse. Quemadmodũ temporibus Heliæ, quando ne unus uidebatur superesse, qui sincere Deum coleret, Deus 7000. relictos dicit, qui genu suum Baali non flexerint. Multi fuerunt omnibus seculis, qui palàm professi sunt, Papismum Christianismo aduersari. Prȩterea iamiam morituris symbolũ fidei olim recitatum est. Piè itaq; credamus Christum, qui latronem iam animam exhalantem seruauit, tyrannide oppressorum misertũ, tetigisse eorum corda, & ad se in beatas sedes transtulisse. Maiores illi nostri ex ignorantia peccarunt, non ex destinata malitia. Gratiam Euangelij ambabus manibus amplexati fuissent, si eis fuisset oblata. Hodie uerò multi in tanta luce oculos claudunt, utq; dissolutè uiuere possint & res suas augere, agnitam & manifestam ueritatem crudeliter persequuntur: quantum illos putas abesse à peccato in Spiritum sanctum? Nemo igitur præsentis seculi commodis illectus Antichristum sequatur. Quid enim prodest homini, dicit Seruator noster Matth. 16. cap. si totum mundum lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturam fecerit? aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Subinde cogitandum est, uitam nostram celerius quàm sagittam neruo impulsam, ad terminũ suum properare. Ne igitur breuẽ & calamitosam hanc, beatæ & sempiternũ duraturæ præferamus.

CAPVT X.

Titulus repetitur.



HVIC capiti nouus titulus, uel noua inscriptio præfigitur: nempe PROVERBIA SALOMONIS. Non quòd superiores sententiæ, non sint Salomoniæ: sed propter mutatũ genus orationis. Hactenus enim multis uerbis de Sapientia, timore Dei, & alijs multis rebus disputauit: iam uerò deinceps per 21. cap. sequentur breues, sed præclaræ & elegantes sententiæ, ex quibus non tantũ colligimus, quanta sapientia Salomon instructus fuerit: sed etiam ueram sapientiam addiscimus. Homines enim cuiuscunq; ordinis, ætatis & sexus, instituit de rebus uarijs. Singuli propè uersus, peculiares sententias continent, quæ ferè duplices sunt, ex partibus contrarijs. Non igitur potest hoc caput & sequentia, ut superiora in certas partes distribui. Hebræi dicunt, hîc demum incipere Prouerbia Salominis: quæ præcesserunt, fuisse ueluti præfationem.

PRima sententia de felicitate & infelicitate sobolis pronunciat.

1 Filius sapiens, lætificat patrem.

Sapientia quid?

Filium sapientem appellat, qui parentibus obtemperat, & uerbo Dei se finit gubernari. Item qui artem aliquam bene nouit. Sapientiæ enim uocabulo scriptura utitur, non tantum ad contemplationem: sed etiam in artibus, ut de Beseleel dicitur, quòd sapiens fuerit. Quod si tales filij, honore afficiantur à populo, & ad dignitates promoueãtur, parentes laudis fiunt participes. Res quoq; omnes tutò possunt eis committere. Gaudent præterea huiusmodi liberis hæreditatem relinquere, & uidentur sibi quodammodo post obitum in eis uiuere. Si parentes pauperes sint, sperant se à talibus filijs alendos. Siracides 30. cap. de filio rectè instituto: Si obierit pater eius, perinde est quasi non obierit, ut qui similem sui reliquerit superstitem, &c. Iacobus patriarcha gaudens de filij sui Iosephi prudentia, Genes. 46. cap. inquit: Iam lætus moriar, quoniam te superstitem relinquo. Leonides pater Origenis, qui puer magna ingenij specimina dabat, sobolis huius felicitate se beatum iudicauit, ut scribit Euseb. histor. Eccles. 6. lib. cap. 3. Quæ de filijs dicuntur, de filiabus etiam intelligenda sunt. Similis uersus apud Græcos extat:

» [illegible] εὐδαιμονίας τοῦτ᾽ ἐστιν, ὑὸς νοῦν ἔχων.

Ex opposito nunc dicit:

Filius

Filius stultus mœror est matri suæ.

Filius stultus qui parentibus non obsequitur, uel alioqui ad res gerendas ineptus est, quique uerbum Dei non obseruat, mœrore afficit matrem suam. Nam stulticia eius ad parentum dedecus redundat. Matris præcipuè facit mentionem, quia matres, in quorum oculis stolidi illi subinde uersantur (inepti enim sunt ad expedienda foris negocia) uehementius dolent. Quemadmodum autem, non maiora gaudia pijs parentibus in hac uita obtingere possunt, quàm si filios pietate & uirtute præstantes habeant: ita etiam ex nulla re maiores cruciatus sentiunt: quàm si filij expectationem & spem ipsorum fallant. Exempla huius rei sunt, primi nostri parentes, Noe, Isaacus, Iacobus, Heli, Samuel, Dauid, Iosias rex, qui liberos habuerunt, uotis eorum non respondentes. Nostra ætate abundamus illorum filiorum exemplis, qui conceptam de ipsis parentum & cognatorum spem, turpiter fallunt.

Discunt hinc parentes filios suos rectè educare. Permultum enim refert, ut si in senecta optatos gaudiorum fructus ex ipsis percipere uolunt, eos rectè instituant, suumq; officium nõ negligant. Quod non solum in hoc consistit, ut pueris uictum & amictum præbeant, eosque defendant: sed in hoc potissimum, ut eos erudiant & castigent. *Parentes filios suos rectè educare debent.*

Porrò statim à prima ætate erudiendi sunt in religione, quæ sua habet elementa: accrescente ætate, perfectior institutio requiritur. Exigendæ sunt à pueris conciones. Mittendi sunt in scholas, ubi cum literis etiam pietatem discant. Docendi sunt uirtutes, quales sunt Temperantia, Veritas, Taciturnitas, Castitas. Reuocandi à uitijs, Mendacio, Prodigalitate, Furtis, &c. Eruditio in morum quoq; ciuilitate posita est, ut domi & foris, in mensa, cubiculo, templo & alibi rectè se gerant. Docendi etiam sunt artes honestas: puellæ doceantur nere, texere. Puerorum ingenijs exploratis, si ad literas, uel artificium aliquod sunt nati, ne eis desis. Nobiles uerò sua etiam exercitia habeant. Quàm hoc sit utile, sapiens ille Bias, cuius meminit Valerius Maximus, & Dionysius tyrannus satis ostendunt.

Non autem satis est uerbis docere, sed exemplo uitæ. Caue ne quid ex te audiant uel uideant, quod eos possit offendere. Simiarum enim habent ingenium, imitantur quæ uident, discũtque uitia, priusquàm uitia esse intelligant. Quid apud adultos possit exemplum, omnes scimus.

Secundo loco correptio etiam requiritur: quæ partim in uerbis, partim in uerberibus consistit. Vbi ingenij puerorum rationem habere conuenit. Quod si ab alijs ueluti cognatis, affinibus, uel uicinis castigentur, non iniquo animo feramus. Præcipuè uerò matres, quæ subinde cum filijs uersantur, eos erudiant. Ecclesiastici 30. legitur: Qui filium suum castigat, fruetur filio, & inter nobiles eo gloriabitur. *Castigatio liberorum.*

Hęc si parẽtes faciãt, liberos habebũt, qui nõ modò ipsis, sed toti Reipub. ornamẽto erũt: sin uerò nec ipsi liberos erudiãt, nec alijs erudiẽdos tradant, quin potius contemptũ Dei, magistratuum, concionatorũ, partim uerbis, partim uitæ exẽplo ipsis instillent, & circa opes coaceruandas tantum occupentur, quos fructus in senectute ex liberis quæso perciperent? Tales certè parentibus non modò damno & dedecori sunt, sed & rebuspub. perniciosi.

Ethnici quoq; mirati sunt illam parentum stulticiam, quòd tam studiosè opes liberis colligunt, interim tamen non dant operam, ut liberi tales sint, qui opibus rectè uti possint. Thesauros diligenter custodiunt, liberorum nullam habent rationem, qui preciosissimus sunt thesaurus. Cum Cãpana quædam nobilis matrona Romam uenisset, & Corneliæ Gracchi lectissimæ fœminæ hospitio uteretur, omnem suum mundum muliebrem ei inspiciendum dedit, rogans ut uicissim sua ornamenta & thesauros ei contemplari liceret. Cornelia pueros suos è schola reuersos produxit, inquiens, Hi mihi unici sunt thesauri.

Licet autem parentes interdum in educandis liberis nullum laborem recusent, liberi tamen flagitiosi euadunt. Idque has ob causas Deus sinit euenire, ne nostræ institutioni, aut carnali propagationi nimium tribuamus, ne'ue spem nostram, quæ in solo Deo ponenda est, in liberos collocemus. Contemptum quoque matrimonij, hoc modo Deus interdum ulciscitur. Sunt præterea aliæ causæ huius rei, quemadmodum aliarum quoq; afflictionum. Plerunq; tamen liberi, qui sanctè instituuntur, parentum uotis respondent. Porrò si parentes in excolendis suis liberis nihil prætermiserunt, liberi autem suum officium non faciant, minus postea illorum infelicitate perturbantur. Bene enim sibi conscij sunt, sciunt sua, non parentum culpa liberos tales euasisse.

Deinde liberi ex hac sententia discunt sua officia erga parentes: quæ tria sunt præcipuè. Primum est, amare & reuereri parentes, non externis tantum symbolis, cedendo uiam, aperiendo caput: sed ex animo magnifaciendo & suspiciendo ipsos, etsi coram mundo uiles sint & abiecti. Hinc sequitur secundum, quod est Obedire. Illis enim, quos ueneramur *Liberorum officium.*

& suspicimus, libenter obtemperamus. Obedientia autem illa ad res honestas tantum astringitur. Tertium officium est opitulari, seu ἀντιπελαργεῖν.

Si hæc non fecerint filij, sed parentes suos contemnentes, contra uoluntatem ipsorum matrimonia contrahant, & pro suo arbitratu agant, neq; manum eis porrigant, eos in magnum mœrorem conijciunt. Etsi autem parentes nostri morosi & queruli sint, cogitandum tamen est quales nos fuerimus, quidq; si in idem uitium incidamus, accrescentibus annis, à nostris liberis expectemus. Mandatum Dei, promissiones & comminationes, item exempla in oculis habere oportet. Grauissimè peccant illi qui parentes suos dedita opera in mœrorem conijciunt: quantum enim à parricidio abesse putas? Etsi autem, quod Deum attinet, parentes tui hoc promeriti sint, tamen quod te attinet, merentur ut honore & uoluptate eos afficias. Potest hæc sententia etiam spiritualibus parentibus & liberis accommodari. Ioan. in Epistola 3. dicit, Maius his nō habeo gaudiū, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare, &c.

Quia uerò parentes, præcipuè qui multos liberos habent, coaceruandis opibus student, omniaq; feliciter confecta existimant, si magnos thesauros, etiam per fas & nefas congestos, liberis relinquant, addit præclaram sententiam:

2 Non prosunt thesauri impietatis.

De diuitijs colligendis. Thesaurum impietatis uocat, malis artibus quæsitum. רֶשַׁע rascha impietas, iniquitas, improbitas, seditio: sæpe opponitur iusticiæ. Comprehenduntur autem hîc omnes modi, quibus contra ius & fas aliena acquiruntur. Potest etiam hæc gnome intelligi de opibus iustè partis, eò quòd sint materia & occasio multorum uitiorum. Sic Christus Luc. 16. Mammona iniquitatis uocat. Prudentibus sunt materia uirtutum, ex ipsis opera pietatis exercent. *Non prosunt.)* יָעַל iaal significat prodesse, utile esse: nullam utilitatem afferunt.

Quid audio, inquis, An non diuitiæ ad omnes uitæ partes plurimum prosunt? Diuites in maximo sunt precio. Rectè dicit ille,

» Et genus & formam regina pecunia donat.

Quomodo igitur non prosunt? Id mox contrario membro explicatur: *Non eripiunt à morte, uel non prosunt*, scilicet ad salutem. Regula enim est, peccatum non remitti, nisi ablatum restituatur. Nam illum qui contra conscientiam furto ablatum retinet, dicunt non habere ueram contritionem, nec abijcere propositum peccandi.

Diuites non rarò putant, neq; Dei neq; hominum præsidio sibi opus esse: eò quòd contra omnem fortunam satis sint muniti: si sit fames, magno precio sua uendi: si sit bellum, pecunia uitam ab hoste redimi: si pestis grassetur, sumptus suppetere, ut in loca tutiora cōfugiant. Iudices quoq; corrumpi posse, ut à morte liberent, quem mori leges iubent. Verum est, fiunt *Mors nemini parcit.* hæc interdum. At mors non flectitur ullis precibus, nulla pecunia quantumuis ingenti corrumpitur. Vnde Horatius dicit lib. 1. Ode 4.

» Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
» Regumq; turres. Idem libro 2. epist.
» Sic quia perpetuus nulli datur usus, & hæres
» Hæredem alterius, uelut unda superuenit undam:
» Quid uici prosunt? aut horrea? quid'ue Calabris
» Saltibus adiecti Lucani: si metit Orcus
» Grandia cum paruis, non exorabilis auro?

Claudianus lib. 2. de raptu Proserp.

» Sub tua purpurei ueniunt uestigia reges
» Deposito luxu, turba cum paupere mixti:
» Omnia mors æquat. Et alius quispiam:
» Mors dominum seruo, mors sceptra ligonibus æquat. Sophocles dicit:
» ὅταν γὰρ ὁ καιρὸς τοῦ θανεῖν ἐλθὼν τύχῃ
» οὐδ' ἂν πρὸς αὐλὰς Ζηνὸς ἐκφύγῃ μολών. Id est,

Vbi tempus mortis aduenerit, ne ad Iouis quidē uestibula perueniens effugeret aliquis. Eleganter Æschylus scribit apud Stob.

» μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ
» οὔτ' ἄν τι θύων, οὔτ' ἐπισπένδων ναοῖς
» οὐ βωμός ἐστι, &c. Id est,

Mors enim sola deûm non amat munera, nec ullus ei sacrificat, aut libat in templis. Nullam habet aram, &c. Omitto infinita alia. Non igitur prosunt opes aduentante morte temporali, sed eam potius exasperant. Neq; redimunt nos à morte æterna, diabolo, inferno. Solus Christi sanguis est nostra redemptio. Zephon. 1. Aurum & argentum eorum non eripiet eos in die iræ.

iræ. Deum iustū iudicem nō placant opes, sed iram eius potius incendūt, tanquam scelerum testes. Quid profuerunt diuiti illi diuitiæ qui pauonis instar uestitus erat, qui palatia extruxerat, & quotidie splendidè epulabatur? Quid illi qui granaria sua & cellas uinarias distenderat, & miseræ animulæ multos annos, rerumq; omnium affluentiam promittebat?

Disce quomodo parandæ sint opes ad conseruationem familiæ. Non enim parum refert, quibus modis & uijs opes colligantur. Iniurijs proximorum parandæ non sunt: huiusmodi enim facultates conscientiam turbant, & maculam inurunt. Præstat mediocres opes liberis relinquere honestè, quàm ingentes scelere partas. Hoc etiam Ethnici uiderunt. Hesiodus dicit:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἴσα ἄτῃσι.

Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτὰ, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω, &c.

Solon dicebat, Diuitias habere quidem cupio, per iniuriam uerò comparare nolim, sequitur enim mox supplicium.

Iusticia autem liberat à morte.

Si suū cuiq; tribuas, non est tibi metuendum à gladio boni magistratus. Magistratus enim minister Dei est in bonum innocentibus. Deinde fidei iusticia, liberat ab æterna morte. Iudæi eleemosynam צדקה zadikah à iusticia nominant, eò quòd æquum & iustum sit, eum, qui potest, eleemosynam dare. Quomodo autem illa à morte eripere dicatur, alibi explicabitur. Hæc sententia capite undecimo, uersu quarto repetitur.

Iam quia dici potest, Vnde habebo uitæ necessaria? Opus est facultatibus ad alendam familiam, subijcit:

3 Non permittit Dominus esurire animam iusti.

Hæc gnome dulcissimā consolationem contra tentationē de uictu cōtinet. Vix aūt maior *Tentatio* est tētatio. Semper enim ueremur, ne fame pereamus: & quātò morti sumus uiciniores, tantò *de uictu.* magis hac cura tangimur. Augēt in nobis hoc malum, peruersa mūdi studia, & impia prouerbia, quæ circūfert de parandis diuitijs per fas & nefas. Nisi uerò repugnemus huic tētationi, ad impias uias cōuertimur, quib. uictum paremus, & in magna scelera ruimus, in furta, rapinas, latrocinia, sacrilegia, proditiones: multi relinquūt uxores & liberos, atq; in desperationē interdum incidunt. Hæc igitur sententia, & aliæ similes, diligēter expēdendæ sunt, ut contra periculosissimā tentationē, conscientias muniamus. *Anima iusti.*) Hoc est, iustus, partem ponit *Anima pro* pro toto, per synecdocham Hebræis familiarem. Sic Paulus Rom. 13. Omnem animam supe- *homine po* rioribus potestatibus iubet esse subditam. Iustus autem quis dicitur, cùm in conspectu Dei *nitur.* nullus iustus sit? Si iniquitatem obseruaueris Domine, quis sustinebit? Iustum uocat, qui fi- *Iustus quis?* duciam suam in Deo ponit, qui scit se ab eo seruari ac gubernari, suamq; uocationem sectatur, qui, ut Christus dicit, Regnum Dei quærit, eiusq; iusticiam, &c.

Non faciet perire fame.) Tametsi ei non conferat ingentes opes, non exquisitas delicias, ta- *Pij aliquan* men dabit ei quantum satis erit. Nisi utilius sit eum famem pati, nempe ut constantiam *do fame af-* eius declaret, quando mauult famem pati, quàm à uera doctrina deficere. Deinde ut magis *fliguntur.* intelligat, copiam rerum donum esse Dei, eamq; ardentioribus uotis petat. Sic ipse Dauid fame compulsus, panes propositionis comedit: & ad Nabalem Carmelum misit pro cibis. Apostoli præ fame spicas fricantes, sabbato comederunt. Paulus 1. Cor. 4. & 2. Cor. 11. dicit se famem, sitim & nuditatem pertulisse. Ad Hebræos 11. capite scribitur, Quod per fidem multi destituti, afflicti, presi in desertis, montibus & speluncis terræ oberrarint. Aliqui martyres in carcere fame necati sunt, quin ipse Christus, plus semel esurijt. Sed si Deus non suppeditet corpori necessaria, suis præstantiora concedit, fidem, spem, charitatem, patientiam. Satan uerò suspicionem nobis inijcit, Deum nobis malè uelle, qui nos fame affligat. Quomodo credis, inquit, Deum tibi daturum æterna, cum ad uictum tibi necessaria inuideat? Sic Christum occasione famis adorsus est. Tametsi igitur Deus nos fame affligat, uel etiam necet, non est desperandum.

Huc referendi sunt alij loci scripturæ, qui ostendunt nihil illis ad corporis conseruatio- *Deus pijs* nem defuturum, qui spem suam in Domino collocant, & toti ab eius prouidentia depen- *dat necessa* dent. Psal. 37. Iunior fui & senui, & non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens pa- *ria.* nem. Psal. 104. Omnia animalia in te sperant, ut des eis escam in tēpore suo. Te dāte eis, colligunt, & aperiente manum tuā, satiantur bono. Te abscondente faciem tuam, conturbantur. Cum colligis spiritum eorum deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur, &c. Psalmo 147. dicitur, Dominum dare iumentis cibum suum, atque pullis coruorum quando clamant. Psalmo 33. Ecce oculus Domini est super timentes eum, ut nutriat eos in fame.

Christus uerus Dauid, Matthæi 6. Ne sitis, inquit, soliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis, aut bibituri: neq; corpori uestro, quibus indumentis usuri, &c. Adfert multa argumenta: primum est, Qui dat maius, minus non negabit: sed Deus etiam non cogitantibus dedit animam & corpus: non igitur negabit uictum & amictum. Quia uerò aliquis dicere poterat, Dedit maiora, uultut minora nostra industria comparemus, addit alterum argumentum: Qui minora alit, maiora non negligit, sed Deus alit bruta animalia omnia: non igitur negliget hominem, cuius gratia illa sunt condita. Addit, gentes hæc curare, qui de prouidentia Dei nihil aut parum norunt: sed temere omnia sursum & deorsum misceri arbitrantur. De uestitu seorsim agit. Non autem prohibet moderatam curam, sed nimiam illam, quæ ex diffidentia oritur.

Deus promißionem suam exemplis confirmat.

Porrò Deus non modò uerbis necessaria nobis promittit, sed multis exemplis ceu sigillis ueritatem promissionum suarum confirmat. Audiamus quædam priuata & quædam publica. Moysem quadraginta diebus & totidem noctibus, occulta sua uirtute conseruauit. Heliam ad torrentem Carith, in solitudine ministerio coruorum mane &, uesperi panem & carnes afferentium, cibauit. Vt declararet seruis Dei, postulante necessitate omnia inseruire, uel ipsa animalia, quæ etiam humanis carnibus uescuntur. Postea ad uiduam Sareptanam missum, cibauit unà cum hospita, quam multis fame pereuntibus per miraculum aluit. Quod exemplum præcipuè ad uiduarum consolationem pertinet. Mox cum Isabelem fugeret, in deserto ab angelo cibum & potum accepit: in cuius uirtute quadraginta diebus & noctibus ad montem Oreb profectus est. Ieremiæ cibum ministrarunt hostes. Possent etiam commemorari quos Deus absq; cibo & potu longo tempore miraculosè conseruauit.

Videamus nunc publica. Deus populum Israeliticũ quẽ euocauerat in desertũ, ambulantẽ in uocatione sua cibauit, ubi caro nullam cibandi rationẽ excogitare potuisset. Samaritanos qui iussu prophetæ, dedere se regi Syriæ nolebant, fame pressos, præter expectationẽ liberauit. In nouo Testamẽto Christus populum in deserto aluit. Matth. 14. quinq; panibus & duobus pisciculis, ingentem hominum multitudinem pauit. Matth. 15. septem panibus & paucis pisciculis, quatuor ferè mille cibauit, & septem cophini fragmentorum sublati sunt. Idem hodie fieri, multi in seipsis experiuntur. Non igitur deest pijs Deus, sed dat eis necessaria.

Fames animæ.

Potest etiam hic locus ad hunc modum exponi: *Non patietur Deus, ut anima iusti fame laboret.)* Fames animæ dicitur, quando consolatione uerbi Dei destituitur: de qua in Amos legitur. Etsi enim Deus suos aliquando ad tempus tentari sinat, non tamen perdit eos. Idem de alijs periculis intelligendum est.

Insidias (*uel peruersitatem*) impiorum expellet.

הוה hauah, Contritio, calamitas, perditio, malitia, prauitas: ut sit sensus, Deus, propter prauitatem & impietatem quam fecerunt, impios expellet. Alij intelligunt, opes aliorum oppresione collectas: & sic interpretantur, Pellet Dominus impios à bonis quæ opprimendo alios cum ularunt. Vel, insidias quas alijs tendunt propellet, in eorum caput retorquebit.

Cæterum ne quis ex his quæ paulò antè dicta sunt colligat, Non esse laborandum, sed abijciendam curam domesticam, & expectandum donec, ut prouerbio Teutonico dicitur, assa columba per aera ad nos perferatur: addit sententiam de labore.

4 Pauperem facit manus remissa *uel fraudulenta.*

Qui ocio deditus est, nihil acquiret. Potest etiam legi, *Qui operatur dolosa manu, egens est.)* Rarò enim feliciter cadit fraus. Exemplum habes in Iacobo & socero eius Labano.

Et manus sedulorum ditabit eos.

Scilicet opificum, agricolarum aliorumq; hominum, qui non ocio torpent, sed sedulò & fideliter, uel sibi uel alijs laborant, & Deum reuerentur, ditescunt: nempe si hoc ad gloriam Dei faciat, & ipsis salutare sit. Nam, ut paulò antè uidimus, rerum corporalium promissiones, suas habent exceptiones. Quod si laborare non posis, rursus respicito Deum, qui cibum præbet omnibus animantibus. Sunt autem omnia suo ordine, & tempore agenda: stercorandi agri, putãdæ uites, plantandæ arbores, &c. Ideo sequitur:

5 Qui prudens est, colligit æstate.

Spirituales diuitiæ.

Occasio locorum & temporum in rebus agendis, non est negligenda, maturè paranda sunt ad usum domesticum necessaria. Hyeme frustra quæruntur fruges in agris. Tempore sanitatis, iuuentutis, dum uires sunt integræ, laborandum est: id quod formicæ exemplo suprà docuit. Græci dicunt ποιεῖν τι δεῖ ἕως γόνυ χλωρόν. Item, ὄψον ἄριστον πόνος τῷ γήρᾳ, id est, optimum obsonium senectuti labor. Hęc sententia etiã ad res altiores debet accommodari. Studiosi bonarum literarum, non sinant tempus sibi perire: sed dum uiret ætas uiaticum parent

rent senectuti. Dum tempus est operemur bonum, secundum doctrinam Apostoli. Nisi æstate laborauerimus, hoc est, tempore gratiæ, in tristi hyeme frustra laborabimus. Inepti sunt illi, qui pro defunctis, ut eos ex tormentis liberent, multa satagunt. Nota est similitudo decem uirginum, Matth.25.cap. Adhæc non semper erit prospera fortuna: muniendus est ergo animus locis sacræ scripturæ, quo fortunam aduersam possimus contemnere. Huc pertinet Hesiodium illud:

ὐκ αἐὶ θέρος ἐοσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. "

Idem præcipit, ut tempore messis summo mane surgamus, & fructum colligamus, ne uictus nobis desit.

Qui in messe stertit, filius est confundens.

Se scilicet & parentes. Qui occasionem sibi ex manibus elabi sinit, frustra postea ingemiscet. Hæc sententia inuerti potest, Qui æstate colligit, prudens est, &c. Repete plura ex cap.6.

6 Benedictiones sunt super caput iusti.

Dominus illum, qui suam spem in ipsum collocat, quiq; ius suum cuiq; reddit, & liberalis est in pauperes, fortunabit, augebitq; eius bona spiritualia & corporalia. Caput pro toto homine ponit per synecdochen. Homines etiam benedicent ei, id est, bene & honestè de eo loquentur, & eius beneficia in pauperes prædicabunt.

Os impiorum operiet uiolentia.

Hoc est, ipsos impios, quorum os crapulæ & ebritati ac colloquijs malis seruiuit (ut sit synecdoche) probro afficiet Deus. Sic Dauid queritur Psalmo 69, Propter te sustinui opprobrium, & operuit ignominia faciem meam. Vel, *Os impiorum operiet uiolentiam.*) Id est, tegunt uerbis sua scelera, uolunt pro iustis haberi: quicquid agant semper suas habent excusationes & colores. Pijs quoque amoris & beneuolentiæ specie insidiantur. Sic Cain crudele odium aduersus fratrem oratione blanda, & simulatione fraterni amoris texit, ut nihil sibi metuentem facilius opprimeret. Latrones aliquando se simplicibus coniunxerunt, atque multa familiariter de uera religione & uitæ honestate cum eis loquuti, postea incautos & nihil mali suspicantes iugularunt. Vers. 11. hæc sententia repetitur.

7 Memoria iusti erit in benedictione. *Vera gloria.*

Sensus est: Nomen iusti erit celebre & gloriosum. Sic Psalmo 112. dicitur, In memoria æterna erit iustus. Semper enim aliqui erunt, qui iustorum fidem & uirtutes, ipsis adhuc uiuentibus prædicabunt. Plerunq; uerò post eorum obitum demum apparet, quales fuerint. secundum illud:

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit. "

Horatius Ode. 24. lib.3.

Virtutem incolumem odimus: sublatam ex oculis "
Quærimus inuidi. Propert. lib.3. eclog.1. "
Omnia post obitum fingit maiora uetustas, "
Maius ab exequijs nomen in ora uenit. "

Hodie multi celebrantur, qui cum uiuerent, tanquam pestes orbis habiti sunt. Prophetæ, Apostoli, Martyres cum uiuerent, infames erant & plerisque exosi: sed Deus sæpe ad sepulchra stupendis miraculis, innocentiam eorum asseruit. Hodie etiam ab illis magnifiunt, qui fidem & doctrinam eorum ferre omnino non possunt. Et quanquam multorum martyrum nomina obliuione sepulta sint apud homines: scripta tamē sunt in lib. uitæ. Multi quoq; pij & de ecclesia optimè meriti uiri, in hoc mundo non habent celebre nomen: sed hæretici, seditiosi, rebelles, apostatæ nominantur. Sunt quidem nunc filij Dei, 1. Ioan. 3. sed nondum apparet eorum gloria. Veniet autem tempus, quando impij liquidò cernent, illos esse amicos Dei, suamq; stulticiam accusabunt, quòd eos odio habuerint. Sapientię cap.4. Pij quidem nō ideo bene operantur, ut celebres & illustres fiant, sed quia Deus ita uult: attamen sponte uirtutem honesta fama comitatur. Complures apud gentiles præclara facinora in pace & bello ediderunt, ut sibi immortale nomen compararent: sed sancti aliud agentes, celebres fiunt in ecclesia. Soletur ista nos contra iniqua mundi iudicia, & morsus improborum. Asseret etiam in hoc seculo, si necesse sit, nostram innocentiam Deus.

Liuor morte cessat.

Impiorum nomen putrescet.

Id est, fama & memoria impiorum paulatim interibit. Metaph. ducta à plantis, uel à carnib. Arbores quæ nunc uirent, tandem computrescunt. Carnes item, nisi salem adhibeas, putrescunt & fœtore suo nares offendunt. Ita impij, ad tempus florent diuitijs, amicitijs, potentia, gloria, sed tandem marcescent. Multi salutantur diui, Christianissimi, defensores fidei, san

Gloria impiorum perit.

ctissimi, uicarij Christi, successores Apostolorum, columnæ & candelabra ecclesiæ: sed ex uerbo Dei multi intelligunt qui nam sint, & in nouissimo iudicio omnibus palàm constabit. Erigunt titulos, columnas ædificant splendidè, ut sibi immortale nomen comparent: sed obliteratur eorum memoria: uel certè maledicta est ipsorum memoria. Notum quidem est nomen Caini, Pharaonis, Saulis, Senacheribi, Antiochi, Herodorum, Romanorum Imperatorum qui ecclesiam afflixerunt: sed quid quæso de illis dicitur? Etsi impij ad tempus tantum non ab omnibus adorentur, tamen uenient uices. Nemo est qui hodie non eligeret illorum sortem, quos ipsi oppresserunt. Credendum est multos à pontificijs relatos esse in diuorum numerum, quorum animæ à satana affligantur æternis tormentis. Psalm.15. dicitur, Impiorũ memoria cum sonitu perire. Vide etiam Psal.34. Iob.13. Memoria uestra cõparabitur cineri. Isa.26. Tyrãni non resurgẽt, quia exterminasti eos, atq; pdidisti omnẽ memoriã (eorum.

8 **Qui sapiens est corde, præcepta recipiet.**

Homo sapiens corde, hoc est cordatus (uel cor coniungit cum præceptis) suscipit præcepta corde, non ore tantum. Non contemnit mandata Dei, parentum, & illorum qui loco parentum sunt, atq; omnium qui honesta præcipiunt: sed ueluti oracula quædam suscipit. Quin ex brutis animalibus, officium suum discere non erubescit.

Stultus labijs impinget (*uel uapulabit.*)

Qui os infrene habent, puniuntur. Hoc membrum repetitur uersu 10. Stultus labijs dicitur, qui temerè loquitur: qui mauult bonum amicum, quàm uerbum perdere: qui non cogitat, illos, qui loqui nesciunt, ornare silentium: qui non expendit quid, ubi, coram quibus, quomodo & quare loquatur. לבט labath est (ut annotat Santes) secundum R. Dauid, peruertere, impingere: & secundum R. Ioseph Kimhi, festinare, claudicare. Sensus igitur est, *Stultus labijs, peruersus efficietur*, aut *impinget, corruet, festinabit, claudicabit*. Id est, non diu cogitabit ut intelligat & consyderet, quid faciat uel loquatur. Aut, claudicabit in duas cogitationes, in his quæ in mandatis accipit, anceps & perplexus erit, ignorabit quid sibi faciendum sit. R. Sal. exponit, *laborabit, fatigabitur*. R. Himmanuel, *punietur, seu cadet*. s. in pœnam, eò quòd non accommodauit se præceptis. Qui sensus ualde congruit. Nam quia stultus labijs, præceptis parentum de frenanda lingua non obtemperat, dicet, propter quæ in magnum discrimen se conijciet. Qui enim quicquid in buccam uenerit, temerè effutiunt, conciliant sibi magnam inuidiam, interdum cæduntur ab alijs, trahuntur ad tribunalia, adiguntur ad palinodiam, sæpe supplicio capitali afficiuntur. Doctores falsi, qui loco uerbi Dei, plebi stultas fabulas inculcant, præcipuè pœnas dabunt.

9 **Qui ambulat in integritate, ambulabit in confidentia.**

Securitas piorum. Homo integer, incorruptus, qui fide uera præditus est, & citra dolum cum proximo agit, quique alteri facit, quod sibi uellet fieri: ambulat tutò, conscientiam habet pacatam & tranquillam. Scit enim pios curæ esse Deo, & eis omnia in bonum cedere: cum Dauide dicit, Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Psal.26. In consyderatione diuinæ prouidentiæ, tanquam in portu suauissimè conquiescit: non metuens hominum iras. Econtrà impij, qui spem suam in externa collocant, si quando res non ex ipsorum sententia cadant, miserè turbantur: metuunt etiam ne homines mala ipsorum consilia rescissant.

Asinina simplicitas. Hac sententia hodie quidam abutuntur. *Qui simpliciter ambulat*, inquiunt, *tutò ambulat.*) sic enim habet uetus translatio. Hoc est, Qui ignarus est sacrarum literarum, quiq; se à suo pastore duci patitur. Vt idem sit simpliciter ambulare, atq; clausis oculis ambulare, nescire sacras literas, & cuiuis stulto temerè credere. Hoc autem quærunt, ut ab ore ipsorum pendentes, fallere & in crassis erroribus detinere possint. Deus qui intellectu nos ornauit, non uult ut stupidi & socordes simus, & à quouis uento doctrinæ circumferamur. Quando simplicitatem à nobis requirit, de animi integritate loquitur: non damnat iudicium, quo lupos à ueris pastoribus, mala à bonis discernimus. Oseæ 4. legitur, Quia tu repulisti scientiam, & ego te repellam. Ecclesi. 13. & 19, Ne credas omni uerbo: &, Qui citò credit leuis est corde. In 1. ad Cor. præcipitur, ne pueri simus sensibus. Ephes. 5, Non quasi insipientes, sed sapientes, &c. 1. Thes. 5, Omnia probate, & quod bonum est tenete. D. Ioan. in 1. epist. 4. cap. iubet nos probare spiritus, an ex Deo sint. Non uult ut omnes doctrinas promiscuè amplectamur, & quibuslibet etiam fabulis aurem præbeamus. D. Chrysost. in cap. Ioan. 1. homil. 17. scribens, illis qui uarias quæstiones mouebant, respondendum esse: tandem concludens dicit, Si illi ut contra nostrã religionem loquerentur, tantopere uigilarunt: qua nos uenia digni sumus, nisi huiusmodi contra nos insultus propulsare calleamus? Hoc nobis Petrus præcipit in 1. cap. 3. inquit enim: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ in nobis est spe. Et Paulus ad Colos. 3. Verbum Christi habitet in uobis abundanter. Sed quid

quid adhæc respondent fucis stultiores? Benedicta omnis anima simplex: & qui simpliciter ambulat, bene ambulat. Hoc nanq; omnium malorum causa est, quòd non multa scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere. Non enim hoc loco simplex pro stulto, & pro eo, qui nihil nouit, intelligendus est: sed pro non malo, non uersuto. Nam si ita intelligeretur, superuacaneum fuisset dicere: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Hæc ille.

Qui uias suas peruertit (*uel obliquat*) cognoscetur (*uel conteretur.*)

Impij qui non recta uia incedunt, hoc est, qui non omnes actiones suas instituunt iuxta uerbum Dei: & hypocritæ qui sese torquent, & in omnes formas uertunt, ut pietati fauere uideantur: item qui dolis utuntur contra proximos suos, non semper latebunt, sed aliquando, quales sint, palàm fiet. Nihil occultum est, quod non reueletur, Matthæi 10. 1. Corint. 4. Qui in occulto peccat, publicè iudicabitur. Multi liberius peccant, quòd absq; testibus peccant: sed Deum non fallent, qui scelera eorum uel hoc tempore, uel in nouissimo iudicio, nisi pœnitentiam agant, in lucem proferet. Quot scelera mirabili indicio deprehensa sunt? Achan in libro Iosuæ, & Ionas sortibus produntur, &c.

10 Qui annuit oculis, dabit dolorem.

Hanc gnomen ita intelligunt, Qui proximum suum nutibus oculorum despicit ac deridet, sibi & alijs dabit dolorem. Vel, qui alios nutibus oculorum ad scelera solicitat (oculis enim signa damus) ueluti qui uxori alterius signa impudicitiæ compressione uel motu oculorum ostendit, dabit dolorem, id est, pœna afficietur: uiro quoque, cuius uxorem prouocat, & alijs, dolorem afferet. Isaiæ 3. filiabus Israelitarum obijcitur, quòd nutibus oculorum eant, hoc est, quòd superbæ sint & procaces. Oculi præsertim in mulieribus salaces esse non debent, sed pudici, de quo aliàs plura dixi.

Stultus autem labijs punietur.

Hanc sententiam uersu 8. habuimus. Qui temerè quiduis loquitur, cogitur uicissim multa audire. Qui quæ uult dicit, quæ non uult audiet. Non autem stultus labijs dicendus est, qui illa, quæ ratione officij tenetur dicere, liberè dicit. Aliqui ita intelligunt, *Labijs punietur*, s. illorum qui damnant eum.

11 Vena uitæ os iusti.

Vsus bonæ linguæ.

Quemadmodum aquæ scaturigo uel fons, non tantùm pagi aut oppidi alicuius ornamentum existit: sed magnam quoque utilitatem hominibus præbet (omnes enim aquam ex eo ad uarios usus haurire possunt) ita os hominis iusti & prudentis, maximas utilitates ad omnes uitæ partes affert. Nam ex ore eius non nisi pia & sancta effluunt, quæ ad uitam animæ & corporis tendunt. In ecclesia quantum sit habere bonos pastores, qui uerba uitæ hausta ex purissimis fontibus Apostolicarum literarum hominibus proponant, eos corripiant & consolentur, omnes norunt. In Republica tempore pacis & belli, tales homines non modò honorem, sed utilitatem afferunt omnibus ciuibus; ius dicunt ex bonis legibus, scelera opprimunt, consulunt multis, non priuatis, sed publicis commodis student, &c. In œconomia quoque tales homines, liberos & seruos in officio continent. Econtrariò inferri potest, Vena mortis os impij. Falsi doctores neglectis fontibus, ministrant populo quæ hauserunt ex lacunis non solùm ruderibus & stercoribus impletis, sed etiam uenenis infectis, &c. Vide cap. 25. uers. 26.

Os impiorum operit iniuriam.

Impij aliud clausum in pectore, aliud promptũ in lingua habent.

Recurre ad uersum 6. Hoc uult dicere, Impij non confitentur impietatem suam & scelera: sed ore, hoc est, uerbis tegunt & celant: pietatemque ac studium uirtutis simulant. Etsi turpiter uiuunt, nolunt tamen uideri tales esse, quales sunt. Quòd si factum negare non possint, tamen eleuant & defendunt, uariosque quærunt prætextus. Id uidere est idololatris, blasphemis, adulteris, ebrijs, &c. Aliquando ad hanc rem, oraculis sacrarum literarum & pietatis specie abutuntur. Herodes scelus suum texit titulo iusiurandi. Nec uerò sua tantùm, sed aliorum quoq; peccata operiunt.

Deinde os impiorum tegit uiolentiam, hoc est, cum obesse uolunt, simulant uerbis se nostro honori & commodis fauere. Elegans exemplum habes Matthei uigesimosecundo capite, ubi pharisæorum discipuli ad Christum unà cum Herodianis uenientes, ut uitæ eius insidiarentur, egregia præfatione utuntur. Quemadmodum aucupes, qui auibus insidiantur, laqueum celant (frustra enim iacitur rete ante oculos alitum, ut 1. cap. dixit.) Ita illi teguntsuum institutum. 1. Regum 20. capite Ioab dixit Amasæ, Salue mi frater, & osculando interfecit eum. Idem de Iuda proditore legimus, & de Herode, qui ad Magos dicebat de

Christo adhuc infante: Dicite mihi,ut & ego ueniam ac adorem eum.

12 Odium excitat rixas.

Odiũ quærit rixandi occasionẽ. Qui odio habet proximum suum,semper inueniet materiam litium. Nemo tam sanctè & religiosè uiuit,in quo non aliquid inueniat,quod reprehendat. Si quid minus rectè factum est,statim illum hoc fecisse suspicatur,quem odit.Si quid fecit indifferens,ipse calumniosè in peiorem partem accipit.Si quid mali fecit, sed non malo animo, ipse pessimè interpretatur. Breuiter,undecunq; occasionem uenatur infamandi suum hostem,& quicquid probri est,in medium profert.Quin & in mortuum grassatur,& quod dici solet,cum laruis luctatur: quod quàm parum deceat,etiam gentiles uiderunt. Chilon Lacedæmonius,teste Laertio,mortuis nequaquam maledicendum esse, dicebat. Ignauum enim uideri eos, lingua incessere, qui respondere non possent. Adhæc odium, non rixas tantùm & calumnias,sed etiam pugnas, atq; cædes excitat. E contrario

Dilectio omnes præuaricationes obtegit.

Nempe quæ obtegendæ sunt,non uitia enormia,aut corruptelas ueritatis.Est enim etiam seueritati suus locus. D. Petrus in priore epistola,capite quarto,adducit hanc sententiam,dicens,Charitatem inter uos habetote uehementem.Nam charitas operiet multitudinem peccatorum.Hoc est,efficiet ut multa peccata euitentur,& si iam designata sunt,obtegit. Idem dicit Paulus 1.Corinth. 13. capite. Charitas omnia suffert,longanimis est:non indulget suspicionibus, candidè interpretatur,excusat & celat quando potest peccata proximi.

Candor. Hæc uirtus æquitatis & candoris necessaria est ad omnes uitæ partes. Nisi pastores in ecclesia hac uirtute præditi sint,& unus alterius dicta & scripta commodè interpretetur, orientur maximæ turbæ. Exempla eius rei plurima suppeditant ueteres historiæ,& infelicia nostra tempora.In rebus publicis nisi unus alteri cedat,nec morose suam sententiam defendat, publica tranquillitas conseruari non potest.Quanti motus ciuiles exorti sunt in Rep.Romana,dum neq; Pompeio Cæsar,nec Cæsari Pompeius cedit? In coniugijs quoq; concordia conseruari non potest,nisi maritus uxoris,& uxor mariti aliqua uitia ac infirmitates dissimulet atq; ferat. Ita in familijs in omni uitæ genere hæc uirtus magnum habet momentum. Christus non uerbis tantùm,sed & exemplo suo,hanc uirtutem nobis commendauit. Nam cum Petrus interrogaret,Quoties fratri ignoscendum esset,num septies? non, sed septuagies septies,respondit. Cum iam ducendus esset ad supplicium crucis, discipulis suis pedes abluit,&c.Ioan.15.Discipuli quoque eius hanc uirtutem diligenter nobis inculcant.Debemus, inquit Paulus,infirmitates impotentium portare, ac non placere nobisipsis. Item ad Gal.6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, uos qui spirituales estis (hoc est, qui singularia charismata spiritus sancti accepistis) instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum ne & tu tenteris. Inuicem alij aliorum onera portate, &c.

Non autem tollimus correctionem fraternam,& officium magistratuum.Distinguendum enim est inter uitia. Primum sunt næui, quos singuli habent, quosq; leges non puniunt. Quidam natura nimis sunt tristes, quidam nimis hilares, quidem segnes,quidam attenti ad rem,quidam irascuntur subitò,quidam nimis sunt remissi. Ibi ferre quisque discat mores alterius.Mallemus uersari cum illis, qui his uitijs non laborarent,sed cogita te etiam cupere, ut tibi parcatur. Deinde sunt iniuriæ, sed leues,ut si quis dicat te stolidum esse, modicis parentibus prognatum, uel alia tibi obijciat, quæ uel ex parte ita habent, uel quæ nemo de te credat: dissimulare hæc oportet & ferre. Mores amici noueris, non oderis. Quòd si atroces sint iniuriæ, legitimo modo te defendere debes: nihilominus tamen dilectionem retinere. Magistratus sunt ministri Dei ad coercendum nefarios homines, & defendendum innocentes. Illi uerò si ex legibus nefarij opprimendi sunt,in animo remittere eis debent, doloremq; suum testari, quòd pœnas de huiusmodi hominibus sumere cogantur.

Satisfactio Papistica. Hunc locum Papistæ ad satisfactionem suam detorquent, quasi charitatis officia cùm uiuentium tum defunctorum deleant peccata:sed falsam esse hanc interpretationem membra opposita ostendunt. Nicolaus de Lyra sensum, quem nos attulimus,etiam agnoscit.Quòd si operibus nostris iustificari potuissemus, Christus frustra mortem pertulisset.Deinde opera nostra manca sunt & imperfecta: etiam in renatis hæret peccatum. Non igitur nostra charitatis opera nos iustificant coram Deo. At si dicerent, Charitatem Dei, qua nos complexus est,obtegere peccata nostra,rectè dicerent.Christus enim Ioan.3.cap. expressè dicit.Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. 1. Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis,quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas,non quòd

Charitate Dei expiantur nostra peccata.

nos

nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. Rom. 5. capite, etiam habetur insignis locus.

Sunt autem graues causæ, ob quas salutem in charitate Dei, qua nos gratuitò complexus est, positam esse dicamus. Nempe, ut Christus suo honore non spolietur: ut animi nostri certi sint de salute: utq; Deum rectè inuocemus. Fide enim orandum, non dubitandum est: si uerò nostra opera respiceremus, desperandum nobis esset.

13 In labijs intelligentis, inuenitur sapientia.

Os hominis, qui noticia Dei præditus est, loquetur sapientiam, scit enim rationem esse reddendam de singulis dictis.

Sed tergo (uel corpori) illius cui deest cor, uirga.) Scilicet, conuenit. Stulti multa loquuntur, ob quæ baculo puniendi sunt.

14 Sapientes scientiam abscondent.

Bifariam hic locus intelligi potest. Sapientes celant quod sciunt, non sunt iactabundi: sed humiliter de seipsis sentiunt: stulti uerò cum nihil sciant, tamen subinde opes suas ostentant. Quemadmodum uasa quo sunt inaniora, hoc crepitant magis: ita sapientia uacui, sæpe multa de sapientia loquuntur. Sic etiam fit, ut qui pro patria se in maximum discrimen intulerunt, pauca referant de suis factis: contrà uerò illi, qui nihil præclarum gesserunt, toti sunt in commemorandis suis facinoribus.

Vel sensus est, sapientes non semper, nec omnia, nec coram omnibus dicere, quæ norunt. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Christus Dominus noster Matth. 24. laudat illum seruum, qui tempore opportuno profert cibum. Suprà dixit, illusoribus sapientiam non proponendam. Qui ebrio loquitur, absenti loquitur. Præcipuè autem arcana sunt reticenda. Non docetur hac sententia, sapientiam prorsus abscondendam. Absconditi enim thesauri nulla est utilitas.

Os uerò stulti uicinum contritioni (uel terrori.) Stulti homines quicquid in buccam uenerit effutiunt, quemadmodum Thersites ille Homericus: nihil igitur aliud expectare possunt, quàm supplicium. Non modò ipsi, sed amici ipsorum subinde uersantur in magno metu, ne quid dixerint, quo alij læsi sint, & ipsi pœnas luant.

15 Opes diuitis sunt ciuitas fortitudinis eius.

Hæc sententia quam cap. 18. uersu 11. repetit, loquitur de confidentia diuitum. Quemdamodum milites, uult dicere, qui oppidum natura uel opere hominum munitum defendunt, munitionibus & armis freti, sperant se hostem repulsuros: ita illi quibus affluunt opes, se contra omnem fortunam satis munitos esse confidunt, magnosque spiritus sibi sumunt: putantes se diuitijs suis ex omnibus periculis, cum corporis tum animæ, emergere posse: sæpe eò dementiæ perueniunt, ut neq; Deum neq; homines uereantur.

Est autem non ingens tãtum stulticia, sed maximum etiam peccatum, si quis spem suam, uel in munitionibus, uel opibus fluxis reponit. Munire oppida muris, aggeribus, fossis, propugnaculis (ut obiter hoc annotemus) ex se & natura sua, non est illicitum. Alia quoq; præsidia quærere, ad nostri defensionem, non est peccatum: sed spem & fiduciam in munitionibus uel armis ponere, quæ in solo Deo collocanda est. Pugnat enim cum primo præcepto decalogi. Hæc præsidia, ut non sunt contemnenda: ita nihil prosunt, nisi Deus dexter nobis affulgeat. Nihil est tam munitum & firmum, quod non uno Dei flatu in nihilum redigatur. Pulchra apud Græcos apophthegmata extant, de munitione oppidorum. Vulgo quoq; dicimus, omnia quæcunq; hominum manus construunt, facilè etiam diruere. Oppidorum uera præsidia sunt, si ciues religionem & iusticiam colant, liberales sint in pauperes, nulla temeraria bella moueant, &c. Nota sunt uerba Achioris ad Holofernem. Idumęis qui in montibus degebant, Deus per Abdiam prophetam exitium denunciat. Per Ieremiam denunciat suo populo, uanam esse spem illam, quòd urbem Hierosolymorum contra omnem uim hostilem satis munitam sperarent. Babylon urbs munitissima, præter omnium opinionem à pastore Cyro capta est. Nostra ætate uidimus arces munitissimas expugnatas esse: urbes in quibus ceu cuniculi & talpæ homines defossi quodammodo latitabant, nemine resistente captas. Deus enim efficere potest, ut animum despondeant oppidani, & discordes fiant. Sæpe etiam hæ munitiones in oppidanorum exitium cedunt, ut præstaret muros solo æquatos esse. Vult Deus ut ipsum urbium defensorem & conseruatorem agnoscamus.

Munitiones oppidorũ.

Non minus peccatum est, spem & fiduciam in opes momento perituras ponere. Deus unicum præsidium & decus nostrum esse debet. Dauid iubet, ut si opes affluunt, cor non

Spẽ in opibus colloca re.

apponamus. Christus seruator noster, Marci 10. cap. non contentus asseuerasse, quòd diuites, qui fiduciam habent in suis opibus, regnum cœlorum difficulter sint ingressuri, addit quod amplius est, esse impossibile etiam: neq; id obiter tantum, sed similitudine de Camelo declarat. D. Paulus in priore ad Corinth. mundo, liberis, uxoribus, honoribus, diuitijs & similibus uti nos iubet, tanquam non utamur. 1. Timoth. 6. Præcipit diuitibus ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, utq; liberaliter eas alijs communicent. Opes fluxæ sunt & instabiles: sed finge constantes & stabiles esse, homines tamē caduci sunt & mortales.

Paupertas meticulosos efficit. *Pauor pauperum egestas eorum.*) Inopia pauperes meticulosos reddit. Norunt enim se iniurijs diuitum expositos, & desertos hominum auxilio, facilè opprimi posse. Hic metus continet eos in officio, eosq; reuocat, ne multa uel dicant uel faciant, quæ alioqui dicerent uel facerent. Apud Græcos extant hi uersus:

πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστι γάρ.
καὶ πάντας αὐτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.

Theognis quoq; dicit:

πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἔρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.

Atq; hanc quoq; ob causam, ut alias afflictiones, sic etiam paupertatem suis immittit Deus, ne elati sint, sed humilientur. Fastum enim gignit opulētia, de quo cap. 1. plura annotauimus.

16 Opus iusti est ad uitam.

Vsus diuitiarum. Pij diligenter & asiduè in hunc finem laborant, ut uitæ necessaria conquirant, se ac suos alere posint, atq; pauperibus aliquid conferre, ad Eph. 4. Non student coaceruandis magnis opum cumulis. Paulus dicit, Habentes alimenta & quibus tegamur, his cōtenti simus. Nihil intulimus in mundum, nec efferre quicquam poterimus, 1. Tim. 6. Christus quoq; petere nos iusit panem quotidianum.

Prouentus impij ad peccatum.) Impij uerò illis quæ in agris eorum nascuntur, quæq; labore suo colligunt, non ad uitam sustentandam utuntur, sed ad peccatum. Nam uel auarè retinent, & uti quæsitis non audent, inq; summa rerum affluentia esuriunt, uel prodigunt in luxuriosa conuiuia, ædificia splendida, & alia, quibus Deum hominesq; offendunt. Monitores autem non ferunt, sed auaritiā, luxum & insolentiā eorum uerbo Dei corripientibus, obmurmurāt, dicentes se opibus proprijs suo arbitratu usuros, nec curaturos quenquam. Subijcit ergo:

17 Semitam uitæ (*tenet*) qui custodit castigationem, & qui deserit castigationem, errat.

Castigationis utilitas. Qui regi & castigari se patitur ex uerbo Dei, ab ecclesiæ ministris, magistratibus, parentibus, præceptoribus, & alijs, ad uitam tendit: hoc est, cum in hac, tum in altera uita felix erit & beatus. Qui uerò correctionem fastidit, seq; monitore nō indigere existimat, toto cœlo errat: sentiet enim suo tandem malo quid fecerit. Quàm multi suas opes turpiter prodegerunt, & extorres facti sunt? quot capitali supplicio affecti, qui correctionem susq; deq; habuerunt? Semper itaq; cogitandum est, Deum exigere à suis seruis, ut homines castigent propter scelera, Ezech. 3. & 33. cap. Cogitandum quoq; est nos reprehensionem mereri: nobisq; utile esse, ut proni ad malum hisce quodammodo frenis reuocemur. Non propterea peccatum desinit peccatum esse, si illi, qui corrigere alios debebant, suo desint officio, quemadmodum quidā falsò sibi uidentur persuasisse.

18 Qui celat odium labijs mendacij, & qui conuitiū (*uel infamiam*) profert, stultus est.

Odium. Hoc uersu duo stultorum genera ostendit, qui odio alios prosequuntur. Quidam odium quod in animis conceperunt contra proximum suum, dissimulant, uultuq; beneuolentiam præ se ferunt: interdum etiam operam suam ei promittunt, interim nihil non clàm moliuntur, ut eum opprimant. Talis fuit Absalon, qui dissimulauit odium in fratrem. Hodie quoq; nihil est tam uulgare. Sunt deinde qui odium suum non dissimulant: sed ubiq; aperiunt maledictis, obtrectationibus, calumnijs: à quibus nobis melius cauere possumus. Vtrosq; dicit stultos esse: accersunt enim sibijpsis exitium. Christus non iussit fratrem errantem palàm infamare & traducere, sed monere. Matth. 18. Docuit etiam nos orare: Remitte nobis debita nostra, quemadmodum & nos remittimus debentibus nobis. Si uerò optamus ut à diabolis frustulatim discerpantur, quid oramus? Hæc sententia admonet nos, ut ab huiusmodi pestibus nobis caueamus: & illos qui odio flagrant, ut cum suis proximis in gratiam redeant.

19 **In multitudine uerborum, non cessabit iniquitas.**

Docet moderationem in sermone adhibendam esse. Nam qui multa dicunt, aut falsa, aut superflua, aut utraque dicunt. Absit autem, inquit Augustinus, in præfatione Retractationum suarum, ut multiloquium deputetur, quando necessaria dicuntur. Paulus Actorum uigesimo sermonem in mediam noctem protraxisse legitur, &c. Apud Græcos prouerbium extat: *χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια.* Non est eiusdem & multa & opportuna dicere. Stobæus de garrulitate sermone 36. adducit illud Apollonij ad familiares suos: *πολυλογία πολλὰ σφάλματα ἔχει. τὸ δὲ σιγᾶν, ἀσφαλές.*

Qui parcit labijs suis, hic prudens est.) Qui dicit quæ dicenda sunt, & tacet quæ tacenda sunt, *Taciturnitas.*
quiq; circumstantias locorum, temporum, & personarum obseruat, sapiens est. Iacob. 1. cap. Sit, inquit, omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Gentiles etiam naturam unicuiq; duas aures, unam linguā duntaxat dedisse dicunt, ut plus audiamus quàm loquamur. Multa præclara leguntur de taciturnitate. Valerius Maximus scribit de Xenocrate, quòd cùm maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus linguam suam cohiberet, Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Notum est prouerbium.

Qui quæ uult dicit, quæ non uult audiet.

20 **Argentum electum, est os iusti.**

Lingua bona, puro argento confertur, quia uitia absunt, iactantia, mendacium, garrulitas, &c. Loquitur conformia uerbo Dei, quod est purgatum.

Cor impiorum est, quasi parum.) Non tantum sermo, sed & cor impiorum, nullius est precij. Vel, *cor impiorum quasi nihil:* hoc est, Non mouetur sermone quantumuis docto & graui, pro nihilo ducit.

21 **Labia iusti, multos pascunt.**

Hæc sententia etiam loquitur de usu linguæ. Pascere enim in scripturis significat guber- *Pascere.*
nare: hinc principes & magistratus pastores uocantur. Homerus quoque regem appellat *ποιμένα λαῶν.* Deinde significat docere & reficere uerbo ueritatis, hortari, consolari. Hinc doctores, pastores etiam dicuntur. Sēsus igitur est, os iusti, multos regere & cibare. Habet enim anima suum etiam alimentum. Magnum est corpora cibare, quantum nunc est animas cibare? Malè merentur de hominibus, qui commeatum animæ eis negant.

Stulti autem uecordes morientur.) Tametsi iusti uiri, uerbum uitæ dextrè proponant: tamen impiorum animæ fame peribunt. Non enim curant uerba iustorum, sed irrident. Exemplum habes in Pharisæis & scribis, qui etsi Christum quotidie docentem audirent, & stupenda eius miracula uiderent, nihil tamen commoti sunt. Hodie quoq; in lætis illis Euangelij pascuis, multi fame contabescunt.

22 **Benedictio Domini, diuites facit.**

Aurea hæc sententia, explicatur Ecclesiastici 11. cap. Multi in sua manu positum putant, ut ditescant: nempe si omnia uenalia habeant, mentiantur, fraudent alios, & auarissimè quæsitis utantur. Fit interdum ut homines his uijs, opes infelices cumulent, quæ rarò ad alterum hæredem transeunt, sed Dei maledictione dissipantur: plerunq; tamen conatus illorum sunt irriti. Pij discunt omnes suos labores uanos & irritos esse, nisi Dominus successum dederit. Sic Lucæ 5. de Apostolis legitur, quòd tota nocte laborantes nihil ceperint: Christi autem iussu laxantes rete, tantam piscium multitudinem concluserint, ut rete rumperetur. 1. Cor. 3, Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Vtendum quidem est industria seminandi & plantandi: sciendum interim, successus laborum nostrorum, à solo Deo expectandos esse. Nisi ipse labores nostros fortunet, nihil efficiet omnis nostra sedulitas & industria. Pulchrè dixit Gregorius Nazianzenus: *θεοῦ διδόντος οὐδὲν ἰσχύει φθόνος, καὶ μὴ διδόντος ἰσχύει πόνος.* Diuitias deorum donum esse etiam Homerus uidit:

Καὶ θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε κρονίων, "
Ζεὺς δὲ αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισι. "

Refutat hæc sententia furores Anabaptisticos de communitate bonorum, & docet con- *Proprietas*
cessum esse, retinere proprium, habere diuitias, distinctionemq; possessionum à Deo sanci- *rerum.*
tam esse. Multa præcepta non possent existere, si Platonica bonorum communio induceretur, ut est de non furando, de mercede soluenda operario, & alia. Hoc loco Solomon dicit, diuitias benedictionem Dei esse. Sunt etiam alij complures loci, qui proprietatem rerum confirmant. Quia uerò benedictione Dei opes nobis affluunt, liberaliter conferendæ sunt pauperibus, quos Deus ubiq; tantopere nobis commendat.

Et non addet dolorem cum ea.) Scilicet benedictione. Pij qui toti à prouidentia Dei dependent, nec de comparandis nec conseruandis opibus nimis sunt solliciti. Si opibus spolientur, cum Iobo dicunt, Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. Deinde nō sentiunt morsus conscientiæ, non enim opes suas, fraudibus, & scelere corraserunt. Impij uerò qui usuris, rapinis, effusione sanguinis humani, suas collegerunt, miserè metuunt, ne eas perdant, & conscientiæ morsibus affliguntur. Quantum autem bonum sit diuitias possidere absq; molestia, etiam hi Græci uersus indicant:

" *Κρεῖττον γάρ ἐστιν, ἂν σκοπῇ τὶς κατὰ λόγον,*
" *Μὴ πόλλ' ἀνίως, ὀλίγα δὲ ἡδέως ἔχειν,*
" *Πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον, ἢ πλοῦτον πικρόν.*

Hæc etiam ad spirituales diuitias referantur. 1. Corinth. 1. dicit Paulus: Diuites facti estis in omni uerbo & scientia, &c.

23 Quasi risus est stulto, patrare meditatum scelus.

Impijs peccare lusus est.

Per stultum in hoc libro ferè intelligitur contemptor uerbi Dei, cui pro ludo est, si uel ipse, uel alij peccent: illos quoq; qui à sceleribus sibi temperāt, tanquam stultos ridet: Caret enim freno uerbi Dei, quod reuocare eum à sceleribus debebat: nec cogitat risum illum aliquando in luctum uertendum esse: iudicium Dei nouissimum nō expauescit. Quemadmodum prædo ille, qui cùm equitantem spoliasset, & audiret in fine seculi sumendas esse pœnas de ipso, mox eum iussit, si tam diu expectare uellet, descendere de equo: quē insuper ei abstulit. Idem dicitur apud Ecclef. 8. cap. Multi sine ullo timore perpetrant mala. Exempla huius sententiæ multa sunt. Iudæ Iscarioti leuiculum uidetur, Christum prodere hostibus suis. Herodes Ioannem Baptistam, in conuiuio obtruncari curauit. Quot sacrificuli hodie obijcientibus, quòd grauissimè peccent spargendo falsa dogmata, respondent, Manum non uerterim, homines decipi uolunt: si ego non faciam, alij hoc faciēt. Quod si tibi tam liberale numeraretur stipendium, quid faceres? Adulteri, usurarij, ebrij, sicarij, non modò non sibi metuunt propter scelera: sed tanquam de re bene gesta exultant. Principes sæpe leuiculas ob causas bella gerunt, hominum nullam habentes rationem. Quoties nostro tempore homines ueritatis amantes, ab aduersarijs ridentibus, in exilium pulsi, aquis submersi, in crucem acti, & uiui exusti sunt? Quanta uoluptate memoria repetunt, damna pijs & fidelibus illata? An non inter illos quī ueræ religionis nomine sibi placēt, adeoq; columnæ uideri uolunt, pleraq; scelera, risus sunt & fabula? Quicquid igitur de fide glorientur, quocunq; titulo se ornent, si faciant quæcunq; libet, iudicio spiritus sancti stulti sunt.

Et sapientia homini intelligentiæ.) Si homo prudens, qui rerum experientia instructus est, uel alios uideat deposito omni metu & pudore peccare, uel ipse in scelus aliquod incidat, fit cautior, & deinceps sibi cauet: omnia illa expendit, quæ nos à sceleribus cohibere possunt: religio est ei, legem transgredi. Iosephus nō consentit in adulterium: nam intelligit, Deum adulterijs offendi. Moses maluit affligi cum populo suo, quàm delicatè uiuere in regia aula, & tandem perire. Pij pro atrocibus habēt illa, quæ stultis merus lusus sunt. Quot hodie muneribus tentantur, ut à cognita ueritate resiliant, qui malunt cum Christo pauperes esse, quàm diuites cum Antichristo, & tandem damnari? Castalio reddit, *Homini prudenti est res seria.)* id est, prudenter agit, nec temere scelus facit.

24 Quod timet impius eueniet ei.

Impijs accidunt quæ metuunt, & aufugiunt quæ sperant. Causa hæc est, quòd pericula imminentia cauere uolunt impietate, & bona scelere consequi. Vsitatissimum autem hoc est inter homines. Pueri, ne pœnas parentibus dare oporteat, sæpe mentiuntur. Multi ut famis periculum depellant, ad fraudes conuertuntur: multi ut regna sua conseruent, ijsdem consilijs student. Hinc Sophocles:

" *ἐνταῦθα μοὖν τὰ πάντα τ' ἀνθρώπων νοσεῖ,*
" *κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά.*

Qui pericula impietate propulsare uolūt, nō assequūtur quod uolunt.

Sed tam abest ut hac uia assequantur quod uolunt, ut sese potius in extrema pericula conijciant. Quid enim boni quæso ex sceleribus potest expectari? Si non audieris uocem Dominī Dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus eris in agro, &c. Odisti, inquit Psal. omnes quī operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non igitur peccatis propulsantur pericula, sed conflantur & augentur. Infrà 12. cap. uersu 3. dicet: Non firmus manet homo in impietate. Qui scelere mala propulsare & bona comparare uult, non minus ineptè facit, quàm si agnis lupos uenari uellet.

Res exemplis illustranda est. Pharaoni duplex periculum ex multiplicatione Israelitarum

uidebatur

uidebatur imminere: primum ne iungerent se inimicis Ægyptiorum: alterum, ne liberi euaderent. Impiam aũt uiam ac rationem sequitur, ut hoc periculum propulset. Barbarica enim & fœda crudelitate Israelitas opprimere & delere aggreditur: sed tam abest ut periculũ hac ratione effugiat, ut sese potius in mille pericula conijciat, eiq; eueniat quod Solomon hoc loco dicit. *Quod timet impius, accidit ei.* Saul Dauidem, cui regnũ à Deo promissum esse non ignorabat, persequebatur, ut illo interfecto regnum in Saulina familia retineret. Quid factum est? Quod timuit impius, accidit ei. Tantum enim abest ut hoc consecutus sit quod quærebat, ut Deum magis offenderit, & cum tota sua posteritate miserè perierit.

Dauid curauit occidi Vriam, cuius uxorem adulterio polluerat, ut suum scelus tegeret: sed hac uia & ratione sese in grauius discrimen coniecit. Salomon uxoribus peregrinis, quas contra uerbum Dei duxerat, concedit, ut suis dijs templa ædificent, bono nimirum animo, ut pax conseruari posset: sed causa fuit, ut in toto regno maximi tumultus orirentur, regnumq; scinderetur. Ieroboam in eundem lapidem impegit. Herodes iugulauit infantes Bethlehemiticos, spe occidendi nouum regem & retinendi regnum: sed hoc latrocinio non impediuit consilium Dei, sed ita Deum offendit, ut misero mortis genere eum extingueret. Primores Iudæorum decernunt in suo concilio Christum occidendum, ut pericula quæ ceruicibus suis imminere augurabantur, hac uia effugerent. At non modò non uitarunt, sed hac uia innumera mala & pericula sibi accersiuerunt. Crudelitatis enim suæ excidio totius Reipub. & templi iustissimas pœnas dederunt. De multis imperatoribus, regibus & principib. legitur, quòd fratres, cognatos & affines hoc consilio occiderint, ne si essent superstites, publica pax turbaretur: sed pessimè eis cessit.

Discamus itaq; periculis imminentibus, non facienda esse mala ut bona eueniant: sed potius bona ut euitemus mala. Si legitima ratio effugiendi pericula nobis offeratur, utamur ea in fide: sin uerò piè & legitimè euitare non possumus, publicè & priuatim, omnem euentum Deo permittamus: certissima spe concepta, quòd Deus nos in omnibus afflictionibus respiciat, & petentibus daturus sit felicem exitum. Traditæ enim nobis sunt promissiones de auxilio diuino, & mandata de inuocatione. Psal. 36, Subditus esto Deo, & ora eum. Psal. 54, Iacta in Deum curam tuam, & ipse te sustentabit. Prouerb. 16, Commenda Deo opera tua. Rem exemplo declarabo. Si superior magistratus principi alicui uel Reipub. Missam & idola obtrudat, & nisi restituat, periculum belli comminetur: principiò uidendum est, an quod petitur, bona conscientia & salua pietate præstari possit. Si constat hoc fieri non posse, faciant quod Deus suo uerbo eis præscripsit. Cum collegæ Danielis Colossum regis non adorassent, rogantur ab eo, cur mandatis non paruerint? illi responderunt, hoc aduersari mandato Dei. Proijciam igitur, inquit rex, uos in fornacem ignis, & quis ille Deus qui uos eripiat de manu mea? Respondent illi, De hoc non sumus magnopere soliciti, an Deus noster quem colimus, nos liberaturus sit de ardente fornace ignis, & de manu tua, necne. Hoc autem notum sit tibi rex, quòd deos tuos non colimus, neq; adorabimus aureũ simulachrum quod erexisti, &c. Extant quidem Dei promissiones, quòd Deus uelit electos suos, in periculis adeoq; in morte ipsa seruare: sed non extant promissiones, quòd à morte corporali nos semper conseruare uelit. Ita etiam Susanna fecisse legitur. At si hoc faciamus, inquis, sequentur pericula. Quid faciendum sit audis, quid euenturum sit nescis. Sæpe res aliqua paritura uidetur magnos motus, quæ tamen pulchrè componitur. Quoties nostra ætate actum uidebatur de Euangelio, quod Deus per tot discrimina, inuitis omnibus hostibus conseruauit? Hostes religionis sæpe constantia confessorum uicti sunt, quemadmodum de Petronio legitur, qui Iudæorum imperata facere detrectantium uices miserabatur. Corda hostium in Dei manu posita sunt, qui quocunq; uoluerit ipse impellit: nec lædere hostes nos possunt, nisi potestatem à Deo acceperint. Diabolus enim caput ipsorum ne porcum absq; Christi uoluntate lædere potest, nedum hominem. Putas'ne hostes Euangelij, diaboli ministros, principe suo esse potentiores? Stultum profectò est illum timere, qui non dat, sed accipit lædendi potestatem: illum uerò non timere qui dat quomodo uult, cui uult, quod uult, quando uult, quousq; uult. Sin uerò omnino periculum uitari non possit, cogitandum est, quid peccatis & sceleribus nostris promeriti simus. Et pręstat Dei nomine affligi, quàm diaboli. Multi qui abnegatione ueritatis pacem redimere uoluerunt, hac uia manibus & pedibus in periculũ incidêre: quodq; propter Christum sustinere noluerunt, propter diabolum perferre eos oportuit. Potest Deus afflictiones mitigare, & hostium impetus frenare. Si omnino moriendum nobis est, cogita aliàs quoq; moriendum esse, & satius esse honestè mori, quàm turpiter uiuere. Hæc paulò fusius idcirco annotaui, quòd humana prudentia hac in re sæpissimè peccet, & illis consilijs, quibus sese malis extricare uult, maximis sese inuoluit.

Quomodo ex periculis emergẽdũ.

Potest hæc gnome etiam ita intelligi, *Quod impij metuunt, eueniet eis.* Cùm perpetrarũt magna scelera, animus eorum mali aliquid eis præsagit, horribiles interdum cruciatus animorum, & terrores conscientiæ sustinent, timent pœnas in præsenti & in futuro seculo, quæ tandem eis accidunt. Deus mentibus nostris indidit, discrimen esse honestorum & turpium, atq; atrocia peccata, uel ab hominibus uel ab ipso, uel ab utrisq; puniri.

Deus confert pijs quæ petũt.

Quod desiderant iusti, dat.) Scilicet Deus. Nam illa quæ petenda sunt, & quemadmodum petenda sunt à Deo postulant. Res petendæ duplicis sunt generis: aliæ sunt spirituales & cœlestes, ut fides, remissio peccatorum, iusticia, æterna felicitas: aliæ sunt corporales, ut diuitiæ & facultates, honores, uictoriæ contra hostes, &c. De prioribus illis certæ promissiones extant, quòd Deus propter Christum conferre eas nobis uelit. Quod igitur ad has attinet, de uoluntate Dei non est dubitandum, nec in oratione addendum, si Dominus uoluerit. Venit enim Christus in hunc mundum, ut de uoluntate eius certi essemus. Quod uerò ad corporales attinet, nisi specialem promissionem habeamus, certa conditione petendæ sunt: si nempe hæc res quam petimus, ad Dei gloriam, & animæ nostræ salutem faciat. Dicit enim Paulus Rom. 2, Quid oremus sicut oportet, nescimus. In eandem quoq; sententiam Christus Matth. 20. Zebedæis primatum affectantibus, respõdit. Corporalia illa quæ profutura caro sibi persuadet, nobis perniciem afferrent: id quod sæpe cogimur uolentes nolentes fateri. Tametsi uerò sancti, illa quæ rectè petunt, non statim accipiant, non tamen defatigantur, neq; de bonitate & potentia Dei erga se dubitant.

Quare Deus interdũ nobis non cõferat quæ petimus.

Continet autem hæc sententia promissionem, quales multæ passim leguntur in sacris literis. Christus dicit Matth. 7. cap. Quęrite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Ioannis 16, Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrẽ in nomine meo, dabit uobis. Psal. 33, Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Quod si Deus petita nobis non conferat, uel nondum tempus est, uel non petimus quæ petenda sunt, uel non quemadmodum oportebat. Meritò non accipimus, si postulamus quod nec conuenit nos accipere: nec illum à quo petimus, conferre. Quis petat ab amico rem sibi nocituram, uel quam sciret sine dedecore dari non posse? Breuiter, in nobis hæret culpa, non in Deo, qui pios & fideles homines, uotorum suorum compotes facit. Econtrariò, *Desiderium impiorum peribit.*) Psal. 112. hoc est non impetrabunt, nec assequentur quod petent.

25 Vt turbo, (*uel tempestas*) præterit, (*sic*) impius non (*manebit.*)

Impiorum felicitas turbat pios.

Nulla tentatione uel grauius uel periculosius homines etiam fideles percelluntur, quàm impiorum felicitate. Multis cogitatio obrepit, Deum non habere discrimen inter bonos & malos. Nonnulli in uerba tantum non blasphema prorumpunt, & cum Deo expostulant, cur ad hæc uel illa conniueat: uitam quoq; malorum interdum imitari incipiunt. Deus itaq; nõ ignarus nostræ infirmitatis, quemadmodum in scripturis sanctis passim, ita etiam in hac sententia nos contra hanc tentationem muniens, de impiorum ruina & interitu loquitur.

Impij subitò pereunt.

Hæc autem gnome duo indicat. Primum subitò impios perdendos: deinde tanto impetu, ut impedire suum casum nullo modo possint. Pulcherrima similitudine rem oculis nostris subijcit, sumpta à turbine, qua suprà quoq; cap. 1. uersu 27. usus est. Turbo citius transit, quàm reliqui uenti, qui interdum diebus aliquot flant: deinde uentus est uehementissimus, qui obiecta quæq; dissipat & prosternit. Arbores radicitus euellit, & interdum id, quod mirabile est, confringit. Ita impij qui suæ prudentiæ, potentiæ & uiribus confidunt, qui dicunt, ut est apud Isaiam 28. cap. Fœdus pepigimus cum morte, & pactum fecimus cum inferno: subitò & præter omnium expectationem concidunt. Et quemadmodum puluisculus uento resistere non potest: ita nec illi Deo. Psal. 37. legitur: Transiui, & ecce non erat impius, cumq; eum inuestigarem, non inueniebatur. Psal. 9, Impiorum memoria cum sonitu perit. Psal. 72, subitò defecerunt. Illa uerò mala, quæ repentè & ex insperato ueniunt, magis animos percellunt. Prouerbio dicitur: Iacula præuisa minus feriunt. Accedit adhæc quòd subitò oppressi, pœnitentiam de admissis sceleribus agere non possunt. Fideles quoq; subitò interdum expirant: sed non inexpectata hora mortis opprimuntur. Semper enim in conspectu habent hæc uerba Domini: Vigilate, nescitis enim qua hora Dominus uester uenturus est. Sapientiæ 4, Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Porrò quemadmodum nemo obsistere potest, quo minus uenti flent: ita si Deus uindictam de impijs sumere instituit, nemo eius consilia potest impedire. Multos enim habet modos Deus, quibus eos extinguat: aliquando eos inter se committit: aliquando suis manibus sinit eos iugulari, &c.

Pij quoq; subitò moriuntur.

Huius sententiæ exẽplis, omnes historiæ sunt refertæ. Huc enim pertinet miserabilis exitus Pharaonis, Saulis, Senacheribi, Hamani, Neronis, Maximini, Decij, Valeriani, Aureliani, Diocletiani, Maximiani, Maxentij, Iuliani apostatæ, & aliorũ. Nostra ætate publica & priuata illorum

illorum exempla habemus,qui pijs certissimum exitium cōminati sunt: sed priusquam consilia sua ad optatum finem perduxissent, ex improuiso infelices animas exhalarunt.

Munsterus (ut etiam hoc obiter annotemus) uertit hunc uersum, *Quando uel cum tempestas transit,non erit impius.*) Vt Caph non sit nota similitudinis:ponitur enim in Macor. & tunc sensus erit,Si Deus afflictiones immittit impijs,subitò pereunt.

At iusti fundamentum perpetuum,uel seculi.) Iustus firmiter stat,ut murus aheneus, qui nullo impetu deijcitur: animus eius neq; aduersa fortuna prosternitur, neq; secunda erigitur. Non enim collocat spem suam in rebus caducis,puta opibus,uictorijs,fœderibus, &c. sed nititur solido & æterno fundamento Christo. Omnis qui audit ex me sermones meos,inquit,Christus Matthæi 7. & facit eos, illum asimilabo uiro prudenti,qui ædificauit domum suam super petram, & descendit imber,& uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam,& non est prostrata, &c. Dauid in maximis suis ærumnis, subinde Deum petram,arcem & præsidium suum uocat. Vtinam nos quoq; ex animo idem faciamus. Exempla huius constantiæ habemus in sanctis martyribus, qui Christo innixi,mortem pertulerūt: plura uersu 30. sequuntur.

26 Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic ignauus his qui mittunt eum.

Hæc gnome ostendit duplici similitudine, quantum mali det legatus uel nuncius malus. Acetum, ut medici tradunt utile quidem est dentibus: sed,ut omnia acida,stuporem eorum inducit: fumus oculos lædit (Vergilius Æneid. 12. amarum uocat,eo quòd,ut annotat Seruius, lachrymas eliciat.) Ita legati qui à principibus uel Rebuspublicis in rebus arduis mittuntur, si pigri sint & perfidi,magnum dant eis malum, & efficiunt ut multis pijs uiris lachrymæ oboriantur. Multum in legatis situm est. Si causa aliqua eis displiceat,mirificè se torquent. *De malis legatis.*

Prouidendum itaq; esse docet hæc sententia,ut in rebus Ecclesiæ & Reipub. pacis & belli tempore,uiris idoneis legationes,præsertim liberæ, committantur. Qui deliguntur, suum munus ita obeant,ut non solum hominibus, sed & Deo, cùm fatali hora,tum in nouissimo iudicio, rationem reddere posint.

☞ Hæc sententia ad alios quoq; extentēda est qui emittūtur, ueluti cōcionatores,præfectos, duces, milites, qui & illos à quibus missi sunt, & alios magno malo afficiūt,nisi nulla interposita mora,id bona fide exequātur, propter quod missi sunt. Aristoteles quoq; similitudine fumi utitur,sed ad aliam rem explicandam. Vt fumus, inquit, mordens oculos,non uidere sinit quæ pedibus adiacent: sic iracundia oboriens,rationem obfuscat,&c.

27 Timor Domini adijcit dies: anni autem impiorum succiduntur.

Pij pacatas habent conscientias, & moderatè se gerunt in cibo & potu,ideoq; diutius uiuere possunt: impij uerò conscientiæ stimulis subinde exagitantur, & immoderatè se gerūt, ideoq; citò moriuntur. Recurre ad capitis 3. uersum 2. & 16. Fit autem interdum iustis de causis,ut Deus pios ex hac mortali uita auferat,& impios diu sinat uiuere. Lege 5. cap. Sapientię. Mirandum est, quòd cum omnes tam cupidi sint uitæ, pauci tamen studeant rebus illis, quibus uita propagatur. *Timor Domini longæuos facit.*

28 Expectatio, *uel spes*, iustorum,gaudium est.

Pij homines in Deo spem collocant, atq; spe futuræ gloriæ, omnes huius uitæ ærumnas facilè superant. Veluti peregrinus, qui patriæ desyderio,uentos, pluuias,& latronum insidias,omnesq; itineris molestias contemnit, sperans se domi commodius uicturum. Licet autem impij spem ipsorum ut uanissimam irrideant: illi tamen sciunt Deum ueracem esse in suis promissis.

Spes impiorum peribit.) Spem ponunt in rebus incertis & momentaneis, ueluti uoluptatibus,opibus,potentia: uitam sibi diuturnam promittunt & impunitatem scelerum: turpissimè itaq; falluntur. Sæpius enim ex hac uita subitò auferuntur. Qui ex ipsis aliam uitam restare credunt, hanc se consecuturos sperant uel pœnitentia, quam ante finem acturi sint,uel aliorum meritis. Multi sumptuosis exequijs sperant animam ex purgatorio euocari: sed toto cœlo errant. Multi ad certum duntaxat annorum numerum, inferni tormenta duratura sibi pollicentur: sed suo magno malo experientur æterna esse. Qui animam cum corpore interire, neq; præmia pijs neq; supplicia impijs constituta existimant, semimortui, sentient suam spem uanissimam fuisse. Vide plura cap. 11. uersu 7, & cap. 25. uersu 10. *Spes impiorum uana.*

29 Via Domini integro robur est: operantib. autem iniquitatē pauor, *uel fractio.*

Per uiam Domini, simpliciter intelligere possumus, sanam doctrinam, & rectam uiuendi rationem. Hæc pijs est, מעוז maoss arx, munitio, petra, fortitudo, robur uel propugnaculum. Nam qui Euangelio credunt, muniuntur contra falsos doctores, diabolum & infernum. Impij uero etiam ad nomen Euangelij trepidant: omnemque mouent lapidem ut id opprimant & extinguant. Morsi à rabidis canibus, ut tradunt physici, aliquantò pòst rabidi fiunt, & aquam, cuius potu facilè sanarentur, expauescunt. Quod si aqua in conspectum eorum afferatur, protinus ingenti terrore correpti, maximo clamore, canumq; latratu astantes terrent. Si diutius ante eos dimittatur, tremere, sudare, fremere, deficere animo pauoreque non aliter concuti incipiunt, quàm si illico se in ignem proijciendos cernerent. Ita impij cane & angue peius Euangelium oderunt, & aquas salutiferas gratiæ Dei, quibus solis miseri sanari poterant, refugiunt. Aliàs quoq; qui operantur mala, metuunt ne deprehensi pœnas luant.

ὑδροφοβία.

30 Iustus perpetuò non mouebitur, *nutabit uel cadet.*

Constantia iustorum.

Iustus semper sibi constat, in quacunq; fortuna. Non enim in uictorijs, opibus & huiuscemodi rebus, sed in diuinis promissionibus spem suam collocat: nouit se propitium habere Deum, & electis omnia in bonum cedere. Nullis uel minis uel promissionibus expugnari, nullis calamitatibus, nullisq; incommoditatibus frangi potest: constans & immobilis, etiam pro iusticia mori paratus est.

„ Nullis ille mouetur
„ Fletibus, aut uoces ullas tractabilis audit:
„ Fata obstant, placidasq; uiri Deus obstruit aures.
„ Ac ueluti annosam ualido cum robore quercum
„ Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
„ Eruere inter se certant, it stridor & altè
„ Consternunt terram, concusso stipite frondes:
„ Ipsa hæret scopulis, & quantum uertice ad auras
„ Æthereas, tantum radice in tartara tendit.
„ Haud secus assiduis hinc atq; hinc uocibus heros
„ Tunditur, & magno præsentit pectore curas:
„ Mens immota manet, lachrymæ uoluuntur inanes.

Hos uersus, quibus Vergilius Æneæ sui constantiam describit, nos piè pijs & sanctis hominibus accommodare possumus. Aristoteles in Ethicis uirum bonum, τετράγωνον effigurauit. Nam ueluti corpus quadratum quomodocunq; cadat, eodem modo se semper habet: ita uir bonus & sapiens non mutatur cum fortuna, nec mouetur à uia iusticiæ, semper sibi similis. Infrà cap. 12. uersu 7. Domus, dicit, iustorum perdurat.

Posset etiam hic esse sensus, Pius non pelletur in exilium (quod tamen non sine exceptione accipiendum est) sequitur enim:

Impij autem non inhabitabunt terram.) Scilicet uiuentium: non locum habebunt in beatis sedibus. Item ex terra immatura morte euocabuntur, uel uagi erunt & exules. Vide capitis 1. uersum 21. & 22.

31 Os iusti producit fructum sapientiæ.

נוב nub propriè significat germinare, fructificare: ponitur per Metaphoram pro loqui: nam sermo est fructus linguæ. Arbores fructiferæ, non modò iucundæ sunt, sed & magnam utilitatem afferunt: ita lingua iusti, magna & multa commoda hominibus affert. Nam uera confirmat, falsa refellit, urbes constituit, leges promulgat, artes explicat, &c.

Lingua peruersitatum excindetur.) Quemadmodum arbor infrugifera exciditur: ita lingua quæ à fine suo aberrat.

32 Labia iusti cognoscunt id quod placitum est.

Hoc est, homo iustus cognoscit quæ grata sint Deo & pijs hominibus, eaque loquitur, aliosque docet. Alij uertunt, *Labia iusti facient scire uoluntatem.*) id est, quod sentit loquitur iustus, non decipit alios.

Os impiorum peruersitates.) Contra Deum & proximum loquuntur, blasphema, obscœna, detractoria.

CAPVT

CAPVT XI.

1 Statera dolosa abominatio Domino.



RIMA sententia huius capitis, de ponderibus & mensuris iustis & iniustis pronunciat. Vnam speciem nominat, & alias etiam includit, ueluti mensuras aridorum & liquidorum, &c. Fraudem in ponderibus & mensuris, abominatur Dominus. Amat enim charitatem, æquitatem & iusticiam: detestatur cùm omnes dolos & fraudes, tum illas maximè, quibus sub specie iusticiæ pauperes circumuenimus. Præcipit ut pauperes nostris opibus subleuemus, tantum abest ut fraudari eos uelit. Quid aũt grauius audiri potest, quàm abominationem esse Deo? Quis tam stultus & amens est, ut habere cupiat opes coniunctas cum indignatione & offensa Dei? Ex opposito: *Integrum pondus beneplacitum eius.*) Ad uerbũ est, *Lapis perfectus*: ueteres enim appensis lapidib. res ponderabant. Similes loci multi alibi quoq; extant in scripturis: infrà cap. 16. & 20. Leuit. 19. cap. in calce Deut. 25. Ezech. 45. Statera iusta & Ephi iustum, & batus iustus erit uobis. Oseæ 12. dicit Deus, populum suũ esse Chanaan: in manu habere bilancem dolosam. Hoc est, quẽadmodum Chananæi scelerati erant & pleni fraudibus, ita ipsos quoq;: ideoq; pœnã eis imminere. Amos 8. cap. exprobrat diuitibus consilium contra pauperes: Operiemus, dicebant, frumentum, imminuamus mensuram, & augeamus siclum, ut possideamus in argento egenos, &c. Micheæ 6, Nunquid adhuc ignis in domo impij, thesaurus impietatis, & modius deficiens, ira (Dei) plenus? Nunquid iustificabo in statera impietatem, & in sacculo lapides dolosos? Nam diuites huius urbis impleuerunt domus suas de rapina, &c. Propheta proposuerat populo, quid Deus ab eis requireret: sed quia non agebant pœnitentiam, interitum eis comminatur.

Fraus quæ mensuris et ponderibus fit.

Discendum est ex hac sententia, iusto pondere & mensura in uendendo & emendo utendum, semperq; cogitandum esse, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris: neq; colligi hac ratione opes: uel si colligantur, mox diffluere: aut si posteris relinquantur, infelices esse.

Colligimus etiam, Deum curare res mortalium, omniumq; nostrarum actionum inspectorem & obseruatorem esse. Ne igitur Deum parua hæc negligere putemus, ut liberius peccemus. Magistratuum autem est, fraudes illas punire. Furtum enim committit, qui non iusta mensura & pondere utitur.

Quæ de ponderibus & mensuris dicuntur, ad alia etiam extendi debent. In negociando, ne fraudes alios, ne pro gemmis uitrum supponas, ne uinum aqua corrumpas, &c. Negociari quidem conceditur: sed doli & fraudes procul debent abesse.

Per Allegoriam dolosa statera utitur, qui propria facta excusat, proximorum reprehendit. Æquus iudex non aliam de sua, aliam de alterius causa ferre debet sententiam: sed æqua lance causam diuitis & pauperis discernere.

Allegoria.

2 Venit fastus & uenit ignominia.

Hoc est, superbiæ perpetuus & indiuiduus comes est ignominia. Deus superbos odio prosequitur. Luc. 14. Omnis qui se extollit deijcietur, & qui se deijcit, extolletur, &c. Angelos superbientes, in tartara deturbauit, Saulem oppressit, Nabuchodonozorem regno pepulit, Herodem Agrippam gladio percussit, &c. Sæpe in grauia scelera superbos incidere patitur, ut probris afficiantur. Homines quoq;, superbos, uel saltem suspectos de superbia, ferre non possunt: sed eis omnes familiæ maculas exprobrant. Parentes liberos, matresfamiliàs ancillas arrogantes compescunt, humiles uerò amant.

Superbiæ comes est ignominia.

Sunt qui hunc locum actiuè (ut loquuntur) intelligant: *Vbi fastus est, illic & ignominia*, hoc est, superbi & arrogantes alios contemnunt, insectantur & probro afficiunt. Quin nec Deo parcunt. 2. Reg. 18. exemplum habes de Rabschace, &c.

Cum humilibus est sapientia.) Modestiæ comes est sapientia. Modesti enim homines sustinent se doceri. Superbia magnum est sapientiæ impedimentum: adiunctam enim habet arrogantiam, qua homines sibi arrogant, quæ non habent. Deus humilibus sese aperit. Isaiæ ultimo: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu & trementem sermones meos? & cap. 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & uiuificet cor contritorum. Christus patrem suum cœlestem laudat, quòd mysteria Euangelij absconderit sapientibus, & humilibus reuelarit. Sæpe etiam fit, ut humili genere ortus, operam det literis, & tantos faciat progressus, ut etiam à principibus colatur.

Humilibus se Deus patefacit.

3 Integritas *uel perfectio* rectorum, ducet eos.

תמה thumah perfectio, integritas, simplicitas. Qui uitam suam secundum regulam uerbi

Dei instituunt,& æquitatem amant, gubernantur & defenduntur à Deo,ut rectè & inoffensè ambulent,& in lubrica huius mundi uia non labantur.

Peruersitas præuaricatorum perdet eos.) בגד bagad præuaricari,transgredi, fallere. R. Dauid dicit,quòd significet transgredi pactum socij sui, & mentiri ei qui fidebat illi: hinc בגדים bogedim,præuaricatores. Etsi illi homines ad tempus floreant, & stultos putent illos, qui præcepta diuina obseruant: tamen propter scelera sua tandem peribunt. Et sæpenumero fit,ut illis rebus quibus seipsos subleuare uolunt, perdantur. Quòd non statim perduntur,non in causa est,quòd Deus uel ignoret uel approbet scelera ipsorum: sed quia utile est pios ab impijs illis exerceri.

4 Non proderunt diuitiæ in die iræ: at iusticia liberabit à morte.

Hæc gnome 10.quoq; cap.uersu 2.posita est. Omnes occupantur studio augendæ rei familiaris,quòd putent magnas opes,præsidium esse,contra omnes calamitates. At tantum abest ut nos ab ira Dei defendere possint, ut potius causa sint exitij. Diuites in hoc mundo multas quidem habent prærogatiuas:sed in Dei iudicio nihil pecunia efficitur. Iusticia uerò,sæpe à morte corporali, ab æterna semper liberat.

5 Iusticia integri, dirigit uiam eius.

Idem ferè dicit quod tertio uersu, Quicquid iustus instituit, feliciter cadet,non incidet in pericula,non aberrabit à uia legis diuinæ:uel si errauit, mox in uiam redibit.

At in impietate sua cadet impius.) Propter impietatem suam, tandem in hoc & in futuro seculo, nisi pœnitentiam agat,iusto iudici grauissimas pœnas dabit.

6 Iusticia rectorum, eripiet eos.

Iusticia duplex. Ad huius sententiæ & superiorum quoq; intelligentiam, sciendum est duplicem iusticiam proponi in scripturis. Vnam fidei,qua Christi merito, quod per fidem nobis communicatur,iustificamur, hoc est, remissionem peccatorum impetramus & uitam æternam. Alteram,quæ ex fide oritur. Hæc non modò cuiq; quod suum est tribuit: sed & omnis generis uirtutes complectitur,&c. Iusticia fidei liberat nos ab æterna morte:iusticia uerò quæ ex fide nascitur,in hoc seculo multa habet commoda. Nam qui hac uirtute præditi sunt,à bonis magistratibus defenduntur & magni fiunt.

Præuaricatores in,uel ꝓpter *prauitatem* (suam) *capientur.*) Impij qui legem Dei conculcant,meritas tandem scelerum pœnas luunt: & laqueis quos alijs tetenderunt, capiuntur. Huius rei omnium gentium historiæ innumera exempla suppeditant. Tametsi uerò in hac uita pœnas subterfugiant, in nouissimo tamen iudicio comprehenduntur.

7 Cum homo impius moritur,perit spes.

Scilicet de eius salute. In inferno enim nulla est redemptio. Dum hîc uiuimus,locum habet pœnitentia:cum hinc soluerimus,uel in sedes beatas, si pij:uel in æterna tormenta,si impij fuimus,deferimur: locum intermedium nesciunt sacræ literæ.

Et expectatio uiolentorum uel diuitiarũ *interit.*) Tormenta non leniri possunt ulla pecunia: nihil prosunt amici, nihil clientes. Stulti sunt qui conducendos sperant,quorum precibus & Missis,ex purgatorij tormentis liberentur. Ipsi Papistæ fatentur,impios spem ueniæ nullam habere: sed illos tantum qui leuiora peccata commiserint, uel pœnis castigatos, uel suorum bonis operibus,absolui. Factis tamen seipsos redarguunt: nam si impijs nulla spes relinquitur,cur in impiorum diuitum gratiam, tot Missas celebrant? Respondent,Si non impijs illis prosint,tamen alijs defunctis & uiuentibus prodesse. Succurrit mihi hoc loco lepida narratiuncula. Cum concionator quidam papisticus, sermonem in oppido celebri Germaniæ haberet de Missis quæ fiunt pro defunctis, in nostros inuectus, qui eas reijciunt, dixisse fertur: Esto, non prosint defunctis, tamen nobis prosunt, intelligens superstites: at plebs intelligens nobis, hoc est, sacrificulis,ad quorum uberrimum quæstum faciunt,hanc eius uocem magno risu excepit.

Origenis error confutatur. Hac sententia Solo. refutatur Origenes,qui post longum tempus,omnibus impijs & etiã dæmonibus salutem promisit. Quæ sententia hodie multos habet suffragatores: sed non est consentanea sacris literis, in quibus multa extant testimonia, de æternitate infernalis supplicij. Christus Mar. 9. Vermis illorum, inquit, non moritur,& ignis non extinguitur. Sed cur,inquiunt, Deus in æternum aliquem supplicio afficiat, qui pauculis tantum annis peccauit? Quomodo pœna responderet peccato? At non consyderant eos contra infinitum & æternum Deum peccasse: nihilque magis optasse, quàm ut perpetuò peccare potuissent. Cauendum est ab hoc satanæ commento, quo ueram pœnitentiam retardare molitur. Quin potius discamus maturè pœnitentiam agere, nec nos in uentura tempora differre. Paulus

inquit,

inquit ad Gal. 6, Operemur bonum dum tempus habemus, priusquam nox ingruat. In corporalibus rebus hanc prudentiam adhibemus. Nam si suscipienda sit profectio aliquot horarum, maturè iter ingredimur, ne nox nos occupet: cur non idem in re tam ardua facimus? Fatuæ uirgines frustra pulsant, postquam fores clauduntur, Matth. 25.

Hæc uerba Solomonis non uno modo redduntur: quidam uertunt, *spes mendacium. s.* hominum *interit:* alij, *iniquorum,* alij *fortium,* alij *lugentium,* alij *diuitiarum.* און on enim uanitatem, iniquitatem, uirtutem, luctum, & substantiam uel opes significat. Hieronymus uertit, *expectatio solicitorum,* id est, illorum qui solicitè impio seruiebant, sperantes se ab eo promouendos esse, perit, cum ultrà adiuuari ab eo non posint, dicit Lyranus. Qui impijs adhærent, etiam spe & expectatione sua frustrantur. Ad hæc solicitorum, qui immoderatè pro terrenis soliciti sunt, tanquam diu uicturi, expectatio nulla erit.

8 Iustus ex aduersitate eripitur, & impius uenit loco eius.

Similis ferè sententia 21. cap. uersu 18. ponitur, & Psal. 33. Multæ afflictiones iustorum, & de his omnib. liberabit eos Dominus. Multis malis pij in hisce terris premuntur, id quod Christus suis prædixit: Non est, inquit, discipulus supra præceptorem, &c. sed ex his malis sæpe in hoc seculo Deus ipsos liberat, & impios in ea conijcit. Exemplum habet in Dauide & Saule: Dauide & Absalomo, Daniel & eius accusatoribus, Mardochæo & Hamano, Petro & Herode Agrippa, ac innumeris alijs. Quod si eos non liberet, confert tamen eis patientiam in afflictionibus. In futuro uero seculo semper hoc fit. Impij, qui nunc exultant, nihilq; habent quod eos cruciet, quiq; non credunt locum esse supplicij, sempiternis tormentis afficientur. Pij uerò æternùm gaudebunt cum Deo & omnibus electis.

Deus suos ex malis eripit.

9 Hypocrita ore corrumpit proximum suum.

חנף chanaf impius, peccator, acceptor personarum, simulator, hypocrita. Homines qui uultu & sermone simulant se personam, uel rem aliquam probare uel improbare, interim in corde aliud celant, magnum malum dant hominibus, quando aurem eis accommodant. Tales Ierem. 9. cap. describuntur. Laborant etiam boni uiri hoc uitio, ut blandientium uocibus magnopere moueantur. Præcipuè uerò falsi doctores, qui ore, uultu, incessu, gestibus pietatem simulant ac honestatem, seq; ecclesiæ utilitatem quærere dicunt, cùm suis commodis studeant, magnis malis homines afficiunt. Qui turpiter & dissolutè uiuunt, minus obesse possunt. Exempla nostra ætate in monachis & sacrificulis illis habemus, qui subinde in ore habent, matrem ecclesiam, patres, concilia: quiq; uberrimis interdum lachrymis, suam religionem ueram esse testantur.

Hypocritæ.

Iusti autem in scientia eruuntur.) Non statim mouentur blandis uerbis, lachrymis & alijs huiusmodi: sed adhibent scientiam & rerum experientiam, omnes circumstantias obseruant, cogitant qui & quales sint, quò tendant homines. Si doctrina aliqua proponatur, statim eam ad Lydium lapidem uerbi diuini exigunt, inter ueram & simulatam sanctitatem discernunt, & sic per scientiam scripturarum, liberantur ab erroribus, alios quoq; monent, ut sibi ab impostoribus & hypocritis caueant. Quomodo autem cognoscendi sint pseudoprophetæ, docet Christus, Matth. 7. cap.

10 In bono iustorum exultat ciuitas.

Si pij homines florent uirtutibus, diuitijs, authoritate, eloquentia, & Reipub. gubernaculis adhibentur: felix & fortunata est ciuitas. Illi enim non suam, sed Dei gloriam quærunt, non priuatum, sed publicum commodum: ius dicunt ex legibus, iustos defendunt & sceleratos coercent.

Et cum pereunt impij, erit exultatio (laus, clamor.) Quando impij secundum leges puniuntur ac tolluntur è medio, ne amplius uexent Rempub. laudant impij Dei iudicia. An gaudendum est, inquis, si impij affligantur, uel prorsus pereant? Distinguendum est hoc gaudium. Nam si oriatur ex carnalibus affectionibus, omnino uitiosum est: sin uerò suscipiatur propter gloriam Dei, & commoda cùm aliorum hominum, tum impiorum quoq;, quibus utile est si hìc puniantur, non debet improbari. De hac re infrà 17. cap. uersu 5. plura annotabimus.

An gaudendum de impiorum interitu.

11 In benedictione rectorum, exaltatur ciuitas.

Sensus est, si pijs hominibus beneficio Dei, honores & diuitiæ affluunt, non modo exultat ciuitas, sed etiam exaltatur: hoc est, fit illustris, magnaq; ad eam redit utilitas, quoad diuitias, pietatem atq; religionem. Christus Matthæi 11. cap. Capernaum dicit ad cœlos exaltatam, hoc est, multitudine rerum à se gestarum, nobilitatam esse. Vel, si multiplicantur pij (benedicere enim etiam multiplicare singificat) ciuitas exaltatur. Etiam propter paucos interdum bonos, ciuitas aliqua conseruatur. Id quod ex dialogismo Abrami pro Sodomis

Benedicendi uox multa significat.

intercedentis cum angelo, colligitur. Vel hic quoq; sensus esse posset, si recti laudentur ab hominibus & in aliqua sint gratia, exaltatur ciuitas. Multi enim hac re, ad studium uirtutum excitantur.

Potest etiam actiuè (ut loquuntur) accipi, ut sit sensus: Preces piorum urbem aliquam euehere. Benedicendi enim uerbum in scripturis etiam significat precari & bona optare. Genes. 14. benedixit te, &c. Lotus oppidum Zoar ad quod confugit, suis precibus conseruauit, Genes. 19. Multum enim, inquit D. Iacobus 5. cap. ualet precatio iusti. Item, quia recti, liberales sunt, nec quenquam uel uerbis uel factis lędunt: ornant & conseruant Respublicas. Hunc sensum oppositum membrum uidetur ostendere.

Ore autem impiorum destruitur.) Impij homines, quales primum sunt falsi uel seditiosi doctores, urbes funditus euertunt. Non autem tanquam seditiosi accusandi sunt, qui idololatriam & scelera, tam in supremi quàm infimi ordinis hominibus taxant. Si enim motus aliqui inde oriantur, non concionatores qui uerbum Dei afferunt, sed illi in culpa sunt, qui uerbo Dei prauos affectus anteponunt. Deinde uiri politici, qui se uerbo Dei & bonis ac honestis legibus opponunt, Rebuspub. sunt exitiales: præsertim si ad improbitatem eloquentia accedat, & simulatio pietatis in Deum & patriam. Quid uel unicus seditiosus in plebe possit, multis exemplis est notissimum. Ora item illa quæ periurijs & blasphemijs assueuerunt, ciuitatibus exitium accersunt.

12 Qui contemnit proximum (*amicum uel socium suum*) uecors est.

Contẽptus aliorum. Vulgaris hic est morbus inter homines, ut alter alterum præ se contemnat. Quanquam autem omnes huic uitio obnoxij: tamen alij alijs ad hoc sunt propensiores. Ita enim natura comparatum est, ut quidam ad hoc, quidam ad aliud uitium, magis propendeant. Ostendit itaque Solomon, quid de his sentiendum sit, qui hoc morbo laborant, ut nobis caueamus. Stulti sunt, inquit, qui alios despiciunt, quos scilicet propter communionem naturæ & fidei amare debebant. Ne igitur diues pauperem, nobilis ignobilem, magistratus priuatum, sapiẽs stultum, formosus deformem, felix calamitosum, &c. contemnat. Semper cogita, Donis, quæ accepisti, spoliari potes, pro alijs Christus non minus passus est, quàm pro te: nescis quid uel tibi uel tuis euenire possit, &c. Peius nunc est illos despicere, quibus aut sanguine iunctus, aut beneficijs obstrictus es, ut sunt parentes, fratres, cognati, affines, magistratus, concionatores, &c. quos præ alijs hominibus colere & reuereri debemus. Scriptura homines nequam & perditos, de quibus nulla spes est, contemnendos esse dicit.

Vir intelligentiarum tacet.) Qui alios contemnunt, uerbis & gestu, contemptum testantur: obijciunt alijs dedecus generis, calamitates, corporis uitia: sed uir prudens & cordatus, perpendendo propria uitia, tacet. Aliorum uitia, nisi necessitas & publicum bonum postulet, uel dissimulat, uel celat, uel excusat. Dat interim ut pro uirili corrigat & sua & aliorum.

13 Ambulans detractor, detegit secretum.

רכל Rachal significat negotiari, miscere. רוכל rochel pharmacopœus, à uarietate specierum, quas in pharmacis commiscet: item mercator uel negociator, à uarietate mercium.

Delatores. Hinc dicitur & רכיל rachil delator, quòd sit ueluti negociator & pharmacopola. Quemadmodum enim pharmacopola multas habet aromatum species, quas in parandis pharmacis commiscet: ita detrectatores quæ hinc inde audiuerunt, uera & falsa miscent. Et quemadmodum mercatores hinc inde uagantur, & uarias merces comportant, quodq; ab uno emerunt, alteri uendunt, interdum etiam domestica pro exoticis, mala pro bonis: ita etiam detractores ab alijs sciscitantur, & exquirunt, quæ ad alios mox perferant & renuncient. Nec pudet eos interdum, de suo aliquid adijcere: Sy verkouffend es nit wie sy es koufft habend. Et secundum R. Dauid, in scriptura interdum iungitur uerbum ambulandi, eò quòd detractor ædes aliorum ingreditur, ut quæ ibi audierit, suis postea socijs referat. Hoc enim hominum genus plenum est rimarum, hac atque illac perfluit. Quod Horatius etiam notauit, inquiens:

Percontatorem fugito, nam garrulus idem est,
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Qui autem fidelis est spiritu, rem tegit.) Hoc est, qui sibi imperare potest, fidem præstat silentij.

Arcana reticenda. Docet hac sententia primum, ne secreta tum nostra tum aliorum quibusuis detegamus. Natura ita comparatum est, ut si quædam in amicorum sinum effuderimus, magno onere leuati esse uideamur. At prouidendum est, ut non nisi certis hominibus & fidis, arcana communicemus. Quod tacitum esse uis, nemini dixeris: quia nõ poteris ab alio exigere silentiũ, quod tibi ipsi non præstas. Samson, quia Dalilæ secreta reuelauit, & oculos & uitam amisit, Iud. 16.

Deinde,

Deinde,ſi alij tibi ſecreta commiſerunt,uide ne cuiquam dixeris:amicus amico præſtet ſilentium. Concionatores non dicant,quæ à mox morituris arcana aliquando audiunt. Magiſtratus illa quæ aguntur in ſenatu,& alicuius momenti ſunt,ſibi ſeruent,ne tumultus inde excitentur. Præſertim uerò belli tempore ſilentium probatur. Metellus imperator,cum quidam interrogaſſet,quid conſilij cepiſſet, grauiter reſpondit:Si ſcirem hanc tunicam conſciam eſſe mei conſilij,illicò exuerem & in ignem conijcerem. Si conſilia hoſtibus produntur, nihil præclarum in bello geritur.

Sunt tamen quædam arcana nequaquam reticenda: ut ſi magiſtratus aliquis pios opprimere moliatur,hi admoneri poſſunt,ut ſibi caueant. Sic Ionathas laudatur,qui patris iniqua conſilia Dauidi detexit. Nec accuſandus eſt proditionis: una enim eademq; opera,& patri, ne innocenti ſanguine manus pollueret, & Dauidi, ut in tuta loca ſe reciperet,ſeq; melioribus temporibus ſeruaret, conſuluit. Neq; hodie uitio uerti pijs uiris debet in aulis principum,ſi oſtendant quæ conſilia contra Eccleſiam capiantur. Sunt etiam alij caſus,in quibus ſilentium pernicioſum eſt. *Quædam arcana non reticenda.*

14 Cum non ſunt conſilia,corruit populus:ubi autem ſatis conſiliariorum eſt, conſeruatur.

Vulgata translatio legit, *Vbi non eſt gubernator, corruit populus.*) Quemadmodum nauis in ſcopulos illiditur, niſi gubernatorem habeat:ita Reſpub. euertitur, ſi rectoribus deſtituatur. Præſtat tyrannicos eſſe magiſtratus,quàm ἀναρχίαν. תחבולה tachefulah ſignificat conſilium, & deducitur à חבל chæbel quod funem ſignificat,aut gubernatorem uel nauarchum. Veluti funibus uelum ſuſpenditur,demittitur, contrahitur, totaq; nauis gubernatur:ita non ſolum ſinguli homines,ſed etiam totæ Reſpub. conſilijs reguntur. Deinde ſi magnis trabibus funes inijciantur, facilè trahuntur:funibus item quæ conquaſſata ſunt, conſtringuntur: ita res arduæ conſilijs confici,& labefactæ Reſpublicæ confirmari poſſunt. Felices ſunt illæ Reſpub. in quibus multi ſunt,qui conſilijs pollent & conſentiunt. Non autem ſatis eſt abundare conſiliarijs bonis,niſi homines conſilijs eorum obtemperent. Bona quoq; conſilia bonum euentum non habent:niſi Deus det ſucceſſum. *De cōſilio.*

Porrò ut in omni uitæ parte,magnus uſus eſt conſiliorum: ita præcipuè in bello:præſtant enim robore militum,quemadmodum in Cleonis concione apud Thucydidem lib. 3. legitur: ὅςις οὖ βουλεύεται πρὸς τοὺς ἀντιπάλους, κρείσσων ἐςίν, ἢ μετ᾽ ἔργων ἰσχύος ἀνοίᾳ ἐπιών, hoc eſt, qui bonum dat conſilium contra hoſtes, potior eſt, quàm qui ipſos ſine prudentia, pugnandi robore inuadit. Econtrariò priuatim & publicè,in pace & bello,mala conſilia magnū malorum agmen ſecum trahunt. Quot homines rectè uiuerent,niſi malis conſilijs tranſu erſum raperentur? quot Reſpub. miſerè affliguntur,propter malos conſultores? Quantum mali dedit Iſraelitis Bileamus? Quid Achitophel ſuis iniquis conſilijs non effeciſſet,niſi à Deo fuiſſet impeditus? 2.Reg.15.16.&17. *Conſiliorū maximus uſus in bellis.*

15 Malus confringetur,quia fideiuſsit pro extraneo: & qui odit ſtipulantes, confidit.

Quidam uertunt,*Contritione conteretur, quiſquis fideiuſſerit pro extraneo.*) רע ra enim poni,pro שבר ſchæfær. Alij legunt רע malus. Vt ſit ſenſus:*Vir malus conteritur,eò quòd fideiußit pro extraneo.*) ſcilicet quem non agnoſcebat. Relinquet enim extraneus illum in ſua fideiuſsione,& ſoluet ille de ſuo. תקע taka eſt figere,percutere. Percutimus autem manus,promittentes aliquid. De periculis ſponſionum 6.capite audiuimus. Periculoſum eſt pro familiaribus fideiubere,nedum pro extraneis. Multi non cogitant quid faciant,ſi pro alijs fidem ſuam obſtringant,poſtea ſi creditoribus ſatisfaciendum eſt, incerti quò ſe uertant,magnis miſerijs implicantur. Cautè itaq; & prudenter in huiuſmodi rebus agendum eſt. Felix eſt, ut prouerbio dicitur, qui nihil debet. *Fideiußionis pericula.*

16 Mulier gratiæ, retinet gloriam.

Per mulierem gratiæ,non præcipuè intelligit forma corporis præſtantem: ſed quam uirtutes,quales ſunt pudicitia,temperantia,comitas,obedientia,&c. commendant. Talem mulierem omnes honeſti admirantur & ſuſpiciunt:apud omnes,etiam poſt obitum bene audit: ſuis cognatis,marito & liberis eſt honori. Quod ſi mulieres non Dei & uirtutis amore, ſaltem propter liberos, ne infamiæ maculam eis inurerent,uirtutibus ſtudere debebant. Mulieres gratiæ fuerunt, Sara, Rachel, Rebecca, Abigael, Heſter, &c. quarum fama nunquam intermorietur. *Mulier gratioſa.*

Fortes apprehendēt diuitias.) ערץ Araz ſignificat pauere,conterere,robuſtum eſſe:hinc עריץ

ariz in bonam & malam partem accipitur: significat enim fortem & tyrannum. Sensus est: Quemadmodum uxoris munus est ut pia sit & casta: ita à marito requiritur ut honesto labori incumbat, quò familiam suam alere posit. Ocium quia multorũ malorum causa est, summopere caueri debet. Vel, *Improbi apprehendunt diuitias.*) Hoc est, In ducenda uxore non spectāt probitatē uitæ: sed diuitias. Quod enim Horatius per Ironiā dixit, nūc seriò pleriq; accipiūt:

" O' ciues ciues, quærenda pecunia primùm est,
" Virtus post nummos.

Pauci quærunt de moribus puellæ, quam ducturi sunt: sed prima ferè quæstio est de opibus & diuitijs. Fœminæ quoq; in contrahendo matrimonio, & alijs uitæ negocijs, pręcipuè diuitias spectant. Vnde Iuuenalis dicit:

" Protinus ad censum, de moribus ultima fiat
" Quæstio, quot pascit seruos, quot posidet agri
" Iugera? &c.

17 Beneficus suam ipsius animam fraudat, crudelis uerò carnem suam turbat, (*corrumpit, uel perdit.*)

Beneficentia. גמל Gamal significat rependere & ablactare. Sensus est: Vir beneficus bonum cōfert animæ suæ: hoc est, dat operam ne animam erroribus & flagitijs perdat, sed eam excolat. Vel, beneficus genium suum fraudat, ut habeat quod suis & alijs cōferat. Quàm multa turpiter prodiguntur, quibus liberi honestè educari, & egentes subleuari possent? Vidua Sareptana cibū & sibijpsi & puero subtractum, Heliȩ subministrauit. 1. Reg. 17. cap. Charitatis hoc est ingeniū, ut non tantum opibus proximo benefaciat: sed etiam uitam, postulante necesitate, in discrimen pro ipso offerat. Christus iubet, ut nos inuicem diligamus, quemadmodum ipse nos dilexit. Grauissimè igitur contra hanc sententiam peccant, qui cum absq; suo malo, ex his quæ ipsis supersunt, proximum subleuare possent: tamen non faciunt, sinunt opes suas potius cō putrescere, ac à tineis & erugine absumi, quàm ut in aliorum usus erogent, Iac. 5. Illi quoque peccant, qui in sumptuosa ædificia, luxuriosa conuiuia, in luxuriosas uestes, torques, annulos, & alia huius generis, opes suas impendunt. Basilius in sermone quodam contra diuites, eis exprobrans, quòd pauperes, extendentes manus suas, abigant, dicentes se non habere quod eis conferant, Digitus, inquit, te mendacij conuincit. Annulis enim quos digitis inserebant, multos alere poterant. Grauius peccant, qui non modò carnem suam, hoc est, proximum (Isaiæ enim 58. habetur, Carnem tuam ne despexeris, id est, proximum tuum ne contempseris: 2. Sam. 5. Os tuum & caro tua sumus, &c.) non subleuant, sed & aliena rapiūt: quales sunt usurarij, monopolæ, milites mercenarij, tyranni, &c. Quid respondebunt in nouissimo iudicio, quādo Christus ad electos dicet, Esuriui & dedistis mihi edere? &c. An non meritò ipsos accusare poterit, quòd cibū de manibus proximi extorserint, segetes protriuerint, oleas exciderint, uina effuderint, ædes aliorū exusserint, in exilium miseros pepulerint? &c. O' quanta erit apud impios illos trepidatio. Non igitur surda aure audienda sunt, quæ toties de beneficentia proximo præstanda præcipiuntur.

Liberi sunt caro nostra. Possunt hæc uerba, *Qui turbat carnem suam, est crudelis.*) etiam hunc sensum habere: Qui liberorum suorum (qui caro sunt & sanguis parentum) nulla cura afficitur, immitis est & crudelis. Quales illi sunt qui omnia prodigunt, de institutione liberorum parum soliciti. Quales illi erant, qui olim facti Abraami *κακοζηλίᾳ* liberos suos in honorem Dei immolabant. Parentes etiam illi eandem crudelitatem hodie exercent, qui pueros & puellas in monasteria, tanquā in aliquod pistrinum detrudunt. Et licet liberi se carere dono continentiæ obtestentur: tamen etiam contra pontificum canones eos inuitos compellunt: quò familiam suam conseruare melius posint. O' duros homines & Siculis tyrannis immaniores, qui liberos uestros in carnificinam illam corporum & animarum detruditis. Omnium scelerum quæ patrant, uos uos crudeles iustissimo iudici cum in fatali hora, tum nouissimo iudicio, rationem reddetis.

Vxor est caro mariti. Vxor item dicitur caro mariti: Erunt duo in carnem unam, Genes. 2. Paulus ad Ephes. 5. cap. utitur hac ratiocinatione: Naturale est proprium corpus curare & nutrire, etiam gibbosum & infirmum: uxor est corpus uiri, coniugium enim ex duobus unum hominē efficit: Ergo mariti amare debent uxores. Odisse eas pugnat cum natura, &c.

Libet & hunc sensum afferre, *Qui turbat carnem suam est, crudelis:* hoc est, qui corpus suum macerat & conficit præter necessitatem. Ad Col. 2. cap. *ἀφειδία* corporis reprehenditur. Est quidē frenandum corpus, sed nō perdendum. Non debemus nobis ipsis crucem fingere, sed à Deo nobis impositam patienter ferre. Nec laudandi sunt principes, qui abdicato magistratu, in

monasteria

monasteria sese abdiderunt, & corpus immodicis ieiunijs, cilicijs & alijs castigationibus confecerunt. Corpora nostra etiam gula & crapula conficiuntur.

18 Impius facit opus mendax.

Hoc est, non semper assequitur quod uult, multa instituit, quæ non succedunt, irriti sunt conatus & labores eius. Non enim scopum habet gloriam Dei & utilitatẽ proximi, ad quem omnes actiones dirigat, sed ut spectetur ab hominibus, ideoq; habet mercedem suam. Deinde opus facit mendax, hoc est, in omnibus suis actionibus dolo malo, & fraudibus utitur, quæ facit, facit κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν.

Seminanti iusticiam, merces fidelis.) Seminare iusticiam, est integritati uitæ operam dare, suum cuiq; tribuere, beneficum esse in proximos, eosq; ad ueram pietatem & ueras uirtutes assuefacere. Frequens autem est hæc Metaphora in scripturis. Nam quemadmodum agricolarum, si copiosam sementẽ faciant, uotis agri respondent, nec sine usura reddunt quod acceperunt: ita Deus uirtutes nostras copiosè remunerabit. Et quemadmodum grana coniecta in terrã, uidentur emori: ita tametsi interdum nulla præmia uirtutibus proposita esse uideantur, tamen suo tempore, qui spem suam in Deum collocant, uidebunt sua benefacta non perijsse. Mox autem subijcitur, quæ præmia iusticiæ à Deo sint parata.

Seminare iusticiam quid sit.

19 Sicut iusticia ad uitã (*perducit*) sic qui sectatur malũ, accersit mortẽ suã.

Iusticia felicem, iniusticia uerò infelicem habet exitum, quicquid mundus iudicet. Qui studet iusticiæ, in hoc & futuro seculo, felix erit & beatus. Qui uerò in omni genere scelerum pergit, & hominibus damna infert, debitas tandem pœnas luet. רדף radaf significat insequi & persequi. Qui non ex imbecillitate & ignorantia, sed destinata malitia peccant, rarius ueram agunt pœnitentiam.

20 Abominatio Domini sunt, qui peruerso sunt corde, & uoluntas eius erga eos qui integræ sunt uitæ.

Prauos corde uocat, qui non rectè, secundum scripturarum regulam, sentiunt de fide: sed rationis suæ normam sequuntur: quiq; flagitiosè & turpiter uiuunt. Item qui unum in lingua habent, & aliud in pectore. Illos homines abominatur Deus. Qui uerò integri sunt in religione & moribus, placent ei. Vox illa תמם thamam sæpe occurrit in sacris literis & significat integrum, immaculatum, innocentem & perfectum. Perfectio autem ista, ut homini nihil desit, non contigit cuiquam in hisce terris (semper enim orare nos oportet, Remitte nobis debita nostra) tantum in illis locum habet, qui ex hac mortali carne euocati, in cœlis degunt. In hac uita qui complectuntur uerbum Dei, qui non polluti sunt falsis opinionibus, aut externis sceleribus: sed uera fide & integritate morum, Deum celebrãt, perfecti appellantur. Omnes cupiunt placere Deo, uera itaq; fide ipsi seruiant: & non modò fauore eos prosequetur, sed etiam filiorum loco habebit. Contrà, qui Dei uerbum oderunt, quibuscunq; titulis se ornent, Deo inuisi sunt & odiosi.

Perfecti qui.

21 Manus ad manum, non immunis erit malus.

יד Iad non tantum manum: sed etiam consilium, potentiam, authoritatem, plagam siue percussionem & alia significat. Multa sunt loca sacræ scripturæ, quæ uarias expositiones, illasq; omnes utiles admittunt: ad quæ etiam hæc gnome pertinet. Sunt qui eam hoc modo interpretentur. Manus ad manum, hoc est, mox mox, malus pœnas dabit, citius quàm manus conserere posis: ut sit phrasis, qua celeritas significetur. Latini exemplo, è uestigio fieri dicunt, quod citra moram fit: nos dicimus, eh hand vm̃. Tametsi uerò Deus pœnas interdum differre uideatur: tamen si quis exactè & diligenter consideret, non tardat. Etenim uita mortalium, comparatione æternitatis, uix est momentum.

Vel, Qui manus complicant, hoc est, homines ignaui, qui ocio desidiaq; torpescunt, pœnas dabunt. Desidiosi enim, cùm in alia flagitia, tum præcipuè in libidines incidunt, propter quas sibi multa mala accersunt. Proinde Hieronymus Rusticum suum monet, semper aliquid agat, ne ociosum diabolus inueniat.

Vel hoc uult dicere: Etsi Dominus plagam plagæ addat, hoc est, uarijs pœnis impium afficiat, tamen adeò obstinato est animo, ut à malicia ad innocentię studium non deflectat. Sępe enim in scripturis, & uulgari quoq; nostro sermone, manus pro plaga seu flagello Dei accipitur. Exod. 9. cap. 1. Sam. 7. &c. Exẽpla publica & priuata hanc sententiã illustrant. Pharao multiplicibus pœnis, in uiam reuocari non potuit. Hodie quoq; multi neq; beneficijs, neq; plagis uarijs, fame, peste, gladio, ita commouentur, ut de resipiscentia seriò cogitent. Hunc sensum sequutus est Munsterus: ita enim hunc uersum reddidit, *Quando plaga super plagam uenit, non emendatur malus.* Manus cõplodere læticiæ & gratulationis est signum, ut theatra ostẽdunt,

Malus plagis non emendatur.

& tunc erit sensus, etsi impij plaudant & exultent, omniaq; sibi perpetuò ex animi sententia euentura somnient, & alij quoq; magno plausu eos excipiant, pœnas tamen non effugient.

Est præterea gestus orantium, & meo iudicio hic sensus esse potest: preces malorum irritas fore: instituant supplicationes publicas & alia, non tamen exaudientur. Sperāt enim impij precibus & letanijs suis, etsi fide uacui sint, numen placari. Ierem. 7. יד iad etiam accipitur pro loco parato, sicut manus ad quæcunq; facienda parata est, & tunc sensus esse posset: etsi habeant sua ὁρμητήρια, & ex uno in aliud se in periculis recipiant, tamen daturos pœnas.

Quidam hunc sensum afferunt, Etsi impius ad tempus manum à malo subtrahat, tamen non erit innocens: corde enim mala machinabitur.

Etsi impij dextras uires & consilia iungant, tamen punientur.

Mihi maximè arridet hic sensus: Etsi impij dextras iungant, item uires & consilia, etsi fœdera faciant, ac mutuum sibi promittant, ac etiam præstent auxilium: tamen pœnas non effugient. Iosue 9. & 10. Chananæi reges concordibus animis conspirabant aduersus Iosuam, tamen funditus deleti sunt. Quoties nostra memoria illi qui contra Euangelium & pios homines conspirarunt, mutuis uulneribus tandem ceciderunt? Sæpenumero fures qui data manu inter se conspirant, deprehensi in crucem aguntur: latrones franguntur rotis. Hæc sententia repetitur infrà 16. cap. uersu 5.

Sed semen iustorum euadet.) Filij piorum parentum (si paternis uestigijs insistant) euadent periculum. Etsi ad tempus affligantur, tamen Deus, cui curæ sunt, ut hæc sententia ostendit, eos eripiet, uel pro hac uita meliorem reddet. Multi Psalmi de liberatione sanctorum loquuntur.

22 Inauris aurea in naribus porci, mulier pulchra & destituta decoro gestu.

Forma probam mulierem commēdat.

Pulchritudo est donum Dei, quod probam fœminam multum commendat. Gratior, inquit poeta, est pulchro ueniens in corpore uirtus. Sin uerò incidat in mulierem, quæ destituitur consilio, prudentia ac pudicitia, eam nō ornat, sed pessimam reddit. Plures enim sunt, qui formosarum pudicitiæ insidiantur. Theognis:

„ παύροις ἀνθρώπων ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ
„ ὄλβιος, ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν, &c.

Ouidius dicit in epist.

„ Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Iuuenalis Satyra 10.

„ Rara est adeo concordia formæ Atq; pudicitiæ.

Cogitandum erat, cur à Deo formæ munus datum esset: deinde fluxum ac momentaneum esse. Verum decus mulierum & uirginum est pudicitia: quod si pręstantia formæ corporis accedat, probam quidem magis ornat, improbam uerò nequaquam. Res declaratur similitudine. Si mulier forma sit egregia, sed malis moribus, perinde est ac si naribus porci, inaurem auream, gemmas uel aureum annulum inseras. Quemadmodum enim porcus illis non parcit, sed stercoribus inserit (nihil enim porco immundius, nihil sordium amantius) sic mulier stulta, dono pulchritudinis ad superbiam & libidinem abutitur. Olim annulis aureis in auriculas insertis, sese ornabant. Inseritur & suillis rostris annulus æreus, quo minus agris suffodiendo noceant. Si uerò naribus porci, aureus annulus inseratur, est res stulta. Hanc sententiā explicat Erasmus Chiliade 1. Cent. 7. Adagio 24.

Forma uiros quoque pios cōmendat.

Quæ de muliebri sexu dicuntur, etiam uirili accommodāda sunt. Socrates, uel secundum alios Plutarchus, discipulis suis sæpe suasit, ut seipsos in speculo contemplarentur, & qui pulcher appareret, curaret, ne dignitatē corporis malis moribus dedecoraret: qui deformis, uirtutis laude turpitudinem tegeret. Cum Diogenes uidisset quendam decora facie & moribus inhonestū, dixit: O` quàm bona domus, & malus hospes. Chrysost. in Psal. 50. hom. 1. scribēs, quomodo Dauidem contemptum Deus elegerit, Vbi sunt, exclamat, qui semetipsos adornant extrinsecus, & depingunt? nolo pulchritudinem corporis, honestatem mentis requiro. Quid enim est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Pulchritudo autem est sine his uirtutibus præcipitium patens, uenenum insipientibus compositum. Decus enim corporis infirmitate marcescit, & pulchritudo ægritudine tabescit: animę autem pulchritudo immortalis est & æterna, & tunc maximè ostendit proprium decus, cum cessauere passiones: tunc enim mens tranquillitate potitur. Si ergo uideris uirum aut mulierem speciosam, ne mireris: nam & quercus cum sint densæ folijs & altitudine excelsæ, attamen non habent fructum hominibus aptum, sed porcis cibum afferunt, uitis autem per terram repens, maturum uuarum fructum affert, &c.

Alia fortunæ bona, bo

Quæ de forma dicuntur, ad alia etiam bona per se præclara extendi debent: ueluti nobilitatem, eloquentiam, eruditionem, diuitias, &c. Quæ uehementer pium hominem commendant

dant & ornant: sed si incidant in stultos, non prosunt, sed obsunt magis: non sunt ornamento, sed de decori potius. Si præclara dona à Deo accepimus, etiam atq; etiam curãdum est, ne negligamus, aut in nostrum uel aliorum exitium conuertamus. *nos ornant, malos non item.*

Docet etiam hæc gnome, licere interdum similitudinibus à fœdis rebus desumptis uti, ad exprimendum turpitudinem rerum. Sunt quidam auribus tam delicatis, ut ab huiuscemodi similitudinibus prorsus abstinendum censeant.

23 Desyderium iustorum, tantum bonum.

Iusti nihil aliud habent in uotis, quàm quod iustum est: æquitatem in omnibus cupiunt obseruari. Nihil optant quod sciunt pugnare cum uoluntate Dei. Non quod prorsus uacui sint, ab omnibus prauis cupiditatibus & desiderijs. Quis enim non sentit concupiscentiæ stimulos? Omnes uitio originis ita corrupti sumus, ut uolentes nolentes, motibus contra Dei legem perturbemur. Aliquando consensus & etiam opus accedit, sed sancti Dei subinde auxilium implorantes, pœnitentiam agunt.

Expectatio autem impiorum, est indignatio.) Impijs non dolet, si scelera committunt, sed cuperent ueram religionem & bonas leges deletas esse, ut liberius eis in omni genere scelerum uitam degere liceret. Neq; Deum neq; homines curant: agunt illa quibus iram Dei & hominum contra se prouocant, nihilq; aliud expectare possunt, quàm grauem iram Dei, cùm in hoc seculo, tum in die extremi iudicij.

24 Est qui dispergit, & additur amplius.

Reperias homines, qui opes suas quodammodo profundant, uolunt omnino, ut non tantum necessitati suæ & honori, sed & pauperibus seruiant: tamen nihilominus subinde locupletiores fiunt. Bona enim augentur largiendis eleemosynis. Promissiones & exempla huius generis plurima extant in sacris literis: quæ subinde in conspectu habenda sunt. Semper enim corruptæ naturæ uitio, metuimus, ne fame nobis & nostris sit pereundum. Quid nobis, dicimus, & liberis suppetet, si nostra in alios profundamus? At qui opes suas liberaliter alijs ex uera fide communicant, ditiores fiunt. Vide locum Apostoli in 2. ad Cor. 9. Pauci certè hac uia & ratione uolunt ditescere, omnes ferè aliam uiam ingrediuntur. *Liberales fiunt ditiores parcis.*

Est qui cohibet plus æquo ad penuriam.) Econtrariò est reperire sordidum & auarum, qui etiam suum genium fraudat, alijs non modo nihil confert, sed quibuscunq; rationibus potest, eos spoliat: & diebus etiam dominicis, ad quæstum suum abutitur, interim tamen subinde eget. Nam Deus non confert ei suam benedictionem: conijcit eum in morbos & uarias ærumnas, atq; sic opes eius acciduntur, ut paulatim ad extremam paupertatem redigatur. De hoc iam nihil dicam, quod auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet, & Tantali instar, aquis ori allabentibus, perpetua siti laborat.

Disce itaque beneficentiam in pauperes, & ita caue tibi ab auaritia, ne in oppositum uitium prodigalitatis incurras. מִיֹּשֶׁר mijoschær quod conuertitur, *plus æquo*, alij reddunt, *à recto*. s. se & alios prohibens: ut sit sensus, Rectum erat, ut quibus facultates suppetunt, alijs etiam largirentur: sed si id non faciant, ad pauperiem redigentur.

25 Anima benedictionis impinguabitur.

Per Synecdochen anima benedictionis, ponitur pro homine benefico & liberali. Opes eius non deficient: sed magis ac magis crescent. Nisi simpliciter mauis intelligere, animam illius qui Deum laudat, quiq; liberaliter alijs tribuit, spiritualibus bonis cumulari.

Et qui rigat, ipse etiam pluet.) Idem sensus esse potest cum superioribus. Familiare enim est Solomoni, unam eandemq; rem mutatis uerbis repetere. Quanquam hæc uerba de eruditione & doctrina intelligi possunt. Qui docet alios, docendo proficiet: Deus dona sua ei augebit. Paulus 1. Cor. 3. cap. simili Metaphora utitur, inquiens, Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui dat incrementum Deus. Veteres etiam duo faciunt genera eleemosynæ. Vnum corporale, quando proximum nostrum iuuamus pecunia, cibo, potu, &c. Alterum spirituale, quando eum docemus, consolamur, reprehendimus. Hoc posterius plus utilitatis affert accipienti, nec dantis facultates minuit. Quod Grammaticam attinet, רוה rafah, significat inebriare, rigare, satiare, & יורא iorę, pluuiam significat, quam uocẽ quidam à רוה rafah irrigando, alij ירה id est, erudiendo deducunt. Aleph est locò he secundum R. Dauid in lib. radicum, ubi hanc sententiam sic exponit: *& inebrians uel irrigans*. s. pauperes, etiam ipse pluuia, id est sicut pluuia erit, uel pluuia uocabitur. Nam quemadmodum pluuia terram inebriat, ac satiat: ita ipse animam pauperum inebriat & satiat. יורא ioræ idẽ est quod יורה ioręh & מורה moræh pluuia, præsertim temporanea, quæ ut doctores Hebræorũ annotãt, in Octobri demittitur, ad fœcundandã terram. Pluuia serotina, quæ descẽdit in mẽse Nisan, hoc est, Martio, *Eleemosyna duplex.*

מלקוש malkosch dicitur. In Octobri maior est pluuię copia, & idcirco uocari scribunt hunc mensem בול bul, à מבול mabul, id est, inundatione: & ipsa pluuia, etiam uocatur רביבים rebibim. ירה iarah significat inter alia docere, instruere, in participio præsenti Kal, & in futuro hiphil habet יורה ioræh: sæpe autem fit ut aleph pro he ponatur. Et sic quidam Hebræorum interpretantur, *Qui inebriat alios, etiam ipse docet, uel docebit*, scilicet seipsum, quia in docendo speculatio & inquisitio augetur: uel etiam alios suo exemplo docet benefacere. Alij in uoce pasiua legunt, *Et qui inebriat etiam ipse iacietur*, id est, compluetur seu fœcundabitur. Targum reddit, *Qui docet, etiam ipse docebitur.* Vulgatus interpres, *Qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur.* Vt sit tertia persona futuri. Sed de his periti linguæ iudicent. Vide Santis magnum lexicon in radice ירה iarah & רוה rafah.

26 Ei qui prohibet frumentum, maledicet populus.

Auari qui annonā abstrudūt, malè audiunt.

Auari qui fruges & alia (sub una specie omnia comprehendit) non uendunt, etiam quando cum suo lucro possent, sed abstrudunt, optantq; maximam omnium rerum caritatem esse & penuriam: illi inquam malè audiunt ab omnibus, dira eis uulgò imprecantur: in quo tamē homines peccant. Quin iustę etiam querelę & clamor hominum, ascendit in aures Domini Zabaoth. Et in nouissimo iudicio, pauperes hominum illorum crudelitatem & auaritiā accusabūt. Sæpe etiam fit ut illorum, qui se publica calamitate solantur, fruges pereant & uina uapescant, alias quoq; pœnas eis immittit, de qua re Amos 8. cap. Exempla multa illorum afferri possent, qui sibijpsis manus intulerunt hanc ob causam, quòd non in tempore sua uendidissent: sed retinuerunt ut postea carius uenderent.

Benedictio autem super caput frumentum uendentis.) Qui fruges suas, tempore opportuno & æquo precio uendit, non modò laudatur à populo: sed etiam à Deo benedictionē accipit. Videmus ex hoc loco, contractus licitos esse: refutatur Anabaptistica bonorum communitas. Quod si Deus illos præmijs ornat, qui illa quæ ad uictum hominum pertinent, distrahunt, quid illis faciet, qui necessaria indigentibus, gratis subministrant? Adhęc, si illi qui cibum corporis abstrudunt, tam malè audiunt, quid de illis sentiendum est, qui animæ cibum famelicis denegant? Qui uerbum Dei suis subditis non prædicant, nec præficiunt eis ministros, qui cibum hunc cœlestem eis proponere posint aut uelint: quin si exurgant homines, qui gratis eos pascere & cibare uolunt, illos exurunt? Adhæc non sinunt fame uerbi Dei laborantes, sacros libros mutos magistros sibi comparare, ex quibus animæ cibum quærant?

Qui cibum animæ negāt esurientibus, grauiter peccant.

An fruges reponere liceat.

Cæterùm ex hoc loco non euincitur, nulla frumenta esse ad futuras necesitates reponenda. Magistratuum enim est toti multitudini prospicere. Magnum discrimē est inter illos, qui frumenta ex auaritia: & inter illos, qui propter publicum bonum conseruant. De hac re quædam 6. cap. annotauimus.

27 Qui manè quærit bonum, quærit fauorem.

Maturè benefaciēdum proximis.

Tribus præcedentibus gnomis, docuit sapiens benefaciendū esse proximis. Id quod partim fit si eos subleuamus nostris opibus, cibo, uestitu, &c. partim, si eos docemus, castigamus, exhortamur, consolamur. Iam docet ut sine mora, matureq; hoc faciamus: Dicit enim, *Qui mane quærit bonum*, scilicet aliorum, *Consequetur fauorem & beneuolentiam*, nempe Dei, qui plerunq; efficit, ut homines quoq; nobis faueant. Vix enim alia est uirtus, quæ hominem magis hominibus commendet, quàm beneficentia. Sed si Deus nobis faueat, non multum curare debemus, siue homines nos ament, siue odio prosequātur. Idem docet nos Solomon in Ecclesi.11. cap. Mane, inquit, semina semē tuum, & uesperi ne quiescat manus tua. Paulus ad Gal. 6. cap. Dum tempus, inquit, habemus, operemur bonum, cum erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei. Periculosum est cùm beneficentiæ, tum aliarum uirtutum studium differre. Magna tamen est hominum stultitia, in procrastinanda emendatione uitæ.

Qui autem quærit malum, obueniet ei.) Qui proximis non modò non benefacit, sed eos lædit, malum tandem accipiet. Aliàs quoq;, qui malum quærunt, inueniunt. Sæpe enim uidemus rixosos homines, qui omnes homines ad pugnam prouocant, tandem in melampygū, ut prouerbio dicitur, incidere: ita alij quoq; scelerati pœnas persoluunt.

28 Qui fiduciam habet in opibus suis, corruet.

Qui ex opibus suis pauperibus nihil largiuntur, sed eas nimis diligunt, fiduciamq; suam in illis collocant, in culpam & pœnam corruent. Quod de opibus dicitur, de omnibus creaturis intellige. Spes in solo Deo collocanda est, non in rebus caducis & fluxis.

Pij fructiferis arboribus comparantur.

Iusti autem ceu folium germinabunt.) Etsi pij non habeant magnas opes, tamen Deum habent propitium: & imminentibus malis firmiter persistunt, semperq; utilitatem proximis suis afferunt. Psal.1. pij etiam comparantur arbori frondosæ, positæ ad riuos aquarum. Huc pertinent

uerba Iere.17.cap. postquam maledictum illum pronunciauit, qui spem suam in hominibus collocat: addit quæ ad explicationem huius gnome mirificè pertinent: Benedictus est uir qui confidit in Domino, & cuius fiducia est Dominus. Erit enim sicut arbor iuxta aquas, & quæ mittit iuxta riuos radices suas, non uidebit si uenerit æstus, eritq; folium eius uiride, & in anno prohibitæ pluuiæ non erit solicita, neq; desinet facere fructum.

29 Qui perturbat (*uel corrumpit*) domum suam, hæreditabit (*uel poßidebit*) uentum.

Ad intelligentiam huius sententiæ considerandum est primùm, qui dicantur perturbare domum suam: deinde quid sit uentum hæreditare. Conturbat domum uel familiam suam, homo morosus, iracundus, inuidus, qui undiq; rixandi materiam uenatur, quiq; familiæ errata non contegit. Conturbat domum, qui laborare non uult, sed nunc hoc, nunc illud instituit, ut ocio posit indulgere. Conturbat domum, qui non tenet modum in uestitu, suppellectile, ædificijs: qui non contentus est cibo & potu necessario, sed dies noctesq; in tabernis desidet, ludit, temere uendit, emit, conducit, locat, scortatur, deierat, pugnat. Breuiter, qui nec ipse pietati studet, nec familiam suam pietatem docet, sed malo exemplo eam corrumpit. *Cōturbare domum suam.*

Tales homines hæreditabunt uentum, hoc est, egeni erunt & inopes. Qui uentum habet in suis thesauris, nihil habet. Prouerbio dicuntur ἀνέμους γεωργεῖν, uentos colere, qui nihil fructus reportant ex suis laboribus. Homerus uana subinde uocat ἀνεμώλια. Ventus omnia dissipat & facit euanescere. Non autem mirum est conturbatores illos domorum nihil habere: quomodo enim Deus benedictionem illis conferat, qui ipsum contemnunt & aspernantur? Annectitur autem hæc sententia superioribus, ne quis putet decoctores, qui sua temere profundunt, Deo probari. Pia & moderata cura rei domesticæ, exemplo sanctorum, & locis scripturæ nobis commendatur. Ephes. 4. 1. Tim. 5. &c. *Hæreditare uentum.*

Eritq; stultus (ille) seruus (hominis) corde sapientis.) Conturbatores illi domorum uel decoctores, tandem ad mendicitatem rediguntur. Etsi enim à parentibus hæreditas eis obuenerit, & habeant unde honestè uiuere possent: tamen sua dilapidant, oppignerant & uendunt domos, prata, uineas, & alia quæ habebant. Incidunt sæpe in usurarios, qui eos mox opibus suis exuunt: tandem decocto patrimonio coguntur miseri mendicare, uel aliorum serui fieri, & multa facere, quæ antè eos facere puduisset. Multi militatum abeunt, & à ducibus miserrimè tractantur. Iustum autem est, ut qui imperare nescit, ab alijs imperium patiatur. Exemplum habes in filio prodigo, Lucæ 15.

30 Fructus iusti lignum uitæ.

Hoc est, fructus qui iusto datur, est lignum uitæ. Alludit ad cap. 2. Gen. ubi legitur, in paradiso fuisse lignum, id est, arborem uitæ. Typus erat Christi, qui uita est fidelium. Ioan. 14. Ego sum uia, ueritas & uita. Ioannis 5. capite appellat se cibum. Apocalyp. secundo capite, Christus Ephesios per epistolam, quam Ioanni Euangelistæ dictauit, ad ueram pœnitentiam & doctrinæ constantiam hortatur, atque amplissima eis promittit. Vincenti inquiens, dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradysi Dei mei. Et capite 22. in descriptione ciuitatis cœlestis, In medio plateæ eius, inquit, & ex utraque parte fluminis est lignum uitæ, per menses singulos adferens fructum suum, &c. Per externa illa, gaudium æternum adumbrat, quod pijs Dei cultoribus paratum est. Vel sensus est, *Fructus iusti*, hoc est, quem iustus dat, *est arbor uitalis.* Arbor frugifera, non tantum decus est & ornamentum horti, sed etiam magnas utilitates affert. (Hinc cautum est 12. tabulis ut qui iniuria cæcidisset alienas arbores, mulctaretur. Plin. lib. 17. cap. 1. Extat etiam lex Iustiniani, ut qui arbores & maximè uites incidunt, latronis more puniantur.) Ita hominis iusti sermo, tota deniq; uiuendi ratio alijs utilis est & salutaris. Familiare autem est prophetis, homines frugiferis arboribus conferre, quales sunt oliua, ficus, uitis, ut ostendant Deum uelle populum frugiferum, non sterilem. Sermones uerò & opera hominum, fructibus comparantur. Suprà os iusti aquarum scaturigini comparauit. *Lignum uitæ.*

Et qui capit animas, sapiens est.) Sapiens est, qui studet multos homines pertrahere ad cognitionem Dei, hoc enim est capere, uel suscipere animas. Mundus stultos iudicat qui docendi laborem suscipiunt, maximè si gratis hoc faciant. Non solum ministrorum uerbi est officium ut capiant animas, sed aliorum quoq; hominum. Quemadmodum uerò uenatores, aucupes & piscatores considerant quæ sit animalium natura, quaq; ratione capi posint: ita sapientis est cogitare, quo pacto quisq; moueri aptus, & ad quas res procliuis sit, quas auersetur, quæ cuiq; insint uirtutes aut uitia, quæ cuiusq; sit ætas, quæ conditio: alijs enim reb. mouentur senes, alijs iuuenes, &c. Opportunitas quoq; captari debet. Christus seruator noster, Apostolos *Animas capere.* *Nimrodi.*

ſuos uocat, piſcatores hominum. Chriſti quoq; uicarij, & Apoſtolorum ſucceſſores, ſi dijs placet, animas uel homines capiunt, ſed longè alia ratione: nam traditionum humanarum caſsibus eos implicant, in carceres conijciunt & diris tormentis afficiunt. Proinde Chriſti uenatores, piſcatores & aucupes, non ſunt.

31 Si iuſtus in terra remuneratur: quanto magis impius & peccator.

Senſus eſt: Si Deus illos, qui uerbum ſuum reuerentur, & quoad eius fieri poteſt, uita conantur exprimere, punit & affligit, quid illos manebit, qui uerbum Dei contemnunt, qui in uaria ſcelera ruunt, quosq; impietatis ſuæ non pœnitet? Quiuis facilè colligere poteſt, grauiſſimum ſupplicium eis impendere. Sæpe conquerimur nos durè accipi à Deo, & impios non modò non flagellari, ſed & omnibus bonis affluere. Hinc aliquando dubitare incipimus, an omnia Dei prouidentia gubernentur: at ex afflictionibus noſtris potius aliquo modo concludendum erat, nos ad Deum pertinere. Quemadmodum ad Heb. 12. ca. explicatur. Quis eſt filius, inquit, quem non caſtigat pater? Vide locum. Et in 1. Cor. 11, Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Afflictiones igitur ſunt quædam amoris Dei erga nos indicia. Vera enim indicia ſunt promiſsiones, fides, & ſpiritus, qui ſpiritui noſtro teſtimonium perhibet, quòd ſimus filij Dei. Regnantibus impijs in mentem nobis uenire debebat hæc ſententia, Si pij caſtigantur à Deo, impijs quid fiet? Similiter argumentatus eſt ſeruator noſter Lu. 23. dicens ad mulierculas: ſi in humido ligno hæc faciunt, quid fiet in arido? Hoc argumentum repetit D. Petrus in 1. cap. 4. Deus Iere. 25. oſtendens gentes quoq; uaſtandas eſſe, inquit: Si in ciuitate, quæ uocatur nomine meo, cœpi malum facere, uos ne immunes eritis? Deus interdum differt pœnam impiorum in alterum ſeculum, aliquando in hoc ſeculo eos affligere incipit. Ex impiorum felicitate colligere poſſumus, iudicium & aliā uitam reſtare. Natura enim nobis inſitum eſt, bonis bene eſſe debere, malis malè. Hoc uerò in hac uita non accidit: ſanctiſsimi enim uiri, Prophetæ, Apoſtoli, martyres à crudeliſsimis beſtijs lacerati ſunt, & etiamnum lacerantur: ueniet igitur iudicium, in quo Chriſtus bonos à malis diſcernet, & bonos præmijs, malos autem æternis ſupplicijs afficiet. Exultent nunc impij, pios gladio & igne perſequantur, uices aliquando erunt. Quale autem futurum ſit hoc ſupplicium quod impijs paratum eſt, ſcriptura multis in locis oſtendit. Et licet impijs fruſtra hæc inculcemus, magno tamen ſuo malo, mox mox experientur, quantum inter uerbi Dei cultores & contemptores interſit. Pij interea impiorum ſucceſsibus & uictorijs nihil permoueantur: ſed Dominum timeant, qui tempore opportuno ipſos liberabit.

Notæ amoris Dei erga nos.

CAPVT XII.

QVi amat caſtigationem, amat ſcientiam, & qui odio habet increpationem, inſipiens eſt.



HAEC ſententia oſtendit, quibus ſignis ſapientiæ ſtudioſus & ſtultus diſcerni poſsint: ille cognoſcitur ex eo, quòd caſtigationem amat, hic ex eo quòd eam deteſtatur. Caſtigatio enim & increpatio ſunt inſtrumenta quædam diſcendæ ſapientiæ.

Officiū illorum qui alios caſtigant.

Diſcunt ex hac gnome parētes, magiſtri, magiſtratus & concionatores, ut uerbis & factis, prout neceſsitas poſtulabit, peccātes corrigant. Obijcis, boni non indigent correctione, mali ea non mouētur. An igitur falſa ſunt quæ Deus dicit? Experientia quoq; oſtendit, quàm utilis ſit correctio: quàm multi ad frugem peruenerūt, qui ſi ſuo arbitrio uixiſſent, perijſſent? Quod ſi irriti ſint tui conatus & labores, quod pertinaces attinet, tu tamen tuum feciſti officium, & excuſationem habebis in iudicio Dei. Curandum autem eſt, ut correctio bono animo fiat: utq; duo illa præcipitia caueamus, ne ſcilicet nimis remiſſa ſit: alioqui uitia fouebimus potius, quàm remoueamus. Deinde, ne nimis dura ſit aut cruda: alioqui à ſalute potius homines auertemus, quàm ut eos in uiam reducamus. Vt in omnibus rebus, ſic etiā in correctione, mediocritas ſeruanda eſt.

Officiū illorum qui caſtigantur.

Deinde qui caſtigantur, cuiuſcunque ſint ætatis, diſcunt ferre correctionem. Cogita ſemper, uitijs tuis reprehenſionem meritus es, tibi in bonum cedet, ſi pondus ſuum apud te habeat. Ex officio hic agit quod agit: Deo uiſum eſt te per illum caſtigare. At, inquis, malo animo facit. Hoc tu ignoras: ſed eſto, ſic ſe res habeat, tamen non excuſaris. Qui ab alijs regi nolunt, ſed ſua conſilia ſequuntur, dicit Sapiens, inſipientes ſunt, & fiunt. An non magna eſt ſtultitia medicinam aſpernari? Illi homines obbruteſcunt, hoc eſt, in ferarum naturam degenerant, aſini fiunt, porci & canes: tandem ſera pœnitentia ducti, clamant:

Vtinam correctionem non repulissem. Chrysostomus scripsit sermonem de ferendis reprehensionibus, in quo hanc quoq; sententiam explicat.

Quae de humana correctione dicuntur, de diuina quoq; intelligenda sunt. Quod si paupertate, morbis uel alijs aerumnis Deus te flagellet, ne indignè feras: sed da operam ut uitam tuam emendes. Quod linguam attinet, בער baar significat pecuinus factus est, infatuatus est: est etiam nomen, & significat hominem pecuinum, qui pecudis more uitam degit, nec seipsum tegere potest. Hinc est interpretationis uarietas. *Castigatio diuina.*

2 Bonus educet fauorem à Deo.

Iustos homines Deus beneuolentia prosequitur, auget eis dona spiritus sui, fidem, dilectionem, patientiam: munit eos contra exemplum mundi, & insidias satanae. Etsi totus mundus te odio habeat, modò Deus te paternè complectatur, ne moreris. Non laedere poterit te mundus, nisi quando & quantum Deus in salutem tuam concesserit. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Non autem quisquam putare debet, in nostra natura aliquid esse, quo Deus ad amandum nos prouocetur. Maximum enim discrimen est, inter Dei fauorem & hominum. Homines alijs fauent, quia in eis quaedam inueniunt, quibus allici possunt ad amandum, ut hera in ancilla, uir in uxore, ciuis in ciue: at Deus in nobis nihil inuenit, propter quod nos diligat, 1. Ioan. 4. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos. Rom. 5. Dilexit nos, cum adhuc inimici ipsius essemus. Haec idcirco dico, quòd Papistae dicunt, nos bonis operibus praeparari ad recipiendam gratiam & fidem. Sed priusquàm fide praediti sumus, omnia opera nostra peccatum sunt: quomodo igitur peccatis nos praeparamus? Nihil in nobis boni est, quod non à fonte boni acceperimus. Huc pertinent plurima loca scripturae, &c. Breuiter, quicquid habemus, Deus ex sua dilectione nobis contulit: initium, medium & finem salutis nostrae, Deo acceptum referre debemus. *Quare Deus nos diligat.*

Et uirum malarum cogitationum condemnabit.) מזמות mizmoth significat cogitationes prauas, practicas uulgò uocant. Qui nefarijs consilijs & artibus, euersionem uerae religionis, & alia nefaria moliuntur, iusto Dei iudicio peribunt. Deus saepe detexit huiuscemodi machinationes, & in exitium illorum consultorum conuertit: exempla alibi recitantur. Sedulò igitur est orandus, ut hodie quoq; hostium insidias & praua consilia dissipet.

3 Non firmus manet homo in impietate.

Hoc est, qui sceleratis consilijs & factis, bona retinere, amplificare uel comparare nolunt, peribunt. Exempla multa hoc ostendunt. Multi persequutione Euangelij, suum thronum & regnum stabilire uolentes, uitam pariter & regnum amiserunt. Pilatus condemnat innocentem Dei filium, ut Caesarem clementem habeat: sed illam ipsam ob causam incurrit & Dei & Caesaris offensam, ac tandem in exilium relegatus, seipsum ferro transuerberat. Multi usuris necessaria sibi & suis comparare uolunt, & illa etiam quae honestè collegerant, amittunt. Quid autem prodest, etsi multa parent, & interim animae iacturam faciant? Quot abnegatione uerbi Dei, afflictis suis rebus consulere uoluerunt, postea in horribili desperatione decesserunt? Qui peccatis pericula propulsare uolunt, non minus ineptè uidentur facere, quàm si quis ignem feruente oleo, aut puluere bombardario uelit extinguere. Hac de re 10. cap. multa diximus: Vel simpliciter dicere possumus, impios non consistere, sed suae impietatis meritas poenas dare.

Radix autem iustorum, non mouebitur.) Iusti in maximis tempestatibus, immoti persistunt: sciunt se propitium habere Deum per Christum, ac omnia sibi in bonum cedere: toti à prouidentia Dei dependent, nam radices egerunt in uerbo Dei. Matth. 13. dicitur semen cecidisse in saxosa loca, quod oriente sole cùm radice careret, exaruerit: sed illi corde bono semen uerbi excipiũt, ubi radices agere potest. Suprà 10. cap. uersu 30. diximus quae huc quoq; pertinet.

Liberi etiam & posteri ipsorum, felices sunt. Ionathae filium, Mephibosethum, Dauid propter patris pietatem in sua mensa fouit. Stirps Dauidis ab Athalia uidebatur radicitus sublata esse: sed Ioas seruatus fuit diuina prouidentia. Adhaec si iusti non carnis, tamen spiritus posteritatem relinquunt.

4 Mulier sedula *uel uirtutibus praedita* corona est mariti sui.

חיל Chail significat strenuam uel uirtutibus praeditam. Virtutes quibus matresfamiliàs ornatas esse decet, exempla sanctarum mulierum, multi loci scripturae nobis ostendunt. Talis mulier ultimo capite huius libri describitur. D. quoque Paulus in epistola ad Titum 2. capite uetulis praescribens, quid iuniores doceant, praecipuas cõprehendit: quae sunt, dilectio mariti & liberorum, sobrietas, castitas, cura rerum domesticarum & obedientia. His *Mulier sedula.*

uirtutibus ceu gemmis insignita, corona, ornamentum & singulare decus est mariti sui. Sic D. Paulus Philippenses gloriationem suam & coronam uocat.

Mulier confusionis, est quasi putredo in ossibus eius.) Vxor quæ pudefacit maritum & seipsam, hoc est, quæ morosa, rixosa, garrula, ignaua, prodiga est, præcipuè uerò, quæ fidem coniugalem uiolat, est quasi putredo in ossibus uiri. Si medulla ossium uel ipsa ossa computrescunt, maximos dolores homini affert: sic mulier nullis uirtutibus prædita, maritum suum in maximos cruciatus conijcit. Hesiodus quoque dicit mulierem δειπνολόχην, id est liguritioni deditam, ac per consequens ignauam & salacem, uirum quamlibet robustum urere sine face, & crudæ senectæ tradere.

Quæ autem dicuntur de uxoribus, maritis quoque adaptari possunt, qui proprijs uirtutibus etiam conspicui esse debent: quod si tales non sint, honestis fœminis maxima cruciamenta conciliant.

5 Cogitationes iustorum iudicium.

De cogitationibus piorum.

Illa gnome ostendit quales sint cogitatus, & consilia bonorum & malorum. Pij non tantum uerba & facta sua Deo approbare student, sed etiam cogitationes. Non hoc uult dicere, Pios nihil aliud cogitare, quàm quod æquum & iustum sit (inuitis enim multæ malæ cogitationes obrepunt, quales illæ sunt, non omnia gubernari prouidentia Dei, non omnia uera esse quæ sacris literis continentur, Christum fortè non pertulisse pro nobis mortis cruciatus, &c.) sed ostendit sanctos ad perfectionem eniti, non indulgere malis cogitationibus, non hospitio recipere malos illos hospites, sed excludere, reuocare mentem ad alia, occupari sacra lectione, utilia operari, uitare occasiones mala cogitandi, orare item Deum, ut sanctas cogitationes ei suggerat: Ex nobis enim, ait Paulus 2. Cor. 3. non sumus idonei aliquid boni cogitare. Deinde cogitationes piorum sunt iudicium, hoc est, cogitant quomodo & ipsi & alij faciant suum משפט mispath. Crebrò etiam nouissimi iudicij recordantur.

Non peccamus sermone tantum & operibus, sed etiam cogitationibus: animo enim & corpore, nos Deo addictos esse conueniebat. Peccamus igitur, si uel cogitationes ab obedientia uerbi eius subtrahamus. Vulgo dicunt, liberas esse cogitationes, nos impunè quiduis cogitare: quod quidem uerum est, si loquaris de hominum iudicijs, sed coram Deo res aliter habet. Crescit autem peccatum cogitationis, si delectatio & assensus accedat, item si in uerba erumpat & facta. Colligimus obiter, quàm illi desipiant, qui suis operibus salutem attribuũt, cum tam corrupta sit nostra natura, ut nihil boni ex nobis uel cogitare possimus.

Impiorum autem consilia fraus.) Cogitationes & consilia impiorum, dolus sunt: dies noctesq; cogitant de extinguẽda luce uerbi Dei per dolos. Nam cum mala sint ipsorum opera, lucem reformidant. Ioan 3, Opes item aliorum ad se per fraudes rapere cupiunt: de his Micheæ 2, Væ his qui cogitant uana. Breuiter, cum desunt uires, cogitant tamen de malis inferendis. Exemplo sunt aduersarij Christi, qui cogitabant multa contra Christum, ac tametsi blandi interdum essent, tamen exitium ei moliebantur. Cauti ergo simus, & semper cogitemus impios nihil aliud cogitare, quàm dolum, etsi aureos montes nobis polliceantur.

6 Verba impiorum insidiari sanguini.

Sermo impiorum de fundendo sanguine.

Dictum est de cogitationibus & consilijs: sequitur de sermone piorum & impiorum. Impijs non est religio sanguinem innocentem fundere, sed toti in hoc sunt, quò opes & alia possint quacunq; ratione, uel retinere uel amplificare. Falsi illi testes, ut Isabellæ uxoris Achabi fauorem compararent, testimonium dicunt contra Nabothum: iudices iniustam sententiam proferunt. Herodes ne regno pelleretur, infantes Bethlehemiticos, & in his scribit Macrobius, proprium filium iugulat. Quàm temerè à principibus & mercenarijs militibus hodie bella suscipiũtur & geruntur? Quot sunt Iscariotici homines, qui Christianos accusant, ut bonorum uel minimam partem accipiant?

Os autem iustorum liberat eos.) Bifariam hæc sententia exponi potest. Primum, pij & sancti homines abhorrent ab innocenti sanguine, bonos defendunt & eruunt. Sic Acto. 5. cap. Gamaliel se senatui Hierosolymitano occidere uolenti Apostolos, opponit. Multi hodie quoq; in aulis principum pro Christianis intercedunt. Quin boni & si suam sententiam uident uincere non posse, tamen non adduci possunt, ut contra innocentes pronuncient. Deinde hic quoq; sensus esse potest, pios quia nemini maledicunt, sed utilia tantũ proferunt, iusto hominum iudicio liberari. *Adhæc os iustorum liberabit eos*, id est, impios conuertet ad Deum, & sic ab eorum iniquitatibus & pœnis eruet eos.

7 Vertendo impios, & non erunt.

Mũdus illos perpetuò beatos fore iudicat, qui omnibus rebus affluũt: cõtrà illos miseros, qui

qui rebus necessarijs destituuntur, licet obseruantes sint mandatorum Dei: at Deus impios euertet, ut subitò gloria ipsorum concidat, nec uestigia eorum ulla appareant. Vide Psal. 37. Exempla multa etiam recentia, hoc comprobant. הפך hapach uertere, conuertere, euertere significat, ponitur in Macor, *uertēdo impios uel euertere impios, & nō ipsi, uel non sunt.* Infinitiuus sæpe ponitur pro imperatiuo: hinc uulgata editio legit, *uerte impios.* Septuaginta οὗ ἐὰν στραφῇ ὁ ἀσεβὴς ἀφανίζεται, id est, quocunq; uertatur impius, deletur. Munsterus, *subuertit (Deus statum) impiorum.*

Domus autem iustorum perdurat.) Domus significat familiam: ut cum dicimus, domus Austriaca, Burgundica. Pij homines nullis procellis euerti possunt, fundamento enim Christo nituntur, Matthæi 7. Etiam omnibus fortunæ bonis exuti, perstant. Domus Saulis statim deleta fuit, Ionathani autem filij ipsius quem ille spurium contumeliosè uocabat, ad aliquot secula durauit, 1. Paralip. 9. Glossa hunc locum non ineptè Ecclesiæ accommodat, quæ domus sanctorum, & Dei dicitur. Etsi enim multis malis conquassetur, tamen Dominus eam conseruabit, etiam contra portas inferni. Nauicula Petri nunquam submergetur, Christum enim habet nauclerum.

Ecclesia nō euertetur.

8 Secundum intelligentiam suam laudabitur uir, peruersus autem corde, erit in despectionem.

Hæc sententia ostendit qui laudandi ac honorandi sint, qui minus. In conferendis honoribus iudicio & iusticia utendum est. Sunt qui hostes ueræ religionis, omni honorum genere prosequuntur, interim uerò pios homines negligunt. Reprehendit hoc uitium D. Iacobus in sua epistola 2. cap. Si ingrediatur, inquit, in cœtum uestrum uir aureum gestans annulum, ueste indutus splendida, ingrediatur & pauper in sordida ueste, dicitis diuiti, tu sede illic: pauperi uerò, tu sta illic, aut sede hic subter scabellum, &c. Sapiētes & bene meriti, ob suas uirtutes laudibus & honore afficiēdi sunt, turpes & praui non item. Celebratur Mardochæus, qui impium Hamanū contempsit. Si in epulo aliquo, uel pompa, sit uxor honesta uili habitu, & scortum bene excultum, honor habendus est probæ matronæ, reijciendum scortum. In distribuendis publicis muneribus idem est cogitandum, & in conferendis quibuscunq; beneficijs. Tametsi uerò hæc rarò fiant inter homines, Deus tamen incorruptè de bonis & malis iudicat, in nouissimo quoq; iudicio bonos à malis separabit.

Prudentes uiri honore afficiendi.

9 Melior est contemptus & seruus sibi, quàm se glorificans, *uel nobilis* egens pane.

Sententia hæc pronunciat contra ostentatores. Sunt homines qui de splendore suæ familiæ magnificè loquuntur, deq; rebus præclarè gestis bello & pace: sed si quis inquirat, res secus habet. Sunt qui suas opes ostentent, interim uix habent, unde latrantem stomachum placare possint. Athenæus scribit de paupere quodam ostentatore diuitiarum, qui cum unum duntaxat famulum haberet: tamen eundem uarijs nominibus uocabat, ut hospites existimarent eum plurimos habere. Præstat autem ut humiliter de teipso sentias, operi incumbas, & ita tibi ipsi inseruiendo, uitæ necessaria conquiras, quàm ut iactando natalium splendorem, famem patiaris. Quod si ex illustri familia natus es, uide ne macula sis generis: si opibus abundas, cogita in quem finem à Deo acceperis. Breuiter, talem te gere, ut alij potius te laudibus efferant, quàm tu teipsum.

Ostentatores.

10 Agnoscit iustus animam iumenti sui.

Vir iustus, hoc est, humanus & æquus etiam pecoris sui curam & rationem habet, dat ei pabulum, & aquatum ducit, quietem ei concedit, non onerat, aut impellit supra modum. Hanc phrasim, agnoscit animum pecoris sui, Luth. reddit, *miseretur pecoris sui.*

Deus etiam leges tulit, quibus pecudes nobis commendat. Præcipitur enim in Lege: Si uideris asinum lapsum aut prostratum sub onere, etiamsi fuerit inimici tui, eum releues, neq; dissimulando pertranseas. Item, si asinum uideris aut bouem errantem, & eorum dominum ignores, ad te colligas, quoad cognoueris ad quem pertineant. Præcipit Deus, ne os boui trituranti obligemus. Vult adhæc, ne quid operis iumenta faciant die sabbati, sed quiescant. Et quanquam hæ leges non propter bruta, sed ad hominum emolumentum latæ sunt, ut multa hinc discant, & ne damnum aliquod accipiant: tamen non uult, ut uis pecori inferatur. Phocylides hinc uidetur mutuatus esse hæc carmina:

Iustus non modò hominū, sed brutorum rationem habet.

μὴ κτήνους θνητοῖο βορὴν κατὰ μέτρον ἕλῃσι
κτῆνος δ' ἢν ἐχθροῖο πέσῃ, καθ' ὁδὸν, συνέγειρον. hoc est.
Ne auferas cibum iumenti mortalis, secundum mensuram,
Si uerò iumentum hostis ceciderit in uia, coalleua.

A minori ad maius colligere possumus, si uir humanus & æquus curam habet iumēti sui,

quantò magis seruorum, & aliorum, quorum opera & labore ad suum commodum utitur? Seuerè cautum est lege Domini Leuit. 19. Deut. 29. ne apud nos dormiat merces operarij. Quod de famulis & mercenarijs dicitur, multò magis de illis intelligendum est, quos accepta pecunia in mensa tua alere, & artem aliquam docere debes, item de uxore & liberis. Reperiuntur nō pauci ingenio tyrannico, qui sibi solis putant homines uiuere, aliorum sudores exugunt, non cogitantes quòd Deum habituri sint uindicem. Pastores quoq; Ecclesiarum hinc discunt suum quoq; gregem curare.

Impiorum uiscera crudelia.) Id est, affectiones impiorum sunt immites. Duri & feroces homines, pecorum quibus aluntur, curam nullam habent, scuticis impellunt, immodicisq; laboribus conficiunt. Hinc fit ut commodis illis, quæ ex pecoribus percipienda erant, sæpe sua culpa fraudentur. Ferè etiam comparatum est, ut qui animalia inclementer tractant, erga homines eadem inclementia utantur: seruos suos ut bestias tractent. Exemplum habes in Pharaone. Si fame multos confici uideant, nulla erga eos misericordia tanguntur. Si cognati, amici uel uicini moriantur, rident. Si in bellis & persequutionibus, homines, quibus etiam ferarū rabies parcit, iugulentur, nulla eis uel lachrymula excutitur. Quin etiam in uxores & liberos summam crudelitatem exercent. Prædixit autem spiritus Dei, nouissimis temporibus uenturos homines ἀστόργους. Mites homines & lenes, ne gallinam quidem lædunt.

11 Qui colit terram suam, saturabitur pane.

Agricultura. Hæc gnome promissionem continet, quòd illis qui honestum laborem exercent, necessaria non sint defutura. Per agricolationem omnes honestas artes intelligit. Illam autem idcirco uidetur ponere, quia (ut Cicero inquit, libro primo Officiorum) omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Apud omnes gentes in magno precio fuit uita rustica, quam diuiserunt in pastionem & agriculturam. Patriarchæ agricolæ fuerunt & pastores. Romani cum uirum bonum laudabant, bonum agricolam bonumq; colonum uocabant. Cincinnato aranti, oblata est dictatura. Multi duces Romani in agro uitam consumpserunt, quemadmodum posteris temporibus, multi principes monasteria ingressi sunt: quod tamen in eis non est probandum: non enim uocatio nostra temerè deserenda est. Priscam nobilitatem non puduit colere agros, spargere semina, tractare ligones. Quin ipse Christus patrem suum cœlestem, agricolam uel uinitorem uocauit. Ioan. 15.

Porrò notandum est, promissiones corporalium illarum rerum, semper conditionem habere adiunctam. Per allegoriam dicere possum, Qui agellum ingenij sui excolit, fructum percipiet.

Qui sequitur inanes, deficiens est corde.) ריקים rikim inanes, egentes, pauperes, hoc est homines perditos significat, qui nolunt laborare, sed subinde genio indulgent. 2. Sam. 6. cap. Michol exprobrat Dauidi, quòd non secus quàm unus ex uacuis, id est, stultis uel mendicis, se nudarit coram arca: qui se his coniungit est stolidus. Vel sensus est, qui sectatur res inanes, hoc est, non utilem & honestam aliquam artem, sed ματαιοτεχνίαν, quæ nihil habet quàm superuacaneum & uanum laborem. Qualis illius fuit, de quo scribit Quintilianus, qui ciceres ex spacio distante missas, in acum sine frustratione inserebat: quem cum spectasset Alexander, donasse eum dicitur eiusdem leguminis modio: quo præmio ostendit, non probandos qui omnem ætatem in rebus inutilibus consumunt. Legimus quosdam imperatores, funambulos, agyrtas, scurras, mimos, histriones, & alios, qui curiosas artes exercuerunt, submouisse ab aulis suis. Multò minus probandæ sunt κακοτεχνίαι, ut cum homines monopolijs, usuris, lenocinio & alijs uoluptuarijs artibus, opes parant. Quisq; honestum laborem diligere debet, quem bona conscientia exercere possit, quique utilitatem proximis afferat.

12 Desyderat impius rete *uel uenationem* malorum.

Studiū impiorum in persequendis pijs. מצוד mazud est rete, sagena: aliquando munitionem & propugnaculum interpretantur. Impij nihil habent antiquius, quàm ut retia quæ uaria habent, tendant hominibus, hoc est, uarijs artibus & insidijs, eos spolient opibus, in idololatriam & scelera eos pertrahant, uitam deniq; eis eripiant. Allegoria sumpta est à uenatoribus, aucupibus & piscatoribus. Ierem. 16. cap. minatur Deus, se populo suo immissurum milites, dicens: Ecce ego mitto ad piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: post hæc mittam ad uenatores multos, qui uenabuntur eos, de omni colle, & de cauernis petrarum. Hæc allegoria multa comprehendit. Venatores enim magno labore, die noctuq;, hyeme & æstate, occultè & manifestè feris insidiantur, inediæ & algoris patientissimi sunt: toto die per loca auia & abrupta aliquando,

Locus Ier. 16. cap.

Venatores.

quando, feras persequuntur. Cic. lib. 2. Tusc. Pernoctant uenatores in niue, in montibus uri se patiuntur. Deinde supra quàm cuiquam credibile sit, gaudent si feras in retia impellant, iocus & lusus eis est, multas prosternere & uenabulis transfigere. Inuenias piscatores & aucupes qui dicant, se maiorem uoluptatem percipere capiendis piscibus & auiculis, quàm comedendis. Piscium, si eos incidimus, nos non miseret. Præterea diligenter obseruant quæ sit ferarum, piscium & auium natura, quo tempore, loco, quibus instrumentis capiantur. Etiam astutissima animalia capiunt. Ita impij dies noctesq; de opprimendis pijs cogitant, nullis parcunt laboribus, gaudent si multos rogos ardere uideant, nulla erga pios misericordia afficiuntur. Obseruant quo pacto quisq; capi possit facilè, an blanditijs, an minis, an muneribus. Cum autem impios tales esse, omnium seculorum historia constet, & quotidiana experientia notum sit, magna cautione pijs est utendum.

Caietanus uertit, *desyderium impij laqueus malorum*, id est, quæ ab impijs desyderantur, laquei sunt hominum malorum, illaqueant enim eos, &c. Castalio reddit, *cupit impius quod uenantur mali.* Vide num hic quoq; sensus esse possit, Impius ita instituit suas res, ut uideatur expetere rete malorum, id est, ut cum malis capiatur. Nostri dicunt illum qui unà cum malis auibus uolarit, cum eis capi. Phocylides dicit:

πολλάκι συνθνήσκουσι κακοῖς οἱ συμπαρέοντες. “

Radix autem piorum dabit.) scilicet fructum. Tametsi impij contra pios nihil non moliantur: tamen pij florebunt, & nihilominus suo officio nequaquam deerunt. Imò eo magis suæ uocationi incumbunt, cum uident impios in rebus malis tam esse impigros.

13 Propter præuaricationes labiorum, laqueus malus.

Supple, paratus est, uel aliquid simile. Donum sermonis maximum est. Hoc ut intelligamus, mutos aliquando proponit nobis Deus. Quemadmodum uerò alia dona Dei, ad gloriam eius & salutem proximi conuertere debemus, ita etiam donum sermonis. Si homines lingua abutuntur, laqueus eis paratus est. Si concionatores non ueram, sed falsam doctrinam populo inculcent, uitia non insectentur, sed extenuent: Si magistratus eloquentiæ donum, ad labefactandum religionem & bonas leges, oppresionemque bonorum conuertant: si patresfamiliàs sermonibus suis, liberos suos, seruos & ancillas offendant: si alij quoq; ad blasphemias, mendacia, obtrectationes, contentiones, lingua sua abutantur: paratus est eis laqueus. Sæpe enim conijciuntur in carceres, trahuntur in forum & ad supplicia. Quod si pœnitentiam non agant, diaboli laqueis & catenis uincti, ad tartara præcipitantur. Nec solum sibijpsis, sed alijs quoq; laqueum sua lingua inijciunt. *Abusus sermonis.*

Iustus autem de angustia effugiet.) Qui linguam suam ita assuefacit, ut nihil loquatur, quàm quod ad Dei gloriam & proximorum salutem facit, emerget ex omnibus malis. Obijcis, nemo melius usus est lingua, quàm prophetæ, Apostoli & sancti martyres, tamen uarijs supplicijs affecti sunt. Respondemus, Extant multa præclara exempla liberationis sanctorum. Apostoli coniecti in carcerem, educuntur per angelos. Sic alij quoq; in hac uita, hostium insidias euaserunt: uera tamen liberatio est per mortem, quando liberati ab omnibus molestijs in æterna gaudia colligimur. Deinde quomodo corporalium rerum promissiones accipiendæ sint, sæpe admonuimus.

14 De fructu oris quisq; saturabitur bono, & retributionem manuum hominis, reddet ei.

Sensus est, Qui bene usus fuerit lingua & manu sua, fructum percipiet. Sic Isa. 3. legitur: Dicite iusto quòd bene habebit, quia fructum studiorum suorum comedet. Væ item impio malo, quia retributio manuum suarum fiet ei. Hunc locum & alios similes obijciunt nobis Papistæ ad asserendum meritum.

Non negamus nos, bonis operibus à Deo mercedem esse paratam, ac præmia tum præsentis, tum futuræ uitæ, pijs dari. Multi enim loci scripturæ hoc testantur: addimus tamen, hæc præmia non ex operum dignitate, sed tantum ex mera gratia Dei conferri. Vt ex gratia bona opera edimus: ita ex gratia illa ornantur præmijs. Præclara est illa Augustini sententia, in enarratione Psalmi 70. dicam omni homini nascituro: Nihil es per te, Deum inuoca, tua peccata sunt, merita Dei sunt: supplicium tibi debetur, & cum præmium uenerit, sua dona coronabit, non merita tua, &c. Huc quidam respiciens, inquit: *Merces bonis operibus parata.*

Nil Deus in nobis præter sua dona coronat. “

Interim tamen bona opera, etsi nos non iustificent, locum suum honestum habent in Ecclesia. Iniuria nos afficiunt qui dicunt, nos bonis operibus nihil tribuere.

15 Via stulti, recta est in oculis eius.

Stulti sunt φίλαυτοι. Huic prouerbio respondet illud Latinorum, Suum cuiq; pulchrum, &c. Stultus dicta, facta & instituta sua, omnibus alijs præfert. Virtutes alienas calumniatur, & sua uitia dissimulat. Quemadmodum de simijs refertur, quòd suos catulos, omniũ animalium turpissimos, tanquam formosissimos subinde exosculētur: sic stultus omnia sua miratur & ostentat, aliorum iudicia & consilia contemnit: adulatoribus uehementer delectatur. Scribit enim Aristot. lib. 2. Rhet. ideo homines plerunq; assentatoribus gaudere, quòd omnes sint φίλαυτοι. Stultus ueros amicos ferre nequit: odit enim reprehensiones. Si uerò in hominum cœtibus uersetur, idem ei accidit, quod inepto illi cytharædo, qui domi sibi placēs, cum in theatrum prodiret, propter ineptias explodebatur. Neq; uerò stulti in externis tantum, sed etiam in negotijs religionis sibi mirificè placent. Quia ipsi tinnitu nolarum, auro, argento, gemmis, preciosis uestibus, cereis & alijs huiuscemodi rebus delectantur, putant cultum Dei, his rebus constantem, Deo quoq; gratissimum esse. Stultitia tot electitios cultus in Ecclesiam inuexit. Sapiētes uiri orāt cum Dauide, Psal. 25, Vias tuas Domine demonstra mihi, semitas tuas doce me, &c. nō cupiunt facere quod sibijpsis, sed quod Deo probatur.

Qui audit consilium, sapiens est.) Sapientes homines, sciunt humanum esse falli, errare, labi, decipi: & hominem in propria causa, non semper bonum esse iudicem. Suspecta igitur habent sua dicta & facta, parati sunt peritiorum audire iudicia, & quotidie aliquid addiscere. (Non enim est turpe, ut uulgò dicunt, nihil scire, sed nihil uelle discere:) reprehensiones quoque æquo animo ferunt. Præcipuè uerò in causis fidei, consulunt uerbum Dei, consulunt pios & doctos homines: nihil temerè probant uel reijciunt. Hinc fit, ut dum alij exploduntur, ipsi in magna sint authoritate & precio.

16 Stulti in ipso die cognoscetur ira.

Stultus impotenti est animo: statim enim cum offensus est, ueluti olla feruens bullit, spumamq; eijcit, & sæpe ex calore iræ loquitur, cuius postea eum ualde pœnitet. Sunt quidam natura ἀκρόχολοι, quibus statim bilis mouetur. Illi igitur uideant, ut huic morbo idoneis remedijs occurrant, & linguam frenent. Theodoretus lib. 5. cap. 16. & 17. scribit seditionem fuisse *Theodosius grassatur in Thessalonicenses.* Thessalonicæ exortam, in qua magistratus aliquot saxis obruti sint: Theodosium, re cognita, immisisse suos milites, qui ad 7000. sontes & insontes interficerent. Ambrosius episcopus Mediolanensis, cùm hoc audiuisset, imperatorem aditu templi prohibuit, & cum eo expostulauit. Tandem imperator reconciliationem petijt, & suasu Ambrosij legem promulgauit, ut supplicia illorum qui capitis damnati essent ad 30. dies protraherentur, ut sedata ira imperatoris, sententiam capitalem reuocare posset. Meminit eiusdem rei Sozomenus lib. 7. cap. 24. Caue igitur ne ex iracūdia quid facias, quod postea mutatum uelles: interpone moram aliquam priusquam iratus aliquid dicas, uel facias.

At astutus celat ignominiam, uel cōtemptū.) ערום arum, astutus, callidus, μέσον est, in bonā enim *Prudentes uiri iniurias dißimulant.* & in malam partem sæpe accipitur in hoc libro. Homines prudentes, multas iniurias & contumelias, surda aure prætereunt, conuitia conuitijs non reponunt, tegunt iniurias sibi factas, Deo cōmittentes causam, & retinentes dilectionem, erga illos quibus iure uiderentur posse irasci & succensere. Cogitant multa quæ eos in officio retineant. Sic de Saule legitur 1. Sam. 10. cap. Cùm in regno cōfirmatus esset, quidam filij Belial eum cōtemnentes, dicebant, Num ille nos seruaret? sed Saul (qui primis annis bonus rex fuit) abijt quasi surdus, & reipsa declarare maluit, qualis esset, quàm uerbis. Cogitauit potius quid se deceret, quàm quid illi meritò audire debeant. Magistratus tamen quibus à Deo uindicta commissa est, possunt & debēt, exigēte necessitate, malos & seditiosos, siue paucos, siue plures, opportuno tempore, pœnis afficere. Exemplo nobis est Dauid, qui Ioabi & Semei pœnam distulit, & in commodius tempus reiecit: priuatis tamen hominibus ultio non est concessa.

Astuti homines dißimulāt iniurias ad tempus. Sin uerò ערום arum, in malam partem accipias, hic erit sensus: astuti homines qui læduntur, non statim produnt iram suam, nec dolorem maledictis testantur, sed dissimulant: præ se ferunt magnam erga illos humanitatem & beneuolentiā, à quibus læsi sunt, uel se læsos esse arbitrantur, interea uerò de ultione cogitāt, & omnem occasionem sese ulciscendi obseruāt. Exempla huius rei afferam. Absalomus, Amnoni, qui sorori stuprū intulerat, nihil loquutus est, sed expleto biennio ipsum peremit. Iustinus lib. 1. scribit, de Harpago (cuius filium Astyages rex Medorum in ultionem seruati Cyri nepotis sui interfecerat, & patri epulandum tradiderat) quod ad tempus dissimularit dolorem, interim uerò uindictæ occasionem quæsiuerit. Quàm historiam ideo libenter adduco, quòd non solum huius sententiæ, sed & pro*Cyrus.*uidentiæ diuinæ exemplum præclarum continet. Is enim est Cyrus, cuius nomen Isaias minimùm

nimùm 160. annis priusquam nasceretur, cap. 44. & 45. expresit. Vocat eum Deus pastorem suum, uel quòd ex pastore in regnum eum euexerit, uel quòd populum Dei, uelut pastor oues in patriam reduxerit. Quanquam reges etiam & principes pastores in scripturis dicuntur.

In historijs Græcorum & Latinorum multi leguntur iniurias ad tempus dissimulasse, sed tandem uindicasse. Non autem hæc idcirco à Salomone dicuntur, quòd probet uindictam in priuatis hominibus, sed ut cauti simus, nec cuiuis qui se nobis fauere simulat, statim credamus. Rectè dicit Euripides in Medea:

γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ᾽ αὔτως ἀνὴρ
ῥᾴων φυλάσσειν, ἢ σιωπηλὸς σοφός.

Hoc est, Mulier subitò excandescens, sicuti & uir facilius caueri possunt, quàm sapiens bilem dissimulans silentio. Seneca dicit:

Ira quæ tegitur, nocet:
Professa perdunt odia uindictæ locum.

17 **Loquetur ueritatem, annunciabit uel *indicabit* iusticiam: testis autem mendaciorum, fraudem.**

De testibus pronunciat hæc sententia. Iustus testis (hoc enim subintelligendum esse, ex posteriore membro colligitur) loquetur ueritatem, dicet quæ iusta sunt, nemini faciet iniuriam: testis autem mendax, dolum.

Discendum est ex hac sententia, ut iussi testimonium dicere, simplici ueritati studeamus, maximè si de capite alicuius agitur, & iusiurandum nobis datur. Sed de testibus aliàs. הפיח hepiah, in Hiphil significat cum spiritu, id est, audacter loqui aut agere: respondet illi uerbum παρρησιάζειν, apud Græcos.

18 **Est qui temere profert, ueluti confossiones gladij.**

Homines futiles, sibi, suis & alijs magnorum malorum sunt authores. Quoties loquuntur propter quæ postea malè tractantur? Quoties animas cognatorum, illis loquentibus, gladius penetrat? Quoties uerba proferunt, quæ in perniciem aliorum tendunt? Non enim manu tantum proximi occiduntur, sed etiam lingua, idque uarijs modis: nempe consilio, mandato, sententia, proditione, falso testimonio. Deus linguam specie gladij esse uoluit. Lingua eorum dicit Dauid Psal. 58. gladius acutus, & uenenum aspidum sub labijs eorum: & mox sequenti, Exacuerunt ut gladium linguas suas. Apud prophanos scriptores passim legitur de maledicis & calumniatoribus, uerbis proscindere: & gladium in ore dicitur gestare, qui ut Horatius scribit, sit

Multi per iugulũ reditura loquuntur.

Quælibet in quemuis opprobria fingere sæuus.

Eloquentia ipsa gladio comparatur. בטא bite inconsyderatè pronunciauit, temere effutijt, particip. præsens cum he, pro aleph.

At lingua sapientum, sanitas est uel medicina.) Sapientes homines innocentes defendunt, omnia in meliorem, si honestè possint, partem interpretantur: lenire uulnera uitiorum, & sanare, non occidere alios student.

19 **Labium ueritatis, firmum erit in perpetuum: lingua autem mendacij ad momentum.**

Sensus est: Veraces semper sibi constant, apta inter se & cohærentia dicunt, rem eandem non modò sic, modò aliter narrant. Vani uerò & mendaces, obliti eorum quæ prius dixerunt, modico interuallo pugnantia loquuntur, aut aliquid addunt aut detrahunt suis dictis: & hoc pacto à prudentibus plerunq; deprehenduntur. Hinc dicitur prouerbio, Mendacem memorem esse oportere. Lactantius lib. 5. cap. 3. dicit, hanc esse mendaciorum naturam, ut cohærere non possint, &c.

Vel hic sensus esse potest: Homines ueraces, firmi erunt & stabiles: ueritate liberabuntur, mendaces uerò ad momentum, id est, ad breue tempus, euertentur & peribunt. Multi enim mendacijs rem suam uolunt conficere.

Est & hæc idonea interpretatio: Veritas manebit in perpetuum. Etsi ad tempus altissimis tenebris oppressa uideatur, ac, ut Democritus philosophus dicebat, in altissimo puteo demersa latere: tamen temporis progressu proferet se, τὸ ἀληθὲς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον. Mendacium uerò non diu poterit se pro ueritate uenditare, sed citò detegetur. Sic Paulus 2. Timoth. 3. cap. dicit, amentiam pseudoprophetarum euidentem omnibus fore, quemadmodum magorum Pharaonis. Sic Deus omnibus seculis Papatus turpitudinẽ detexit, & ueritatem Euangelij asseruit. Huc pertinent pulchra illa uerba Cypriani, lib. 1. epist. 3. ad Cornelium: Hæc est

Veritas laborare potest, extingui non potest.

Cypriani egregia uerba.

uera dementia, non cogitare nec scire quòd mendacia non diu fallant: noctem tam diu esse, quàm diu illucescat dies, clarificato autem die & sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare, &c. Veritas à ueteribus, temporis filia dicta fuit. Apud Græcos etiam extat hic senarius prouerbialis:

ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Xenophon χρόνον uocat ἀληθέστατον. Nemo itaq; in gratiam hominum dogmata fidei corrumpere, & quæ bene antè docuit reuocare debet, aut fucatas conciliationes quærere. Etsi iam nulli sint, semper tamen Deus aliquos excitabit, qui puriorem doctrinā asserant. Veritas uerbi Dei, manebit in æternum.

Quod linguam Hebræam attinet ארגיעה argiah momentum, exiguum tempusculū significat. Rabi Dauid in lib. radic. interpretatur, *In seculum quiescere faciam, uel succidam linguam mendacij, ne amplius loquatur.* רגע raga enim scindere & quiescere significat: in Hiphil, facio scindere & quiescere. Deus per Ierem. 31. cap. uaticinans de occasu regni Babylonici, inter alia hoc uerbo, ut quiescere faciam terram: omnibus enim molesti fuerunt Babylonij. Targum, *& testimonium acceleratum est in lingua mendacij.* הרגיע hirgia quidam interpretātur, præcipitauit, citò uoluit. Vulgata editio legit, *testis repentinus*, hoc est, qui temerè se ingerit ad dicendum testimonium. עד, significat testem & seculum.

20 Dolus est in corde machinantium malum, & gaudium apud eos qui consultores sunt pacis.

Magna est inter consultores differentia: sunt qui cupiunt rem suam conficere: qui nolunt uenire in periculum: qui neminem uolunt offendere: qui odium & affectus suos explere uolunt: illorum corda fraudibus plena sunt, ac stimulis conscientiæ cruciantur. Qui uerò ueræ paci consulunt, perpetuum gaudium sentiunt.

21 Non accidet iusto ulla iniquitas.

Sensus est, non inferetur ui iusto ullum malū: uel, non occurrit iusto ulla iniquitas, uel mœror. Impij bonis mala inferre non possunt, nisi Deo ita uisum fuerit. Nam quemadmodū carnifices, homines sceleratos antè non possunt interficere, quàm à magistratu damnati sint capitis, nec nisi hora præscripta, neq; alio supplicij genere, quàm quod decretum est: ita impij, bonos, nisi uolente Domino, non possunt è medio tollere. Non ergo est quod nimis sint anxij, sibiq; miserè metuant.

Impij autem pleni sunt malo.) Culpæ, ut uocant, & pœnæ. Tota natura in eorum perniciem armata est. Prouerbio dicitur, uirum improbum, uel mus mordeat: item, uel capra mordeat nocentem.

22 Abominatio Domini sunt labia mendacia: qui autem student ueritati, placent ei.

Et hæc sententia digna est quam non modò pueri, sed omnes homines, sedentes & ambulantes, uigilantes ac dormientes meditentur. Nemo est qui non cupiat Deum habere propitium, ueritati igitur in dictis & factis studeat: nemo non horret iram Dei, caueat igitur sibi quisq; à mendacio. Nam cum Deus ueritas ipsa sit, non potest non abominari mendaces. Inprimis autem concionatores, qui ministri ueritatis esse debent, mendacium refugiunt.

23 Homo astutus operit scientiam.

Prudentes celant alios res suas.

Non absimilem sententiam sup. 16. uersu habuimus. Vir sapiens qui aliquid intelligit & nouit, id non iactat nec ostentat: sed semper cogitat quid dicere conueniat. Plura cogitat audienda esse, quàm loquenda. Idem facit in alijs quoq; rebus: si opes ingentes possidet, si magna facinora edit, non ostentat. Si quid laude dignum facere instituit, non aperit, ne quod impedimētum obijciatur. Si astutus accipiatur in malam partem, pro callido, talis etiam celat scientiam suam, sed in alium finem quàm sapiens.

Stulti sunt ostentatores.

Cor autem stultorum, proclamat stultitiam.) Stulti homines subinde gloriātur de illis quæ sciunt, quæ gesserunt, quæ habent: nonnunquam etiam de illis quæ nesciunt, quæ non fecerunt, quæq; non habent. Quemadmodum uasa inania magis tinniunt: ita homines uacui prudentia, & sic stultitia eorum omnibus fit manifesta. Quin ob res turpes nonnunquam sibi mirificè placent. In omnibus conuenticulis hominum, seipsos immodicè laudant. Nec solum uerbis, sed factis quoq; suam stultitiam effundunt, luxuriosa conuiuia instruunt, sumptuosè uestiti incedunt, ut nobiles & diuites uideantur, &c.

Discant omnes, præcipuè iuniores, ex hac sententia, uirtutem silentij, ne suum, de rebus quas ipsi ignorant, iudicium interponant: sed prius loqui discant, quàm loquantur: deinde, ne insolenter glorientur. Hoc non tantum sacræ literæ, sed etiam ciuilis prudētia nos docet.

Socrates

Socrates interrogatus quomodo quis sapiens fieret,duo præcepta ipsi dedit: unum,ut taceret sæpius quàm loqueretur:alterum, ut loqui disceret. Vulgus nostrum rectè dicit,illos qui loqui nesciunt,silentio ualde ornari.

24 Manus sedulorum dominabitur.

In comparandis & possidendis opibus, sæpe multumq; Deum offendimus. Nam semper metuimus, ne rebus necessarijs destituti, fame pereamus, & quò sepulchro uiciniores sumus,eò magis attenti sumus ad rem. Accedit aliorum exemplum,qui per fas & nefas opes congerentes,in magno sunt precio. Salutis quoque nostræ aduersarius,tentare nos non desinit. Itaque spiritus S. in sacris literis de opibus rectè comparandis, deq; earum usu non rarò loquitur. Hoc loco aliquot sententijs ostendit, honestis laboribus, non dolis & fraudibus esse colligendas. Strenuos & acres uel sedulos uocat, qui suam uocationem sequuntur & proximos suos non grauant:illi dominabuntur, hoc est,opes magnas acquirent: digni quoq; iudicabuntur,qui propter industriam & uitæ probitatem,alios gubernent. Æquum enim est,ut seduli homines in ignauos imperium habeant. Quomodo illi qui suæ domui præesse non possunt,pręessent Reipublicæ? Belli quoq; tempore,qui strenui sunt,superiores erunt,ignaui uerò uincentur & alijs uectigales erunt. ideo subijcit: *In colligendis opibus sæpe peccamus.*

Quæ autem remissa est (uel dolosa) erit tributaria.) Tantum abest ut homines desidiosi,& qui dolis atq; fraudibus proximos suos circumueniunt,opes consequantur,ut quas habuerunt,turpiter amittant,atq; ad summam sæpenumero paupertatem redigantur. Deus enim suam benedictionem huiusmodi hominibus conferre non uult. Homines quoq;, fraudulentos illos odio habentes,dehortantur alios, ne cum eis quicquam habeant commercij. Fit etiam ut quales in alios sunt,tales in se uicissim alios experiantur, ac tandem cogantur crudelibus dominis seruire, qui eorum opera ad abiectissimas quasque res abutuntur. Quanta tyrannide premuntur,quibus negocium est cũ usurarijs? quàm indignè tractãtur, qui militatum abeũt?

מַס Mas non tributum modò & uectigal significat, sed etiam dissolui & liquefieri: hinc Caietanus uertit, *Dolus erit ad liquefactionem*: ut sit sensus, dolo parta non diu durare,sed instar niuis uel glaciei,calore liquefactæ & dilapsæ,diffundi. Per allegoriam, Qui fortes sunt dominatum tenent: qui non strenuè affectibus suis resistunt, tandem in seruitutem eorum redacti, diabolo tributum conferent. *Allegoria.*

25 Solicitudo in corde hominis, opprimit ipsum: at uerbum bonum exhilarat ipsum.

Vix alia res ita mentes nostras deijcit, ac solicitudo & mœror. Homerus Odysseæ τ. etiam dicit: *Curæ mortem accelerant.*

αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Hunc uersum Hesiodus repetijt. Infrà quoq; cap.15.uersu 13.& cap.17. uersu 22. dicit,spiritum consternatum exsiccare ossa. Multa autem tristia in uita homini accidunt,quæ solicitudinem & mœrorem ei incutrere possunt: ueluti morosa uxor, maritus prodigus,liberorum tristes casus, morbi, paupertas, &c. At si quis in illis ærumnis secum perpendit,hæc omnia à Deo patre nobis in salutem immitti, & exempla sanctorum intuetur, læticiam concipit. Est enim sacra scriptura officina quædam consolationum:inprimis uerò lectio Psalmorum,miseris & afflictis utilis est & salutaris. D.Paulus ad Rom.15.cap. Quæcunq; præscripta sunt, inquit, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Conscientia scelerum ualde premuntur homines: sed uerbo Euangelij erigi possunt. Sunt qui insomnes ducunt noctes & mœrore conficiuntur,cum tantam Rerumpub. & Ecclesiæ corruptionem, & mala imminentia considerant. At si cogitant,omnia iusto Dei iudicio gubernari, lætantur, suum faciunt officium, & omnem euentum Deo committunt.

Quidam confessioni auriculari hunc locum accommodant,dicentes,peccatorem se coram Deo humiliare per contritionem, postea confiteri sua peccata sacerdoti, qui præscripta satisfactione eum à peccatis absoluat. At confessionem hanc auricularem non à Deo institutam,sed ab hominibus, miseris illis temporibus, quibus uera doctrina ceciderat, inuentam esse & excogitatam, alibi explicatur. *Confessio auricularis.*

26 Excellit iustus proximum suum, uia autem impiorum seducit eos.

Sensus est, Pauper iusticia præditus, diuiti malo longè antecellit. Præclara enim res est iusticia,quæ omnes alias uirtutes in se complectitur. Si iustus exiguas opes possidet, excellit opulentissimos quosque,qui in parandis opibus dolis & fraudibus usi sunt. Præstat obolum bona conscientia parare, quàm florenum fraudibus. Breuiter, iustus omnibus rebus

impio excellit, est ditior, honoratior, &c. animo etiam est contento rebus præsentibus.

His uerbis auari homines fidem nõ adhibent, sed noctes diesq; de diuitijs per fas nefasq; cumulandis cogitant: uia eorum, hoc est, mores, instituta & consilia seducunt eos: uolunt opes parare, & sæpe quas antè habuerunt amittunt, uel si fluxas has & temporarias consequantur, æternas amittunt. Ineunt secum interdum hanc rationem: Si opes magnas congessero, asiduè audiam sacras conciones, largas faciam eleemosynas, pœnitentiam agam de admissis sceleribus, non degam amplius in illis locis, in quibus Euangelium audire non conceditur: sed & hæc uia eos seducit, sibi non bene consulunt. Infensissimi eorum hostes, peius cõsilium eis dare non possent. Maturè enim pœnitentia agenda est.

Quidam hunc sensum asignãt, ut tacitæ obiectioni respondeat. Si dixerit quispiam, si excellentior est iustus proximis suis, cur illi in uijs eius non ambulant? eò, inquit, quòd uia impiorum prosperatur in hoc mundo: ideoq; illi uiam eorum ingrediuntur, relicta uia iusti.

27 Non aduret fraudulentus aucupium (*uel uenationem suam.*)

רמיה Remijah, dolus, hoc est dolosus, fraudulentus, per metonymiam: alij reddunt remissum. Rabi Ioseph Kimhi morem fuisse scribit, ut aucupes auium captarum alas adurerent, ne auolarent, utq; emptoribus pulchriores apparerent, non detruncatis alis, sed paulum adustis. Et quemadmodum aues quarum alæ non sunt adustæ, citò auolant: ita diuitias fraude conquisitas statim perire. Sed quæ de more ueterum scribit, ridicula sunt & stulta. Simplex hic sensus est, dolosus non consequetur opes: nec eis fruetur, etsi sibi comparet. Allegoria sumpta est à uenatoribus, piscatoribus uel aucupibus. Venatores sæpe feram aliquam diu persequuntur, sed non capiunt: captam aliquando canes comedunt. Piscatores interdum die noctuq; laborantes, ut opiparam habeant cœnam, nihil capiunt: aut priusquam pisces igni admoueant, à catis uorantur. Aucupes insidiantur interdum auiculis, sed nihil capiunt, aut si capiant, tamen priusquam eas uerubus infigant, uel ad expurgandum pennis, igni admoueant, auolant, aut ab alijs rapiuntur. Ita dolosi homines, prædam uel uenationem suam non assabunt, hoc est, opes uel non assequentur, uel illarum, quas uarijs aucupijs consecuti sunt, usum & uoluptatem nullam percipiẽt. Heluetij quoq; prouerbio dicunt, Verbraads nit, ne nimium assaueris: quoties ostendere uolunt, aliquem non assequuturum quod petit, sed frustrandum sua spe.

Dolosi homines ex opibus nullã utilitatem percipient.

Substantia hominis preciosa seduli.) Est hypallage secundum R. Dauid in lib. radicum. Est enim constructio: *Et substantia hominis sollicitj preciosa.*) scilicet est. Et sunt, inquit, qui dicunt esse nomen substantiuum, ut sit sensus: *Preciosum quod inter opes hominis est.*) חריצות hacharizuth, id est, *solicitudo.*) Et iuxta hoc Santes se uertisse dicit, *Et diuitiæ hominis preciosæ, est solicitudo.*) ut sit sensus, qui piam solicitudinem & diligẽtiam adhibet, ut labore honesto res paret, & tantum ad necessitatem eis utatur, magnas habet opes. Sic Cicero dicit, Parsimoniam magnum esse uectigal. Simplicior huius loci sensus uidetur: opes hominis preciosi, id est iusti uel strenui sunt aurum preciosum uel opes preciosæ. Iusti & seduli homines, opes legitimis uijs & rationibus parant, nempe labore & industria, propterea stabiles sunt, & maximis aliorum thesauris anteponendæ. Vox חרוץ charuz, quæ paulò superius etiã ponitur, ambigua est: nam strenuum & acrem, item aurum contusum & preciosum significat.

Opes hominis soliciti & industrij preciosæ sunt, & fructuosæ possessori.

28 In semita iustitiæ, est uita.

Finis iustitiæ indicatur. Satan iniustis multa promittit, iustos uerò multis rebus terret: sed firmum hoc est, quòd illi qui iustitiæ dant operam, in hac uita fortunati sunt & felices. (Vita enim in scripturis uitam prosperam significat.) Iustitia uerò Christi, quæ nobis communicatur per fidem, æternam quoq; uitam consequuntur.

Et uia semitæ eius, non (est) mors.) Per hanc ipsam uiam incedentes, non morientur. Per mortem omnes res tristes & aduersæ significantur. Iustis omnia in bonum cedent. Deinde non morientur, morte animi & æterna morte. Mors corporalis omnibus adeunda est: sed mortem hanc, uita beata & æterna consequitur. Hæc utraq; manu, contra huius mundi corrupta iudicia tenenda sunt.

Mors quid.

CAPVT

CAPVT XIII.

1 Sapiens filius (*audit*) disciplinam patris.



FILII qui patris sui eruditionem & disciplinam non aspernantur: sed ultrò interrogant quid facere, quid omittere eos oporteat, & correctionem quasi à Deo profectam recipiunt, sapientes euadunt. Patrem nominat, sed matrem non excludit, & alios qui sunt loco parentum, quales sunt consanguinei & affines, tutores, magistri & præceptores, senes, concionatores, magistratus, &c.

Ad uerbum, *Filius sapiens (est) disciplina patris.*) quia in filio sapiente relucet patris uel doctoris sui disciplina: sæpe etiam tantos progressus facit, ut sapientior fiat patre, & sic doceat eum. *Irrisor autem, non audit increpationem.*) Multi filij, parentum uocem non audiunt auditu mentis, sæpe quoq; exteriorem auditum auertunt: sed eos ludibrio habent. Tales filios lex Dei Deut. 21. iubet lapidari. Ad uerbum est, *non audiuit*, quod etiam in priori parte subintelligi potest, ut sit sensus: Si quis sapiens est, intelligitur fuisse in disciplina patris, si irrisor, defuisse ei disciplinam, aut eum non audiuisse. Disciplinæ receptæ uel neglectæ, maximi sunt effectus. Docet hæc sententia, quodnam officium sit parentum & liberorum. Parentes filios suos erudire & docere debent, nempe religionem, bonos mores, honestas artes: deinde corrigere: quod partim uerbis fit, partim uerberibus. Liberorum est parentibus obedire: de quo à principio cap. 10. plenius dictum est.

2 De fructu oris unusquisque comedet bonum: anima autem præuaricatorum, iniuriam.

Scilicet comedet. Sensus est: Qui lingua sua rectè utuntur, utilitatem percipient, qui autem cōtra præscriptū uerbi Dei ea utuntur, & alijs iniuriam inferunt, pœna afficientur. Præcipuus autem linguæ usus est, ut Deum celebret, & alios in Dei cognitionem perducat. Danielis 12, Doctores splendebunt ut splendor firmamenti, & qui multos ad iusticiam adducunt, ut stellæ sempiternis temporibus. Qui locus non tantum de ministris ecclesiæ: sed omnibus etiam alijs intelligendus est, qui proximos suos erudiunt. Anima uerò quæ Deum contemnit & proximum contumelijs afficit, fructum labiorum suorum iniquorum dignum percipiet. Similem sententiam præcedenti cap. uersu 14. habuimus. *Linguæ bonæ utilitas.*

3 Custodiens os suum, custodit animam suam.

Qui continentis est linguæ, custodit animam, hoc est, uitam suam, atque adeò ipsam animam. Insidijs inimicorum non ita est expositus, quemadmodum illi, qui quiduis effutiunt. Docet linguam omnibus diligentissimè esse continendam.

Qui distendit labia terror (uel cōtritio) *ei.*) Scilicet, erit. Nunquam securus esse potest, semper metuendum ei est, ne ab illis quos læsit in ius trahatur, ne mulctetur, infamis fiat, uel confodiatur. Etsi uerò tribunal humanum ei formidandum non sit, nondum tamen Dei tribunali se subtraxit, coram quo, de ocioso etiam uerbo, rationem reddet, Matth. 12.

4 Appetit piger, & nihil habet anima eius.

אוה Auah, auet, expetiuit, desiderauit: in hithpael התאוה hiteauah, concupiscere fecit se, Er hat sich lassen gelusten. Hæc sententia contra uana hominum uota & desideria pronunciat. Volunt & non uolunt pigri: uolunt finem, sed media, ut uocāt, ad finē consequendā nō uolunt amplecti: uolunt regnare cum Christo, sed non cum eo pati. Multi optant opes, gloriam, sapientiam & alia huius generis, interim tamen uiam ueram non ingrediuntur, per quam hæc consequi possent. Nicolaus de Lyra in suis commentarijs, illos homines cattis comparat, qui pisces quidem optant, aquam uerò ingredi nolunt. Sic illi detrectant industriam, laborem, molestias, sine quibus illa comparari nequeunt. *Vota uana.*

Anima autem sedulorum, impinguabitur.) Strenui & seduli homines affluent rebus, & uotorum fient compotes. Votis per se nihil efficitur, manus operi admouenda est. Rectè dicit M. Cato apud Salustium: Non uotis neq; supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur: uigilando, agendo, bene consulendo, prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te atq; ig[...]uiæ tradideris, nequicquam deos implores: irati infestiq; sunt, &c.

Euripedes in Electra.

ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,
βίον δύναιτ᾽ ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου.

Vide cap. 14. uersu 23.

5 Iustus odit uerbum mendax.

Iustus uerba uel res mendaces & iniquas, odio habet: simplicitatem & integritatem amat. *Impius uerò fœtere faciet, & pudore afficiet.*) באש Baasch computrescere, fœtere. Sensus est,

impius putridum se turpemq; præbet. Sic Iacob Gen.24. dicit filijs suis Simeoni & Leui, qui contra datam fidem Sichemitas oppresserant: Fœtere fecistis me: hoc est, abominabilem & contemptum reddidistis. Exod.5. populus Israelis cum Mose & Aarone expostulans dicit: Fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis: ubi dicendum uidetur, in naribus, quæ odorem sentiunt: sed est sensus, ut nos uidere nolit: homines enim abominantur rem fœtidam, cum eam aspicere nolunt. Hoc igitur dicit, *Impius putrescere uel fœtere faciet.*) scilicet, se: hoc est, ingratus erit omnibus bonis. Et profectò à cōsuetudine impiorum magis abhorrendum erat, quàm leprosorum uel laborantium morbo Neapolitano, aut illorum qui grauem halitum efflant: hi enim corpus tantum inficiunt, illi uerò animam.

Vel fœtere faciet, scilicet alios, lædit famam aliorum, uoce & scriptis, ut sæpe pessimi uideantur, qui boni sunt & pij. Erubescere etiam facient cùm se, tum alios. Sæpenumero enim mendacij arguuntur: nihil adhæc eis est iucundius, quàm si alijs possint pudorem incutere. חפר chapar erubescere significat, in hiph. facio erubescere.

6 Iusticia conseruat integritatem uiæ.

Vel perfectum & immaculatum uia, id est, eum cuius uia est perfecta & immaculata. Etiamsi undiq; pericula immineant pijs, tamen à iusticiæ tramite, neq; minis neq; promissis, neq; aliorum, quibus multum tribuebant exemplis, se auocari sinunt. Iusticia integrum in uia conseruat: etiamsi uerò interdum à uia deflectat, mox tamen Deo duce reuertitur.

Impietas autem peruertet peccatum.) סלף Salaph peruertere. R. Kimhi dicit, *Peruertet peccatum.*) id est, uirum peccati, uel peccatorem. Targum uertit, *Et impietas migrare facit propter peccatum suum.*) Vel peruertit uiam uiri, & inducit illum ad peccandum. Quidam uertit, *improbitas deflectit ad erratum.*

7 Est qui se diuitem facit, & non (*habet*) quicquam: est qui se pauperem facit, & diuitiæ multæ (*sunt ei.*)

Multi inopes opes ostentant. מתעשר Mitheascher est participium hithpael, faciens uel ostentans se diuitem, &c. Annotant periti linguæ, uerba in hithpael aliquoties fictionem seu simulationem notare, simulauit se diuitem. Germani dicerent, Er schrybt sich rych. Multi in uestitu, conuiuijs, & alijs huiusmodi rebus, opes ostentant, cum tamen domi nihil habeant. Ostentatorem diuitiarum Alexis apud Athenæum lib. 6. eleganter πλουχαλάζονα uocauit. Econtrà multi diuites, simulant se pauperes esse, uili habitu incedentes. Sciūt enim diuites exosos esse, nolunt magnos facere sumptus: metuunt præterea, maximè qui sub tyrannis degunt, ne prædæ fiant. Exponitur etiam ad hunc modum: *Est qui se diuitem facit, & non habet quicquam.*) Reperias homines, qui modico, quod quasi nihil est, contenti sunt, ideoq; sunt diuites in summa egestate. Vulgo enim dicitur, illos qui cōtēti sunt suis rebus, opulentos esse. Sic Paulus dicit ad Col.4, Vbiq; & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abūdare & penuriam pati. 2. Cor. 6, Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Econtrà, *Est qui se pauperem facit, & diuitiæ multæ sunt ei.*) Etsi magnos opum cumulos habeat, est tamen, ut Horatius dicit, magnas inter opes inops: præsentibus enim non contentus, plura semper appetit: cum opibus etiam crescit studium pecuniæ, idemq; ei accidit quod hydropicis. Sic Alexander domita Asia interrogat, an non plures sint mundi. Hinc Iuuenalis: *Semper auarus eget. Horatius.*

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Adhæc partis opibus uti non audet, & ita in abundantia rerum fame & siti perit.

Plautus in Aulul.

„ Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit,
„ Quos Harpagonas, Harpyas & Tantalos
„ Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
„ Et sitibundos in medio Oceani gurgite.
„ Nullæ illis satis diuitiæ sunt: non Midæ,
„ Non Crœsi, non omnis Persarum copia
„ Explere illorum Tartaream ingluuiem potest.

Quod de diuitijs temporalibus dicitur, spiritualibus quoq; potest aptari. Sunt qui diuitias suas spirituales iactant, interim tamen egeni sunt: multa dicunt de fide sua & constantia, sed postea etiam priusquam appareat periculum, ostendunt se fide uacuos fuisse. Econtrà, multi non gloriantur de sua fide, & multis suspecti sunt, quasi parum rectè de fide sentiant, sed postulante necessitate fidem suam & charitatem proferunt. Sic multi se doctos esse simulant, cum reuera in doctissimi sint.

8 Re-

8 Redemptio (*uel precium*) animæ uiri, diuitiæ eius.

Diuites multas habent prærogatiuas in hoc seculo: in bello quando alij occiduntur, ipsis parcitur ut se redimant, in peste possunt cœlum mutare, in charitate annonæ possunt ipsi cibũ sibi comparare: si inhonestam cædem uel furtũ faciant, &c. semper patronos suos δωροφάγυς inueniunt, qui suffragium ad priuatum commodum ferant. Hinc Anacharsis, leges aranearum telis similes esse dicebat, in quibus animalcula leuiora hęrent, fortiora perrumpunt. Fit tamen diuino interdum iudicio, ut hæc adminicula diuitibus non prosint.

Caietanus alium sensum profert: Homo æstimatur secundum diuitias suas, si magnas habet opes, magno est in precio. Horatius Saty. libro primo:

At bona pars hominum decepta cupidine falso
Nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas, sis.
Et Iuuenalis Saty. libro 3.
Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,
Tantum habet & fidei.

Latini inter prouerbia numerant, Quantum habet quisq;, tanti fit.

Et pauper non audit increpationem.) Hoc est, paupertas quoq; sua habet commoda: pauperes enim minus calumnijs & iniurijs sunt expositi, quàm diuites. Feriunt, ut inquit ille, summos fulmina montes. Et uenti excelsas arbores deijciunt, frutices non item. Si alijs non largiantur quod petunt, nõ possunt increpari, nam ipsi nihil habent. Prouerbio dicitur τοῖς ὐδὲν ὖσιν, ὐδὲ εἷς ὅλως φθονεῖ, hoc est, illis qui nihil sunt, nemo prorsus inuidet. In Dei etiam iudicio, non increpabitur ut auari diuites, quòd proximos non subleuarit opibus suis.

Hęc ad alia quoq; transferenda sunt. Nam ut nullum bonum est temporarium, quod non malum suum, ita nullum temporarium malum, quod non bonum suum adiunctum habeat. Si publico munere fungeris, habes cõmoda quædã, sed etiã multa pericula & curas: si priuatus sis, habes quod te cruciat, interim tamẽ quædã cõmoda. πολυτεκνία habet quædã cõmoda & incõmoda: sic orbitas quoq;, eloquẽtia & infantia. Idẽ sentiendũ de quibusuis alijs rebus.

Eleemosynis non expiantur peccata.

Clemens Alexand. pædagog. lib. 3. cap. 7. & alij primum membrum huius sententiæ, ita exponunt: Si diuites diuitias suas in eleemosynam expendant, redimere animam suã. Quod quidã intelligunt, quasi eleemosynæ nostræ sint propitiatio & satisfactio nostra coram Deo. Quæ sententia toti scripturę aduersatur. Paulus enim per totam epist. ad Rom. probat multis argumẽtis, per solam gratiam, in fide Christi nos iustificari & saluari, operibus adimit rationem meriti. Si opera nostra merentur remissionem peccatorum, sequitur Christum frustra mortuum, Gal. 2. cap. Quod obijciunt Dan. 4. cap. consulere Nabuchodonozori ut peccata sua iusticia redimat, & iniquitates suas eleemosynis pauperum: hunc habet sensum, Quemadmodum pauperes hactenus afflixisti: ita deinceps te eorum misereat: uel per peccatum intelligit pœnas temporarias, quæ interdum beneficẽtia mitigantur aut auertuntur. Locus ille Luc. 11. ca. Date eleemosynam, & omnia munda erunt uobis, Ironiam habet: reprehẽdit enim peruersam hypocritarum opinionem, qui putabant se mundos esse, si largiores eleemosynas facerent. Verba Luc. 16. ca. Parate uobis amicos ex mammone iniusto, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula: non hunc habẽt sensum, quòd uita æterna eleemosynis aut alijs operibus redimatur. Eleemosynæ enim illorum qui fide carent, Deo non sunt gratæ. Quicquid nõ fit ex fide, peccatũ est, Rom. 14. Fidelium uerò eleemosynas & alia opera, Deus accepta habet, & mercede dignatur. Idem dicendum de loco Pauli 1. Tim. 6. ubi scribit, ut diuites admoneat de eleemosynis in pauperes, ut reponant sibi in futurum bonum fundamẽtum, & uitam æternam percipiãt. Notandum quod dicit, diuitiæ eius, uel proprię, hinc enim colligit D. Hieronymus in Isa. 58. cap. & Ezech. 18.

Posterius membrum huius gnome, etiam hoc modo, meo iudicio, posset exponi: *Pauper non audiuit increpationem.*) hoc est, causa paupertatis etiam est, si quis increpationem respuat: multi enim si increpationem suorum non aspernarentur, ocio & pigritiæ non sese dederent, sed honesto labori incumbentes, paupertatis incommoda uitarent. Sic in prima sententia huius capitis dixit, Irrisor non audiuit increpationem: hoc est, quia increpationem non audiuit, irrisor & stultus euasit. Mox etiam uersu 18. dicit: egestatem eum comitari, qui se disciplinæ subtraxerit. Castalio reddit, *Pauper non obiurgatur, sed punitur.*) Caietanus hanc affert expositionem, pauperem usq; adeò pro nihilo haberi, ut uix ad audiendam increpationem, nedum alia negocia admittatur.

9 Lux iustorum lætificat.

Per lucem scriptura intelligit res secundas: per tenebras tristes & afflictas. Successus & pro-

speritas iustorum, tum ipsis tum alijs qui iustos diligunt, gaudium adfert.

Lucerna autem impiorum extinguetur.) Etsi ad tempus res ex animi sententia eis succedunt ac florere uideantur: tamen felicitas illa non erit diuturna. Cogitandum igitur est, si impiorum felicitas, opes & potentia te offendunt, quemadmodum lucerna minimi flatus impulsu extinguitur, ita felicitas impiorum subitò euanescet. Iob. 18. Nonne lucerna impij extinguetur? Hæc sententia repetitur cap. 24. uersu 20. Cap. 20. uersu 20. dicitur illius qui parentibus suis maledixerit, lucernam extinguendam esse in medijs tenebris.

10 **Verè in superbia dabit (*superbus*) litem.**

Superbia mater litiũ. Hæc sententia fontem ostendit rixarum & contentionum, nempe superbiam. Quia superbi alijs cedere nolunt, sed semper excellere, sequuntur magnæ concertationes, in Ecclesia, politia, œconomia & uita communi. Dissensiones in Ecclesia uetustis illis temporibus & nostro quoque tempore, ex superbia ortum habuerunt. Superbia magnum illum Antichristum, omnium turbarum parentem peperit. Ideoq; Christus Matth. 18. Ioan. 13. & alibi, Apostoli item, tam diligenter cùm alijs, tum præcipuè ministris Ecclesiæ humilitatem inculcant. D. Augustinus humilitatem quodam in loco, fundamentum appellat ueræ doctrinæ. Si in Rep. sint homines superbi, magnas contentiones & interdum bella concitant. Inuenias qui cupiant suam sententiam uincere, etsi in perniciem Reip. tendat. Bella ciuilia Rom. hanc quoque originem habuerunt. Si elati sint homines in aliqua familia, quas quæso turbas dant? Ita in communi hominum uita, superbi homines multas rixas mouent. Igitur si quis rixas & contentiones tollere uult, fontem tanti mali obstruat.

Sed cum consultis sapientia.) Qui nihil temerè instituunt, sed cum alijs consultant, uel alios in consilium adhibent, sapientes sunt, & sapientes efficiuntur. Qui uerò se putant uidere, quid faciendum uel omittendum sit, nec indigere aliorum consilio, produnt suam stulticiam. Discant igitur præcipuè iuniores, ut ne de ulla re ardua statuant, nisi de bonorum atque prudentum sententia. Maximè autem illi consulendi sunt, quos usus rerum & ætas commendãt. Si iter quod nunquam ingressus es conficere instituas, alios interrogas: cur idem in alijs rebus maioris momenti non faceres?

11 **Diuitiæ à uanitate minuentur.**

Malè parta malè dilabuntur. Hoc est, opes quæ non honesto labore, sed uanis & inhonestis artibus colliguntur (ut iam sæpe dictum est) nequaquam erunt felices. Pulchri de hac re uersus extant apud Hesio. in libello cui titulus, Opera & dies. Exempla uerò huius dicti multa sunt in aleatoribus, usurarijs, mercenarijs militibus, & inprimis sacrificulis, qui sacramenta, preces, fumum, bullas, omnia denique precio uendunt.

Alius sensus esse potest, *Diuitiæ uanitate minuuntur.*) hoc est, si diuites uanitatibus uacant. Priorem autem sensum simpliciorem esse, membrum contrarium ostendit.

Quod autem quis congregat per manum, id augescit.) Hoc est, opes, quę honestis uijs ac rationibus, iustoq; labore colliguntur, sunt felices. Hæc cum toties in hoc libro repetantur, arguunt magnam hominum socordiam. Etsi enim hæc audiant, legant, exempla quotidiana cernant quæ hæc confirmant, nihilominus tamen per fas & nefas undecunq; opes corradunt, quas ad suos & suorum usus conuertant.

12 **Spes protracta, infirmitas cordis, & lignum uitæ ueniens desiderium.**

Qui sperant se rem aliquã consequuturos, antè animo tranquillo esse non possunt, quàm ea potiantur: etiam celeritas in desiderio mora est. Seneca in Agamemnone:

Omnisq; nimium longa properanti mora est.

Hoc experimur domi nostræ in pueris, qui si quid nos eis daturos esse sperant, ualde anguntur, donec accipiant: & mora quantumuis pusilla, longissima eis uidetur. Sin uerò homines res speratas assequantur, non minus recreantur, quàm si famelici, qui optant poma, in arborem frugiferam incidant, & poma decerpant. Vel alludit ad arborem uitæ in medio paradisi positam, ut sit sensus, Cum nacti fuerimus quæ sperauimus, exhilaramur ueluti ex arbore uitæ fructus decerpentes.

Hæc ad spem rerum temporariarum & cœlestium pertinent. Naufragus sperat se enatare posse, ualde autem cruciatur, priusquam portum attingat: si periculum euasit, maximam uoluptatem percipit. Iucundi enim sunt, ut est prouerbio, acti labores. Sic captiuus, ægrotus, &c. Idem iudicandum est de spirituali spe, qua æquo & forti animo expectamus uitam æternam. Ad spem duo requiruntur, primum, ut res quam desyderamus sit absens. Paulus enim ad Rom. 8. cap. Spes, inquit, quæ uidetur, non est spes. Alterum est, ne dubitemus nos consecuturos quod speramus. Ex illo, in pijs, dum hîc exultant, tristitia oritur: ex hoc, alacri-

alacritas & consolatio. Sed quia salus quam iam per fidem apprehendimus, sensibus non percipitur, & differtur, ac è diuerso afflictiones quas illius causa sustinemus, sensibus subijciuntur, admodum commouemur. Proinde rectè dicitur, spem quæ differtur, cor cruciare. Nouissimo tandem die quæ speramus, accipiemus: & Christo, qui est lignum uitæ, æternùm perfruemur.

13 Qui contemnit uerbum, damnum capiet.

Qui uerbum Dei contempserit, non impunè feret, nec ualebit illa excusatio, qua multi hodie utuntur: Non contemno Deum & eius uerbum, sed molestos illos & morosos concionatores. Nam si Deum amarent, illos qui ab eo mittuntur, non contemnerent. Deus ad Samuelem dicit, Non te, sed me contempserunt. Christus de Apostolis dicit, Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. Sic qui hodie quoque concionatores, uerbum Dei, non sua figmenta afferentes & proponentes, contemnit, Deum contemnit. An non ille qui principis legatum contemnit, ipsum principem contempsisse dicitur? Deinde non impunè feret, qui magistratuum uerba & mandata, uerbo Dei consentanea spernit. Vult enim Deus, obedientiam etiam tyrannis præstari, si nihil quod cum ipsius uerbo pugnet, præcipiant: tunc enim non sunt audiendi. Illi quoque qui דבר dafar, uerbum, hoc est, rem aliquam, uel aliquid contemnit, periculum incurret: ut qui contempserit hostem suum, quamuis imbecillem. Sæpe legimus contemptum instructissimos exercitus in maximum discrimen adduxisse. Qui incendium, qui semina seditionis contemnit, malum accipit. Qui uulnus acceptum contemnit, postea brachium uel crus cogitur amputare. חבל chaual significat dare super pignus, uel pignori: item corrumpere, dissipare. Hinc quidam uertunt, *Qui contemnit aliquid, corrumpetur propter ipsum.*) sc. contemptum. Quidam exponit, *Mutuabitur ei super pignus.*) ut scilicet sui contemptus det pœnas. *Cōtemptus uerbi Dei.*

Qui autem præceptum timet, dabitur ei.) scilicet merces. Qui me glorificabit, dicit Dominus, hunc ego glorificabo. In Rebuspub. quoq; illi promouentur, qui paruerunt magistratibus. Alij reddunt, *Pace fruetur.*) nam שלם retribuere & pacem agere significat.

14 Lex sapienti fons uitæ, ad recedendum à laqueis mortis.

Sapiens ex lege, hoc est, uerbo Dei, tanquam ex perenni & limpido fonte haurit, quomodo uitam æternam consequi, & in hoc seculo uitam suam instituere possit ac debeat. Vsus hic est uerbi Dei amplissimus. Vita autem æterna in hoc consistit, ut peccatis nostris agnitis, non desperemus, sed firmiter credamus nos per Christum Deo reconciliari. Ex hac fide postea oriuntur omnes uirtutes. Fide enim præditi, uerba & facta sua ad præscriptum uerbi Dei componunt.

Seruat præterea à laqueis mortis. Mortis uocabulum non uno modo accipitur in scripturis: aliquando significat mortem temporariam: ab hac conseruat nos lex. Nam si legi obediamus, à bonis magistratibus defendimur. 1. Tim. 1, Lex non posita est iusto, sed iniustis & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, &c. Multi quoq; sua crapula & ebrietate, adulterio & alijs sceleribus, uiolentam mortem sibi accersunt. Est etiam spiritualis mors, qua mortui uirtutibus, in peccatis uiuimus. Sic in 1. Tim. 5. cap. uidua quæ in delicijs uersatur, uiuens mortua esse dicitur. Ab hac etiam morte uerbum Dei nos conseruat. Est item æterna mors, & sempiterna miseria, à qua uerbum Dei sui studiosos eripit. *Mors quid in scripturis significet.*

Stulti uerò ex his fontibus uenenum hauriunt, hoc est, aquas salutiferas ad suum exitium conuertunt. Verbo Dei ad stabiliendam idololatriam & extenuanda scelera abutuntur. Aliqui legunt, *Lex sapientis.*) Id est, lex Dei, uel cuiuscunq; legislatoris sapientis, quam sapiens homo custodit, est fons uitæ. De utilitate legum multa extant, etiam apud prophanos scriptores. Demosthenes dicebat, leges animam esse ciuitatis, &c.

15 Intelligentia bona (*uel boni*) dabit gratiam.

Qui ingenij felicitate rectè utetur ad promouendam gloriam Dei, & salutem aliorum, Dei & hominum bonorum gratiam & fauorem sibi conciliabit. Vel qui præditus est intelligentia, beneficus erit erga alios.

At uia præuaricatorum dura est.) Sensus est: Qui contempto uerbo Dei, suo arbitratu uiuunt, non solum pertinaces sunt, sed & duri erga miseros & afflictos: uel ratio uiuendi quam sequuntur, etsi eis suauis & commoda uideatur, tamen aspera est & difficilis. Quanta mala habet scortatio, adulterium, ebrietas? Viuere secundum legem Dei, in præsenti quoq; uitā nostrā suauē reddit & iucundā. Christus dicit, Iugum meū commodum, & onus meum leue est. *Impij sunt truces.*

16 Astutus omnia facit cum scientia.

Prudentes homines (ערום arum enim hoc loco, ut aliàs sæpe in hoc libro, in bonam

partem accipitur) cautè & circumspectè agunt, præsertim in rebus arduis & difficilibus. Quemadmodum apud Romanos, nihil ferè publicè sine auspicijs nec domi nec militiæ gerebatur: ita nos inconsulto uerbo Dei nihil aggredi debemus.

Stultus autem stulticiam prodit.) Stultus aliorum consilia audire dedignatur, sua omnibus aperit, resq; magnas temerè suscipit, ueluti genera uitæ, bella & alia huiusmodi. פרש parasch, significat exponere, declarare, dissipare, separare: hinc פרושים paruschim pharisæos quidam dictos uolunt, quasi interpretes & expositores legis. Alij à separando appellatos dicunt, quòd se à reliqua multitudine separarent. Similes sententiæ alibi quoq; in hoc libro ponuntur.

Pharisæi unde dicti.

17 Nuncius impius, cadet in malum.

Legati.

Hanc sententiam, de omnibus nuncijs & legatis accipere possumus. Quidam à priuatis personis, quidam à publicis mittuntur, tempore belli & pacis: ut tractent uel de religione, uel rebus politicis. Aliquando præscribitur eis, quid tractare debeant, aliquando plena eis fit potestas. Multum autem Reip. interest, ut rerum peritos, & pios mittant. Improbus legatus, qui bonam causam mala fide agit, quiq; muneribus se corrumpi patitur, & mittentis expectationem fallit, non impunè feret. Fit enim sæpenumerò ut ab illis qui eum miserunt deprehēsus, infamis reddatur, uel capitali supplicio afficiatur. Si cessat magistratus, tamen Deus non cessat. Vetus translatio habet, *Nuncius impij, cadet in malum.*) hoc est, legati qui ab impijs mittuntur ad conficiendum res nefarias, non impunè ferent. Quales sunt illi legati à latere, qui ad comitia regnorum uenientes, se insinuant apud proceres, omnia explorant, & blandis uerbis euertere religionem, & dissidia excitare moliuntur. Elegans illorum descriptio habetur in Apo. 16. cap. Tametsi uerò imperium magistratuum, eos apud homines leuat & etiam excusat: tamen apud Deum non excusari possunt. Quinquagenarij illi qui iussu regis mittebantur, ut Heliam comprehenderent, igne de cœlo misso oppresi sunt. Ita qui à priuatis mittuntur, ut mala perficiant, pœnas non effugient.

Legati à latere.

Legatus autem ueritatum medela.) Legatus qui bona fide suam legationē obit, & omnia refert quomodo gesta sunt, est sanitas: cùm sibi, tum toti Reip. utilis esse potest, nec habebit uulneratam conscientiam. Sæpe etiam moderatis consilijs animos exulceratos mitigabit, & magnos motus sedabit. Discant etiam, si pueri à parentibus ad aliquos mittuntur, ut negocia sibi commissa bona fide conficiant.

18 Egestas & ignominia erit deserenti castigationem.

Spretæ correctionis pœnæ.

Prior huius sententiæ pars loquitur de effectu spretæ & neglectæ correctionis: nec solum ad iuniores, sed etiam adultos pertinet. Qui correptiones factas ex uerbo Dei per ministros ecclesiæ negligit, qui magistratus castigatione non mouetur, qui parentum, magistrorum aliorumq; uocem contemnit, duo mala quæ homines ualde exhorrescunt sibi accerset, nempe egestatem & ignominiam. Accidit enim ut illi qui correctionem respuunt, nihil discāt: postea uictum sibi honestè comparare nequeant. Etsi uerò artem aliquam didicerūt, interim tamen in administranda re domestica, quia aliorum consilia nolunt audire, nunquam ex paupertate emergent. Est autem turpe si quis suo uitio egenus sit, nec habeat quod necessitatem patientibus conferat. Tales homines spiritualium quoque diuitiarum defectum incurrunt. Deinde ignominia notantur: arcentur à gubernaculis Reipub. Quis enim compos mentis, illum Reipub. præficiat, qui suam domum regere non potest? Fit etiam ut qui omnes monitores riserunt, carnificibus tandem magno dedecore parere cogantur. Multi qui ducuntur ad supplicia, seipsos accusant, quòd bene monentibus non obtemperarint. Septuaginta contrarium sensum reddiderunt: *πενίαν καὶ ἀτιμίαν ἀφαιρεῖται παιδεία*, paupertatem & ignominiam aufert disciplina: hoc est, qui se erudiri & castigari sinunt, hæc mala effugiēt. Nā פרע para significat elongare: disciplina elongans est, id est, pellit hæc, nempe egestatem & ignominiam, ab illis, qui eam recipiunt: sed priorem interpretationem simpliciorem esse, oppositum membrum declarat.

Qui autem obseruat correptionem, honorabitur.) Altera pars è contrario loquitur de effectu receptæ correctionis. Qui uocem illorum à quibus corripiuntur, non contemnunt: opes acquirunt, & honestum interdum in Rep. gradum assequuntur. Conciliant sibi principum & plebis fauorem. Multi egregij uiri, fatentur se hac ratione multum promouisse, quòd consilia & correctionem cognatorum non aspernati sint. Idonei autem sunt ad exercendum in alios imperium, qui prius alieno imperio paruerunt. Qui correptionem Dei receperit, etiam post hanc uitam glorificabitur. Vide cap. 15. uersum 32.

19 Desiderium quod factum est, oblectat animam.

Vide suprà uersu 12. Sensus est, Quemadmodum pij, si rebus bonis quas optant potiantur, uolupta-

uoluptatem percipiunt: ita ſtulti quoq; ſi quod cupiunt,aſſequantur. Pij cupidi ſunt rerum bonarum,impij uerò rerum malarum,& ſibi atq; alijs noxiarum. Quid autem apud eos efficiat,ſi omnia ex animi ſententia eis ſuccedant,ſequentia oſtendunt.

Abominatio ſtultorum eſt recedere à malo.) Non recedunt à malis, adulterio, ebrietate, uſura & alijs. Deum non tantopere illis offendi dicunt, alioqui oppreſſurum eos: abutuntur Dei facilitate & miſericordia,abominantur uitam honeſtam & piam: ſi quis eos à ſceleribus reuocare uelit,non plus efficit,quàm ſi canibus oſſa,quæ rodunt,eripere moliatur. Quin rebus ſecundis,uictorijs, diuitijs, honoribus elati,à falſa quoque religione dimoueri non poſſunt. Et nihil tam eſt abſurdum & putidum, quod non mordicus defendant. Nec ipſi ſolum à malo nolunt recedere: ſed & omnes illos abominantur, qui à malo, hoc eſt,ſuperſtitione & uitæ turpitudine recedunt. D. Petrus ſcribit in 1. epiſt. cap.4, Id abſurdum illis uidetur,quòd non accurratis unà cum ipſis, in eandem luxus refuſionem, qui de nobis malè loquuntur. Quàm offenduntur multi,ſi monachi monaſteria deſerant, uxores honeſtas ducant,& Euangelium prædicent? Omnes qui ſtudent pietati,riſui & contemptui ſe apud impios exponunt.Nam cupiunt habere ſocios,ut turpitudo eorum minus ſit conſpicua: perſequuntur igitur illos,qui à malo recedunt.

20 **Qui ambulat cum ſapientibus,fit ſapiens: & qui ſocius eſt ſtultorum, conteretur.**

Multum intereſt ad honeſtam ac turpem uitam, in iunioribus & adultis,uiris & fœminis, quibus cum quotidie uerſentur. Quales illi ſunt apud quos dies noctesq; agimus,tales etiam nos ferè efficimur. Si perpetua uitæ conſuetudo nobis eſt cum pijs & uirtute præditis hominibus,pietatem & uirtutem addiſcimus.Feræ beſtiæ quoq;,ſi ſubinde apud homines uerſentur,cicurari poſſunt.Quanquam quædam naturæ tam ſint diſtortæ,ut nulla bonorum familiaritate poſsint mutari. Si uerſamur cum impijs & ſceleratis, paulatim eorum mores induimus.Quemadmodum uitia oris & corporis imitamur,ita etiam uitia animi.Quemadmodum morbi quidam ſerpunt, ita etiam corrupti mores.Seneca dicebat,auarior redeo,ambitioſior,luxurioſior,crudelior,inhumanior,quia inter homines fui. Experientia docet,bonæ ſpei adoleſcentes ſæpe in academijs,& alibi,corrumpi:uirgines pudicas,in malos mores degenerare.Proinde ſapiens hoc loco non temere pronunciat,illum qui cum ſapientibus uerſatur,ſapientiam diſcere: qui uerò ſtultum in amicitiam ſuam recipit, non tantum ſtultum euadere,ſed & cum ſtultis perire. Theognis dicit: *Coniunctio cum bonis & malis.*

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι, ἢν δὲ κακοῖσι "

συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. "

Diſcant igitur hoc loco, non ſolum iuniores, ſed & adulti,à malorum hominum conſuetudine cauendum,& pijs hominibus conuerſandum eſſe,ne mali fiant uel uideantur. Prudentes enim qualis quiſque ſit,ex ſodalibus iudicant. Pares paribus, ut eſt in prouerbio,facillimè congregantur. Si uirgo uel uxor aliqua, familiaris ſit lenis & ſcortis, reddit ſe ſuſpectam. Si accuſetur furti, deprehenſo fure à ſuſpicione liberatur: ſin uerò ſtupri, non item. Hieronymus ad Demetriadem ſcribit:Semper in comitatu tuo graues fœminas habeas:mores enim & ſtudia dominarum,plerunq; ex ancillarum,& comitantium moribus,iudicãtur. Qualis enim quæq; ſit,talium conſortio delectari. Non uideo,inquis,quos mihi familiares deligam:ſæpe enim qui mali ſunt,honeſtatem ſimulant.Reſpondeo:Si ſermonibus ſuis produnt mentem corruptam,illis relictis alios tibi amicos quære.

Parentes diſcant cauere,ne filij ipſorum in malos ſodales incidant:item,ne uel ipſi uel domeſtici eorum,filiorum mores corrumpant. Quid enim prodeſt,ſi extra domum, non ſinas eos malos ſectari, interim tamen ipſe domi tuæ, eos perdas colloquijs prauis, & uitæ turpi exemplo?

Altera pars huius ſententiæ, etiam ſic uerti poteſt: *Paſcens ſtultos, malè afficietur.* Munſterus reddit, *Qui fouet ſtultos*: ut ſit ſenſus, Qui alit ſtultum, lædetur ab eo. Simile eſt dictum Socratis, κακοὺς ποιῶν σὺ, θρέψαι λύκους. Notum eſt Epigramma de ouicula, alente lupi catulum proprijs uberibus.Stulti beneficium iniuria penſant. Vox paſcendi in ſcripturis de prophetis & regibus dicitur,qui ſana doctrina & legibus populum regunt. Hoc autem ferè ſolet accidere uiris de Eccleſia & Repub. bene meritis,ut pro benefactis, peſsimam gratiam ferant, ab ingrato populo.Hoc Moſi,Dauidi,Chriſto ſeruatori,Apoſtolis,& apud Ethnicos Miltiadi,Phocioni,Camillo,Scipionibus accidit. Apud Græcos iactatur prouerbium:

ἀντ' εὐεργεσίας ἀγαμέμνονα τῖσαν ἀχαιοί. "

Id eſt, pro beneficẽtia Agamemnonem ulti ſunt Achiui: dicebatur in ingratos,qui pro bene-

ficijs maleficium reponunt. Hoc est peruersum ingenium uulgi, ut simul atq; malis liberati sunt, desinant cogitare, quorum opera hoc factum sit: iniuriarum autem tenaces sint. Sic Plautus dicit, Si quid iuues, pluma leuior gratia: si quid offendas, plumbeas iras gerunt. Tametsi uerò qui beneficium in ingratum collocat, operam perdat, quod ipsum attinet, tamen exemplo Christi, prophetarum & Apostolorum, de omnibus bene mereri ne desinamus. Nō enim rectè dicitur apud Plautum in Asinaria:

„ Ingrata atq; irrita esse omnia intelligo,
„ Quæ dedi, & quod benefeci: at posthac tibi
„ Malè quod potero facere, faciam, meritoq; id faciam tuo.

Porrò beneficij gratia apud bonos nunquam debet senescere.

21 Malum persequetur peccatores.

Pœnæ malorum. Hæc sententia pronunciat de pœnis malorum & præmijs piorum. Sæpe homines grauissimè peccant, quia sperant se impunè laturos. Occultè enim & sine testibus se peccare, uel homines id quod faciunt pro peccato nō habere: uel se non accusandos esse ab alijs, qui ijsdem, similibus aut etiam grauioribus criminibus sint obnoxij: uel si accusentur, se negaturos, uel propter potentiam, opes, cognationem euasuros. Sin uerò hominum tribunalia effugiant, sperant res suas esse in portu, Deum enim non curare res mortalium. Sed hæc sententia docet, etsi homines uel nesciant, uel scire nolint, aut pro peccato non habeant, nihilominus tamē malum sceleratos persequi: hoc est, Deum cui peccatum displicet, quiq; omnia intuetur, hominum peccata & scelera punire.

Statim enim cum quis peccauit, conscientiæ stimulis agitatur, qui sunt diræ & ultrices illæ furiæ, de quibus poetæ fabulantur: exemplo nobis sunt primi nostri parentes. Vide caput 29. uersu 6. Seneca dixit, nullum cōscium peccatorum tuorum magis timeas, quàm teipsum: alium namq; effugere poteris, te nunquam. Mirabiliter item magna scelera aliquando detegit Deus: facit ut seipsos scelerati interdum accusent: aliquando sinit obnoxios flagitijs quæ homines non puniunt, incidere in scelera, quæ grauissimè puniūt. Etsi uerò scelerati ad tempus lateant: tamen meritas pœnas non euadunt. Longè autem miserrimum est, si in alterum seculum pœnæ differantur.

Pœnitentiæ effectus. At si pœnitentiam agam, obijcis, an non peccata mea obtegūtur? Vera pœnitentia semper suum effectum habet: ad hoc enim ualet, ut scelerati Deo reconcilientur: non ut temporaria supplicia tollat. Deus quidem propter pœnitentiam, aliquando hominibus parcit, at nō semper: sed grauissimas interdum pœnas infligit (quemadmodum in Dauide factum legimus) ut peccati grauitatē intelligant, deinceps sint cautiores, utq; alij à peccatis deterreantur. Verbum רדף radaf insequi & persequi uel sectari significat, in piel auget significationem. Oseæ 2. dicitur, Sectabitur amatores suos: magnum studium & ardorem exprimens.

Iustis autem retribuet bonum.) Nempe Deus, bonorum munificus remunerator. Tametsi uerò interdum pij magis premantur quàm impij, tamē erit rerum uicissitudo. Et boni in hac uita habent bonam conscientiam, partemq; aliquam æternæ felicitatis obtinent.

22 Bonus hæreditare faciet filios filiorum.

Pij honesto labore opes parant, neminem fraudant, ideoq; opes stabiles relinquunt, quibus non tantum filij, sed & nepotes ipsorum fruantur. Exemplum huius sententiæ sunt patriarchæ. Iniustæ autem opes, uix ad tertium hæredem perueniunt. Quia uerò bonus, posteros suos hæredes faciet, colligimus Deum piorum familias conseruare. Optant autem omnes natura, sui generis conseruationem & propagationem, eamq; ob causam in hæreditatibus prærogatiua filijs decernitur, nempe quòd familiam conseruent. Deus in decalogo pronunciat, se facere misericordiam in millia his qui ipsum diligunt, & præcepta ipsius custodiunt. Non itaq; tuis posteris melius consulere potes, quàm si piè & sanctè uixeris.

Et reseruatur iusto substantia peccatoris.) Quemadmodum auarorum opes interdum decoctoribus cedunt, qui eas temere dispergunt: ita fit interdum, ut impiorum opes ad pios deuoluantur. Lyranus exemplum affert de Dauide, qui unà cum uxore Nabalis, etiam opes eius acceperit. In libello Hester egregium exemplum proponitur in Hamano, cuius domum rex reginæ dono dedit, quæ Mardochæo eam concessit. Israelitis cesserunt oppida, opes, pecora, &c. Chananæorum. Quòd autem sæpenumerò contrarium accidit, ut pij suis opibus spolientur, arcano fit Dei cōsilio. Habēt enim tēporariæ, ut sæpe dictū est, ꝓmissiones, suas exceptiones.

23 Multi cibi in agro pauperum.

ראשים raschim pauperum uel magnatum uerti potest. Vulgatus interpres patrum uertit, ראש rosch enim significat caput: ut autem caput in corpore humano summum est, & cætera membra

membra gubernat: ita patres in familia, & principes in Repub. Patres autem, hoc est, senes optimè tenent quomodo agri colendi & stercorandi sint, &c.

Pauperes dant operam, ut terram rectè colant, ideo cibo non carebunt: ex angusto agro plus fructus percipient, quàm alij ex latifundijs. Præstare autem putant ueteres, ut paucos agros posside as, illosq; diligenter colas: quàm ut multos habeas, illosq; non rectè colas. Vergil. Georgic. 2. lib.

Laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Columella lib. 1. ca. 3. testatur apud Afros agricolas puerbiũ fuisse celebre, oportere agrũ imbecilliorẽ esse quàm agricolam. Vide Plin. lib. 18. cap. 6. Ex ijsdem exẽpla afferam huius sententiæ. C. Furius Ctesinus, ut scribit Plinius, è seruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis uicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret ueneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, atq; ut ait Piso, bene curatam ac uestitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos. Postea dixit, Veneficia mea Quirites hæc sunt, nec possum uobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes uigiliasq; & sudores. Omnium sententijs absolutus itaq; est.

Columella lib. 4. cap. 3. scribit, Iulium Græcinum, in libro quem de uicinis scripsit, referre, Paridium quendam Veterensem duas filias, & uineis consitum habuisse fundum, cuius partem tertiam nubenti maiori filiæ dederit in dotem, ac nihilominus æquè magnos fructus ex duabus partib. eiusdem fundi percepisse. Minorem deinde filiam nuptui collocasse in dimidia parte reliqui agri, nec sic ex pristino reditu detraxisse. Hinc colligit, melius postea cultam esse tertiam illam fundi partem, quàm antea uniuersam. Inuenias hodie quoq; homines industrios, qui ex paruo hortulo, suam familiam alant.

Vel in agris magnatum, id est diuitum, quibus est facultas colendi terram, ac faciendi quęcunque illi sunt necessaria, multi sunt cibi. Plinius quoq; testis est, terram tunc temporis felicius uberiusq; suos fructus tulisse, cum Imperatorũ clarissimorũ manibus tractaretur. Non quòd terra sensu prædita sit, sed quia uiri prudentes ut Reipub. negocia sapienter administrabant, sic etiam agriculturam in qua uersabantur, longè maiore studio & diligentia, quàm plebei homines tractabant. ניר nir quidam sulcum, uulgatus interpres nouale reddit: est aratio agri antequam seratur, in qua aratione spinæ, ligna ac lapides amouentur, ut ager aptus sit ad sementem. Plinius dicit nouale esse quod alternis seritur. Quia uerò terra non defatigatur, nec penitus exhauritur, quotannis ferendo, fit ut copiosiorem fructum ferat. Plura de hoc sequuntur cap. 21. uersu. 4.

Et est absumptus, & nõ iudicium.) Qui leges agri colẽdi ignorat, & suo tempore ac modo, debita opera non exercet, etsi diues sit, tamen ad inopiam redigitur. Quod de agricultura dicitur, ad alias quoq; artes, & rem domesticam in uniuersum debet referri: nisi quis certo iudicio & ordine in rebus utatur, prodiget res suas. Vnde quidam simpliciter uertunt, *ubi non agitur cum iudicio, inopia est.*

Quod grammaticam attinet, נספה nispæh est particip. in nifhal, uel nomen participiale, significat consumptus, perditus: aliqui referunt ad agrum, *Est ager consumptus uel perditus,* & non est in eo fructus, quia non est præparatus & dispositus ut opus erat, quo ad illa quæ ei sunt necessaria. Alij ad personam referunt, *Vir est consumptus,* hoc est, conficitur fame, quia ignorat leges colendi agri, & ager desolatur. Castalio reddit, *abundant uictu noualia pauperum,* sed sunt quæ iniquè percipiantur, id est, pauperum fructus interdum à diuitibus intercipiuntur.

24 Qui parcit uirgæ suæ, odit filium suum.

Quia puerilis ætatis magna est incogitantia ac leuitas, necessaria est doctrina & seueritas castigationis. Parentes itaq; qui cùm res postularet, uirgis parcũt, oderũt suos filios, nõ quidẽ affectu, sed facto. Par quidem est, ut parentes suos filios ament: sed corruptus & præposterus amor ille est, qui ab officio suo erga filios, eos reuocat. Perdere filium non est uerè amare, sed potius odisse. Fabius Quintil. lib. 1. cap. 4. causas aliquot commemorat, ob quas pueros cædi non uult, sed nos potius Salomonem magistrum, hac in re sequi debemus. *Correctio liberorum.*

Qui amat eum, mane quærit ei castigationem, uel eruditionẽ.) Mane, hoc est diligẽter, uel maturè, à teneris annis, eum erudit & castigat. Nihil enim magis noxium, quàm si castigatio in multos annos differatur. Plantas dum teneræ sunt, facilè inflectes, postquam uerò adoleuerint, flectendo rumpentur. Multos morbos mora facit incurabiles. Vides pueros statim recti & praui discrimina intelligere, ne ergo parentis officio desis. Moderatio tamen in casti-

gatione obseruanda est. Magnæ sunt utilitates tẽpestiuæ correctionis. Si uerò nec uerbis nec uerberibus quicquam efficias apud obstinatos, tamen quod tuum est fecisti. Præstare dicunt nostri, ut pueri plorent, quàm parentes. Puniuit Deus Heli, quòd filios flagitiosos, nõ pro eo ac debebat castigasset. Quantò grauius illos parentes castigabit, qui uel uerbis uel factis scelera filiorum probant, uel ad peccandum incendunt? Nota est iuuenis illius fabula, qui cum ad crucem raperetur, colloquium matris nouissimum petijt, oreq; ad matris aurem admoto, auriculam eius mordicus auulsit. Sunt matres quæ in pueris erudiendis nihil omittunt, sed patres indulgentia sua eos corrumpunt. Sunt è contra patres, qui suum sedulò officium in liberis instituendis faciunt: sed matres clanculum eis suppeditant pecuniam, unde ludere, potare, & scortari possint. Hinc est quòd multæ lugent, & suæ stultitiæ meritas dant pœnas. Hæc sententia etiam ad magistratus ac ministros Ecclesiarum extendi potest, qui nõ sunt boni patres populi, nisi subditos suos qui instar filiorum sunt, corripiant. Quòd etiã Deus quos amat castiget, 3. cap. explicatum est.

25 Iustus comedit ad saturitatem animæ suæ.

Pius ante omnia quærit regnum Dei, strenuè uocationem suam obit, ac Deo qui uniuersa alit & uegetat, confidit, quòd ipsi non defuturus sit. Si rebus omnibus abundat, Deo gratias agit, si parum ei suppetat, bene consulit, donec Dei beneficio melius habere cœperit. Præclara autem hæc uirtus est, cùm nostra sorte contenti sumus.

Venter autem impiorum deficiet.) Impijs nihil satis est, etiam in affluentia rerum omnium, fame & siti quodammodo pereunt, nunquam saturari possunt. Deus per Micheam impijs Israelitis comminatur 6. cap. Comedetis & nõ saturabimini, &c. Fit autem tempore famis, ut etiam cum homines panem habent, eo tamen exaturari non possint. Econtrà pij sæpenumero mirabiliter aluntur: quemadmodum in Euangelio legimus, tot hominum millia pauculis panibus altos esse. De spirituali fame etiam uera est hæc sentẽtia: semper enim discentes, ut Paulus dicit, 2. Tim. 3. cap. nunquam ad ueritatis cognitionem perueniunt.

CAPVT XIIII.

1 Sapiens mulier ædificat domum suam.

Sapiens mulier quæ?



NON de illa sapientia loquitur, qua altissimas causas nouimus: sed de pietate & peritia rei domesticæ: ut sit sensus, Vxor pia & rei domesticæ perita, ædificat domũ, hoc est, suam familiam instruit & conseruat. Nam maritum suum diligit, & rebus à marito labore quæsitis rectè utitur, non insumit in res parum necessarias, ueluti preciosam supellectilem & mundum muliebrem: non uagatur in plateis, laborat manibus suis, & liberos totamq; familiam honestè instituit. Abigael domum quæ Nabalis culpa ferè perierat, sua prudentia & dexteritate conseruauit. Rachab quoq; suam familiã periculo eripuit, Iosuæ cap. 6.

Sapiens mulier etiã totas respub. conseruat.

Nec solum domos suas ædificant, sed totas aliquando Respub. conseruant: quemadmodũ legitur de Debora in lib. Iudicum. De prudente illa matrona, quæ Ioabum dehortatur ne ciuitatem Abela expugnet, 2. Sam. 20. cap. De Hestera, Iudith & alijs. Vires corporis desunt illi sexui, ingenij autem uis sæpe non deest. Si quis talem uxorem habeat, sciat se magno beneficio à Deo affectum esse. Præstaret etiam talem uxorem deligere, quàm diuitem & rei domesticæ imperitam.

Ad uerbum (ut obiter hoc annotem) legitur, *Sapientes mulierum*, id est, unaquæq; ex sapientibus mulieribus. Nam apud Hebræos nomen pluralis numeri constructum cum uerbo singularis numeri, sumitur partitiuè. Genes. 49, Filiæ incedit super muro, id est, unaquæq;, una post aliam. Mox, Stulti loquitur, uel excusat delictum, pro, unusquisq; stultorum.

Stulta mulier.

Stulta autẽ, manibus suis euertit eam.) Quæ suum officium ignorat, nec discere uult, calamitas est familiæ. Quantumuis enim à marito diligatur, tamen ipsa eum contemnit: quantumuis maritus strenuè laboret, nihil tamen acquiret. Illa enim dissipabit omnia, non cogitabit quibus carere possit. Maritũ ædibus sua importunitate expellet: liberos malo exemplo corrumpet. Quod si adhæc superstitiosa uel libidinosa sit, quid sperabimus?

2 Qui timet Dominum, ambulat in rectitudine sua, *uel eius.*

Causam ostendit, cur quidam rectè uiuant, nempe quia præditi sunt timore Dei. Qui Dei uerbum reuerentur, rectè se gerunt quoad religionem, & uiuendi rationem: colũt Deum secundum uerbum suum, non claudicant in utrumq; latus. Vitam quoq; iuxta Dei uerbũ instituunt: si sint magistratus, si concionatores, si aliud uitę genus sequantur, se rectè gerũt, ut Deo probari ac dictorum factorumq; rationem ei reddere possint.

Qui autem despicit eum, à uia eius discedit.) Qui uacuus est timore Dei, qui Deum non putat mortales curare, qui putat aniles fabulas esse quæ de nouissimo iudicio dicuntur, &c. is apostata est, utilitate religionem metitur, Deum uel prorsus non colit, uel non ex præscripto uerbi eius, sed suæ rationis, colit, auro, argento, gemmis, suffitu, &c. Deinde quod uitam attinet, in omni scelerum genere uolutatur, aut opera non quæ Deo probantur, sed quæ sibi ipse elegit, edit: ficta sunt omnia. Vana est illorum gloriatio qui dicunt, se Deum timere, interim uerò præcepta eius nihil curant. Si quis ad tempus rectè credat ac uiuat, statim amisso timore Dei, ueram fidem, & uitæ puritatem deserit.

Graue autem peccatum est ab agnita ueritate deficere. 2. Pet. 2. cap. Laudabilis est illa defectio, cum quis se à rebus illicitis ad licitas confert: ueluti illi, qui pietatis causa monasteria deserunt, à Papistica & alijs peregrinis religionibus, ad Christianam deficiunt. Etsi enim mundus apostatas & perfidos eos dicat, qui à Romana Ecclesia defecerint: tamen illis clamoribus non moueri debent. Nam primam illam Ecclesiam Romanam, cuius fidem Paulus in sua Epistola ad Rom. prædicat, non deserunt, sed recentem illam, quæ constat Papa & purpuratis eius, qui nouam doctrinam afferunt, pugnantem cum doctrina prophetarum & Apostolorum. Iubet autem Deus, ut nobis caueamus à pseudoprophetis, exeamus ex Babylone, & fugiamus idola. Sed hac de re, ab alijs doctè & copiosè disputatum est. *Defectio bona & mala.*

Hæc sententia etiam hoc modo legi potest, *Qui ambulat in rectitudine sua, timet ipsum Iehouah: sed qui se auertit à uijs eius, contemnit eum.* נלוז nelos est particip. passiuum, quod uice nominis ponitur, peruersus, defector, desertor. Vulgatus interpres posteriorē partem reddidit: *peruersus uijs suis despicit, eum,* hoc est, impius contemnit Deum uel pium.

3 In ore stulti est baculus superbiæ.

Hæc uerba, bifariam possunt exponi: Stultus loquitur superbè & tyrannicè, omnes præ se contemnit: Os eius est instar baculi siue uirgæ, qua omnes flagellat & sauciat, nemo tutus est à uirulenta eius lingua: neq; amicis neq; cognatis parcit. Quin contra Deū etiam diras blasphemias euomit. Deinde sic quoq; intelligi potest: propter uerba quæ stultus loquitur, ueniet super eum uirga superbiæ, hoc est, cædetur magnis plagis, ob uerba sua. *Stultus sua lingua omnes uerberat.*

Labia autem sapientum, conseruant eos.) Quia labijs rectè utuntur, seipsos & quandoq; stultos illos, aliosque homines conseruant. Hoc præcipuè doctoribus accommodari potest. Vulgo dicitur, hunc esse sapientem & bonum, qui omnia in meliorem partem interpretatur. Quæ sententia non ita accipienda est, quòd impia quoq; & nefaria facta quæ alij patrant, excusanda & laudanda sint: sed quòd illa quæ laudem merentur, laudanda sint, quæ ambigua sunt, non sint in deteriorem partem torquenda. Sunt enim homines qui aliorum hominum dicta & facta qualiacunque, statim malignè interpretantur, ideoq; dedecus & maxima incommoda sibi frequenter accersunt.

4 Cum non fuerint boues, præsepe *uel horreum* uacuum est, & copia frugum est in fortitudine bouis.

Boues laboriosa sunt animalia: agricolæ bubus arant, fœnum, triticum & alia conuehunt. Quidam bouem à nutriendo dictum uolunt (*βῶ* enim significat nutrio) eò quòd labore suo in exercenda terra continuo, nos pascat. Qui labori incumbunt, præcipuè uero agricolationi, bubus possunt conferri. Sensus igitur erit: Qui ocio indulget, non habebit necessaria, qui uerò laborat, multum habebit cibi, & fructum ex laboribus suis percipiet. Iusticia enim requirit, ut etiam bubus laborantibus necessaria præbeamus.

Alij ita per allegoriam exponunt: Ministri uerbi qui per boues designantur, ut in 1. ad Cor. 9. cap. in agro Domini, id est, Ecclesia laborant. Vbi non sunt boni concionatores, præsepe uacuum est, id est corda populi uirtute carent: ubi plurimæ segetes, ibi relucet efficacia doctrinæ concionatoris. *Allegoria.*

5 Testis uerax non mentitur: at testis falsus profert mendacia.

Duo ponunt testimoniorum genera, unum eorum quæ fiunt in iudicio, alterum eorum quæ fiunt extra iudicium. Pessimum quod extra iudicium uel forum fit, est falsæ doctrinæ, quando uerbum Dei corrumpitur. Testis uerus non adduci potest uel precio uel precibus, ut falsum dicat. Exemplo nobis est Pericles, quem cum amicus quispiam rogaret, ut in causa quadam, sua gratia, falsum testimonium diceret, respondit: *μέχει τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί*: ostendens amici causa, non esse ab honesto deflectendum. Testis uerò falsus, propter preces, munera, metum, amorem uel odium & alias ob causas, peierare paratus est. *Testes.*

6 Derisor quærit sapientiam, & non.

Scilicet, inuenit. Illusores, ut sæpe dictum est, sunt, qui subsannant uerbum Dei, & omnem

honestatem uilipendunt:hi quærunt sapientiam,sed non inueniunt. Quia uel non quærunt ubi debebant,nempe in sacris literis,officina ueræ sapientiæ: uel non quemadmodum debebant,nempe seriò,positis prauis opinionibus & affectibus. Sententias pugnantes cum ipsorum instituto,mirificè torquent & eludunt:malunt etiam interdum scripturas in dubium uocare,quàm se uictos fateri. Vtinam exemplis illorum hominum nō abundaremus. Deus nō dignatur se huiuscemodi hominibus aperire. Prouer.3, Illusoribus ipse illudet,at humilibus dat gratiam. Si quis cupit inuenire sapientiam,alienus sit oportet à derisorum moribus. Herodes tetrarcha gaudebat Christum ueram sapientiam ad se duci, sed ex curiositate quadam, non ut in negotio salutis institueretur.

Simpliciter hæc uerba sic intelligi possent, *Illusor quærit sapientiam,& non*, scilicet quærit: uult enim uideri quòd quærat, & tamen non rectè & ex animo quærit, sed malè & peruersè, ut glossa dicit: alia enim agit.

At scientia intelligenti facilis.) Qui principia sua habet,& cupidus est discendi,ac seipsum humiliat,idoneus est sapientiæ auditor. Terentius in Phorm. Dictum sapienti sat est. Germani dicunt, Einem verstendigen ist gůt predigen. Res declarari potest exēplis. Pharisæi & scribæ Christum docentem audiuerunt,sed absq; fructu:turgentes enim opinione propriæ sapientiæ, ipsum irridebant. Plebs uerò quia sibi ipsi nihil tribuebat,nec ullam de Christo sinistram opinionem cōceperat,sapientiam ueram didicit. Idem legitur de Eunucho reginæ Æthiopum, Actorum 8. capite.

Discant itaq; qui sacras literas cum fructu legere uel audire, sibiq; ueram sapientiam comparare uolunt:ne nimium sibi tribuant,sed ab ore Dei dependeant,omnesq; prauos affectus exuant,alioqui nihil discent. Iudex si uincatur odio, contra illum pronunciabit, qui rectissimam habet causam. De lupo narratur apologus, quòd in iudicum consessu, subinde agni uocem repetierit:licet enim agnus bonam causam haberet, tamē uorare eum cogitabat: ita qui prauis opinionibus imbuti sunt, nunquam rectè de controuersijs iudicabunt:& illa etiā quæ plana sunt & perspicua, non intelligent.

7 Vade à facie hominis stulti:& non cognouisti labia scientiæ.

Cauendum à congressibus stultorum.

Hortatur nos,ut à cōgressibus stultorum nobis caueamus. Stulti uox sæpe in hoc libro repetitur,& plerunq; significat,non illum,qui hebeti est sensu,sed qui uerbo Dei non credit. Licet enim illi sæpenumero non solum sibijpsis, sed & alijs quoq; sapientissimi uideantur, tamen coram Deo stulti sunt. נֶגֶד nægæd significat coram,ante,è regione: cum Mem significat à longinquo,procul. Sic Dauid in Psal.38. queritur: Amici mei procul à plaga mea steterūt. Inciderat enim in morbum,amici qui officij causa eum inuisebant,procul stabant, propter fœtorem uel contagium.

Causa autem quare fugiendi sint stulti,hæc asignatur: Si in tales incidas, non addisces sapientiam:ut præteritum sit loco futuri. Nam stulti contra ueram religionem & morum honestatem,subinde aliquid euomunt. Quomodo aūt boni aliquid ex ijs disceremus,quorum labia nihil boni loquuntur? Serpunt pestilentes illi sermones,instar gangrænæ, 2. Timoth.2.

Sapientes etiam rectè monent,ut à fatuis & morionibus nobis caueamus:nam si nos læserint,omnes rectè factum esse clamant.

Castalio alium sensum reddit: *Hominis insani præsentiam euita,siquidem scitam orationem ignoras*: id est,apud insanos prudēter est loquēdum. Vaf enim causalis etiam est,significat quoniā,quia.

8 Sapientia callidi est,intelligere uiam suam.

Vsus & fructus ueræ sapientiæ hic existit,ut sapiens suam uiam consideret. Per Metaphoram Viæ,quæ crebra est,cogitationes,sermones,mores,studia & actiones intelliguntur. Videat quisq;,ne quid contra præscriptum uerbi Dei agat uel instituat. Si uidet se ueram uiam sequi,pergat:sin uerò sentiat se à uia aberrare,redeat in eam,ut laqueos uitet. Non satis est tenere uirtutum & uitiorum formas,ac alijs pręscribere quid sequi debeant:sed decet ut nobis ipsis etiam leges præscribamus. Qui secus faciunt,similes sunt Mercurialibus statuis, quæ in ambiguis itineribus,iter nobis monstrant,quod ipsæ nunquam ingrediuntur. Facit etiā hæc sententia contra curiosos homines,qui in alienas res inquirunt,interim non uident quid domi suæ fiat. De his multa extant apud Græcos & Latinos prouerbia.

Stultitia autem stultorum dolum.) scilicet, intelligere. Stultis,hoc est,impijs non satis est,quod ipsi in uia pietatis & morum errant: sed neruos suos intendunt, ut dolos excogitent, quibus alios etiam à uera uia abstrahant. Laboramus enim hoc uitio hæreditario, ut si peccauimus, alios etiam ad peccatum solicitare non desinamus. Summa autem hęc est stultitia. Etsi enim multos

multos peccati socios habeamus, non tamen culpa nostra minuitur: sed potius aggrauatur. Dolo praeterea etiam in alijs rebus efficiendis utuntur.

9 Stulti derident *uel interpretantur* peccatum.

Stulti pro nihilo habent, si uel ipsi uel alij peccauerint, non seriò displicet eis peccatum, nec deplorant suam uel aliorum miseriam: quin tanquam re bene gesta gloriantur de sceleribus, ueluti adulterijs, usuris, ebrietate, &c. Maxima hodie peccata, pro bonis operibus uaeneunt. Quod si stulti ad tempus simulent, se de peccatis admissis dolere, statim ad ingenium suum redeunt. Quando scelera punire deberent, non faciunt. *Stulti ridēt peccatum.*

ליץ loz significat illudere & interpretari, hinc quidam hunc sensum eliciunt: Stulti omnia sua dicta & facta interpretantur in meliorem, aliorum uerò in deteriorem partem: ideo inter eos firma amicitia constare non potest. Aliorum quoq; à quibus ipsi laesi non sunt, peccata, bene interpretantur & extenuant.

אשם Ascham non solum delictum uel culpam significat: sed etiam hostiam pro delicto. Expiabantur hoc genere sacrificij peccata per imprudentiam, & etiam dedita opera commissa, sed mediocria: praeterea etiam scelera. Ritus huius sacrificij in Leuitico copiosè describitur. Certum autem est, eo sacrificio Christum praefiguratum fuisse, qui in ara crucis sacrificio corporis sui, peccata nostra expiauit. Isaias enim cap. 53. dicit, Ponet animam suam אשם delictum: id est, pro delicto. Et Paulus in 2. Corinth. 5, Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum: hoc est, sacrificium pro peccato. Rom. 8, De peccato condemnauit peccatum: prius pro piaculo, alterum pro peccato admisso usurpans. Pulchrè autem quadrat haec significatio: nam stulti sacrificium Christi rident. Stultum uidetur rationi humanae, Deum non alia uia & ratione homines seruare potuisse, quàm per crucem unigeniti sui filij. Etsi uerò stulti interdum uideri uolunt, quòd sacrificium Christi maximi faciant: tamen in locum eius alia substituunt, quibus salutem comparent, & ita sacrificium Christi abolent. Quis autem exitus illorum futurus sit, qui hanc hostiam contemnunt, & sanguinem Testamenti ceu rem prophanam habent, docet Paulus ad Hebraeos decimo capite. *Stulti etiam sacrificium pro peccato rident.*

Sed inter rectos est beneplacitum.) רצון razon fauor, beneuolentia, bona uoluntas, propensus animus, quem quis habet erga alium. Graecè εὐδοκία. Rectis, qui alieni sunt ab hypocrisi, & rectè incedunt, semper inter se conuenit: idem uolunt & idem nolunt, simul iucundissimè uiuunt: si dissensiones inter eos interdum oriantur, mox redeunt in gratiam. Sic fieri uidemus inter coniuges, filios & parentes, socios, &c.

Alij intelligunt, *inter rectos est beneplacitum*, scilicet Domini. Etsi prolabantur in peccata: tamen peccatum suum non defendunt, sed confitentur, & poenitentiam agunt, ideoq; Deo probantur.

10 Cor nouit amaritudinem animae suae.

Huius loci uidetur hic simplicissimus esse sensus: Quisq; optimè nouit, quid in animo uerset, quidq; eum cruciet. Saepe putamus aliquem nihil habere, quod eum angat, qui internè conscientiae stimulis miserè agitatur. De Aenea apud Vergilium legitur: *Animi dolorem & laeticiam nouit sola mens cuiusq;.*

Spem uultu simulat, premit alto corde dolorem.

Porrò ne quis dolore opprimatur, idonea remedia & consolationes uerbo Dei propositae, amplectendae sunt. Notum est illud Pauli Aemylij apophthegma, nouum calceum ostendentis: Vos uidetis egregium ac nouum esse calceum, sed qua parte pedem meum torqueat, id ego solus sentio: significans Papyriam uxorem, non aptam esse suis moribus.

Et in gaudio eius, alienus se non immiscet.) Sensus est: Mens ipsa cognoscit laeticiam conscientiae suae, & non alienus. Ex sermonibus & gestibus alicuius, multa colligimus: sed haec externa, non rarò nobis imponunt. Putamus interdum, aliquem ualde perturbatum esse, qui hilari est animo. Sancti homines perpetuò gaudent, etsi hoc non semper appareat.

11 Domus impiorum delebitur, tentorium autem rectorum florere faciet.

Scilicet, Dominus. Haec sententia confirmat pios, qui felicitate impiorum non parum commouentur. Domus, praesertim quae muris constat, firma est & stabilis, nullis procellis nec terraemotibus uidetur euerti posse, cùm tentoria facilè conuellantur. Sic res impiorum, genus, opes, &c. uidentur firmae, sed subitò concident. Dominus zelotes est, uindicans iniquitatem patrum in filios, Exod. 20. Res autem impiorum uidentur infirmae, sed florebunt. Etsi uerò in hoc seculo malis bene, bonis uerò malè esse saepe experiamur: tamen minimùm in altero seculo uices erunt. De pluribus regibus Israeliticis impijs legimus, *Impios euertit Deus.* *Pios conseruat Deus.*

quòd funditus interierint: de patriarchis uerò, qui sub tabernaculis uixerunt, quòd in spiritualibus & corporalibus floruerint. His itaq; sententijs animos nostros fulciamus.

12 Est uia recta coram uiro, & nouissimum eius uiæ mortis.

Via ducens ad salutem, & uia ducens ad interitum.

Christus Matth. 7. duas dicit esse uias, unam spaciosam, quæ abducit in exitium: alteram angustam, quæ ducit ad uitam. Hæc uia salutaris est Christus, Ioannis 14, Ego sum uia, ueritas, & uita, &c. &, Qui credit in me, habet uitam ęternam. Qui uera fide Christum apprehendunt, hanc uiam ingrediuntur: qui uerò Christo non contenti, alias salutis uias quærunt, insistunt uiæ, quæ ducit ad damnationem. Multi non per Christi meritum, salutem comparare uolunt, sed per sua & aliorum merita, per uota monastica, peregrinationes ad templa diuorum, missas & alia huiusmodi. Hanc dicunt ueram esse uiam & religionem: cur hæc & illa inquiunt Deo non essent grata? Hæreticos esse uociferantur, & ad supplicia illos rapiunt, qui salutis suæ proram & puppim in solo Christo constituunt. Afferunt ad suæ fidei ueritatem asserendam, præscriptionem longi temporis, multitudinem illorum qui hanc uiam ingrediuntur, felicitatem & uictorias, concordiam, ordinariam succesionem, miracula, concilia & alia huius generis. Vtcunq; uerò sibi blandiantur, nisi è medio cursu recurrant, ad exitium properabunt.

Quibus argumẽtis papistæ suam religionem confirmẽt.

Quod de doctrina dicitur, de uita etiam est intelligendum. Qui turpiter & flagitiosè uiuunt, nec recurrunt per ueram pœnitentiam, tandem æternùm peribunt, utut sibi in uijs suis placeant. Non itaq; de fide & uitæ instituto, iudicandum est secundum affectiones nostras: sed iuxta regulas ueritatis, comprehensas in ueteri & nouo Testamento. Multa nobis mirificè probantur, quæ Deo sunt abominationi, Luc. 16. Is præcipit nobis ne faciamus quod nobis bonum uidetur, sed quod ipse iussit.

13 Etiam in risu dolet cor: & nouissimum gaudij est mœror.

Gaudium triplex. Gaudiũ spirituale.

Ad meliorem intelligentiam huius dicti, & aliorum quoq; locorum sacræ scripturæ, distinguendum est inter gaudium: aliud enim est Spirituale, aliud ciuile & honestum, aliud prophanum. Spirituale gaudium appello, quod in Epistola ad Galatas, inter fructus spiritus numeratur, & ex fide in misericordiam Dei ortum habet. Hoc gaudium est perpetuum. Pij enim non tantum rebus secundis, sed etiam aduersis gaudent. Sciunt enim calamitates non casu accidere, sed à Deo pijs in bonum immitti. Si propter Christum conuitijs proscinduntur, ex dicto Christi Matth. 5. cap. consolationem percipiunt: si spoliantur fortunis, æquo animo ferunt, quemadmodum Paulus ad Hebr. 10. cap. de fidelibus scribit, quòd direptionem facultatum cum gaudio sustinuerint. Si conijciuntur in uincula, si cæduntur, gaudent cum Apostolis, Acto. 5. cap. si ad supplicium ducuntur, constantes sunt, quemadmodum de multis sanctis martyribus memorię proditum est. Ita in alijs ærumnis, ueluti paupertate, morbis, &c. ipsa deniq; morte lætantur. Et quanquam interdum etiam perturbentur, mox tamen redeunt ad se, & perturbationes spirituali gaudio sedant.

Gaudium ciuile.

Deinde est ciuile gaudium, quod concessum nobis est, si non immoderatum sit & importunum: ut si pij nuptijs intersunt, conuiuia agitent, animi causa iter faciant, ludant, &c. Hæc gaudia nunquam syncera sunt, sed semper aliquid fellis habent admixtum: quemadmodum hoc loco dicitur, *in risu*, id est, læticia, *dolet cor*. Et quamuis externè rideamus, tamen intus dolemus: nunc cogitatio peccatorum nos affligit, nunc subita mala accidunt, quibus gaudia nostra turbantur. Huc pertinet illud Antiphontis apud Stobæum: ἔνθα τὸ ἡδύ ἐστι, πλήσιόν που καὶ τὸ λυπηρόν· αἱ γὰρ ἡδοναὶ οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐκπορεύονται, ἀλλ᾽ ἀκολουθοῦσιν αὐταῖς λῦποι καὶ πόνοι: hoc est, Vbi dulce est, propè alicubi etiam triste. Voluptates enim non ex seipsis progrediuntur, sed sequuntur eas dolores & molestiæ. Plautus in Amphitryone:

Miscentur tristia lætis Ouid.

,, Ita cuiquam comparatum est in ætate hominum,
,, Ita dijs placitum, uoluptati ut mœror comes consequatur.
,, Quin incommodi plus, maliq; illico adsit, boni si obtigit quid.

Lucretius de natura rerum lib. 4. Conuiuia, ludi,
,, Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur
,, Necquicquam, quoniam medio de fonte leporum
,, Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Ouid. Nulla est sincera uoluptas
,, Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

Quod maximè ad prophana gaudia, de quibus mox dicã, est referendum. Nec tantũ dolores sequuntur, sed etiam cum gaudio coniuncti sunt. Hoc pulchrè Dionysius tyrannus Syracusanus, expressit terrore gladij, tenui filo pendentis supra uerticem Democlis adulatoris.

Est

Est item prophanum & carnale gaudium filiorum huius seculi, qui ex rebus impijs uoluptatem percipiunt, ueluti ex persecutione uerbi Dei, ebrietate, adulterio, usura, & id genus alijs. Hoc gaudium sempiterna tristicia consequitur. Iob dicit, 21. cap. de impijs, Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferos descendunt. Et Christus Luc. 6. cap. Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. 1. Reg. 1. cap. Adonias arripit imperium contra uoluntatem Dei, & conuiuium suis instruit: sed subitò consternantur ac diffugiunt. Antichristi quoq; gaudium in mœrorem uertetur. *Gaudium carnale.*

Discamus igitur ex hoc dicto Solomonico, non hanc præcipuam curam esse debere, ut semper in hoc mundo læti simus, sed ne læticia nostra uoluntati Dei aduersetur: in die bonorum malorum simus memores, quemadmodum de Iobo legimus: cogitantes, gaudij comitem esse mœrorem. Deinde non offendamur impiorum læticia, qui omnes illos rident, quotquot propter Christum se in discrimen offerunt. Gaudium enim ipsorum, tristem habebit exitum, quemadmodum Luc. 12. & 16. de diuitibus illis & multis alijs legitur.

14 De uijs suis satiabitur auersus corde.

Sensus est, unicuiq; dabitur iuxta opera sua. Qui ex fide sanctè uiuunt, fructum percipient: qui impiè, dabunt pœnas. Isaiæ 3. cap. Dicite iusto quòd bene habebit, quia fructum studiorum suorum comedet. Væ autem impio malo, quoniam retributio manuum suarum fiet ei. 1. Cor. 3. cap. Vnusquisq; mercedem accipiet, iuxta suum laborem. Matth. 16, Veniet filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius.

סוג sog significat abire, retrocedere: ponitur autem hic in particip. præterito, *auersus cor*, hoc est, auersum alienumq; habens cor. Forsterus in suo dictionario, סוג sug nomen esse dicit, & significare defectionem, auersionem: sed idem sensus erit cum superiore: *de uijs suis satiabitur retrocessio cordis*, id est, auersus corde, ut sit metonymia.

Et ab eo (auertetur) *uir bonus.*) מעליו mealaf uariè redditur. Vulgatus interpres, *super eū erit uir bonus*, id est, Deus & homines iustum iniquo præferunt. Quidam dicunt, *ab eo uir bonus*, scilicet recedet, uel antecellet eum. Alij *pro eo*, scilicet satiabitur uir bonus. Alij, *& de ijs* (nempe uijs suis) *uir quoq; bonus*, scilicet satiabitur. Munsterus reddidit, *ex fructibus suis uiuet uir bonus*: fortè quia עלים alim significat folia. Castalio, *suis moribus & uecors & uir bonus saturabitur*, id est, pro suis cuiq; factis præmia reddentur.

15 Simplex ac paruulus credet omni uerbo.

Simplices & stolidi homines, qui hominum improbitatem & leuitatem non sunt experti, quiduis credunt absq; delectu, ideoq; sæpe grauissima pericula, animæ & corporis & fortunarum incurrunt. Omnes enim historiæ testantur, credulitatem, & è diuerso incredulitatem atq; diffidentiam, rem esse perniciosam.

Facilitas credendi obest Ecclesiæ: nam omnibus falsis doctoribus ianuam aperuit. Si enim homines, non statim blandis uerbis, fictis lachrymis, & hypocritico uestitui credidissent: sed doctrinam exegissent ad Lydium lapidem uerbi diuini, non ita fuissent decepti. Obest item politijs: nam si magistratus unam tantum partem audiat, illiq; credat, iniquas fert sententias. Multa bella hinc sequuta sunt, quòd quibusuis delatoribus creditum est. Demosthenes dicebat, multa esse præsidia urbium, ut sunt ualla, mœnia, fossæ, quæ quidem magnos sumptus postularent, at firmissimum præsidium plebi contra tyrannos, esse ἀπιςίαν. S. Bernhardus in lib. de Consyderatione dicit: Credendi facilitas præsertim in præside aliorum, est ualde periculosa, & horribilia mala sequuntur ex ea, uidelicet suspiciones peruersæ, indignationes, detractiones, iniuriæ ac persequutiones iustorum, &c. Obest item Oeconomiæ: nam si maritus omnibus statim patulas aures præbeat, qui de uxore, liberis & seruis conqueruntur, in Zelotypiam incidet & familiam perturbabit. Idem sentiendum est de uxore. Quot iuuenes & quot uirgines credulitas illa perdidit? quibus idem accidit, quod in apologo habetur de asino, quem uehementer ægrotantem lupus inuisit, causas morbi aperuit, seq; salutares herbas & radices habere dixit, quibus si egressus in syluam uesceretur, curare posset: miser lupi uerbis credens, dilaniandum se præbuit: ita multi homines multa sibi promittentibus, fidem adhibentes, miserè pereunt. *De stulta credulitate.*

Magna igitur cautione opus est, ut cognoscamus quibus, quatenus & quomodo fides sit, uel non sit adhibenda. Quæ regula præcipuè in rebus quæ fidem attinent, obseruanda est, ne quid temerè uel probemus uel improbemus. D. Ioannes primæ Epist. ca. 4. probari iubet spiritus, num ex Deo sint. Berrhœenses in Actis Apostolorum laudantur hoc nomine, quòd ea quæ Apostolus docuit, studiosè in sacris scripturis inquisierunt. Papistæ *Nemini temere credendum uel fidendum.*

uellent nos promiscuè omnia amplecti, quæ ipsi tradunt. Deinde in alijs quoque rebus non facilè cuiuis est credendum: ueluti delatoribus, nouorum rumorum authoribus, item suam operam nobis promittentibus & alijs. Paucissimi enim sunt sinceri & fideles amici, plerique uerò fucati & fallaces. Apud Gentiles quoque multa extant præcepta de uitanda credulitate. Hesiodus dicit:

» πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας. Phocylides dicit:
» μὴ πίστευε τάχιστα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψει. Euripides in Helena:
» σώφρονος δ' ἀπιστίας
» οὐκ ἐστὶν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Dion sophista sermonem scripsit de non temerè credendo, in quo hoc Epicharmi laudat: νῆφε καὶ μέμνης ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν: quod Cicero ita conuertit, Nerui atque artus sapientiæ sunt, non temere credere. De hac materia multas præclaras sententias collegit Stobæus, in sua gnomologia. Non autem idcirco uolumus, ut homines suspicaces sint & diffidentes, utque nemini prorsus credant, candidè enim amici sunt diligendi: simul tamen cogitandum est, uoluntates hominum facilè mutari, ideoq; non cuiuis, nec temerè credendum, de quo mox plura.

At callidus aduertit gressus suos.) Callidus iterum in bonam partem capitur. Non quid alij credant, uel non credant, dicant, faciant uel omittant, considerat: sed quid Deus credendum & faciendum præscribat, &c. Nota quod dicit, *Gressus suos.*) curiositas enim iterum damnatur.

Charitas omnia credit. Quæri autem hoc loco posset, cùm Salomon stolidis (nam פתי pæthi, in malam partem accipitur) tribuat, quòd credant omni uerbo: præterea multa loca scripturæ & experientia ostēdant, quàm stultum & periculosum sit, omnia credere: quomodo Paulus in 1. ad Cor. 13. cap. de charitate scribat, πάντα πιστεύει, quod uerbum & credendi & fidēdi affectum comprehendit. Respondeo, distinguendum esse inter eam credendi facilitatem, quæ ex quadam leuitate, & eam quæ ex charitate proficiscitur. De illa enim Solo. de hac uerò Paulus loquitur. Charitas omnia credit, scilicet quæ salua religione & conscientia credi possunt ac debēt. De fratre non statim mali aliquid suspicatur, nec propter leues suspiciones credit alium sibi insidiari, donec argumenta uera habeat. Inprimis autem in dogmatibus recipiendis, magna cautione utitur, &c. De quo cap. 10. uersu 9. plura annotauimus.

16 **Sapiens timet, & recedit à malo.**

Metuit ne patrem cœlestem offendat: perpendit item iudicia Dei contra sceleratos, quæ eum ab erroribus & sceleribus reuocant. Si uerò lapsus fuerit, mox per gratiam Dei redit in uiam. Timor igitur in sapientem quoq; cadit, nec semper uitiosus est.

Stultus autem irascitur, & securus est.) עבר Afar, est transire, transgredi, præterire: in hithpael esset, facere se progredi: sed accipiunt pro irasci: ita nos quoque dicimus, Im selbs entgan/entrünnen. Vulgatus interpres legit, *transiuit & confidit.* Sensus est, stultum amore Dei aut metu iudiciorum eius, non reuocari à sceleribus: sed impulsu iræ & aliorum affectuum facere quicquid libet, pergere audacter, & quando impiè & sceleratè egit, securum esse. Non timet, ne Deum uerbis uel factis offendat, sed putat se eum habere propitium & clementem, etsi pœnitentiam non agat: uel blanditur sibi, quòd postea pœnitentiam agere uelit, aut pœnas fortiter perferre. Si Deus in hoc seculo eum punire incipiat, fremit, & cum eo expostulat. Hominibus quoq; qui eum reprehendunt, & à sceleribus reuocare conantur, irascitur.

17 **Qui facilè irascitur, faciet stulticiam.**

Conferuntur duo ijsdem affectibus laborantes, sed diuerso modo exercentes: קצר אפים Kezar apaim, breuis naribus uel faciebus, periphrasis est irati: nam signa irati animi in naso

Ira. prodimus: nos dicimus, Er ist kurtz gebunden. Qui facilè & subitò irascuntur, multa uera & ficta effundunt de proximis suis: quæ postea eis negocium facessunt: ad pugnas item sæpe prosiliunt, ac multa faciunt, quæ illico pœnitentia consequitur. Nam cùm omnes affectus, aciem mentis & iudicium obumbrant: tum ira ita obscurat, ut nec utile nec decorum uidere possit. Horatius dicit in epist.

» Qui non moderabitur iræ
» Infectum uolet esse dolor quod suaserit & mens,
» Dum pœnas odio per uim festinat inulto.

Seneca scribit, iram ab insania hoc tantum differre, quòd insania & furor semper duret, ira autem ad tempus tantum. Cicero dicit: Ira procul absit, cum qua nihil rectè fieri, nihil consideratè potest.

Vir autem cogitationum, odio habetur.) איש מזמות Isch mezimmoth, uir cogitationum.

Sensus

Sensus est, Qui dissimulat offensam, & interea de occasione sese ulciscendi cogitat, odiosus est Deo & hominibus. Deus in suis titulis habet quòd sit, ארך אפים æræch apaim, longus naribus uel faciebus, id est, quòd non facilè irascatur, longanimis. Solem suum sinit exoriri super bonos & malos: sibi uindictam iubet committi, quam uel immediatè, ut uocant, exercet, uel per causas secundas. Christus & Apostoli subinde urgent charitatem, ignoscendum esse proximo, non tantum uerbis, sed & uitæ suæ exemplo docent. Qui igitur Deum & sanctos imitari nolunt, sed potius Diabolum & impios, meritò à Deo odio habentur. *Deus longanimis.*

Deinde homines quoque astutos illos oderunt & detestantur, cauendosq; omnino suadent: turbant enim statum publicum, & peiores sunt illis, qui subitò excandescunt. Hi enim omne uirus semel euomunt, nulla alunt odia, & mox cum illis quibus offensi erant, in gratiam redeunt: illi uerò recordantur iniuriarum in multos annos, & tantum abest, ut ulciscendi cupiditatem deponant, ut aliquando inimicitias per manus filijs & nepotibus cum hæreditate tradant.

18 Simplices in hæreditatem acceperunt stulticiam.

Vox פתי pæthi, hoc loco in malam partem accipitur. Solomon enim nihil aliud uult dicere, quàm quòd proprium sit simplicium hominum, ut sint stulti. Idem cùm in alijs rebus, tum in negocio religionis, liquidò apparet. Etsi enim subinde discant, non tamen ad ueram cognitionem perueniunt: cumque magnificas res expectent, spe sua frustrantur. Nihil tam absurdum, ludicrum, ridiculum superioribus seculis fingi uel excogitari potuit, quod simplices homines, non pro uero & indubitato receperint. Sacrificuli loco uerbi Dei, proposuerunt sanctorum historiam, quam Legendam auream uocant, prodigiosis mendacijs refertam: de qua rectè Ludo. Viues scribit, Se nescire cur aurea nominetur, cùm scripta sit ab homine ferrei oris, & plumbei cordis, & illo libro fœdius nihil dici possit: nihilominus tamen à simplicibus illis, pro oraculis hæc omnia habita fuerunt. At quem quæso fructum inde miseri perceperunt? Planè nullum: anxiè quæsiuerunt, quibus uijs & rationibus à peccatis liberari possent, sed magistri illi non ueram uiam eis monstrarunt, nempe fidem in Christum: sed peregrinationes ad loca, ut uocant, gratiosa, tabulas indulgentiales, & multa alia huius generis. *Legenda aurea.*

Hodie quoque multi sunt, qui in tanta luce Euangelij oculos aperire nolunt, sed se seducendos præbent. Quin multi qui Euangelium profitentur, si uel conciones Papisticas audiant, uel in Anabaptistas & alios fanaticos incidant, eos non aliter audiunt, quàm ut est in apologo de asino, *ὄνῳ τὶς μῦθον ἔλεγε, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει.* Statim eis omnia excidunt, quæ ex uerbo Dei audiuerunt. Illi omnes hæreditant stulticiã, nam subinde magis magisq; incerti sunt.

Qui autem callidi sunt, hi coronantur scientia.) פתי Pæthi simplex, imperitus, & ערום arum, callidus, astutus, opposita sunt. Qui non statim omnia illa credunt quæ audiunt, maximè in rebus fidei, sed cauti sunt, & iuxta canonem Apostoli, omnia probant: illi coronabuntur scientia, hoc est, non deerit illis facultas, qua intelligant, quid credendum quidq; faciendum sit, uel minus. Quidam exponunt, *Coronabunt.*) hoc est, institutione sua glorificabunt suos discipulos: est enim hiphil. Disce itaque ne cuiuis credas, qui uestitu, incessu, sermone pietatem simulat: sed considera an quæ dicit, cum Decalogo, oratione Dominica & Symbolo fidei, atque adeò uetere & nouo Testamento congruant. Videte quæso, qui'nam magis candidè agant cum suis auditoribus, nos'ne, an nostri aduersarij? Nos auditoribus nostris liberum permittimus, quin eos subinde hortamur & urgemus, ut nostram doctrinam ad sacræ scripturæ *βάσανον* exigant, nec temerè nobis credant, nisi nostra firmis testimonijs sacrarum literarum confirmauerimus. Isti uerò satis esse dicunt, si laici ingrediantur Ecclesiam, audiant missas & offerant, simpliciterq; omnibus illis credant, quæ eis proponuntur, etiamsi non intelligant: intelligentiam sacrarum scripturarum competere doctoribus. Quin libros sacros excutiunt è manibus suorum auditorum, ne uidelicet uenenum ex Biblijs hauriant. O' impostores. An'non hoc nomine laudatur Timotheus, quòd à puero sacris literis operam dederit? An'non melioribus illis temporibus sacræ scripturæ etiam ab agricolis tractabantur? Non est difficile uidere quid uos moueat: metuitis, ne si sacræ literæ laicis familiares esse incipiant, uestri doli & fuci retegantur. De uera & stulta simplicitate alibi plura annotauimus. *Calliditas bona.* *Tractandæ sacræ literæ à laicis.*

19 Incuruant se mali ante bonos, & impij ad portas iusti.

Incuruare se ad portam alicuius, significat supplicem alicui fieri: aliquem obseruare & colere. Ad illorum enim portas quos colimus libenter uersamur. Ferè fit in hoc mundo, ut pij ab impijs contemnantur, propter pietatem & iusticiam: sed è diuerso sæpe etiam

Impij aliquãdo supplices fiunt pijs. contingit, procurante Deo, ut impij piorum consilio & ope indigeant, eosq; honore, uelint nolint, afficere cogantur. Huius sententiæ exempla multa habemus in scripturis: Abimælechus, cùm familia eius graui morbo affligeretur, iussus est à Deo rogare Abraamum, quem prophetam appellat, ut pro se intercedat apud Dominum. Iosephus à fratribus suis, & alijs multis colitur. Pharao cùm uarijs malis premeretur, supplex fit Mosi & Aaroni, quos oderat: dicit enim, Rogate quæso Dominum, ut auferat à me hæc mala. Saul Samuelem à mortuis excitatum consulere cupiebat. Balthazar Danielem inquirit & honore afficit, Dan. 5. cap. Hamanus Mardochæum maximo honore iussu regis, afficere uel inuitus cogebatur. Hodie etiam iudicio Dei sæpe fit, ut impijs piorum opera necessaria sit, utq; eos obseruent & colant. Adhæc tanta est uirtutis dignitas, ut se mali ante bonos incuruent, hoc est, tacitè eos suspiciant, & honorificè de eis sentiant. In futura uita, hæc demum rectè implebuntur, quando impij humiliabuntur. Sic Lazari opera diues ille luxuriosus uti optabat. Fatuæ uirgines ostium pulsantes, repelluntur. Sancti adhæc iudicabunt impios: portæ enim in sacris literis etiam significant iudicia.

20 Etiam proximo (*uel amico*) suo exosus est pauper.

Hæc est conditio pauperum, ut etiam ab illis, quibus arctissimis uinculis necessitudinum astricti sunt, odio habeantur. Pudet enim diuites pauperum amicorum, putantes eos sibi esse dedecori. Deinde metuunt, ne subleuare eorum egestatem cogantur, opes suas amicis & cognatis præferentes. Euripides etiam dicit in Medea:

,, πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκ ποδῶν φίλος.

Etsi uerò pauperes contemnantur ab hominibus: Deus tamen nequaquam eos repellit, quin se passim in scripturis, pauperum, uiduarum, pupillorum & peregrinorum patronum, & defensorem appellat. Christus nostra causa pauper factus est. Nihil igitur pauperes contra pietatem committant, ut diuitias acquirant. Similis sententia sequitur 19. cap. uersu 7.

Et diuitis multi sunt amici.) Diuitibus multi se coniungunt, sperant enim se multa commoda ex eis percepturos. At in periculis plerique eos deserunt. Hoc uiderunt & questi sunt etiam ethnici. Theognis dicit:

,, εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι. ἢν δὲ πένηαι
,, παῦροι, κοὐκ ἔθ᾽ ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.

Ouidij uersus lib. 1. de Tristibus, omnibus sunt in ore:

,, Donec eris felix multos numerabis amicos,
,, Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Et in libro de Ponto 2.

,, Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
,, Quæ simul intonuit, proxima quæq; fugat.

Postea suum exemplum adducit:

,, En ego non paucis quondam munitus amicis,
,, Dum flauit uelis aura secunda meis.
,, Vt fera nimboso tumuerunt æquora uento,
,, In medijs lacera naue relinquor aquis.

Horatius Ode 35. lib. 1.

,, Diffugiunt cadis
,, Cum fece siccatis amici, &c.

Cum Aristodemus Spartiates, diuitias simul & amicos amisisset, exclamabat: χρήματα χρήματα ἀνήρ, πενιχρὸς δὲ οὐδεὶς πέλετ᾽ ἐσθλὸς οὐδὲ τίμιος: hoc est, pecunia pecunia uir, pauper nemo bonus est aut honore dignus. Dauid etiam queritur se ab amicissimis desertum esse. Nec tantum deserunt nos, sed uertuntur etiam interdum in hostes nostros capitales. Veri amici sunt, qui non mutant animum cum fortuna: sed rebus etiam tristibus, nobis opem suam præstant. Qualis legitur fuisse Ithai peregrinus, qui cum suis militibus, Dauidi per seditionem in exilium pulso, auxilium tulit. Amicus certus in re incerta cernitur. Discamus autem nos non hominibus, sed soli Deo fidere.

21 Qui contemnit proximum suum, peccat.

Præcedens sententia, ostendit hos mores esse hominum, ut pauperes proximis suis, etiam amicis odiosi sint, diuites uerò amicis abundent. Nos autem moribus hominum in malo *Proximus non cõtemnendus.* conformari non debemus: sed consyderare quid Deo probetur, & quomodo in uerbo suo de rebus iudicet. Dicit autem hoc loco per Solomonem, illos peccare, qui proximos suos despiciunt. Paupertas enim non est res, quæ hominem contemptione dignum reddat. In-

Inquirendum est hoc loco, quis sit proximus, de quo non omnes idem sentiunt. Multi enim putant tantum consanguineos, affines & benefactores suos esse proximos. רעה reæ uel רע rea, Græcè πλήσιος, Latinè proximus, est quicunque nobis occurrit, & nostra ope consilioq; indiget, siue amicus sit, siue inimicus. Hoc enim Christus rogatus à legisperito, quis nam esset proximus, similitudine de saucio & Samaritano docuit, Luc. 10. Sic in nostra quoque lingua Germanica proximum appellamus, Der nechst der best: quemlibet sine discrimine, quem sors nobis obtulerit. Qui nunc contemnit proximum suum, is peccat. Commendat enim nobis Deus proximum. Christus docet legem & prophetas huc tendere, ut Deum præ omnibus diligamus, & proximum sicut nos ipsos. Quisquis sit, amicus siue hostis, domesticus siue peregrinus, diligendus est. Christus quoque disertè præcipit, ut inimicos nostros diligamus: modum adhæc & rationem diligendi proximum præscribit, non quemadmodum alij eum diligunt, uel quemadmodum ipse te diligit, sed dilige eum sicut teipsum. Peccant igitur qui peregrinos, uel etiam hostes suos contemnunt: nam Deus in ipsis quodammodo contemnitur. Interim non existimandum est, in dilectione ordinem tolli. Tametsi enim omnes nostri proximi sint, qui nostra opera indigent: tamen si omnibus prodesse simul non possis, hi inprimis iuuādi sunt, qui arctiore tibi uinculo iunguntur. Paul. enim ad Gal. 6. cap. dicit: Dum tempus habemus operemur bonum, cùm erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei. Sed charitas hac in re modum seruare poterit.

Proximus quis sit.

Nec aduersatur hæc sententia Psalmo, qui beatum illum pronunciat, in cuius oculis est contemptus impius, nam in quantum quis impius est & sceleratus, contemni debet. Aristoteles quoq; in ethicis cum de magnanimo agit, dicit eum uitiosos contemnere.

Impius contēni debet.

Si uerò qui proximum suum contemnit, peccat, quid de illis dicēdum, qui proximos suos etiam arctissimis uinculis sibi coniunctos, nec uerbis nec factis læsi, non modo contemnūt, sed etiam magna iniuria afficiunt?

Qui miseretur oppressorum, beatus ille.) ענו Ani oppressus, afflictus. Vetus interpres nunc pauperem, nunc miserum, nunc humilem conuertit. Qui oppressos morbis, paupertate, tyrannide & alijs calamitatibus, non modò non contemnit, sed & misericordia erga eos mouetur, Deo gratus est. συμπάθεια passim in sacris literis nobis commendatur. Fideles ita comparati sunt, ut pro ingenio patris sui cœlestis, faciles & propensi sint ad misericordiam: quæ non tantum in hoc posita est, ut sensu alieni mali afficiamur: sed ut precibus etiam, ac alijs quibuscunq; rationibus possumus, afflictos iuuemus. Aliquando non suppetit nobis quod alijs cōferamus: at apud alios pro eis intercedere debemus. Paulus in posteriore ad Timotheum, nouissimis temporibus futuros dicit homines duros & immites, qui non modò non aliena, sed ne propria quidem miseria afficiantur. Et profectò hodie multi sunt qui oppressos, non modò non subleuant, sed eis insultant. Principes uerò & magistratus non solùm uerbis συμπάθειαν testari debent, sed reipsa oppressos subleuare.

Afflicti iuuandi.

22 Non'ne (*uel certè*) errabunt, cogitantes malum.

חרש Charasch arare, fodere, tacitè cogitare, urgere opus, & per metaph. insidiari significat. De illis qui fodiunt malum, infrà quoq; dicetur. Turpe est si quis ex inscitia uel ex humana infirmitate peccet: turpissimum uerò, si quis destinato consilio peccet, dies noctesq; cogitans de perficiēdis malis. Isti non assequentur quod cupiunt: cupiunt enim bonum aliquod sibi comparare, & malum propellere, sed incidet in grauissima mala. Licet ad tempus in hoc seculo beati & felices esse uideantur, tamen uices aliquando erunt.

Misericordia & ueritas, cogitantibus bonum.) Illis qui soliciti sunt, ut inquirant & faciant uoluntatem Dei, ac bene de hominibus mereantur, Deus rependet. Hæ uoces אמת amath & חסד chæsed, sæpe in scripturis coniunguntur. Nam primum mouetur Deus misericordia ut nobis benefaciat, & sua dona nobis largiatur. Deinde cum implet illam uolūtatem, ueritatem dicitur facere. Quod Deus facit, homines etiam pij faciunt, erga cogitantes bonum.

23 In omni labore est abundantia: sed uerbum labiorum, tantum ad defectum.

Sensus est, Qui honesto labori incumbit necessarijs non deficiet. Prouerbio dicitur, Artem quæuis alit terra. Vbi uerbis tantum agitur, sequitur egestas. Sunt multi, qui de re domestica optimè loquuntur: sed quia laborare nolunt, egentes sunt. Euripides in Electra dicit:

Labore necessaria cōparantur.

" ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,
" βίον δύναιτ᾽ ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου.

Sciendum autem est nostros labores frustraneos esse, nisi Deus successum dederit. Hæc sententia alijs rebus quoq; potest accommodari. Frustra adolescentes uerba fundunt de studijs

bonarum literarum, de doctis uiris, de bonis & utilibus libris, nisi literis sedulò incumbant. Epicharmus testatur, laboribus omnia nobis deos uendere. Horatius:

"Nihil sine magno
"Vita labore dedit mortalibus. Recurre ad cap. 13. uersum 4.

24 Corona sapientum diuitiæ eorum.

Diuitiarum iustus usus. Simplex huius gnomæ hic uidetur esse sensus. Diuitiæ sapientibus & pijs hominibus honori sunt & ornamento, rectè enim illis utuntur. Est autem hic diuitiarum usus, ut ad honorē Dei conferantur, ad usus uitæ necessarios: & ad cōsolationem proximi. Non autem ideo hæc dicuntur, ut nobis pręcipua sit cura diuitiarū terrenarū, maior enim cœlestiū ratio est habēda.

Stultitia stultorum stultitia.) Stulti siue pauperes fuerint siue diuites, semper sui similes erunt: diuitiæ non ornabunt eos, nec instrumenta uirtutis eis erunt: sed potius occasio, ut prodant quod in pectore latitabat. Sunt qui insanis ædificijs, stultitiam suam (quę per inopiam occultata fuerat) publicè ostendant: sunt qui mensis bene instructis, qui sumptuoso uestitu, qui alijs rebus, suam mentem detegant. Si de usu opum & abusu, sermones ad eos fiant, nihil mouentur, ingrati sunt Deo, neq; cogitant aliquādo rationem esse reddendam, sed omnino stultitiam eorum omnibus palàm fieri oportet. Paupertate quoq; nō rectè utuntur. Posset forsan hic quoq; sensus esse, *Stultitia stultis stultitia.*) Stulti quoq; sæpenumero iudicare possunt, quàm stultè stulti faciant, uel quàm stulta sit stultitia.

25 Eruit animas testis uerax.

Testes ueraces. Hanc sententiam primum accommodare possumus ministris ecclesię: latè enim accipitur in scripturis uox testis. Prædicare de Christo, est testificari de Christo. Christus dicit Actorum 1. cap. ad Apostolos: Eritis mihi testes. Boni concionatores liberant homines à maximis erroribus & flagitijs: erigunt pauidas conscientias uerbo Dei, quo docetur, agentibus pœnitentiam remitti peccata, propter Christū. Deinde in foro & iudicio, testis uerax liberat animas, hoc est homines. Nam de innocentia illorū testatur, quorum uita petitur. In quotidiano colloquio si ueraces simus testes, & alieni ab assentatiōe, homines maximis periculis eripimus. Seipsos quoq; testes ueraces, periculis eximunt.

Loquitur autem mendacia, fraus (uel dolus.) Id est, fraudulentus & falsus testis (qui per Metonymiam fraus uel dolus appellatur) loquitur mendacia, quibus hominibus maxima damna cōciliat. Quot animas perdunt falsi doctores? quot in foro, lingua falsorum testium occidit? Exempla multa sunt illorum qui falsis testimonijs oppressi sunt. Nabothi, Susannæ, Stephani & aliorum: quot millia, uiolatæ religionis à falsis testibus accusati, & ab iniquis iudicibus damnati sunt? In quotidiano quoq; colloquio, multi mendacijs & assentatione perduntur.

26 In timore Domini, securitas est fortitudinis.

Multa sunt in quibus homines fiduciam suam collocant: ueluti sunt oppida munita, arces, fœderati, arma, uires, consilia, opes, affinitates, clientelæ, & alia huius generis. Sed turpissimè falluntur, qui in illis rebus spem suam ponūt. Nam in timore Domini duntaxat, firma est securitas & tuta potentia. Qui Deum uerè timent, & uerbo eius credunt, sciunt Deum sibi propitium esse: sciunt nihil prorsus sibi accidere posse, absq; uoluntate Dei patris: sciunt timentibus Deum, etiam mala in bonum cedere: sciunt Deum mille habere uias & rationes, quibus suos ex omnibus periculis, si utile sit, possit eripere: sin minus, in media etiam morte eos seruare. Hinc ueram securitatem & gaudium in cordibus suis concipiunt: inq; omnibus terroribus & furoribus mundi, spem de bonitate Dei conceptam, non abijciunt. Dauid in suis Psalmis, Deum, quem in suo exilio subinde clementissimum expertus fuerat, nunc arcem, nunc propugnaculum, nunc rupem, nunc clypeum, nunc refugium suum appellat. Socij Danielis, intrepido uultu ad ardentem fornacem accedunt. Martyres magna constantia, maxima quæque tormenta pertulerunt. Instrumenta quidem defensionis non sunt reijcienda: sciendum tamen omnia irrita esse, & quandoque ad exitium nostrum facere, nisi Deus nobis bene uelit. *(Timor Domini firmū propugnaculum.)*

Et filijs eius erit perfugium.) Nempe Dei. Omnes natura sumus filij iræ & æternæ damnationis: sed beneficio mortis Christi per fidem adoptamur in filios Dei, Ioan. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui crediderunt in nomen ipsius. Hinc in oratione dominica & in symbolo fidei, Deum, patrem nostrū appellamus. Filijs suis propitius esse uult: & quemadmodum pueri ad parentes confugiunt, ita Deus nostrū est confugium. מחסה machsæh significat protectionem, latibulum, receptaculum, ut cum ab æstu uel imbribus nos defendimus. Alij *Filij eius.*) non referunt ad Deum, sed illum qui Deum *(Deus est portus & refugium piorum.)*

time

timet & colit. Deus est filiorum eius, quasi portus in quem se recipiant in omnibus afflictionibus. Nam pius pater nihil omittit ut pios filios post se relinquat, qui paternis uestigijs insistant. Quod si filij uacui sint timore Dei & pietate, nihil proderit eis parentum & maiorum suorum pietas & religio. Sic etiam, cum quis impios parentes habuerit, ipse uerò timens Dei sit, parentum impietas nihil ei officiet. Multi parentes, si migrandum sit ex hoc seculo, queruntur quòd liberis nihil relinquant: sed etsi magnas opes habeant, tuti & salui esse non possunt: danda potius est opera, ut tales sint, qui Deum protectorem habeant.

27 Timor Domini fons est uitæ, ad recedendum à laqueis mortis.

Timoris Dei fructus.

Amplissimum fructum timoris Dei, hæc quoq; sententia proponit. Timentes Deum, hoc est, uera fide prediti, uiuent. Non loquitur de uita naturali, sed de spirituali. Viuent Christo & pietati, & post hanc uitam, corpore & anima, cum Deo & omnibus sanctis eius, uiuent æternùm. Tuti etiam erunt à laqueis mortis. Mortem quidem temporalem non euadent, sed æternam. Et quanquam satan, robustus ille uenator, multos & innumerabiles laqueos habeat, quibus sanctos putat irretitos teneri, eos tamen declinant. Corporalibus armis frustra nos contra satanam defendimus: timore Domini opus est. Vacuos timore Dei, satan captiuos circumducit. Adhæc timor Domini, temporarias quoq; promissiones habet.

28 In multitudine populi, est gloria regis.

In quib. gloria regis consistat.

Decus, gloria & potentia regum, non tam sita est in lata iurisdictione, munitione oppidorum, multitudine equorum & canum, aut sumptuoso uestitu: quàm in multitudine populi. Vbi enim populi multitudo fuerit, indicium est pacis, concordiæ & iustæ gubernationis. Externis nanq; & intestinis bellis, populus paulatim absumitur: iniusto & tyrannico imperio, immoderatisq; exactionibus, multi solum uertere coguntur. O` quàm felices essent principes, si quæ uera essent ornamenta suorum regnorum, perpenderent.

Cum non fuerit populus, terror principis.) רזון Rason, princeps, alia forma רזן rosen. Alij interpretantur maciem, à רזה rasah, attenuare: ut sit sensus, *Vbi non est populus, timor tenuitatis.*) id est, ibi metuenda est tenuitas, macies uel attritio. Si subditi principum numero imminuantur, si peste absumantur, bello pereant, & tyrannicis legibus oppressi, principem deserant, meritò consternantur principes. Quid enim sunt absq; subditis? Habeant immensas opes, oppida, castella, machinas bellicas, si destituti sint beneuolis subditis, nihil habebunt. Hinc putant quidam, principes numero multitudinis de seipsis loqui, quasi se populo adiungant. Præclara est illa uox Q. Catuli, cùm Sylla bello ciuili in omnes sæuiret, ut Eutropius scribit, ille obuiam ei factus, Cum quibus, inquit, tandem uicturi sumus, aut quibus imperabimus, si armatos in bello, & inermes in pace occidimus? Prudenter iudicabat, principibus optandam esse populi multitudinem. Paucitas populi, uidetur maledictio quædam Dei esse. Cum enim Deus Dauidem, propterea quòd populum numerasset, affligere constituisset, multos eius subditos peste absumpsit. Tempore Solomo felix regnum fuisse ostenditur, quia populus multus erat. Moses Deut. 1. cap. dicit ad Israelitas: Dominus Deus uester multiplicauit uos, ita ut sitis hodie sicut stellæ cœli in multitudine. Mox subiungit, Dominus Deus patrum uestrorum addat super uos, sicut estis, mille uicibus, & benedicat uobis, quemadmodum loquutus est uobis, &c. Multi frequentiam hominum, putant maledictionem esse Dei. Sed Deus cui perinde est paucos uel multos alere, inter benedictiones numerat. Si principes destitutos populo, hostis inuadat, non habent qui eos defendant, & se periculis obijciant. Quid conductitijs militibus fidendum sit, tot seculorum experientia docet. Principibus itaque summopere laborandum est, ut suas terras ueris atq; summis ornamentis, bonis nimirum subditis augeant: & noxios illos homines compescant, qui sua auaritia & crudelitate bonos subditos, suis sedibus pellant.

Multitudo populi est benedictio Dei.

Amplitudo regni Christi.

Pertinet etiam ad Christi æterni regis seruatoris nostri laudem, quòd multos habet confessores sui Euangelij. Qui homines uel doctrina uel uitæ turpitudine, à uera doctrina abalienant, detrahunt gloriæ Christi. Dici hoc loco potest de multitudine credentium. Isaiæ nono capite prædicitur, regnum Messiæ amplissimum fore, &c. Pomeria regni Christi nimis extendunt, qui dicunt unumquenque in sua religione, qualiscunque tandem illa sit, saluari: id quod longè absurdissimum est.

29 Qui tardus est ad iram, multus est intelligentia.

Qui hominibus condonant, quæ sine peccato tolerari & dissimulari possunt, nec subitò implacabiles, uindictam appetunt, sapientes sunt. Nam si omnes iniurias persequi uellent, in maxima mala sese & alios conijcerent.

Exaltare stulticiam.

Breuis autem spiritu, exaltat stulticiam.) Hoc est, qui facilè irritatur, stulticiam suam perspicuam

reddit. Nam cum aliquid alijs ſpectandum præbemus, efferimus: ut in foro, cum aliquid uen dimus. Qui ſibi imperare non poſſunt, ſed impetum animi ſui ſequuntur, multa ſtulta deſignant. Quemadmodum uaſa muſto plena, ſordes eijciunt: ita irati prorumpunt in uerba, ex quibus ſtultitia ipſorum deprehenditur. Paulò ſuperius habuimus, Citò iratus deſignat ſtultitiam, uir cogitabundus odio habetur.

30 Vita carnium, eſt cordis ſanitas.

Vel cor lenitatis, id eſt, lene. Si cor hominis prauis affectibus purgatum ſit, ira, inuidia, &c. meliore ſanitate utitur, uiuitq; diutius. Animus enim ſanus, corpus quoq; ſanum reddit. Vita carnis, pro corporis & membrorum eius ſalubritate ponitur: homo enim conſtat carne & ſpiritu, uel quod idem eſt, corpore & anima.

Putredo oſsium zelus (uel inuidia.) Si homo prauis laboret affectibus, paulatim conficitur. Putredo oſsium, malum eſt quod difficilè curatur, & maximos cruciatus affert: ſic inuidia & zelotypia, exiccant medullas, debilitant uires, animos affligunt.

Vox קנאה Kineah zelotypiam & inuidiam ſignificat: quæ duæ affectiones uehementiſsimæ ſunt: de utraq; paucula quæ ad huius loci explicationem pertinent, annotabo. Ζηλοτυπία eſt metus ne quis tecum habeat commune, quod tuum unius eſſe uelis. Affectio eſt truculentiſsima, quæ cum animos coniugum occuparit, deſperanda eſt matrimonij felicitas. Hinc oriuntur magnæ turbæ, ſuſpiciones, querelæ, rixæ, pugnæ. Legimus in hiſtorijs, maritos hoc morbo laborantes, occiſis prius uxoribus, poſtea ſibi & liberis quandoque manus intuliſſe. Quocirca diligenter cauendum eſt, ne coniuges in hunc morbum incidant, uel ut citò ab eo liberentur. Maritus non facilè fidem illis habeat, qui uxorem accuſant: non omnia ſiniſtrè interpretetur, præcipuè uerò Deum inuocet, ut ab immiti hoc tyranno liberetur. At parum pudicè ſe gerit, inquis, uxor mea. Diligens ergo ſis erga ipſam, ne peccandi occaſione abutatur. Vxores domi caſtè uiuant, maritos diligant, aliorum formam non laudent: in publico modeſtè ſe gerant, non colloquantur cum alienis uiris, nec cum mulieribus quorum pudicitia ſuſpecta eſt: curent item ne uel locus, uel tempus, morbum uiri augeant. Alioqui & ipſæ rationem Deo reddent, & ijs tormentis ſe ultrò addicent, quibus nulla poſſunt in hac uita comparari.

Zelotypia.

Inuidia.

Deinde uox Hebraica ſignificat inuidiam, quæ definitur, dolor proueniens ex proximi cõmodo. Vulgaris hic eſt affectus inter homines, ſed certè truculentiſsimus, qui quàm diu in animis hominum regnat & ſæuit, deſperanda eſt ſanitas. Nam quemadmodum ueſtes à tineis corrumpuntur: ita homo per inuidiam corde arroditur, & toto corpore exhauritur. Inuidia erga alios immitis eſt tyrannus, erga ſe uerò iuſtus iudex: ſeipſum enim paulatim conficit. Hinc Græcus quidam:

" ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ.
" τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα, καὶ καρδίην.

Socrates optabat, ut inuidi plures aures & oculos haberent, quò de omnibus commodis hominum torquerentur. Magna corpori quoq; affert incommoda: pallor, liuiditas, macies contrahuntur ex inuidia. Antiſthenes dixit, inuidos non aliter ſuo ipſorum uitio, atq; ferrum rubigine abſumi. Democrates aiebat, ὁ φθονέων ἑαυτὸν ὡς ἐχθρὸν λυπέει: inuidus ſeipſum non ſecus ac hoſtem offendit. Quocirca uiribus uniuerſis annitẽdum eſt, ne peſtis hæc nos inuadat. Cogitemus, Deum pro ſua immenſa miſericordia diſtribuere dona hominibus, non igitur fas eſſe ut eis inuideamus. Cogitemus item inuidiã diaboli filiam eſſe. Adhæc cùm mala domeſtica nos premant, bonis alienis, noſtros dolores non eſſe augendos.

31 Qui opprimit pauperem, probro afficit factorem eius.

עשק Aſchak eſt fraudare. R. Dauid in libro radicum facit differentiam inter עשק aſchak & גזל gaſal. עשק enim eſt nolle reſtituere rem proximi ſui, quæ in poteſtatem cuiuſpiam uenit per depoſitum, mutuum, obligationem, ut eſt merces mercenarij, quam quis illi tenetur reddere. Sed גזל eſt ui aperta eripere. Vulgata uerſio ſæpe uertit calumniari: quod tamen fit uerbis, hoc autem factis. Qui pauperem circumuenit dolis & fraudibus, quiq; bona eius occupat, factorem eius probro afficit. חרף charaf probris & conuitijs inceſſere. Septuaginta reddunt, παροξύνει irritat: qui enim probris & contumelijs aliquem afficiũt, irritant & prouocant eum. Sic Goliathus dicit, ſe agmina Iſraelitarum probro affeciſſe.

Pauperes ſubleuandi ſunt.

Ratio huius gnomæ hæc eſt: quòd Deus, ut Anna canit 1. Sam. 2. cap. diuites facit & pauperes: quos nobis proponit, ut eos conſilio & ope noſtra ſubleuemus. Chriſtus in Euangelio dicit, Quod feceritis minimo ex meis, hoc mihi feciſtis: quod in bonam & in malam partem accipi poteſt. Si quis pauperes lædat & opprimat, ſibi hoc factum eſſe interpretatur. Sic apud

Isaiam sexagesimotertio capite de populo Dei legitur: In omni afflictione ipsorum, ipse afflictus est. Et apud Zachariam: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Christus ad Paulum dicit, Actorum nono capite, Saul Saul quid me persequeris? Cumq; interrogaret quis esset, respondit: Ego sum Iesus quem tu persequeris. Qui uerò pauperes & cultores Christi beneficijs prosequuntur, ipsi Christo hæc beneficia præstant. Idipsum hoc loco Solomon quoq; dicit:

Qui autem pauperis miseretur, honore eum afficit.) Qui miserijs pauperis afficitur, & eum iuuat pro uiribus, Deum honorat. Discamus igitur ex hac sententia, quàm graue sit peccatum pauperes dolis circumuenire, & eos bonis suis spoliare: multò autem grauius est, uel sub titulo iustitiæ, uel aperta ui eos opprimere. Cogitant aliquando homines: Viduæ, pupilli, peregrini non possunt tibi obesse, non habent suos uindices. At plus oberunt tibi pauperculi illi precibus suis, quas ad Deum fundunt, quàm potentissimi quique huius mundi monarchæ. Deus enim se illis patronum, tutorem & uindicem fore promisit: Deum hostem experiuntur, si pauperes iniustè opprimāt. Ieremiæ 22. capite insignis locus est de hac re. Malachiæ 3. capite minatur Dominus, se uenturum in iudicium, & fore testem uelocem contra eos qui iurant falsò, & contra eos qui calumniantur (בְּעֹשְׁקֵי) mercedem mercenarij, uiduæ & pupilli, & qui peruertunt causam peregrini, &c. Amoz 4. nobilibus illis minatur qui pauperes opprimunt. Psalmo 103. dicitur Deus iusticiam facere omnibus עֲשׁוּקִים aschukim, quorum bona occupantur, uel oppresis. Sunt & alia loca ex quibus omnes, imprimis uerò potentes discunt, quàm atrox sit peccatum, pauperes fraudare, uel opprimere. Exemplum memorabile habemus in Israelitis à Pharaone oppresis: & in Gabaonitis à Saule contra iusiurandum afflictis, quomodo Deus uindex sit oppressorum, 2. Sam. 21. cap. Econtrariò, discamus benefacere pauperibus. Deo enim nostrum hoc officium est gratissimum. Non dubito quin si Christus corpore suo ad nos in terras rediret, omnes aliquo honoris genere eum afficere conarentur. At iubet nos in pauperes conferre, quæ ipsi conferre uolumus, Matthæi 25. Olim simulachris uaria donaria obtulimus, candelas in eorum gratiam accēdimus, cum oculos habuerint & non uiderint: cibos attulimus, cum os habuerint, & non comederint: uestes suspendimus eis, cum tamen non frigerent. Quin potius conferamus hæc uiuis Dei simulachris, & rem Deo gratissimam faciemus. Consolationem item suauissimam pauperes & oppresi hinc eliciunt, quòd tanta eis cum Christo coniunctio intercedit, ut sibi fieri interpretetur quod ipsis fit. Quæ consolatio ad omnes quoque Dei cultores pertinet.

Pauperes non sunt opprimendi.

Pauperibus benefaciendum esse.

32 Propter malitiam suam, expellitur (*uel eijcitur*) impius.

Impius sæpe in hac uita patria pellitur & ecclesia, & in morte sua, regno cœlorū exclusus, in exteriores tenebras abijcitur. Christus enim Ioan. 3. ca. disertè dicit, Qui credit in eum, nō cōdemnatur: qui uerò nō credit, iā condemnatus est, quia non credit in nomē unigeniti filij Dei. Quomodo aūt fide præditum esse dicemus eum, qui absq; pœnitentia in falsa religione & sceleribus pergit? Non aūt est quod in alios causam sui interitus conferat, cùm malitia sua sibijpsi omnium malorum author sit. Porrò nullus post hanc uitam locus erit, quo purgetur anima eius: precationes & ceremoniæ illæ omnes, exequiæ anniuersariæ, cerei, lampades, quæ mortuo impendentur, nihil omnino ei, sacrificulis uerò permultum, conferent.

Sperat autem in morte sua iustus.) Natura quidem omnes iniustos & peccatores esse, Paulus in prima parte epistolæ suæ ad Rom. conuincit: fide tamen in Christum iustificamur. Qui ita iustificati sunt, in omnibus afflictionibus, & in ipsa morte, sperant se participes fore æternæ gloriæ. Hæc spes eos non fallit. Spes rerum temporariarum sæpe homines decipit, secundum illud:

Fallitur augurio spes bona sæpe suo. "

At illa spes firma est. Deus enim illa quæ promisit suis electis, cumulatissimè præstat. Promittit etiam temporalia, sed certis adiectis conditionibus. Experimur autem quanta constantia pij mortem subeant.

33 In corde sapientis requiescit sapientia.

Sapientes uiri, suam sapientiā celant, nō ostentant, nō proferunt in omni loco, tēpore, &c.

Et in medio stultorum cognoscetur.) Scilicet, sapientia stultorum. Stulti si quid sapientiæ habēt, temerè illud profundunt, nulla habita locorum, personarum, aliarumq; circumstantiarum ratione. Demosthenes apud Stobæum dicit, tantum abest ullum illorum qui solidè docti sunt, quicquam de se gloriosius dicere, ut alio etiam dicente erubescant. Qui uerò longè à uera, quam sibi uendicant, doctrina absunt, propter inscitiam uerba molestissimè

audienda de seipsis proferunt. Possumus etiam alterum huius sententiæ membrum sapienti accommodare, cuius sapientia in medio stultorum se profert.

34 Iustitia eleuat gentem.

De conseruatione regnorum. Multus est sermo quomodo Respublicæ & regna feliciter administrari, atque florere possint. Varia autem de hac quæstione sunt hominum iudicia. Quidam putant si proceres seruiant tempori: quidam si fœderibus, pecunijs, armis, consilijs, substructionum insanis molibus, & alijs id genus rebus, instructi sint. Sapiētissimum Solomonem, qui florētissimum regnum habuit, ea de re audiamus. Primo loco iustitiam, inquit, extollere gentem, hoc est, illustrem & claram efficere. Christus Matth. 11. capite per Apostrophen Capernaum alloquitur: Et tu Capernaum, quæ es usq; in cœlum exaltata, usq; ad inferos detraheris, &c.

Iustitia. Iustitia est uirtus, quæ suum cuiq; tribuit: Deo, quæ sunt Dei, & hominibus, quæ sunt hominum. Quid Deo debemus? Fidem, timorem, dilectionem, honorem. Quid hominibus? Iudices iudicium & iustitiam faciant: omnes in promissis, contractibus, & alijs rebus bona fide agant: quæ debent principibus suis, illa eis pendant: quæ proximo similiter. Hinc uera orietur concordia, magnum Rerumpublicarum uinculum. Sin uerò numinis nulla sit cura, si publica iustitia locum non habeat, sed omnia sint uenalia: si quisq; suis duntaxat commodis studeat, non mirum est, si Respublica diu stare non possit. Hesiodus in libro cui titulum fecit Opera & dies, pulchrè ostendit urbes quæ iustitiam colunt, florere pace, omnibusq; bonis affluere. Plato in Protagora quoq; dicit: αἰδώς τε καὶ δίκη εἰσὶν πόλεων κοσμοί τε καὶ δεσμοί: hoc est, pudor & iustitia, sunt ciuitatum ornamenta & uincula, &c. Et in 5. de legibus, iustitiam ἕρμα πόλεως, id est, fulcrum & anchoram, decus & columen urbis appellat. Salomon ipse huius sententiæ nobis erit illustre exemplum. Quamdiu iustitiam coluit, florentissimum regnum habuit, quod, quamprimùm ad preces uxorum iustitiam uiolauit, concidit. Roma ex paruis initijs ad tantum fastigium imperij euecta fuit: sed cum tandem collapsa iustitia, omnia uenalia essent, funditus euersa corruit. Non autem Respub. solum, sed ne exiguus quidem hominum cœtus, nec domus parua, sine iustitia consistere potest.

Secundum quod regna conseruat, est beneficentia.

Liberalitas regna conseruat. *Et beneficentia est populis expiatio peccati.*) Si populus aliquis beneficus & liberalis sit in paupe res, auertit & mitigat pœnas. Sic Daniel Nabuchodonozorem hortatur, ut misericordia iram Dei euitet. Quemadmodum autem pietas & beneficentia populos & regna: ita etiam singulos homines euehunt.

חטאת chatath significat expiationem, ut Num. 8. Sic facies eis quando purificaueris eos, spargas super eos aquas expiationis. Vel, piaculum, hoc est, sacrificium expiationis, quo scilicet peccatum expiatur. Moses 6. cap. Leuit. huius sacrificij meminit. Deus per prophetam dicit, Misericordiam uolo, non sacrificium. Significat item peccatum: hinc quidam uertunt, *Sed misericordia est populis peccatum*: nempe si non ex fide proficiscatur. Sic alia bona opera, Deo displicent, si fidei fundamento careant, & ad ostentationem tantum fiant. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est.

Addendum est חסד chæsæd contraria significare: quemadmodum apud Latinos sacer & nobilis. Primùm enim significat στοργὴν φυσικὴν, affectum naturalem charitatis parentum erga liberos, liberorum erga parentes, &c. (Hinc חסיד chasid ciconia apud Hebræos à pietate
Storch. dicitur, quemadmodum etiam in Germanica lingua, à στοργῇ, hoc est, pietatis affectu) Variè autem redditur, pietas, beneficentia, charitas, misericordia, gratia. Secundò significat ἀστοργίαν, crudelitatem, hoc est, pœnam atrocem & crudelem, ut sit sensus, crudele exitium populi, est ipsum peccatum.

35 Amor *uel uoluntas* regis ad seruum intelligentem, & ira eius erit contra ignominiosum.

Boni reges, principes & magistratus, discrimen seruant inter bonos & malos subditos: bonos præmijs, malos uerò pœnis afficiūt. Solon illam ciuitatem optimè habitari, dixit, in qua uiros bonos honoribus affici, contrà autem improbos pœnis, mos esset. Memorabilis est uox illa Æschynis, ad suos Athenienses: Hoc reputate, si munera paucis eisq; dignis, & secundum leges contuleritis, multos uos habituros pro uirtute certantes: sin autem cuiuis cupienti, etiamsi nihil egregium fecerit, gratificemini, frugi etiam ingenia corrupturos.

Officia seruorum. Per regem quemuis etiam herum intelligere possumus. Per seruum intelligentem, qui officium suum non tantum intelligit, sed etiam facit. Officia uerò seruorum, ex sacris literis colligenda

ligenda sunt: ad Eph.6.Coloss.3.1.Timoth.6.ad Titum.2.Præcipit seruis, ut dominis suis obtemperarent in simplicitate cordis, non ad oculum inseruiant, nec tanquam hominibus, sed tanquam Deo: uult ut dominos suos, omni honore dignos existiment, ne sint furaces, &c. Quanquam uerò longè alia fuerit ratio seruitutis apud ueteres, quàm sit apud nos: tamen ad nostros seruos hæc etiam referenda sunt. Sensus erit, Dominus spontaneo amore mouetur ad benefaciendum ministro fideli, illi uerò qui pudore digna agit, irascitur. Quæ de seruis dicuntur, ancillis quoq; debent aptari: amor dominæ est ad ancillam intelligentem.

Hæc sententia dominorum quoq; erga suos seruos officium præscribit: nempe ut diligentes & industrios amore complectantur, eosq; beneficijs afficiant. Idem dominæ faciant erga famulas & ancillas suas. De hac re, consule loca ex Apostolo iam adducta. *Dominorũ officiũ erga seruos.*

Quidam non ineptè hanc sententiam ad Christum regem, & seruos eius referunt. Matth. 24. laudat Christus seruum prudentem & fidelem, quem Dominus familiæ suæ præfecit, &c. Quæ uerba tametsi præcipuè ad uerbi ministros, deinde ad magistratus pertineant: tamen ad omnes quoq; homines referenda sunt. Deus enim est Dominus noster, non tantum quia nos condidit, sed etiam quia nos redemit: æquum itaq; est, ut quisq; in sua uocatione, hunc dominum respiciat, & omnia sua ei approbare studeat.

CAPVT XV.

1 Mollis responsio auertit furorem.



GERMANI dicunt, *Ein gůt wort / findt ein gůte statt.* Homin s iracundi & feroces, sæpe oratione mansueta placantur: infrà 25. cap. uersu 15. dicet, linguam mollem frangere ossa. Celebratur hic Æschyli uersus, prouerbij uice: ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι, id est, animo ægrotanti medicus est oratio. Consule de hac sententia Eras. Chil. 3. Cent. 1. Adag. 100. Homines afflicti, consolationibus eriguntur & recreantur. *Oratio placida etiam feroces mitigat.*

Et uerbum doloris, excitat iram.) Nostri dicunt: *Zwen rauch stein / můlendt nie rein.* Si nemo alteri cedat, sed quisq; dicat, quod alterum irritare possit, & dolorem ei afferre: multæ turbæ sequuntur in politia, œconomia & uita communi: necessaria itaq; est comitas & mansuetudo. Res exemplis declaranda est.

Iudicum 8. cap. Gedeon Ephraimitarum secum expostulantium, quòd non euocati essent ad prælium contra Madianitas, contumaciam, placido sermone compescuit. Idem quoq; fecit Iephte. E` diuerso Rhoboamus 1.Reg.12.cap. decem tribus duro suo responso, ita à se alienauit, ut nouum regẽ crearent. Sæpe tyrannicæ illæ uoces (Nos sumus ius: Viscera uestra nostra sunt) Resp. ualde afflixerunt. Præcipuè uerò si res ad seditionẽ spectare uidentur, placidè est agẽdum. Acto.19. scriba ille, oratione placida tumultũ Ephesinũ sedauit. Doeg Saulem ad irã cõcitat insimulando sacerdotes perfidię erga regẽ. Nabalis sermone duro & cõtumelioso, Dauid ira ita exarsit, ut iurarit se ipsum cũ tota domo perditurũ: sed Abigael placido sermone eum placauit, & suos periculo subtraxit. Deinde non cum ebrio marito expostulat: sed cum edormiuisset hesternam crapulam, quanto in periculo fuerit, ei detexit. 1. Sam. 25. cap. Vxores itaq; non inuehantur in ebrios maritos, qui mentis compotes non sunt, sed placidè agant. Fit item, ut senes in familia morosi interdum sint, iuniores discant placidè cum eis agere, ne certamina oriantur. In communi uita res est utilissima, si homines maledicta maledictis non compensent, nec oleum camino addant. Vulgò enim dicitur, illum qui aues uult capere, non debere baculo eas petere: hoc est, qui iratũ placare uult, id non conuitijs, sed benignitate efficiet. Imprimis uerò iuuenes, in quibus affectus uehementiores sunt, quiq; putant aliquid de eorum existimatione decedere, si commotis hominibus non asperè respondeant, sibijpsis frenum inijcere debent, ne magna certamina, & nonnunquam cædes oriantur.

Non autẽ hæc sententia sic accipienda est, quòd ad omnia placidè sit respondendum: nam quando agebatur de gloria Dei, prophetæ & Apostoli, præcipuè uerò Seruator noster, acerrimè nonnunquam in hostes ueritatis inuecti sunt. Sunt etiam nonnulli, quos nostra mansuetudo ferociores reddit. 2. Reg. 20. exemplum habes de Benhadado, qui responso placido Achabi efferebatur. Superbis igitur & stultis, iuxta eorum superbiam & stulticiam quandoque est respondendum. Explicationem huius sententiæ, habet Chrysostomus in homilia de Dauide & Saule. Vt in corporum morbis, pro ratione ualetudinis, alijs atq; alijs remedijs utendum est: ita in animi quoq; morbis, non eadem est adhibenda oratio. *Nõ semper placidè respondendũ.*

Ad peccatorem resipiscentem, hæc sententia etiã accommodari potest. Deus enim pecca-

tis eius offenditur, sed si agnoscat suum peccatum, resipiscat & imploret misericordiam Dei, frangit iram eius. Sin uerò pergat, ira Dei in furorem uertitur.

2 Lingua sapientum ornat scientiam.

Lingua quomodo utendum.

Ad uerbum est, *benefacit scientiæ.* Non satis est multa uidisse, audiuisse, expertum esse & legisse: sed accedere oportet linguam sapientem, quæ loquatur quando loquendum est, & taceat quando tacendum est. Plerique rem inuertimus, & cùm loquendum est, tacemus, & cùm tacendum, loquimur. Sapiens lingua sua doctrinam suauem & iucundam reddit, & eo quod scit, bene utitur.

Os uerò stultorum, ebullit stulticiam.) Stulti non sunt soliciti, ubi, quid, quomodo, quando, apud quos, aliquid dicturi sint, & an faciat ad ædificationem nec'ne. נבע naba emanare & scaturire significat: per Metaphoram ad talem sermonem refertur, qui instar scaturiginis in fonte, superfluè emanat. Qui subinde loquuntur, nec audiunt quid alij dicant, stultos se esse declarant: alibi dicitur, multiloquio non deesse peccatum. Ferè autem fit, ut qui loqui nesciunt, labia nunquam compescant. Hoc manifestum est in aduersarijs ueritatis, qui illa quæ plus millies confutata sunt, nugatoriè subinde repetunt.

3 In omni loco oculi Domini speculantur malos & bonos.

In omni loco & tempore nos uidet Dominus. צפה zafah, significat, liberè oculos aperire, speculari: hinc צפה zofæh speculator, cuius est pericula inspicere, & hominibus clamore, tuba, campana, uel igne è specula sublato, significare: magnam igitur uim habet hæc uox. Digna autem est hæc sententia quæ mentibus nostris penitus insculpatur. Oculi Domini speculantur bonos quidem benignè, malos uerò ut eos puniat.

Deus omnia intuetur.

Similes loci multi occurrunt in scripturis. Psalm. 33, Oculi Domini super iustos. Insignis est etiam Psalmus 34. & 139. Hier. 17. Dominus dicit se scrutari corda & probare renes. cap. 23, Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego non uidebo eum? Non'ne ego impleo cœlum & terram, dicit Dominus? Omitto alia loca. In nouo Testamento sæpe legitur Christus aduersariorum suorum cogitationes uidisse. Matthæi 21. ingressurus urbem Hierosolymorum, cum uenisset Bethphage, ablegat duos ex discipulis, ut asinum ei adducant, & ubi inueniant ostendit. Lucæ 22. iubens duos parare Pascha: Si ingressi fueritis urbem, dicit, occurret uobis quidam ferens hydriam, hunc sequimini. Ioannis 1. cap. Nathanaelem familiariter alloquitur, qui cum miraretur, unde ipsum nouisset, respondit, antequam Philippus te uocauit, cum adhuc sub ficu esses, uidebam te. Messiæ oculi, Danieli igneis facibus similes, apparuerunt ei, quòd omnia intueatur, bona purget, mala consumat. Christus in Apocalypsi, in exordijs omnium epistolarum, quas scribit Ecclesijs, repetit se nouisse omnia Ecclesiæ. Patresfamiliàs non prius rescíscunt domestica mala, quàm uulgata sint per totam urbem, & decantata in omnibus balneis & tonstrinis: at Deum nihil latere potest, earum rerum, quæ ab hominibus siue bonis siue malis, geruntur: quemadmodum hæc sententia Solomonis ostendit. Hoc etiam Ethnici uiderunt: est enim Homeri sententia:

„ Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν. Et Hesiodi:
„ Πάντα δ' ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

Idem Iouem εὐρύοπα, hoc est, μεγαλόφθαλμον uocat.

Sibylla etiam cecinit:

„ Οὐ λήσει θεὸν ὅσσ' ἐπράξατε, πάντα γὰρ εἶδεν: &
„ Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα.

Et Plautus:

„ Est profectò Deus, qui quæ nos gerimus,
„ Auditq; & uidet, &c.

Thales Milesius, qui sapientissimus inter septem fuisse creditur, rogatus: Num lateret deos, homo iniustè agens: respondit, Ne cogitans quidem.

Consolatio.

Facit aût hoc ad nostrã consolationẽ & doctrinã. Nam in paupertate, morbis, persecutione, cum ad suppliciũ ducimur, & falsò accusamur contemptus diuorum, sacramentorũ, omniumq; rerum sacrarum, &c. efficax est solatium, si cogitamus, nos à Domino respici, ut opem nobis ferat. Illum in carcere, igne & aqua, nobis adesse: etsi amici deserant, imò prodant: tamen Deum nos non deserere: sed gemitus nostros uidere, precesq; nostras exaudire.

Doctrina.

Deinde facit ad institutionem nostram. Si enim credamus Deum omnium rerum esse inspectorem, studebimus iusticiæ & integritati: cauebimus nobis ab omni genere scelerum. Quàm multa turpia facimus, quæ non faceremus, si honestum aliquem uirum, ea uidere cogi-

cogitaremus? Serui etiam mali, præsentibus dominis seduli sunt & industrij. Ignaui milites in prælio, si sciant se ab Imperatore, uel notis hominibus obseruari, fortiter pugnant. Hinc ille apud Xenophontem, utile esse existimat, ut noti & familiares in bellis coniungantur: pudet enim tales ignauiæ & socordiæ. Si quis in terram prolabatur, statim respicit, an quis prolabentem uiderit. Quæ igitur (malum) dementia est, quòd non in animum nobis uenit, Deum cogitationes, dicta & facta obseruare? Multos seducit hæc ratio, quòd cogitant neminem esse conscium illarum rerum, quas patrant: uel si prodantur, se negaturos quòd fecerunt. Si negare non possint, tamen habituros clementes iudices, qui uel ijsdem, uel grauioribus etiam flagitijs sint obnoxij. Etsi homines ignorent, tamen Deus non ignorat, qui sæpe mirabili indicio scelera detexit. Si alij te non accusent, tamen propria conscientia, & uerbum Dei te accusat. Si homines tibi non modò parcant, sed & flagitia uirtutum loco habeant, tamen Deus aliter iudicat. Puerilis est hæc persuasio, si putes Deum latere quæ agas. Pueri enim si obuelata facie, alios non uideant, putant se quoque à nemine conspici. Plinius scribit quod Struthiocameli, cùm colla frutice occultauerint, existiment se latere: ita stolidi homines tenebris se occultari putant, cum in oculis Dei tenebræ nullæ sint. Satan totus in hoc est, ut nobis persuadeat, Deum non uidere quid agamus: uel si uideat, non curare. Si hoc uenenum alicui afflauerit, facilè eum in omne genus scelerum impellet. Talis enim ruet in omnem impietatem, non orabit Deum: dicet, Edamus, bibamus, cras moriemur. Hæc perniciosa Epicureorum opinio, est scaturigo omnium scelerum. Seneca in Epistola ad Lucilium 34. egregiè scribit: Sic certè uiuendum est, tanquam in conspectu uiuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum prospicere possit, & potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clausum est. Interest animis nostris, & cogitationibus medijs interuenit. Sic interuenit dico, non tanquam aliquando discedat. Plura hac de re 5. cap. ad uersum 20. diximus.

4 Sanitas linguæ est lignum uitæ.

Lingua quæ morbis & uitijs caret, quæq; uulnera mentium sanare studet, est ueluti lignum uitæ (nota similitudinis sæpe omittitur in hoc libro) hoc est, res preciosissima, ut alludat ad arborem uitæ: uel, est ueluti arbor fructifera, quemadmodum suprà dictum est. De arbore uitæ Augustinus de Ciuit. Dei lib. 13. cap. 20.

At peruersitas in ea, est corruptio uel contritio spiritus.) Id est, in qua est peruersitas. Lingua à Deo nobis data est, ut ipsum celebremus, utq; hac internuncia, homo hominis mentē cognoscere possit. Peruersa igitur lingua est, quæ hunc scopū non habet propositū, sed mendacijs (siue ad hoc conducta sit, siue minus) assentationi, conuitijs contra Deū & proximū, assueuit. Qui abutuntur lingua, corrumpunt spiritum suum, hoc est, animo perturbantur: metuenda enim eis sunt multa mala: aliorum etiam spiritum corrumpunt, hoc est, perturbatos eos reddunt: adhæc prauis suis sermonibus bonos eorum mores corrumpunt: quod imprimis de praua doctrina est intelligendum: gratiam quoq; spiritus sancti auferunt à mente. *Peruersa lingua quæ.*

5 Stultus contemnit castigationem patris sui.

Patris officium est, liberos erudire & castigare: liberorum est obtemperare parentibus, & castigationem non auersari. Filius qui castigationem floccipendit, uel execratur (נאץ naaz est contumelijs & conuitijs incessere) stulticiam suam prodit. An' non stultus uel potius furiosus est, qui illa quæ insignem utilitatem ei afferunt, temerè reijcit? Patrem nominat, sed matrem etiam, & omnes (ut alibi in hoc libro) qui loco parentum sunt, comprehendit. Nec de illis tantum liberis loquitur, qui adhuc sub patria potestate sunt: sed de alijs etiam, qui si contempta uoce suorum, illos in consilium adhibeant, quos moribus referunt, stultè agunt. *Castigatio parentum non contēnenda.*

Qui autem obseruat correptionem, callidus fit, uel est.) Qui increpationes æquo animo ferunt, easq; pondus apud se habere sinunt, fructum amplissimum inde referunt, cauti enim & prudentes efficiuntur. Non pauci sunt, qui cum ab ineunte ætate, parentibus morigeros se præbuerint, in præclaros uiros euaserunt. Sunt etiam qui uel afflictis tandem suis rebus, auscultātes consilio maiorum, in integrum restituuntur. Nec tantum qui carnalis, uel spiritualis: sed etiā qui cœlestis patris correptionem irridet, stultus est, qui uerò obseruat, prudētior efficitur.

6 In domo iusti thesaurus multus.

Si quis pius sit & iustus, satis habet opum. Nullus enim thesaurus, cum iusticia comparari potest. Modicum quod iusto labore congessit, magnis thesauris aliorum præferri debet: Deus non ei deerit, sed conferet ei suam benedictionem, homines quoq; excitabit qui ei benefaciant. Si moriens bonum nomen liberis relinquat, præclaras opes eis reliquit: & opes quātumuis exiguæ, plus hæredibus proderunt, quàm magni opum cumuli fraudibus congesti.

Adhæc iustus modico contentus est: paruas opes, magnum thesaurum esse existimans.

Ad uerbum est, *Domus iusti thesaurus multus:* quod, meo iudicio, etiam sic intelligere possemus. Si pius uel domum habeat, in quam se recipere posit, magnas habet diuitias: ὀικος φίλος. Magna est commoditas propriam casulam habere: alioqui cogeris subinde migrare, uel habere conuictores quorum mores tibi displicent. Caius. ff. 4. tit. de in ius uocando. Pleriq; putauerunt nullum de domo sua in ius uocari licere, quia domus tutissimum cuiq; refugium ac receptaculum sit, eumq; qui inde in ius uocaret, uim inferre uideri.

Posset & hic sensus esse: *Domus,* id est familia *iusti thesaurus multus:* nam multum interest Reip. si multas familias honestas habeat: propter unam aliquando, toti Reip. Deus benefacit.

At in prouentibus impij turbatio.) Scilicet domus. R. Ionah accipit loco nominis. R. Dauid in lib. radic. uerbum putat ex Nifhal, ut uertamus: *Et fructu impij conturbatur:* sed ad sensum nihil interest. Impij qui ingentes opes per fas & nefas congerunt, domum suam perturbant. Putant se liberis optimè prospicere, si ingentes auri argentiq; aceruos eis relinquant: sed maledictionem Domini eis relinquunt. Filij illi, uel in diuidenda hæreditate discordes erunt: uel cum rectè uti opibus non didicerint, ad suum exitium eas conuertent, & ita tandem malæ illæ opes, malè dilabentur.

7 Labia sapientum spargunt scientiam. *Hoc est, seminant.*

Sapientes nō modò tacēt, cū tacēdum est, sed etiam loquuntur quādo loquēdum est: cogitāt enim, eloquētiæ talento rectè utēdum esse, in Ecclesia, in foro, familia, & uita communi. Sic primi illi instauratores Christianæ religionis, eloquētiæ dono usi sunt: scriptis & concionibus longè lateq; ueram doctrinam propagarunt, inuito Antichristo & portis inferni.

Cor autem stultorum non sic.) Stulti non cogitant de spargenda noticia Christi, & illis quæ scitu digna sunt proferēdis: frustra aquam salutiferam è pumice expectabis. Nemo, inquit Christus Matth. 7. de spinis uuam, aut de tribulis ficus colligit. Non tanguntur cura religionis, sed stultas res animis uoluunt, & errores disseminant.

8 Sacrificium impiorum, abominatio Domini est.

Sacrificia piorū grata Deo. Perquàm memorabilis est hæc sententia. Sacrificia piorum in ueteri Testamento Deo grata fuerunt. Abel obtulit sacrificium Deo, & placuit. De Noe legitur, quòd Dominus odoratus sit sacrificium eius, quasi odorem suauem. Obtulerunt & reliqui Patriarchæ, & placuerunt illorum sacrificia.

Impiorum sacrificia ingrata Deo. Impiorum autem sacrificia, dicuntur hoc loco, non solum non placere, sed & abominationi esse Deo. Non enim ex seipsis, seu, ut loquuntur, ex opere operato, Deo accepta erant, sed solum ex fide offerentium ea. Exemplum manifestum habemus in Caino, qui, si materiam spectes, fortè sacrificium preciosius Deo offerebat Abele.

Sæpe hinc inde in Prophetis, Deus impiorum sacrificia reijcit. Psalm. 50. dicit Deus, se non solicitum esse de sacrificijs: omnes enim feras in syluis, omnia iumenta in pascuis, montibus & agris, omnia item uolatilia sua esse: se non uesci taurorum carnibus, nec sanguinem hircorum bibere. Esaiæ 1, Quò mihi multitudo sacrificiorum uestrorum? dicit Dominus: plenus sum holocaustis arietum, &c. Et 66. cap. Qui immolat bouem, ac si occiderit hominem, &c. Ierem. 7. ca. iubet Israelitas, holocausta uictimis addere, & comedere carnes: se enim non curare. Micheæ 6. cap. etiam uidetur reijcere sacrificia. Non quòd simpliciter abominatus sit, sed ideo quòd absq; fide & pœnitentia ea offerrent. Deinde quòd precium putarent esse pro peccato, cum in alium finem à Deo essent instituta, nempe ut eos admonerent peccatorū, propter quæ ut pecudes iugulari debebant, utq; uenturi Mesiæ, qui hostia pro nobis factus est, admonerentur: item, ut cogitarent, terrestria membra esse mortificanda. Si ex fide sacrificia obtulissent, Deo fuissent grata & accepta. Cæterum sacrificia hæc legalia ad certum constitutumq; tempus durare debuerunt, nempe usq; ad tempora Christi, qui unico illo sacrificio, in ara crucis pro nobis oblato, omnia typica sustulit.

Sacrificia cur à Deo præcepta.

Sacrificia Christianorum. Sacrificia Christianorū sunt, primùm ut animam & corpus, Deo uictimā offerant, Rom. 12. capite: hoc est, ut ueterem Adamum mortificent, & postulante necessitate, pro Christo etiam mortem perferāt. Deinde laus & gratiarum actio, uituli labiorum, ut scriptura uocat. Tertiò, eleemosynæ, quæ in egentium usum conferuntur, oblationes dicuntur à Paulo. Quemadmodum uerò sacrificia antiquitus, si absq; fide, & proposito emendationis uitæ, offerebantur, Deo displicebāt: ita nostra quoq; displicebunt, si absq; fide & bono motu cordis offerantur. Idem dici potest, de alijs quoq; externis operibus, quæ ex suo genere bona sunt.

Si uerò opera à Deo præcepta, ipsi non placent, nisi animus rectè constitutus sit, quid dicēdum est de illis operib. quæ Deus non præcepit, sed ab hominib. excogitata sunt? Veluti sunt

missarum celebratio, idolorum cultus, horæ canonicæ, uota monastica, peregrinationes ad templa diuorum? His rebus multi mereri uolunt remissionem peccatorum: quasi uerò peccatis bona consequamur: aut ostendant ex sacris literis, Deum hæc à nobis requirere. Similes sententiæ alibi in hoc libro leguntur. Gentiles quoq; uiderunt sacrificia impiorum Deo displicere. Plaut. in Rudente:

Atq; hoc scelesti in animum inducunt suum, "
Iouem se placare posse omnibus hostijs. "
Et operam, & sumptum perdunt: ideo "
Fit quia nihil ei acceptum est à periuris. "

Et oratio rectorum, beneplacitum eius.) Orationem piorum, opponit sacrificijs sumptuosis impiorum. Si pij aliquid à Deo petant, uel pro acceptis beneficijs ei gratias agant, gratius est Deo, quàm si impij hecatombas ei offerant. Si pij exiguum munus Deo afferant, pluris facit, quàm si impij ingentes thesauros offerant.

Ambabus autem manibus & toto pectore hæc sentẽtia retinenda est, contra tentationem diaboli, & furores Epicureorum, quòd oratio iustorum Deo gratissima esse dicitur: dicunt enim illi, quid Deus fœtentem tuum halitum curaret? Si omnium gemitus & uota exaudire uelit, inquiunt, oportet certè ualde occupatum esse. Nos hæc & alia loca in conspectu habeamus, quæ manifestè testantur, preces nostras non irritas esse. Huc pertinent amplissimæ illæ promissiones Matth. 6. Luc. 18. Ioan. 17. &c. Vide uersum 29. huius cap. *Oratio iustorũ Deo grata.*

9 Abominatio Domini, uia impij: & qui sectatur iusticiam, hunc diligit.

Retinenda est hæc sententia, contra corrupta iudicia mundi, qui præsentia tantum consyderans, impios sæpe felices, pios uerò infelices æstimat. Impiorum uiam, instituta, consilia, facta, Deus execratur. Dictũ est antè de externo cultu, quo Deo placere uolũt: nũc in uniuersum de omnib. ipsorũ dictis & factis pronũciat. Licet mũdus eos suspiciat & colat, licet omnibus reb. affluant: tamẽ certũ est, quòd Deo displiceãt. Ecõtrà, illi qui fidei & morũ iusticiã studiosè colunt, utut mundus eos contemnat & abominetur, Deo grati sunt. Habet autẽ Deus multas causas ob quas impios in hac uita florere sinit, & pios uarijs ærumnis exercet.

10 Castigatio grauis *uel mala* deserenti uiam.

Scilicet, parata est. Qui Christum unicam uiam salutis deserit, & aliam inuestigat, illum manet grauissima pœna. Ioan. 3. cap. Qui credit filio, habet uitam æternam: qui uerò non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Qui à uia uirtutum recedit, castigabitur, incidet in graues morbos, &c. Certè à uia aberrare periculo non caret.

Sunt qui hæc uerba ad hunc modum accipiant: qui à recta uiuendi ratione semel deflexerunt, postea correctionem indignè ferunt.

Qui odit correptionem, morietur.) Septuaginta addunt, turpiter. Iterum pronunciat de effectu neglectę disciplinæ. Quod hoc loco dicit, publicè & priuatim fieri certum est. Qui omnes admonitiones parentum contemnunt, moriuntur. Potes hoc intelligere de morte spirituali mala, hoc est, morte culpæ, ut uocãt, de qua suprà: uel cũ in pessimos euadãt, adulterijs, ebrietate, crapula, &c. sibi ipsis mortis sunt authores. Carnificib. quoq;, propter nefaria scelera quæ patrarũt, tradũtur. Vulgus dicit, illos qui parentib. obtẽperare nolint, cogi ut carnifici pareãt. Si neq; in supplicijs illis ad Deum conuertantur, post hanc quoq; uitam castigabuntur. *Neglectæ disciplinæ pœna.*

Publicè etiam qui castigationem indignè ferunt, pœnas luunt. Si enim Deus per suos ministros, populum aliquem assiduè castigat, ipse uerò correctionem contemnat: hostes aliquando immittit, qui armis instructi, cum impœnitentibus agant. Deus populo suo per prophetam comminatur, quòd quia dicant se legatos suos non intelligere: alios submissurus sit, qui alia lingua loquuturi sint.

Exempla autem uetusta & recentia multa habemus, quę ostendunt quid tandem ex contemptu admonitionum, quas uarias Deus adhibet, consequatur. Discamus itaq;, nisi temporali & æterna morte perire uelimus, castigationem æquo animo tolerare: non enim ualebit illa excusatio, si dicas, Non Deum, sed homines tantum repuli.

11 Infernus & perditio, coram Domino sunt: quantò magis corda filiorum hominum?

Si homines nõ solũ firmiter credãt, sed etiã sæpe multũq; cogitẽt, Deũ inspectorẽ esse rerũ humanarũ, piè & sanctè uitã trãsigẽt, & in omnib. ærũnis patientiã præstabũt. Proinde Solomõ nõ contẽtus est, paulò antè dixisse, oculos Dñi in omni loco, tam bonos quàm malos cõtẽplari: sed addit argumentũ à maiori ad minus, quo ostẽdit, Domino nihil absconditũ esse. *Abditissima quæq; Deo patent.*

שְׁאוֹל scheol, non tantum significat locum damnatorum, sed etiam foueam uel sepulchrum. Gen. 42, Iacob filium suum Beniamin retinere uolens, Si quid, inquit, aduersi ei in itinere contingat, deducetis canos meos in foueam. Et 44. cap. Iudas Iosepho dicit, Nisi reduxero puerum, morietur pater, & senectutem eius in foueam mittemus. Homines de inferno ubi, uel qualis sit, præter illa quæ nobis reuelata sunt in scripturis, nihil sciunt. Illæ uerò uidentur ostendere, inferos esse infra nos in terris constitutos, non autem definiunt utrum in centro terræ sint, nec punctum loci indicant. Quære uersum 24. huius cap. At Dei oculis omnia sunt exposita. Nos etiam illa quæ in sepulchris sunt non uidemus, nisi aperiantur: speciosa foris nobis apparent, intus uerò plena sunt spurcitia. Deus etiam quæ amissa sunt uel perierunt, uident. Iobis 26. cap. Nudus est infernus coram eo, nec operimẽtum perditioni. Cum autem secreta & abdita hæc Deo pateant, fieri non potest ut cogitatus nostri ei sint absconditi: scriptura καρδιογνώστην uocat. Psal. 94. & alibi. Si cordis secreta, & interiores nostros motus perspicit, quomodo opera uel bona uel mala, ærumnasq; nostras ignoraret? Hæc sententia sæpe cogitanda est contra Epicureos, qui negant diuinam prouidentiam se extendere ad ista inferiora, & maximè ad cogitationes & actiones hominũ. De his in lib. Iob. 22. legitur, quòd dicant Deum uersari circa cardines cœli, & res humanas non curare. Deus non modò omnia nouit, quæ ab hominibus fiunt, sed & omnia moderatur & gubernat, ac abscondita retegit, iuxta illud Claudiani:

Inferi ubi sint.

„ nam lux altissima fati
„ Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes
„ Intrat.

Diligens & assidua consyderatio huius sententiæ, timorem, fidem & ueram inuocationem in nobis excitare debet.

12 Non amat derisor corripientem se.

Illusores castigationem oderunt.

Homines לֵצִים lezim, non amant illos à quibus corripiuntur. Quando ministri Ecclesiarum, ex uerbo Dei pestilentes eorum opiniones, & scelera reprehendunt, indignè ferunt, non cogitantes eos hoc ex officio facere, atq; hanc reprehensionem sibi utilem fore, si eam recipiant, aut alia huiusmodi: sed illudunt concionatoribus, calumniantur eos, maledictis incessunt, & implacabili odio persequuntur. Si magistratus, si parentes, si amici eos castigent, impatienter ferunt, idq; publicè & priuatim. Prophetæ, Christus, & Apostoli corripiendo illusores, malam gratiam inierunt. Hoc Christus eleganti parabola de colonis & uinea declarauit.

Nec accedit ad sapientes.) Illusor non amat sapientum congressus, quorum dictis & factis melior effici posset: neq; illorum qui mores eius non probant: gaudet sui similibus, qui ei in omnibus applaudunt. Discant iuniores non aspernari maiorum correptionem: sed eam libenter amplecti, seq; bonis uiris adiungere.

13 Cor lætum decorat uultum.

Si cor sanum sit, corpus etiam melius habebit: in uultu hominis indicia apparebunt: ex fide autem uera, pax & gaudium nascitur.

Propter mœrorem cordis, spiritus (erit) *mœstus.*) Nisi ex pectore pellas affectus, mœrore contabesces, & nescies quò te uertas. Discimus ex hac sententia, prauos affectus frenare, iram, odium, inuidiam, auariciam, &c. nam si animus his affectibus obnoxius sit, corpus etiam conficitur.

Curæ conficiunt hominem.

Deinde, ne immodicis curis nos conficiamus. Rectè quidem facimus si ecclesiæ & Reip. cura tangamur: uidendum tamen ne immoderata sit, facientes nostrum officium sedulò & diligenter, postea euentum prouidentiæ diuinę committamus. Græci curas γυιοβόρους & θυμοδακεῖς μελεδῶνας, item θυμαλγεῖς, & θυμοβόρους appellant, hoc est, arrodentes membra & animum mordentes. Horatius edaces & mordaces uocat. Galenus quoque in lib. de tuenda ualetudine, scribit curas morbos accelerare. Non autem huc tendo, ut mundana tantum gaudia sectantes, alienis malis afficiamur, sed ut & in hac, & in alijs rebus omnibus, modum seruemus.

Per spiritum quidam animam, quidam anhelitum intelligunt: mœsti enim uix loqui possunt, suspiria ducunt ex imo pectore. Similis ferè sententia habetur ca. 12. uersu 25.

14 Cor intelligentis, quærit scientiam.

Homines cordati cu-

Sapiens & stultus, non similiter affecti sunt. Homo cordatus dabit operam ne sit rudis & omnium rerum imperitus, sed ut aliquid discat: discet aliquam honestam artem, ciuilem sibi pruden-

prudentiam longo usu comparare conabitur. Præcipuè uerò de scientia religionis sæpe multumq; & maturè cogitabit. Multi iuuenes existimant hanc curam ad se non pertinere, sed ad capulares senes, & ecclesiastas, quibus stipendia hoc nomine numerentur. Iuuenum esse, ut quærant scortilla, cauponam, duces militares, negocium religionis alienum esse ab eorum ætate. At cordati uident, uitam humanam ærumnarum plenissimam esse, uident innumeros iuuenes quotidie mori.

piunt aliquid discere.

Quod si quis propter animæ suæ salutem, sacris literis operam dare non uelit: saltem hanc ob causam id facere deberet, ne in honestorum uirorum congressibus, quando sermo de religione incidit, cogeretur turpiter obmutescere, utq; alios nonnunquam consolari & erigere posset. Sed quomodo, inquis, in dissensione illa doctorum nostri temporis, aliquid certi de religione cognoscam? Vide depositis omnibus affectib. quid Christus, quid Apostoli dicant, quibus in rebus salutis nostræ summam constituant: id amplectere, & non eris hæreticus, sed gratus Deo, quicquid totus mundus uociferetur.

Sin uerò illi qui sunt florenti ætate, de consequenda salutis doctrina soliciti esse debent, multò magis ab ægrotantibus & senibus id requiritur, nec uitio dari cuiquam debet, si morti uicinus, se totum theologicis studijs consecrauerit.

Os autem stultorum, pascitur stulticia.) Stulti de doctrina ueritatis non sunt soliciti: sed rebus stultis & inanibus mirificè delectantur. Si adsint concionibus, molestum eis est, tam diu de rebus diuinis differentibus, auscultare. Domi si quid legendum sit, toti inanibus fabulis intenti sunt. Hæc sunt læta pascua, quibus stulti gaudent, uina preciosa & tesseras, omnibus lectionibus sacris, longè præferunt, exemplo Esaui, qui famelicus, uile edulium cum iure primogenituræ commutauit.

15 Omnes dies miseri *uel pauperis*, mali sunt.

Qui imperiti sunt sacræ scripturæ, consolationeque eius destituuntur, miseri sunt toto uitæ tempore. Si postea paupertas, morbi & aliæ ærumnæ accedant, pessimè cum ipsis agitur: nonnunquam ruunt in desperationem, & manus sibi inferunt, ut requiem aliquam miseri inueniant.

Pauperum dura conditio.

Pauperis quoq; dies mali sunt, quia toto uitæ tempore, necessaria magno labore conquirit, & multas contumelias à diuitibus patitur.

Cor autem bonum, est iuge conuiuium.) Si quis siue diues, siue pauper, læta mẽte ac bona cõscientia præditus sit, hoc est, se beneficio Christi liberatũ esse à morte æterna firmiter credat, incredibilem, tam secundis quàm aduersis rebus, uoluptatẽ percipit. Hæc læticia paupertatis molestiam discutit, ut tametsi externè multas ærumnas perferat, internè tamen reficiatur.

Bona conscientia.

Similitudine rem explicat: iucundissimum est conuiuia cum æqualibus agitare. Multi non tam propter delicatum cibum & potum, quàm propter suauia colloquia, conuiuijs delectantur: sed maior est læti & tranquilli animi iucunditas. Cauendum igitur, ne animum nostrum sceleribus uulneremus. Nam quemadmodum læta mente nihil est iucundius: ita ut seruus ille, apud Plautum, in Mustellaria dicit, nihil est miserius, quàm animus hominis conscius. Prouerbio dicitur, Conscientia mille testes. Horatius felix esse iudicat:

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. "

16 Melius est parum cum timore Dei, quàm thesaurus magnus, & tumultus in eo.

Vulgare est prouerbium apud Germanos, Modò oculi nostri satiari possent, uentrem non ita difficulter impleri. Nisi enim opum cumulos uideamus, semper metuimus, ne nobis fame pereundum sit. Experimur quotidie, etiam pueros paucis non esse contentos: sed subinde ampliora concupiscere. Et ferè fit, ut senectus morbum hunc non minuat, sed adaugeat potius, cui nisi homines obsistant, in maxima scelera ruunt. Operæprecium itaq; fuerit, sententias illas in promptu habere, quæ nos docent paucis contentos esse debere: ad quarum numerum etiam hæc pertinet, cuius hic simplex sensus est: Satius esse modicum cum timore Dei, hoc est, honestè partum, uel etiam omnino nihil, possidere, quàm ingentem thesaurum, pecunias, domos, agros, malè partos: unde sequatur tumultus & clamor. Seneca in Thyeste:

Opes mediocres.

O' quantum bonum est. "
Obstare nulli, carpere securas dapes. "
Humi iacentem scelera non intrant casam. "
Tutusq; mensa carpitur angusta cibus, &c. "

המה hamah tumultuari, fremere, sonare, murmurare: hinc מהומה mehumah tu-

multus,quando alij contra nos fremunt,uel nos ipsi animo sumus perturbati.Sępe diuites illi terrentur à tyrannis,latronibus,inuidis,&c.solicitudo sæpe somnum eis aufert.Conscientia quoq; eos accusat:cogitant,si quisq; sua haberet, nihil tibi relinqueretur: filijs tuis & cognatis non bene cedent hæ opes:malè cum partæ sunt,malè peribunt. Adhæc morituro facessunt negocium.Christus Matth.12. ostendit exemplo, uitam & felicitatem hominis, non consistere in amplis opibus.Paulus 1. Timoth.6. magnum quæstum esse dicit, pietatem cum animo sua sorte contento.Addit, Nihil intulimus in hunc mundum, nec efferre quicquã poterimus:habentes alimenta & quibus contegamur,his contenti simus.Porrò paruæ opes iustè partæ,non solum magnis opibus iniustè,sed etiam iustè partis,sunt præstantiores.Magnæ enim opes quantumuis iustè partæ, etiam pijs interdum magnorum malorum sunt causæ, eosq; assiduè cruciant. Iuuenalis dicit:

„ *Misera est magni custodia census.*

Huc pertinet comparatio paupertatis & opulentiæ,& quæ philosophi ac poetæ, de frugalitate & αὐταρκείᾳ,hoc est uirtute illa,quæ animum præsentibus rebus contentum reddit,præclarè scripserunt,&c.

17 *Melius est conuiuium oleris, ubi sit dilectio, quàm bouis saginati, in quo sit odium.*

Conuiuia agitare cum amicis,non est illicitum: cauendum tamen ne conuiuia nostra sint luxuriosa,quale fuit Balthazaris,Dan.5. Herodis, Matth.14. Luxus conuiuiorum non solum fortunarum & corporum:sed etiam animorum est pestis. Amici in frugali & parabili conuiuio,sese mutuum pijs & suauibus sermonibus exhilarantes,maiorem uoluptatem percipiũt, quàm si bouem altilem,hoc est multa & uaria fercula habeant,inter rixosos. Mensa consecrata est amicitiæ:cauendum igitur ne rixis cõuiuas turbemus. Inuenias enim homines qui inter scyphos,litium materiam quærant.Epictetus dicit:Litigare & contendere cùm ubiq; indecorum esse, tum inter pocula maximè. Nam neq; ebrium aliquem docere sobrium posse, neq; sobrium ab ebrio persuaderi,&c.

Potest hic uersus etiam de dilectione Dei cõmodè exponi:pręstat atro & secundario pane cum olusculo uesci,& à Deo diligi,quàm filigineum ac perdiculas,& ab eo odio haberi. Nemo igitur propter ambitionem uel auaritiam,ueram religionem deserat. Similes sententiæ leguntur cap.16.uersu 8. & cap.17.uersu 1.

18 *Vir iracundus miscet lites:sed tardus ad iram,sedat litem.*

Iræ duo genera. Ira distinguitur in bonam & malam.Bona uel iusta,est quæ à bona radice oritur, & ad bonum finem tendit:ut cum principes,concionatores, & alij idololatrię & peccatis irascuntur. Talis fuit ira Mosis,Exod.32.Mala & iniusta,quando propriam uindictã appetimus.Sic Cain irascitur Abelo,Saul Dauidi.Hic affectus,ut alij quoq;, etiã in electos cadit.Sunt qui facilè irritantur,& cõtentiones excitãt,sæpe leuiculas ob causas,& ultionem appetunt.Sunt deinde qui non facilè irascuntur,sed operam dant ut controuersiæ componantur.Vtiles sunt illi homines ecclesijs & Rebuspub.nam ex parua scintilla, aliquãdo maximum incendium oritur. Basilius dicit:Ira excitat rixam,rixa parit conuicia,conuicia ictus, ictus uulnera, & sæpe uulnera mors consequitur.

19 *Via pigri est quasi sepes spinosa.*

Pigri nihil promouẽt. Pigri opponuntur rectis hoc loco.Pigri homines,priuatim & publicè, in rebus politicis & ecclesiasticis,parum quod laude dignum sit efficiunt:boni aliquid aggredi & perficere, tam eis molestum est,ac si per spinosam sepem esset eundum. Finge scholasticum aliquem pigrũ, excitari ad linguarum & artium studia,semper habebit quod causetur:iam ardor solis,iam frigus, iam ratio ualetudinis, eum à studijs auocabit. Prouerbio dicitur, Ignauis semper feriæ: item,Scorpius est sub omni lapide.Si Euangelij doctrina sit recipienda,quot obstaculis pigri impediuntur? iam consensum doctorum expectandum putant, iam definitionem generalis Concilij,iam causantur principes nondum recepisse,iam euersionem Reipub.metuũt. Si ad uiam uirtutum incitantur,perinde in ea ambulant, ac si tota spinis esset obsita, ubiq; impingentes & hærentes.Infrà cap.22.& 26.piger dicit in uia leonem insidiari iter facientibus:multa sibi fingit impedimenta & pericula. Germani dicunt, Anser est in porta, qui eos exire non permittit.

Semita autem rectorum est eleuata.) Recti uiam præceptorum Dei expeditè & inoffensè currũt, suauis & amœna illis est,quæ alioqui carni ardua uidetur.In uijs eleuatis & bene stratis, non mox erramus aut impingimus:si quis omnia ad normam legis Dei dirigat, nõ impinget aut errabit.Pij res magnas absq; difficultate efficiunt. Quid reformatæ religionis heroes politici

&

& ecclesiastici, effecerint, toti orbi est notissimum. Non semper est consultandum, sed labores suscipiendi sunt: iustæ causæ non sunt deserendæ: Deus semper lætum exitum dabit. Ioannes Baptista Matth. 3. hortatur homines, ut uiam Domino parent, & rectam faciant in solitudine semitam Deo nostro: id quod fit uera pœnitentia, qua salebræ peccatorum & errorum tolluntur.

20 **Prudens filius exhilarat patrem.**

Quemadmodum liberi nullius frugi, parentes cruciant: ita liberi morigeri parentes exhilarant. Exposita est hæc sententia 10. cap.

Stultus homo despicit matrem suam.) Matres magnos & innumeros labores liberorum causa susscipiunt, de quibus cap. 1. ad uersum 8. dictum est: meritò igitur filij eas reuereri debent. Ita tamen ferè comparatum est, ut liberi matres minus reuereantur, quàm patres. Stultus aũt pronunciatur, quisquis matrem suam contempserit. Quamuis aũt hoc iusto Dei interdum iudicio fiat (sæpe enim ut ille dicit, matres filijs in peccato adiutrices esse solent) filij tamen non excusantur: sed in hoc & in futuro sæpenumero seculo, graues pœnas pendant.

21 **Stulticia est lætícia deficiẽti corde, & uir intelligẽtiæ diriget ambulare.**

Id est, iter, ut infinitiuus uice nominis ponatur: uel, *Diriget ad ambulandum.*) Scilicet seipsum, Sensus est: stulti gaudent rebus stultis & malis, & gloriantur de sceleribus: prudentes uerò dant operam, ut ipsimet & alij, qui eorum curæ commissi sunt, per uias rectas ambulent, & in omnibus præscriptum uerbi Dei obseruent.

22 **Dissipantur cogitationes, quando non est consilium: in multitudine autem consiliariorum, firma erit.**

הפר Hafar significat uertere, euertere. Non satis est bona cogitare, nisi cõsilium ineamus, quomodo ad effectum deduci queant. Sin aũt ipsi destituimur consilio (sæpe enim prudentissimi, sibi ipsis consulere nequeunt) alij, præsertim in grauioribus rebus, in consilium adhibendi sunt. Semper autem in aliquos bonos incidemus, qui prudentia ualent, & rebus nostris bene cupiant. Consilijs plura effici possunt, quàm robore. In machinis tractorijs & alijs multis rebus, uidemus ingenium uires superare. Perniciosum plerunq; est, si homines, maximè iuuenes, res arduas uel inconsultò aggrediantur, uel malos consultores habeant. סוד sod, consilium, sic dictum quòd secretum esse debeat. De consilijs multa passim extant in hoc lib. *Irriti sunt conatus absq; consilio. Consilium superat uires.*

23 **Lætícia est uiro, in responsione oris suis.**

Gaudet ille qui se explicare non potuit, quando à perito aliquo, sibi iuxta uotum suum, ad res propositas respondetur. Gaudent etiam periti, si alijs bona consilia & responsa dare potuerunt. Deus certè multos ornat prudentia, ut toti Ecclesiæ, Reipublicæ, & priuatis quoque hominibus, suis consilijs possint prodesse.

Et uerbum in tempore suo, quàm bonum.) Verba tempestiuè prolata, magnam gratiam & utilitatem habent. Quemadmodum pluuia tempestiua, magnam affert utilitatem: ita oratio quæ tempore suo profertur. Nostri etiam dicunt: Es ist ein nott rägen gsyn, de tempestiua oratione. Videndum est itaque, ut omnia dicamus suo loco & tempore. Quidam hanc sentẽtiam ita interpretatus est: Iucũdum est uiro, si quod legit, uidit, expertus est, possit proferre: si prouocatus contumelia, possit aduersario commodè respondere.

24 **Via uitæ sursum (*ducit*) intelligentem, ut declinet ab inferno, qui deorsum est.**

Via uitę Christus est: dicit enim se uiã esse, & neminẽ uenire ad patrẽ nisi p ipsum: seipsum uocat ostiũ. Apostoli quoq;, nullã aliã salutis uiã ostendunt. Christus sursum ducit uerbo suo & sacramẽtis, intelligentẽ, hoc est, credentẽ. Qui Christo uera fide nitũtur, superna quærũt, & post caducã hãc, uerã & ęternã uitã, in cœlo cõsequũtur. Christus quoq; reuocat nos ab inferno, qui deorsum est, ubi animę & corpora impiorũ torquẽtur. Pauca de loco supplicij ęterni, disputat scriptura, tantũ uidetur innuere infra nos esse. Psal. 55. dicit propheta de suis hostib. Obruat illos mors, & descendant ad infernũ uiuẽtes. Num. 16. de seditiosis qui Moysi cõtradixerũt, scribitur, quòd cũ omnibus quæ habuerũt uiui descẽderint ad infernũ. Isa. 30. cap. dicitur: Tophet, hoc est, infernum pro rege præparatũ & in profundo positum & dilatatũ esse. Ezech. 32. ostendit gentes tyrannicas, ueluti Assyrios, Persas & Idumæos, ad inferna descendisse. Mali angeli ad tartara præcipitati esse leguntur. Quidam hanc posteriorem partẽ reddunt, *Vt declinet à sepulchro quod deorsum est.*) hoc est, ne immatura morte sua culpa pereat. *Infernus ubi sit.*

25 **Domum superborum euertit Dominus.**

Hæc sententia ad terrorem superborum, & consolationem humilium pertinet. Superborum, qui propter dona sua sibi placent, & pauperes uerbumq; Dei conculcant, domum, hoc *Superbos euertit Dominus.*

est,familiam,Deus euertit. נסח nasach,significat diruere,demoliri,euellere, euertere,expurgare scopis,aut alio instrumento. Ita Isa.57. hac uoce usus est. Huius sententiæ multa exempla habemus,non tantum in priuatis personis:sed etiam gentibus & populis. Ammonitæ, Moabitæ, Palęstini, multæ pręclaræ ciuitates, propter superbiam deletæ & oppressæ sunt. Pharaonem, Senacheribum, Herodis superbam familiam, multos potētissimos imperatores, superbia perdidit. Quot superbæ arces nobilium hinc inde fuerunt, quæ ita dirutæ iacent, ut uix aliqua uestigia appareant? Quot illustres familiæ unà cum insignibus sepultæ sunt? Domino superbos perdere instituente,nihil obsistit.

Sed uiduæ terminum firmat.) Humiles,quales sunt uiduæ & pupilli,defendit Dominus. גבול geful,non tantum terminum & limitem,contiguum alteri limiti significat: uerum etiam ipsum totum spacium determinatum alicui,quousq; habitatur uel distenditur. Sensus itaque erit: Deum non tantum domum uiduæ,sed & agellos defendere. Viduæ quæ humano auxilio ferè destituuntur,Deum tutorem & protectorem habent. De hac re multa extant loca, in lege & prophetis. Coniunguntur autem plerunq; uiduæ, pupilli & peregrini, qui multis iniurijs expositi sunt:quia uindices non habent,deinde rerum imperiti sunt,& facilè decipiuntur. Promittit Deus (sine cuius prouidentia,ne passer quidem unus cadit super terrā) se fore patronum,uindicem,& ueluti maritum uiduarum. Psalmo 68. uocat se pātrem orphanorum, & uiduarum iudicem. Deut.10. dicitur facere iudicium pupillo & uiduæ,atq; amare peregrinum. Nec nudis tantum uerbis hæc promisit:sed etiam miraculis confirmauit. Lib.1.Reg. Deus uiduam Sareptanam, quæ Heliam hospitio exceperat, tempore famis, sustentauit, filiumq; ipsius,à mortuis Heliæ ministerio excitauit. Lib.2. Viduæ, cuius filios creditor in seruos accipere uolebat,quia soluendo non erat,uasa impleuit oleo,quo diuendito creditori satisfaceret. Luc.7. Christus filium uiduæ ad portas Nain,à mortuis excitauit. Habent igitur uiduæ quodammodo literas,sigillis munitas,quibus certæ reddantur de Dei erga ipsas beneuolentia. Neq; his contentus est Deus,sed hominibus quoq;,maximè iudicibus præcipit, ut uiduis ius dicant:prohibet ne eas lædant:promittit bona illis qui eis benefaciunt: multa mala illis minatur,qui eas lædūt. Scripturæ loca multa sunt. Exod.22. Deut.24. Ierem.22. Zach.7. Apud prophetas hinc inde inter alias causas, cur Israelitas punire uelit, commemoratur uiduas oppressas esse.

Deus uiduarum patronus & uindex.

Deus alijs quoq; uiduas commendat.

Cum uerò tantam uiduarum rationem habeat Deus, ualde peccant primùm iniqui iudices,qui uiduas non defendunt, nihil inde periculi timentes, cum multò plus obesse eis suis precibus possint,quàm instructus aliquis exercitus, Luc.18. Deinde peccant Monachi & sacrificuli,qui sub specie prolixarum precum,domos uiduarum uorant, Matth.23. Peccant milites mercenarij,usurarij & homines ebrij,qui multum uini perdunt,quo uiduæ pauperculæ recreari poterant. Addendum nunc his est, quod'nam uiduarum sit officium: libenter enim suæ dignitatis mentionem audiunt:sed non ita sui officij meminerunt. Hoc 1.Tim.5.cap.& multis scripturæ exemplis proponitur. Credāt his quæ ex uerbo Dei proposita sunt: frequentes sint in templo:intentæ sint precibus:in uestitu,cibo,potu sint frugales: liberos bene educent. Non decet uiduam genio indulgere, sumptuosè uestiri, choreas frequentare. Vidua si se non contineat, nubat, 1.Corinth.7. non uitet coniugium ut liberius uiuere possit, ne'ue cogatur seruire marito. Placent sibi quædam hoc nomine, quod sint uiduæ, interim tamen scortantur: ad has amplissimæ illæ consolationes nihil pertinent, non enim ueræ uiduæ sunt. Multos, ut nostri dicunt, mori antè necesse est, priusquam fiant uiduæ. Si uolunt gloriari de tutela & cura Dei, dent operam, ut ueræ sint uiduæ, suoque nomini respondeant.

Qui uiduas lædunt,grauiter peccant.

Officium uiduarum.

26 Abominatio Domini sunt cogitationes (*uel consilia*) malæ.

Non tantum dicta & facta,sed etiam cogitatus malorum uirorum, Deo displicent. Opera etiam infidelium,in speciem bona,peccata sunt. Quicquid enim ex fide nō proficiscitur peccatum est. Errant qui putant cogitationes malas non esse peccatum, quàm diu in opus non erumpant. Colligimus ex hoc loco contra Epicureos, Deum etiam cogitationes non latere, scrutatur renes & corda. Quidam gentilium quoque,uiderunt Deum secretas nostras cogitationes intueri. Cum ex Zenone Stoico quidam quæreret, An Deum latere possit iniuriam faciens:respondit,ne cogitans quidem. Vide suprà uersu tertio.

Deus detestatur cogitationes impiorum.

Mundorum autem uerba, iucunda sunt.) Omnes homines sua natura immundi sunt: concipiuntur enim in peccatis: purificantur autem fide in Christum. Qui ad hunc modum purificati sunt, Deo accepti sunt & grati, eorumq; opera Deo placent. Non quidem omnia: nam in regeneratis quoque reliquiæ peccati hærent: sed quæ fiunt secundum normam & regulam uerbi Dei.

27 Perturbat

27 Perturbat domum suam, concupiscens concupiscentiam.

Hoc est, qui sectatur auaritiam. Patresfamiliás ad conseruationem familiæ pertinere putant, si per fas & nefas auarè opes corradant: sed longè fallūntur, turbant enim & euertunt domos suas. Illæ enim opes benedictione Dei carent, ideoque possessoribus pessimè cedunt. Incidunt etiam auari sæpenumero in horrenda flagitia & desperationem: hinc si uel magistratus de ipsis pœnas debitas sumant, uel ipsi manus sibi inferant, dedecus & probrum ad familiam redundat. Repete plura ex 10. cap. 2. uersu. Vetus est dictum, malè parta malè dilabi. D. Chrysostomus scribit 1. Cor. 5. cap. Sæpe exiguum lucellum fraude quæsitum, magnas opes rectè partas euertit. Nihil enim est quod facilius omnia corrumpat quàm πλεονεξία, hoc est, auaritia. Quod si capsam illam sera, ostio, uecte quoq; communieris, tamen frustra id facis, siquidem auaritiam intus conclusam habes uiolentissimum prædonem, qui quicquid inuenit, diripit. Discant igitur patresfamiliás auaritia domos non conseruari, & in parandis opibus modum seruandum esse. *Auaritia familiæ perduntur.*

Qui aūt odit munera, uiuet.) Hoc est, felix erit & beatus. Psal. 15. interrogat propheta: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Quis uersabitur in mōte tuo sancto? Postea inter alia subijcit, Qui munus super innocētem nō accepit. Similis ferè locus extat Isa. 34. Hoc inprimis iudicib. cogitādum. Num. 16. dicit Moses ad Dominū: Tu scis quod nec asellū unquā acceperim ab eis. Idē dicit Sam. 1. Reg. 12. Distinguēda aūt sunt munera: quædā sunt ut uocāt honoraria, ut, quæ parētes filijs, mariti uxoribus, domini seruis, amici amicis, &c. cōferunt, ad testandam animi beneuolētiam & gratitudinē, ad sanciēdam & cōfirmandam amicitiā. Quædam corruptoria, quæ in malum finem dātur, ut quæ à litigātibus iudici dātur, ut peruertat iudicium. Facilè autem honoraria à corruptorijs discerni possunt, si personas, tempus, causas & alias circumstātias obserues. Dicūt nōnulli se munera quidem accipere, sed nihilominus facere quod rectum iustumq; uideatur. At Deus qui corda hominum explorat, Exod. 23. & Deut. 16. dicit, munera excæcare prudētes & mutare uerba uel res iustorum. Si matrona aliqua dona accipiat ab adulteris, quantumuis honesta uideri uelit, tamen suspecta erit eius pudicitia. Homines qui se muneribus corrumpi patiuntur, ligonem non amplius ligonem uocant, nec scapham, scapham. Etsi uerò non repentè, tamen paulatim mali fiunt: arbor non cadit uno ictu. Roma, dicunt nostri prouerbio, non uno die est condita. Gentiles etiam intellexerūt quanta munerum uis sit. Phocion, cum Alexāder ei multa dona per suos legatos misisset, eos interrogauit, Cur sibi soli ex tāto Atheniēsium numero ea mitteret? illi respōderunt, quia solum ipsum honestum & egregium uirum iudicaret: Me igitur, dixit, talem porrò esse sinat. Quid munera efficiāt etiam quotidiana experiētia docet. Finge iudicem esse qui ius dicat ex legibus, patriam, religionem, & uitæ honestatem colat, quamprimum ardēs auaritia muneribus se corrumpi patitur, sentētiam feret ex affectu, patriæ libertatem prodet, religionem & honestatem amplius nō curabit: breuiter, omnia habebit uenalia. Multi ex doctis ueritatem agnoscūt, sed propter munera, more Bileami, eam non profitentur, malunt omnia habere uenalia. Nec pauci qui ueritatem professi sunt, corrupti muneribus, ab ea resiliunt. Plurimi non illa, qua debebant παῤῥησίᾳ docent, quò ad altiora possint ascendere. Vxores, uirgines, si accipiant munera, statim pudoris obliuiscuntur. Quot propter munera innocentem fundunt sanguinem? In accipiendis igitur muneribus, Græcum prouerbium cogitandum est: οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων: nec omnia, nec passim, nec ab omnibus. Auari homines à diuersis, dona corruptoria accipiunt, existimantes se suis quàm optimè consulere, cū irā Dei in eos prouocent. Iob. 15, Munera accipientiū tabernacula, ignis deuorabit.

Munerum genera. *Munerum effectus.* *Cautio in accipiendis muneribus adhibenda.*

28 Cor iusti meditabitur respondere.

Lingua iusti non præcurrit mentem: præmeditatè loquitur: si respondendum sit, cogitat quid & quomodo respondeat. Discamus id, quod de muneribus paulò antè diximus, etiam in sermone obseruandum esse, nempe ne omnia dicamus, nec semper, nec passim, nec cum omnibus colloquamur. Si respondere metaphoricè accipias, pro obedire, sensus erit: Iustus proponit sibi obedire superioribus suis.

Os autem impiorum, profert mala.) יַבִּיעַ Iasia, metaphora est ab aquis, ut suprà annotauimus. More scaturientis aquę, ebullit mala in loquendo, modum nescit, mala proximi passim prædicat, in omnes inuehitur, loquitur obscœna, falsa, & impia. Loquitur item mala sibi & alijs. Euripides dicit: ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία: infrenis oris, finis uel uectigal infortuniū.

29 Longinquus est Deus ab impijs.

Deus quidem immensa sua ui & potentia, omnia penetrat, & ubiq; præsens est. Apud prophetam dicit, se implere cœlum & terram. Acto. 17. dicit Apostolus: non longè abest ab

Deus quomodo recedere ab aliquo dicatur. unoquoq; nostrûm: in ipso enim uiuimus, mouemur & sumus. Tunc autem recedere ab aliquo dicitur, cùm ei subtrahit gratiam suam, cùm preces eius non exaudit, nec auxiliũ ei præstat. Sicut impij Deum contemnunt, sic Deus eos deserit, permittens eos prauæ inclinationi. Homines à Deo non corporis gressu, sed mentis affectu recedunt.

Iustus. *At iustorum orationem exaudit.*) Sic Psal. 144. dicit, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate: Voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorũ exaudiet. Iustos uocat, qui fiduciam suam in misericordia Dei collocant: fide enim iusti efficimur. Salutis nostrę inimicus, nihil non tentat, ut nobis persuadeat, preces nostras inanes & irritas esse: suggerit nobis, Deum parua hæc non curare: neq; necesse esse alicui rem multis exponere, quam probè norit, omnia ab æterno esse ordinata, & alia huiusmodi. Nouit enim preces, optima esse arma fidelium, quibus se contra ipsius tentationes defendãt: uellet igitur hæc eis eripere. *Promißiones, quòd Deus preces nostras exaudiat.* Proinde sæpe cogitanda sunt hæc uerba, Deum preces iustorum exaudire. Aliæ item insignes cõsolationes à Deo nobis traditæ, contra satanæ tentationes, cõsiderandæ sunt. Psal. 49, Inuoca me in die afflictionis, & ego eripiam te. Esa. 65, Antequam clamabunt, ego exaudiam, adhuc loquẽtibus illis, ego audiam. Matth. 7, Petite, & dabitur uobis. Omnis qui petit, accipiet, &c. Ioan. 14. 15. & 16, Amen amen dico uobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, &c. Idem confirmant exempla multorum, quos Deus clementer exaudiuit. Quòd autem nos non statim semper exaudit, suas quoq; habet causas, nempe quòd non oramus sicut oportet, &c.

30 Lux oculorum lætificat cor, & fama bona impinguat ossa.

Per bonam famam, intellige gloriam uel bonum nuncium. Sicut lux quæ oculis objicitur, cor recreat (iucundum enim est lucem oculis intueri. Eccles. 11. cap. Dulce lumen & delectabile est, oculis uidere solem) ita fama bona sparsa de nobis, & de illis quos diligimus, nos recreat. Pindarus inquit: Non aqua tepida sic reficit ossa defatigata, sicut gloria. D. Paulus multùm cõfirmabatur, quando audiebat de fide & charitate illorum, quos in fide Christiana instituerat. Bonum nuncium de Christo exhibito, mentes pauidas & consternatas, mirificè exhilarat. Prioris membri & hic sensus potest esse, *Lux oculorum.*) Id est uultus alacritas, alios etiã homines exhilarat.

31 Auris audiens correptionem uitæ, morabitur in medio sapientum.

Castigationis receptæ aut neglectæ effectus. Hoc est, homo qui libenter suscipit correptiones, quibus ad uitam honestam, & etiã æternam dirigimur, morabitur inter sapientes. לין lin propriè significat pernoctare. Multi ex humili genere, obtemperantes suis præceptoribus, in præclaros uiros euaserunt, & honestum aliquem gradum in Repub. uel ecclesia consequuti sunt, tandem in uita æterna uersabuntur cum electis Dei.

32 Qui abijcit castigationem, contemnit animam suam: qui autem audit correptionem, possidet cor.

Iterum de effectu, neglectæ uel receptæ castigationis loquitur. פורע porea præsens participium uel nomen participij, liber, uacuus. *Liber à castigatione, odit animam.*) Id est, qui ociosam facit castigationem, uel qui uacat castigatione, ut illa apud se nullum locum habeat. Alij exponunt, elongare, retrocedere, deficere. Qui correptionem reijcit, suijpsius hostis est: salus enim animæ, in castigatione consistit. 13. cap. dixit: Liber à castigatione, egestatem & ignominiam habebit. Qui autem recta monentibus obtemperat, cordatus est.

33 Timor Domini eruditio sapientiæ.

Idem uidetur dicere, quod aliàs quoq; dixit, timorem Domini principium esse sapientię. Vel uult dicere, timorem Domini inducere nos, ut proximum erudiamus & increpemus.

Humiles Deus euehit. *Et gloriam præcedit humilitas.*) Sequenti capite opposita sententia habetur, nempe contritionem præcedere fastum. Huius sentẽtiæ egregium exemplum habemus in Seruatore nostro, qui, ut Paulus inquit 2. cap. ad Philip. forma serui sumpta, humilẽ semetipsum præbuit, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Sequuta mox est gloria. Nam in nouum sepulchrum positus est, resurrexit magna gloria, in cœlos ascendit, & sedit ad dexteram uirtutis. Si nos quoq; glorificari cum Christo uolumus: antè afflictionibus obnoxios esse oportet. Solet Deus, ut de gloria huius seculi loquamur, humiles & contemptos sæpenumero euehere. Sic Psal. 113. canit: Deus erigit tenuem ex puluere, & pauperem è stercore euehit: ut collocet eum cum principibus, cum principibus, inquam, sui populi. Et D. uirgo, Detraxit, inquit, potentes de sedibus, & euexit humiles. Exempla habemus in Iosepho, Moyse, Saule, Dauide, Maria uirgine, Apostolis. Prophanæ quoq; historiæ, non pauca exempla nobis suppeditant. Vide infrà cap. 18. uersum 12.

CAPVT XVI.

N præsenti capite, cùm aliæ multæ res magnæ & utiles nobis proponũtur, tum locus de prædestinatione, & uniuersali prouidentia Dei, qua omnia reguntur, etiam illa, quæ uulgò casu & temere fieri existimant. Hæc pars doctrinæ, non solùm utilis est, sed etiam necessaria. Nam qui prouidentiam Dei, uel non intelligunt, uel non credunt, in animis suis ualde anguntur, & non rarò in multa scelera ruunt, putantes res nostras Deo non esse curę, sed omnia sursum & deorsum temerè uolui. Qui uerò hoc negocium rectè intelligunt, secundis & aduersis rebus se rectè gerunt: secundis enim non insolescunt, aduersis non franguntur. Videamus uerba sapientis. *Sũma huius capitis.*

HOmini sunt præparationes (*uel dispositiones*) cordis, & à Domino est responsio linguæ.

Sensus est: Quantumuis homo bona multa proponat sibi, quæ uelit dicere: euentus tamen & successus, in ipsius potestate non est, sed pendet à Deo. Nisi is linguam regat & gubernet, homo id quod uult, non assequetur. Sæpe apud se constituunt homines politici, quid in consessu iudicum, ad milites, ad populum, apud principes dicturi sint: sed responsionem linguæ, Deus pro sua prouidentia temperat. Exempla extant oratorum, qui in magna frequentia hominum turpiter obmutuerunt. Concionatores sæpe rem aliquam diligenter meditantur: postquam uerò suggestum conscendunt, & omnium oculos in se conuersos uident, trepidant: & quæ diligenter meditati sunt, quemadmodum optarent, proferre non possunt. Mala etiam sibi dicenda homines proponunt, sed nisi Deus iusto iudicio eos loqui permittat, quod uolunt, nequaquam possunt, exemplo res erit manifesta. Bileam ariolus, corruptus pecunia regis Ammonitici, deuouere Israelitas statuerat: sed uelit nolit bona imprecari eis cogitur. *Homo proponit, Deus disponit.*

Quod de sermone dicitur, multò magis de factis est intelligendum, quæ Dominus ita moderatur, ut sæpe longè diuersa ratione eueniant, quàm cor hominis cogitarat. Multa nobis proponimus facienda: sed nisi Deus iuuet nos, irriti sunt omnes nostri conatus. Quid boni sine Deo faceremus, qui nec profari possumus, nisi quod ille uoluerit? Pompeius, Cato & alij, patriam Iulij Cæsaris tyrannide oppressam, liberare instituerant: ad optatum autem finem rem deducere non potuerunt. Deus enim iusto iudicio, rem aliter ordinauerat. Sæpe instituimus res utiles & bonas, sed morbis & alijs rebus impediti, perficere nequaquam ualemus. Ipse Paulus ad Rom. 7. capite queritur, se mole carnis retrahi, quò minus faciat id, quod Deum lege sua postulare intelligat. Idem Paulus desyderauit Romam & in alia loca proficisci, sed impeditus fuit. Rom. 15. Act. 16. Dauid Deo templum ædificare statuerat, sed oraculo admonitus, Solomoni huius rei curam demandauit. Impij quoq; multa mala sibi proponunt: sed Deus frangit eorum conatus. Ecclesiam & ueram religionem omnibus seculis extirpare conati sunt: sed Dei manus tanquam freno eos retraxit. Exempla ueteris Testamenti nulla adducam, ex nouo quædam ad huius rei explicationem cognoscemus. Paulus longè lateq; contra fideles grassari conabatur: sed è medio cursu Deus eum reuocauit. Herodes Agrippa Iacobum Apostolum supplicio affecit, & Petrum quoq; è medio tollere in gratiam plebis meditabatur: sed à Deo hic uinculis liberatus, iste uerò ab angelo Domini occisus fuit. Non enim ordinarat Deus, ut Petrus ab Herode Hierosol. sed à Nerone Romæ iugularetur. Posteris temporibus Rom. Imperatores in hoc incubuerunt, ut Christianam religionem funditùs excinderent: quod tamen efficere nequaquam potuerunt. Concessit quidem eis multa Deus, ita exigente utilitate suorum fidelium: non tamen omnia, quæ tyranni uoluerunt, eos facere permisit. Nostro tempore, quot sanguinaria edicta contra Euangelium promulgata sunt? quot insidiæ structæ? Deus tamen non passus est hostes sua consilia in effectum producere. Si impij id quod animo suo proponũt, statim efficere possent, iampridem de prædicatione uerbi Dei omnibusq; pijs actum fuisset.

Colligimus itaque, prouidentia diuina non cœlum modò ac terram, regna & præcipuas hominum actiones gubernari: sed etiam bonorum & malorum conatus, uoluntates & consilia: nihil fortuitò, nihil contingenter euenire. Nobis quidem multa fortuita sunt quæ si ad Dei prouidentiam referamus, nequaquam sunt fortuita. Verè dicitur à ueteribus nonnullis, & recentioribus Theologis, casum & fortunam ethnicorum esse uoces. Vulgò dicitur, hic usus est bona uel mala fortuna: cùm tamen omnes successus & calamitates, à Deo nobis immittantur certo consilio. *Nihil temerè fit, sed omnia fiunt prouidẽtia Dei.*

Nihil autem in mundo præter Dei uoluntatem & arbitrium fieri, etiam illorum quæ

maximè fortuita uidentur, ex alijs quoque scripturæ locis permultis intelligitur: nos paucula tantum ad explicationem huius sententiæ, adducemus. Exodi 21, Percutiens hominem unde moritur, morte interficiatur. Et qui non est insidiatus, sed Deus tradidit (illum) in manũ eius, ponam tibi locum quo confugiat. Casus ponitur Deut. 19. de cædente ligna. Iob 14. cap. legitur, terminos uitæ à Deo constitutos esse, quos præterire non possimus. In hoc capite audiemus, sortes, quæ maximè cæcæ fortunæ subiacere uidentur, à Deo gubernari. Cuius rei illustre exemplum habemus in Saule, qui per sortes rex declaratur, & postea sortibus Ionathanẽ filium inquirit. Christus dicit Matthæi decimo capite, Non'ne duo passerculi asse minuto uæneunt? & unus ex illis non cadit in terram, sine patre uestro? Vestri uerò etiam pili omnes numerati sunt. Singula uerba magnam habent Emphasim. Si Deus odiosas illas & inutiles auiculas, quas nullæ unquam leges defendunt, sibi commissas habet, an'non homines defenderet, singulorumq; curam haberet? D. Iacobus 4. capite suæ epistolæ, illos corripit, qui de suis negocijs, etiam ad rem domesticam tantum pertinentibus, ita deliberant, quasi illorum euentus ab ipsis dependeat, cùm potius ad Dei uoluntatem respicere deberent.

Hæc excitant nos ad inuocandum Deum, ut dicta & facta nostra iuuet, & consolantur nos in afflictionibus.

Præparare nos ad bona non possumus.

His addendum est, nonnullos priorem huius sententiæ partem, *Hominis est disponere cor*, Sic accipere, ac si homo liberum arbitrium habeat, se præparandi & conuertendi ad bona, ac disponendi ad gratiam: cum tamen nec loqui possit quod ipse uult. Paulus scribit 2. Corinth. 3. nos non idoneos esse, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis. Quicquid bonum est, ex fonte omnium bonorum Deo descendit. Christus dicit, Ioannis 14. capite, Sine me nihil potestis facere. D. Augustinus, contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifac. lib. 2. cap. 8. sic dicit: Quod scriptum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*, non bene intelligendo falluntur, ut existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit, ut sic intelligant filij promissionis, tanquã cum audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere: quasi conuincant eum, dicentes, Ecce sine te possumus cor præparare. Aut cum audierint à Paulo apostolo, Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: tanquam & ipsum conuincant, dicentes, Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare. Quis enim potest bona cogitatione, ad bonum cor præparare? Absit ut sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij defensores, FIDEI CATHOLICAE desertores. Ideo quippe scriptum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ.* Quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor. Homo præparat cor, in responsione linguæ, id est, in eo quod præparato cordi lingua diuina respõdit, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*: ita etiã dictum est, Aperi os & adimplebo illud. Quamuis enim nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento & opere nostro, implet autem Dominus illud sine opere nostro, &c. Concilium Arausicanum 2. ad hunc modum inter alia decreuit: Si quis per inuocationem humanam dicit gratiam Dei posse conferri, non aũt ipsam gratiam facere, ut inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, uel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum ab ijs, qui me non quærebãt, palàm apparui his qui me non interrogabant. Si quis, ut à peccato purgemur, uolũtatem nostram Deum expectare contendit, non aũt ut etiã purgari uelimus, per spiritus sancti infusionem & operationẽ in nos fieri, cõfitetur, resistit ipsi spiritui sancto per Solomonẽ dicẽti, præparatur uolũtas à Dño: & Apostolo salubriter prædicãti, Deus est qui operatur in nobis & uelle & perficere pro sua bona uolũtate. Hoc enim salubriter profitemur & credimus, quòd in omni ope bono nos nõ incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramentum fideliter requiramus, & post baptismum, cum eius adiutorio, ea quæ sibi placita sunt implere ualeamus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides, non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum, &c. Hoc testimonium ijsdem uerbis legitur in definitionibus Ecclesiasticis cap. 51. Hæc ideo utile est scire, ut agnoscentes nostram infirmitatem, pro dono fidei Deo gratias agamus, & fidei incrementum petamus. Quantum enim uiribus nostris tribuimus, tantum misericordiæ diuinæ detrahimus.

2 Omnes

2 Omnes uiæ uiri mundæ sunt in oculis eius (*s.uiri*) & Dominus numerans (*uel ponderans*) spiritus.

Via, id est, dicta & facta. Hoc uult dicere, tam corrupta est nostra natura, ut nobis nostra studia & instituta, quantumuis mala, placeant. Cum multa iniusta & nefaria patramus, nunquam desunt nobis excusationes. Etiam Quintilianus dicit, sceleri nunquam defuisse rationem. Cum nouos cultus confingimus, quibus Deo placeamus, nunquam desunt nobis rationes speciosæ & probabiles. Quæ unquam secta tam prodigiosa emersit, quæ suas opiniones non defenderit, & omnibus longè prætulerit? Nec facilè eò adduci homines possunt, ut errores & uitia sua agnoscant, sed minimum aliqua ratione extenuant. *Dominus autem est, qui spiritus ponderat uel numerat.*) De cogitationibus, uerbis & factis nostris, & impulsibus quibus agimur ad aliquid faciendum, uerè & iustè solus iudicat. Nec sunt exigenda bona opera nostra (ut piè hoc loco Pellicanus noster annotauit) ad iudicium rationis nostræ, sed ad regulam scripturæ Canonicæ, & uoluntatis diuinæ. תכן thachan idem significat quod Græcis ἀνακρίνειν dijudicare, penitus perpendere, ponderare, metiri. *Suum cuique pulchrum.*

Quia uerò scimus, nostra nobis pulchra uideri, cauere debemus ne illudamus nobis ipsis, in nostram perniciem: cogitemus quanta sit nostra infirmitas. Non proderit nobis in extremo illo iudicio, quòd loco scelerum illa non habuimus, quæ Deus uetuit: uel quòd ob externam iusticiæ laruam, nobis placuimus: Dominus enim latentem cordis uitiositatem & hypocrisim, trutina sua examinat, & in abditissima quæq; penetrat. Ipse uidet peccata, ubi nos nulla uidemus. Similis ferè sententia suprà 12. capite uersu 15. ponitur. Vel ad Deum potest referri, *Omnes uiæ uiri mundi.*) Id est pij & fidelis Deo. Vide num etiam hic sensus esse possit, Non solum omnes uiæ, id est, omnia studia & opera uiri mundi, sunt in conspectu Dei: sed ipse quoq; spiritus, id est angelos numerauit.

3 Deuolue ad Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes.

גלל Galal uoluere, deuoluere, inuoluere. Opera nostra ad Dominum uoluere, est ei committere & commendare res nostras. Sic Psalmo 55. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, nec permittet unquam fluctuare iustum. Psalmo 37. Commenda Domino uiam tuam, & spera in ipsum, & ipse faciet. Non uult ut more ociosorum hominum omnia Dei gubernationi committentes, interea nihil agamus: sed ut quisque nostrum in suo ordine, studiosè & diligenter exequatur, quæ Deus ab eo requirit: cumque omnia fecerimus, euentum ipsi permittamus. Quemadmodum agricolæ & uinitores, qui operi diligenter incumbunt, & postea fructum laborum suorum Deo committentes, benedictionem eius expectant. Deus enim ad nominis sui gloriam, & electorum suorum salutem, omnia diriget, conatusq; nostros si utile sit perficiet. *Deo res nostræ committendæ.*

Multi nimis anxij, iam hæc iam illa metuunt, & sibi multas quotidie cruces fingunt, qui si iuxta hoc consilium saluberrimum, opera sua Deo commendarent, quieto & firmo animo essent, siue læta siue tristia eis acciderent.

גול Gol quidam uertunt, reuela, deducentes à גלה galah, quod non congruit regulis grammaticæ Heb. Sensum autem non malum eliciunt: nempe ut Dei memores, talia opera edamus, quorum nos non pudeat in conspectu eius, & si quid peccauimus, ingenuè ipsi confiteamur ac reuelemus: non quòd ignoret aliquid, sed ut quæramus ab eo auxilium & consilium, in operibus nostris.

4 Omnia operatus est Deus propter seipsum.

Tam miseri & corrupti sumus, ut modum tenere nobis in omnibus rebus sit difficile. Nam uel ad dextram, uel ad sinistram deflectimus. Nec tantum in rebus ciuilibus & externis: sed etiam religionis & fidei: atque adeò in primario capite Christianæ doctrinæ, nempe de Electione & Prædestinatione. Quidam enim omnia arcana consilia, quæ Deus in seipso abscondita esse uoluit, rimari uolunt: cum illud minimùm cogitare deberent, nostros oculos uel ad solis conspectum caligare. Deinde alij sunt, qui ab omni mentione prædestinationis toto pectore abhorrent, dicunt inde pios turbari, impios peccandi ansam accipere. Quasi uerò aliquid à spiritu sancto in sacris literis proponatur, quod bonis moribus officiat. Media uia incedendum est, ut non plura uelimus scire, quàm Deus reuelauit uerbo suo: nec ignorare, quæ nobis aperire dignatus est. Consolatione plenus est hic locus, pijs omnibus, si dextrè proponatur.

Omnia dicitur fecisse Deus propter seipsum: nō propter utilitatē suam: nulla enim re indiget: sed propter seipsum, tanquam ultimū finē, hoc est, propter gloriam suam. Voluit gloriam *Finis omnium operū Dei.*

suam manifestari in omnibus creaturis, potentiam, sapientiam, bonitatem. Inuisibilia Dei, inquit Paulus Roman. 1. cap. ex creatione mundi intelliguntur. Opus, ut uulgo dicunt, testatur de artifice. Potentiam inde colligimus, quòd omnia ex nihilo produxit: sapientiam, quòd pulcherrimo ordine singula disposuit: bonitatem, quòd homini usum harum rerum concesit.

Deus non est author peccati. Sed quæri hoc loco potest: Si Deus omnia fecit, num etiam fecit uel creauit peccatum? Nequaquam. Quæcunq; enim Deus creauit bona sunt. Vidit Deus, inquit scriptura Genes. 1. capite, cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Peccatum autem malum est. Quomodo igitur dicemus Deum peccatum fecisse? Deinde, Deus odio habet peccatum. Psalmo 5, Non Deus uolens iniquitatem tu es. Nec solum uerbo suo prohibet peccatum: sed etiam punit, cùm in hoc tum in futuro seculo. Huc accedit, quòd lux non potest gignere tenebras, arbor bona malos fructus proferre. Non itaq; dicere possumus, Deum creasse peccatum. Multa alia omitto, quæ ostendunt Deum propriè authorem peccati dici non debere.

Peccati causa efficiens. Vnde ergo peccatum est? D. Augustinus de ciuitate Dei libro 12. cap. 7. dicit: Cum peccatum sit defectus & priuatio, non opus habere causa efficiente, sed potius deficiente. Res illustratur simili: Sol illuminat sua natura, non inducit tenebras: recedente uerò sole, sponte sequuntur tenebræ: Ita Deus qui natura sua bonus est, si recedat à nobis, hoc est, iustis de causis gratiam suam nobis subtrahat, uel ut puniat nos, uel ut alijs gratia ipsius magis sit cõspicua, sponte peccatum sequitur. Non est necesse, ut alibi causam peccati inquiramus, cum interiorem habeamus malam uoluntatem, ad quam accedit suggestio satanæ.

Deus regit peccatum. Sciendum tamen est, homines & diabolum non ita sibi relinqui, ut posint peccare quoties & quemadmodum uellent, & Deus nihil faciat. Ipse enim regit & gubernat peccata, nempe quo ad tempus, ne quouis tempore grassentur, nec quamdiu homines mali & satan uellent: deinde, ut peccatum magis in hunc, quàm in alterum feratur: peccatis item utitur, ad gloriam sui nominis, ad pœnam impiorum, & salutem electorum. Quid peccato Iudæ, Caiaphæ, Pilati sceleratius? Et tamen Deus hoc peccato usus est ad hoc, ut nos perpetuò seruaremur. Peccant horribiliter tyranni, qui Ecclesiam Christi persequuntur: attamen Deus utitur peccato ipsorum, ad exercendum suos fideles. Adhæc Deus peccata peccatis punit: in quo tamen accusari ut iniustus non debet. Pertinet enim ad iusticiam, punire peccantes. Hinc legitur, Deum dare homines in reprobum sensum, excæcare, seducere, & alia similia. Sæpe peccant homines tametsi idem uelint quod Deus. Exemplo, quod alicubi recitatur ab Augustino, res fiet manifesta: Deus uult mori patrem mali filij, idem uult filius: sed quia inuadere cupit hæreditatem, & amore erga patrem uacuus est, peccat. Habemus nunc peccati quidem causam, si propriè sit loquendum, Deum non esse, neq; tamen omnia sine habenis relinquere.

Non omnes ad salutem cõditi sunt. *Impium quoq; ad diem malum.*) Putant quidam, Deum omnem rationalem creaturam, angelos nempe & homines, ad æternam salutem condidisse. At scripturæ longè aliter hac de re loquuntur, nempe quòd Deus ex omnibus hominibus, qui natura sunt filij iræ & morti æternæ obnoxij, alios ad uitam æternam destinarit, alios uerò morti æternæ reliquerit, ut diuina iusticia in eis appareat. Et hoc est quod Solomon hoc loco dicit: Impium factum esse ad diem malum. Non tamen ex his uerbis colligendum, Deum condidisse impium ut impium: nam impius ut impius, non est ex Deo, sed ex patre diabolo. Ioan. 8. cap. Non de creatione loquitur, sed de gubernatione illius, qua etiam impiorum animas sic gubernat, ut ad gloriam suam faciant.

Quare & quomodo Deus impium faciat, sententia Aug. Quia uerò de hoc negocio hodie acerbè contenditur, confirmabo & illustrabo hanc sententiam Solomonicam, testimonijs D. Augustini, ut lectores uideant, me non nouam interpretationem afferre. In libro de Genesi ad literam imperfecto, capite 5. scribit: Vitiorum nostrorum non est author Deus, sed tamen ordinator est, cùm eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Et mox: Quædam ergo & facit Deus, & ordinat, quædam uerò tantum ordinat. Iustos & facit & ordinat, peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. Paulò post iterum: Ita species naturasq; ipsas & facit & ordinat, priuationes autem specierum defectusq; naturarum non facit, sed ordinat tantum. Dixit itaque, fiat lux, & facta ex lux: non dixit, fiant tenebræ & factæ sunt tenebræ. Horum ergo unum fecit, alterum non fecit, utrunq; tamen ordinauit: cum diuidit Deus inter lucem & tenebras: ita & ipso faciente, pulchra sunt singula, & ipso ordinante, pulchra sunt omnia. De nuptijs & concupiscentia lib. 20. cap. 16. Bonitate sua Deus fecit homines, & primos sine peccato, & cæteros sub peccato, in usus profundarum suarum cogitationum. Sicut enim de ipsius diaboli malitia nouit ille quid agat, & quod agit, iustũ est

& bo-

& bonum quamuis sit de quo agit iniustus & malus, nec eum creare propterea noluit, quia malum futurum esse præsciuit: Ita de uniuerso genere humano, quamuis nullus hominum sine peccati sorde nascatur, bonum ille, qui summè bonus est, operatur, alios faciens tanquam uasa misericordiæ, quos gratia discernat ab eis qui uasa sunt iræ, alios tanquam uasa iræ, ut notas faciat diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ. Eat iste nunc, & aduersus Apostolum, cuius ista sententia est, argumentetur: imò aduersus ipsum figulum, cui respondere prohibet Apostolus, dicens, O` homo, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me finxisti? An non habet potestatē figulus luti ex eadem massa facere, aliud uas in honorem, aliud in contumeliam? Numquid ergo iste negat uasa irę esse sub diabolo? aut quia sub diabolo sunt, alius ea quàm ille facit, qui uasa misericordiæ facit? aut aliunde & non ex eadem massa facit? Hic itaq; dicat, Ergo Deus uasa diabolo facit: quasi nesciat Deus sic eis uti ad opera sua iusta & bona, sicut ipse utitur diabolo. De Ciuit. Dei lib. 14. cap. 16. Veruntamen omnipotenti Deo summo ac summè bono, creatori omnium naturarum, uoluntatum autem bonarum adiutori ac remuneratori, malorum autem relictori, & damnatori, utrarumque ordinatori, non defuit utique consilium, quo certum numerum ciuium sua sapientia prædestinatum & ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleret, non eos iam meritis (quandoquidem uniuersa massa tanquam in uitiata radice damnata est) sed gratia discernens, & liberatis non solum de seipsis, uerumetiam de non liberatis, quid eis largiatur, ostendens. Non enim debita, sed gratuita bonitate tum se quisque agnoscit erutum à malis, cum ab eorum hominum consortio fit immunis, cum quibus illi iusta esset pœna communis. Cur ergo non crearet Deus, quos peccaturos esse præsciuit, quandoquidem in eis & ex eis & quid eorū culpa mererentur, & quid sua gratia donaretur posset ostendere, nec sub illo creatore ac dispensatore peruersa inordinatio delinquentium rectum peruerteret ordinem rerum.

Ad Simplicianum lib. 1. q. 2. Deus quòd ex conspersione impiorum facit uasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ in pœna debita pereuntium, in qua occasionem salutis illi quorum miseretur inueniant. Sic Pharaoni dictum est, In hoc te excitaui, ut ostendam in te potentiam meam, ut annuncietur nomē meum in uniuersa terra. Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annunciatio nominis eius in uniuersa terra, prodest eis ut timeant, ut uias suas corrigant, quibus uocatio talis congruit. Sic consequenter dicit, Si aūt uolēs Deus ostēdere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia uasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, subauditur, Tu quis es qui respōdeas Deo? Et mox, Nō autem solum uolens ostendere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patiētia uasa iræ quę perfecta sunt in perditionem: sed etiam quod sequitur, Vt notas faciat diuitias glorię suæ in uasa misericordiæ. Quid enim prodest uasis perfectis in perditionem, quod ea patienter Deus sustinet, ut ordinanter disperdat, utaturq; illis ad instrumentum salutis aliorū quorum miseretur? Sed illis utiq; prodest, ad quorum salutem istis sic utitur. Et mox: Obduratio illa impiorum utrunq; demonstrat, & quid timendum sit, ut quisq; pietate conuertatur ad Deum, & quantæ agendæ sint gratiæ misericordiæ Dei, qui in aliorum pœna quid alijs donet ostendit. Hæc ex Augustino de hoc negocio attulisse sufficiat.

Exempla electorum & reprobo rum.

Exempla electorum & reproborum in scripturis multa habemus, Abelis & Caini, Mosis & Pharaonis, Dauidis & Saulis, Lazari & diuitis, Petri & Iudæ, Latronis ad dexteram Christi, & latronis ad sinistram. Credendum etiam est, hodie maximam turbam esse reproborum, quanquam nos pronunciare non possumus, an huic uel illi Deus gratiam suam collaturus sit. Deus non tantum misericors, sed etiam iustus est, atque uult ut agnoscamus misericordiam suam, in illis, quos æterno consilio ad uitam æternam prædestinauit. Non enim propter præuisa opera, ut quidam opinati sunt, sed ex gratuita misericordia nos salutis participatione dignatus est. Nihil in homine præuidere potuit, nisi quod prius ex sua liberalitate ei concessurus erat. De hoc multa leguntur in epistolis Pauli, & inprimis ad Rom. 9. de Iacobo & Esau. In reprobis uerò, quos iusto consilio, sed nobis inscrutabili, suo exitio relinquit, suam iusticiam uult conspici. Sic de Pharaone respondit: In hoc ipsum excitaui te, ut ostenderem in te potentiam meam. Non modò per electos, sed etiam per reprobos gloria Dei illustratur.

Ratio offenditur capite de electione & prædestinatione.

Hæc uerò dum dicuntur, ingenium humanum ualde offenditur, multisque modis cum Deo litigat, ac multa colligit absurda, quæ ex hac doctrina uidentur consequi. Quemadmodum autem cauendum est, ne ullam offensionem cuiquam demus: ita quàm maximè est cauēdum, ne ob improborum offensiones, uel latum pilum à ueritate deflectamus. Multi tentant religionis controuersa capita sic tractare, ne quicquam offendiculi inde oriatur: in-

terim uerò dum huc illuc ueritatem flectunt, non solum nihil efficiunt, sed ueritatem magis magisq; obscurant. Si loquamur de gratuita remissione peccatorum propter Christum, in multis petulantia sequitur: nihilominus tamen necesse est hanc doctrinam inuiolatam retineri.

Obijcit ratio nostra, nos non iurè ob ea puniri, quibus æternum Dei consilium necessitatem imponat. Respondeo: Multa esse quæ nostrum captum excedant, nec dubitandum quin Dei iudicia, si rationem eorum assequi possemus, omnibus modis probaremus: quemadmodum in Apocalypsi sancti inducuntur, qui agnum collaudant. D. Paulus ad Rom. 9. cap. retundit humanam arrogantiam his uerbis: O' homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicet figmentum ei qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uerò in ignominiam? &c. Quæ uerba desumpsisse uidetur, ex 45. cap. Isaiæ, & Ierem. 18. Idem Paulus 11. cap. ad Rom. de his mysterijs agens, exclamat: O' profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, &c. Reprobi parum de hac re soliciti, omnia susq; deq; habent. Hæc doctrina de prædestinatione & reprobatione, ut ab initio huius capitis præfatus sum, ualde est necessaria. Excitat enim in nobis humilitatem & modestiam, ne nobis tribuamus quod solius Dei est: excitat etiam in nobis amorem Dei & gratiarum actionem. Quomodo Deum iustè diligemus & colemus, nisi beneficia electionis cognoscamus? Non est maior consolatio pijs animis, quàm nouisse, salutem omnem à sola, eaq; optima uoluntate patris nostri cœlestis, pendere. Nihil est quod in omnis generis afflictionibus, nos efficacius consolari possit.

Doctrina de prædestinatione est ualde necessaria.

His addendum est, quomodo nos uersari oporteat in consyderatione electionis: grauiter enim hac in parte tentamur à satana. Turbat enim animos nostros sæpissimè hac cogitatione, Fortè non es ex electis. Ibi non incipiendũ est à suprema ęternitate: sed à signis posterioribus electionis, quibus animi nostri confirmandi sunt. Deus tibi prædicari sinit uerbum suum, gratiam tibi confert, ut intelligas & credas: hæc sunt signa electionis. Noli autem dubitare, quin Deus opus quod in te cœpit, perfecturus sit. Sin uerò fides illa in te non sit perfecta, ne putes te à Deo neglectum, sed ora cum Apostolis, ut fidem tuam adaugeat. Deus aliquando suos ad tempus deserere uidetur, sed postea iterum manum eis porrigit. Neque desperandum est, de ijs etiam qui nunc prorsus fide uacui sunt. Deus enim quosdam mane, quosdam circa meridiem, quosdam uerò uesperi in suam uineam emittit. Latroni ad dextram pendenti, iam iam morituro fuit propitius. Superuacaneum autem fuerit interrogare, cur Deus alterum quoq; latronem, misericordiæ oculis non aspexerit. Arcana sunt hæc iudicia Dei, & nobis inscrutabilia. Gratias nos ei agamus, pro immenso illo & inenarrabili beneficio quòd non æternùm nos, quemadmodum meriti eramus, perire passus sit, sed in Christo sibi adoptarit. Si in nostra manu posita esset salus, ad quamcunq; leuem etiam occasionem, eam amitteremus, nec uel unus homo saluaretur.

Quomodo in consyderatione electionis uersari oporteat.

Lyranus quoq; ad hunc locum scribit, *impium ad diem malum*, scilicet præparauit, ut in reprobis reluceat eius iusticia, sicut eius misericordia in electis. Quod Paulus in Epist. ad Rom. fuse diducit. Etiam in hoc seculo, quando impius ad diem malum ducitur, alij homines Dei uidēt iudicia, & ea laudant.

5 Abominatio Domini est elatus corde.

Superbus & arrogans, dicitur abominationi esse Deo. Qui effertur propter dona animi, corporis aut externa, maximè uerò qui suis operibus salutem tribuit, item qui sibi arrogat quæ solius Dei sunt (quemadmodum pontifex Romanus) abominationi est Domino. Disertè autem dicit, elatum corde. Multi enim externè uerbis & habitu humilitatem præ se ferunt, quales nostro tempore fuerunt Monachi & Anabaptistæ, in corde uerò turgent superbia. Tales Deus omnibus seculis abominatus est & pœna affecit, priuatim & publicè. Exemplis plenæ sunt omnes historiæ. Primi nostri parentes, pœnas dederunt, Babylonicæ turris ædificatores, Senacherib, Hamanus, Herodes, Agrippa, &c. Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Palæstini, Amalekitæ, superbi & arrogantes homines, funditus deleti sunt.

Superbos abominatur Dominus.

Fugienda itaq; est superbia & arrogantia. Cogitandum semper, quales simus nostra natura, & quicquid habemus, à Deo nos accepisse, & ad certum finem accepisse: Deum quoq; spoliare nos illis donis posse. August. super Ioannem sermone 5. quærit, cur multa patiamur à creatura quam Deus fecit? deinde respondet, Ad domandam superbiam Deum instituisse, ut creatura minima & abiectissima nos torqueret. Vt homo superbus, qui se iactauit aduersus Deum & proximum, pluribus pulicibus subdatur.

Remedia contra superbiam.

Manus ad manum, malus non erit innocens.) Licet superbi conspirent, & sibi mutuum auxilium ferant, seq; contra omnem fortunam satis munitos esse confidant, tamen iustas pœnas Deo dabunt. Vel hoc uult dicere, superbus tã est pertinax, ut si flagellum flagello addat Dominus, ille tamen ad meliorem mentem non redeat. Plures expositiones repete ex cap. 11. uersu 21.

6 Misericordia & ueritate redimetur iniquitas.

Hæ duæ uoces אמת & חסד amath & chæsed sæpe iunguntur in scripturis. Per misericordiã, intelligo propesionem Dei, ad benefaciẽdum nobis: per ueritatẽ, executionẽ bonæ illius uolũtatis & constantiam promissionũ. Simplicissimus sensus hic esse uidetur. Per misericordiã Dei propter Christũ (ad quem omnes promissiones tendunt) peccata nostra expiari, Exodi 34. inter titulos Dei habetur, quòd multus sit misericordia & ueritate.

Papistæ ad homines referunt, dicentes: misericordia uel eleemosyna, ueritate & alijs bonis operibus (sub quibus etiam illa comprehendunt, quæ à Deo præscripta non sunt) expiari nostra peccata, coram Deo: uenduntq; precio sua bona opera.

De eleemosyna sunt quædam loca, quæ prima fronte hoc uelle uidentur, de quibus 13. ca. uersu 8. diximus. At sacrilegium est uel eleemosynæ, uel alijs operibus, etiam à Deo præscriptis, tribuere, quod soli Christo seruatori nostro tribuendum est. Mors Christi est unica plena & efficax satisfactio, pro peccatis nostris. Ad Ephes. 2. disertè dicit Apostolus, Gratia seruati estis per fidem, idq; non ex uobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Si per iniquitatem intelligas pœnas & supplicia peccatis debita (quemadmodum scripturæ non rarò loquuntur, & etiam Lyranus hoc loco interpretatur) libenter concedimus, misericordia & alijs bonis operibus, quæ ex fide proficiscuntur, pœnas temporarias leniri & mitigari. Potest etiam sic intelligi, *misericordia & ueritate redimitur iniquitas*, hoc est, benefaciendo proximis liberaliter & fideliter, multa mala & peccata euitantur. *Eeleemosynis non expiantur peccata.*

Et in timore Domini, receditur à malo.) Timore Dei præditi, cauent sibi ab illis quibus patrẽ suum cœlestem norunt offendi: studentq; illis, quæ ipse in lege sua requisiuit. Qui uerò uacui sunt timore Dei, in omnia scelera temere ruunt. Gen. 20, Abrahã uxorẽ suã, dicebat esse sororem suã: cogitabat enim, forsitan nõ est timor Dei in loco isto. Psal. 14., Propheta corruptionis impiorum causam ostẽdens, Non est, inquit, timor Dei ante oculos eorum. Quòd hodie omnia flagitia grassantur, hinc est quòd pauci uero timore Dei præditi sunt.

7 Cum placuerint Domino uiæ uiri, etiam inimicos eius conciliat ei.

Viæ uiri, quemadmodum sæpe diximus, sunt eius conatus, consilia, instituta. Illius autem uiæ Deo probantur, qui non iudicia uulgi, aut rationis suæ dictata sequitur: sed præscriptum uerbi Dei: breuiter, qui uera fide est præditus. Tali homini hostes ita conciliantur, ut quemadmodum hactenus eum odio prosecuti sunt: ita deinceps bene de eo mereantur. Exempla huius rei multa, sacræ literæ nobis suppeditant. Iacob rediens ex Mesopotamia, fratrem suum Esau, quem sibi in itinere occurrentem metuebat, contra expectationem beneuolum expertus est. Iosephus post squalores carceris, gratus & acceptus fuit regibus Ægypti. Filia Pharaonis miserta est Mosis, & contra edictum patris, eum non modò uiuum conseruauit: sed etiam adoptauit in filium, præteritis tot principibus in aula regis. 2. Sam. 19. capite, Omnes tribus, Dauidem quem regno expulerant, facto decreto reducunt. Quod omnino Deo adscribendum est, nam alioqui metu pœnæ, nouum regem delegissent. Cum Deus rectè coleretur à Salomone, conciliauit ei regem Ægypti: cum autem ipse & filius eius Rhoboamus ab eo deficerent, legesq; eius uiolarent, Sesacum infestum hostem reddidit. Iosaphato Palęstini atq; Arabes infestissimi populo Israelis ultro munera afferunt, 2. Para. 17. Nabuchodonozor tres socios Danielis, quos in fornacẽ conijci iusserat, educi curauit & humanissimè complexus est. Darius Danielem coluit. Euilmerodach Iechoniã regem Iuda, è carcere liberauit, Ierem. ult. cap. Cyrus populo Israelitico fauit. Plura exempla inuenies cap. 21. uersu 1. Sæpe persecutores non solum in gratiam redierunt cum fidelibus: sed etiam ad fidei ueritatem conuersi sunt. Paulus quem accedere Ananias propter truculentiam cunctatur, præco Euangelij factus est. Nostra ætate multi ex atrocissimis Euangelij hostibus, tandem Euangelicam doctrinam amplexi sunt. Ex Hispanis militibus, qui armis Germaniam religionis causa superioribus annis uexarunt, non pauci ad fidem conuersi, & quidam martyres Christi facti sunt. Dei optimi maximi hoc est opus. Is etiam efficit, ut in illo articulo temporis, quo cum hostibus agendum est, se beneuolos & placidos præbeant: ueluti Assuerus erga Hesterã: Pilatus erga Iosephum Arimathæensem. Quin Deus suis electis, etiã ferocissimas bestias domat. Sic leones famelici parcunt Danieli. In Ecclesiastica historia sępe legitur, crudeles bestias martyribus pepercisse. Addendum autem est, *Pijs hostes conciliantur.*

id non esse perpetuum quod Solomon hocloco dicit, sed sæpenumerò accidere, ut contra il los qui probantur Deo, quiq; uera fide præditi sunt, sanctamq; uitam degunt, tyranni insurgant, eos in exilium agant, & crudelissimè persequantur. Postulat enim hoc Dei gloria, & salus electorum: attamen sæpe accidit, quod hocloco pronunciatur. Fides quidem & boni mores electorum Dei, animos uel hostium, sua natura ipsis conciliare deberent: tamen quia homines huius mundi, impij sunt, ideo fit ut ferre bona opera & ueram fidem, non possint, sed ad persecutionem pietatis excitentur. Deus interea eorum peccato bene utitur. Cum igitur certum sit, illam mutationem animorum à Deo esse, demus nos operam, ut uiæ nostræ ipsi placeant, hoc est, faciamus, quæ ipse præscribit: & cum expediet, nobis quàm plurimos amicos excitabit. Multa interdum facimus, multa omittimus, Deum non rarò offendimus, ne hominum gratiam amittamus: sed Deus nõ solum amicos nostros retinere in officio, sed & ex hostibus amicos & socios excitare potest, ac alios nobis adiungere, de quib. antea nunquam cogitaueramus. Iosephus de Arimathæa, accedit Pilatum, & petit ut ei liceret Christũ honorificè sepelire. Pilatus amicè hoc ei concedit: mox adiungit se etiam Nicodemus. Quando uerò in gloriam Dei nihil facere audemus metu hominum, Deus interdum ex amicis ini micos reddit, & hostes quoq; nostros magis contra nos finit furere, ut pœnas à nobis exigãt. Alias quoq; ob causas suos his rebus aliquando exercet.

8 Melius est parũ cum iustitia, quàm multitudo prouentuũ absq; iure.

Opes exiguæ iustè collectæ, præstãt magnis opibus iniustè quæsitis.

Multi existimant bene agi cum liberis suis, si ingentem auri argentiq; aceruum eis relinquant, ideoq; se ad malas artes conuertunt. Interim parum sunt soliciti, ut liberi uti opibus rectè discant. Hinc fit, ut magnæ illæ opes facilè dissipentur, liberisq; malè cedant. Satius autem est, parum aut omnino nihil habere, quàm magnos prouentus frugum terræ, absq; iustitia. Experimur opes iustè partas, sæpenumero à filijs dissipari: quid igitur de iniustè partis sperabimus? Danda est potius opera, ut nobis & liberis nostris, maximas illas & cœlestes opes acquiramus, nempe remissionem peccatorum, & iustitiam coram Deo: acquiruntur autem per fidem in Christum. Hæc sententia sæpe repetitur in hoc libro, est enim ualde necessaria. Psalmo quoq; 37. dicitur, melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Etiam gentiles uiderunt, satius esse moderatas opes, partas habere honesto labore & industria, quàm ingentes scelere & iniurijs.

9 Cor hominis cogitabit uiam suam, & Dominus diriget gressum eius.

Deus regit iter nostrũ.

Hæc sententia eadem ferè est cum prima huius cap. Siue uiam simpliciter, siue per metaph. pro uiuendi ratione & instituto accipias, euidẽs erit sensus: Etsi homo hoc uel illud, & secundum literam, iter instituit: tamen non succedit, nisi Deus uoluerit. Habet enim liberum arbitrium etiam in renatis duplicem infirmitatem: primum, bonum quod faciendum nobis deligimus, nunquã præstamus ut uoluissemus. Deinde non semper sequuntur illi euentus, quos nobis uel in priuatis uel publicis, in sacris uel prophanis negotijs proponimus: sed longè aliud succedit, quàm quod decreueramus. Euentus enim rerum à prouidentia Dei dependent. Infrà cap. 20. uersu 24. dicet, à Domino sunt gressus uiri, & quomodo disponet homo uiam suam? Psalmo 118. orat propheta, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Hierem. 10. cap. exclamat, Scio Domine quòd non est hominis uia eius, nec uiri ut dirigat gressus suos. Sæpe longè alia accidunt, quàm unquam nos cogitare possimus. Iosias transitu prohibere regem Ægypti decreuerat, sed in bello cecidit. Herodes Agrippa, Petrum interficere constituerat, sed ab angelo percussus fuit, &c. Aliud igitur est de rebus agendis deliberare: aliud ea de quibus deliberaris, perficere. Illud hominis est, hoc Dei. Quod etiam Homerus uidit cum dicit:

" ἀλλ᾽ οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Atq; hoc Ethnicos uehementer turbauit, cum sibi uidebantur pulcherrima consilia instituisse, uerùm illa irrita essent & frustranea. Falsi enim suis consilijs, omnia fortunæ & casui tribuerunt, ac in desperationem tandem inciderunt. Brutus uir cordatus & fortis, qui, utpote Stoicus, de uirtute & prouidentia Dei magnificè disseruerat, uictus tamen ab Antonio, exclamauit: Quæcunq; de uirtute & studio rectè uiuendi disputantur, meræ sunt nugæ, quia fortuna dominatur in rebus humanis.

Pij uerò sciunt homines quidem consultare, euentum uerò & successum consiliorum, esse in manu Dei, & ipsum quem uoluerit, rebus successum dare. Ideoq; toti pendet ab eius prouidentia: non confidenter statuunt quid facturi sint: sed semper iuxta doctrinam Iacobi, hanc conditionem adijciunt: Si Deus uoluerit, si uixero. Deponunt sui fiduciam, Deumq; precantur,

tur,ut omnes actiones bene cadant: nec dubitant quin successus boni sequuturi sint, si ipse eos adiuuet,ut in Psalmo dicitur:Nisi Dominus ædificauerit domum,in uanum laborauerũt qui ædificant eam.Sin uerò res secus ac sperabant, eueniant, hoc eos solatur, quòd sciunt id magis ad gloriam Dei & suam ipsorum salutem pertinere: quanquam rationes consiliorum Dei,non semper intelligant.Quod si cordibus nostris nõ penitus infixum sit,nos Dei manu gubernari,ualde titubamus,quando uidemus impios triumphos agere,pios uerò multis iniurijs uexari:exclamamus interdum,omnia sursum & deorsum temere moueri,&c.

10 Diuinatio in labijs regis: & in iudicio non transgredietur, *uel transgrediatur*,os eius.

קסם kæsæm diuinatio, est uocabulum *μέσον*, nam in bonam & in malam partem accipitur:primum diuinationem,deinde,prophetiam & oraculum significat.Regis nomine,intelliguntur omnes magistratus,reges,duces,comites,cõsules,&c.Sensus est, *diuinatio in labijs regis*, scilicet sit. Sic.19.cap. Desiderium hominis concupiscentia eius,scilicet sit. Quicquid rex loquitur aut statuit,oraculis uerbi Dei sit consentaneum.Deut.17. præcipitur regi, ut curet sibi describi librum legis,& in eo legat omnibus diebus uitæ suæ.Vtile esset reges & principes etiam alios bonos scriptores legere,ut una eademq; opera,& ueram pietatem discerent & prudentiam,qua ex præteritorum & præsentium coniecturis,de rebus optimè diuinarent. Demetrius Phaleræus idem suadebat regibus, dicens, multa in libris reperiri, quæ alioqui non tutum esset eis dicere.Libri enim non adulantur principibus.Subditorum uerò est officium, illa quæ magistratus iuxta uerbum Dei statuũt,tanquam à Deo profecta obseruare.Nam qui ea transgrediuntur,Deum contemnunt.Vide ad Rom.13.ad Titum 2.in 1.Pet.2.cap. Sic scriptura de uxoribus,seruis & liberis quoq; loquitur,ut maritis,dominis & parentibus in Domino obediant:hoc est,non dubitent,quin sese Domino subijciant, dum ita sese illorum imperio subijciunt.Si uerò præscribant aliquid contra uerbum Dei,Deo obedientia præstanda est,&c.Putant interdum magistratus,omnia sibi licere,se esse legem uiuam,&c. *Diuinatio.*

Et in iudicio non transgredietur,uel transgrediatur,*os eius.*) Si diuinatio sit in ore ipsius,si oracula Dei in conspectu habeat,& cogitet se uicarium esse Dei, cui ratio reddenda sit, neminem fallet,ius suum cuiq; dicet.Quia uerò à regibus postulatur,ut diuinatio uel prophetia sit sermo eorum,ministri Ecclesiarum sciant id à se potius requiri.1.Pet.4, Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei,&c.

Potest hoc membrum,*Diuinatio in labijs regis*, etiam sic intelligi,quòd reges, sententias suas, tam iustas,quàm iniustas,firmas & ratas esse uolunt,instar oraculorum.Sic Dauid etsi intelligere potuit,se contra Mephibosethum iniquam sententiam tulisse: tamen eam non retractauit,2.Sam.19.Pilatus dicebat,Quod scripsi,scripsi.At principes & iudices,sententias iniustè latas,reuocare debebant,& illos quos læserunt,in integrum restituere.

Potest etiam hoc modo intelligi.Si princeps & uir aliquis magnæ authoritatis, aliquid loquatur,habetur pro oraculo diuino.Sin uerò uulgares homines,aliquid bene dicant, nemo curat.Germani dicũt,Multũ sapiẽtiæ perire in pauperũ loculis. Hecuba apud Euripidẽ dicit,

λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν “
κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει. “

Hoc est,Cùm ignobiles & magnæ authoritatis homines,eadem loquuntur, oratio æqua nõ æquè ualet.Hinc apud Athenienses,teste A.Gellio, cùm homo quidam contemptus præclaram sententiam dixisset,iussus est alius quispiam, uir grauis & magnæ in Repub. authoritatis,eandem repetere,ut plus haberet ponderis.Cum ita res habeat, etiam atq; etiam reges & principes operam dare debent,ne quid se indignum loquantur.Vide cap.17.uersu 7.

Forsterus in suo Lexico hanc sententiam aliter interpretatur:ita enim scribit,*Diuinatio in labijs regis,in iudicio non transgreditur os eius.*Et hæc est sapientia carnalis,quæ regit mundum,& coniecturis,signis,circumstantijs constat & comparatur.Estq; donum Dei & reuelatio,quæ plurimum ualet in dijudicandis alioqui obscurioribus. Sic Salomon ex diuinatione iudicabat inter duas mulieres.1.Reg.3, Et Gellius definit iudicium esse diuinationem, quòd diuinare quodam modo iudicem oporteat,quam sententiam ferre sese par sit. Sed in diuinis diuinare,aliud nihil est quàm uera & mera idololatria,quando de Deo extra uerbum eius, quid sit, & quę eius sit uoluntas,ex nostra uoluntate iudicamus.Hæc ille.Aristot.etiam scribit lib.moralium Eudemiorum 7.prudentium atq; sapientium hominum celerem esse diuinationem, & horum tantum.Prouerbialis est uersus, Qui bene conijciet,uatem hũc perhibeto optimũ. Sunt hodie principes,qui diuinandi rationem legibus prohibitam amplexi, à prognostis & astrologis pendent.

August. in libro de Essentia diuinitatis (si modò eius est) hanc sententiam de Deo interpretatur: & per labia Domini, utriusq; testamenti consonantiam intelligit.

11 Libra & trutina iudicium Domini sunt.

De ponderibus iustis. Simplex sensus esse uidetur, Decretum Domini est, ut libra & statera iustè utamur. Pondera nominat, & mensuras etiam, tam aridorum quàm liquidorum, intelligit. Volunt quidam falsis ponderibus & mensuris facultates suas augere: sed infelices sunt opes, quæ his illicitis artibus comparantur. Loca scripturæ 11. cap. uersu 1. adducta sunt.

Quidam ita distinguunt, *libra & trutina iudicij*, id est iusta, *Domini sunt*, id est, à Domino præcepta: is postulat iustitiam in ponderibus. Quidam uerò, *libra & trutina iudicij Domini*, id est, in iudicio Dei, reddenda erit ratio de his. Vel, *iudicia Dei sunt libra & trutina*, id est, iustissima.

Et opus eius, omnes lapides sacculi.) Antiquitus, ut annotat Lyranus, fiebant pondera ex lapidibus, quorum unus erat ponderosior altero, secundum diuersos gradus: sicut modò fiunt ex diuersis portionibus metalli, quarum una ponderat marcam, alia libram, alia unciam, & sic de alijs, &c. lapides illi ponebantur in sacculum. Interpretatur autem ad hunc modum: Opera Dei, fiunt cum debito pondere & mensura: Iuxta illud Sapientiæ 11. Omnia disposuisti Domine in pondere, numero & mensura. In ueteri translatione corruptè legitur, *omnes lapides seculi*. Vnde obiter colligimus, quantum referat ut illi linguarum periti sint, qui uolunt sacras literas interpretari.

Eius.) Quidam ad libram referunt, ut sit sensus: opus ponderationis situm esse in lapidibus. Alij ad Deum, ut sit sensus: Dei inuentum & institutum esse, ut homines utantur ponderibus & mensuris: Deumq; his præesse, & inspicere quomodo homines eis utantur.

Quod uoces attinet, פלס pælæs, ut annotauit R. Dauid in lib. radic. est illud quod ponderans sua capit manu, in cuius medio est lingula staterarum. Et sunt qui dicant פלס pælæs uocari uirgam ferream, signatam signis ad sciendum pondera: in quib. signis, ponitur lapis uel aliud pondus. מאזנים mosnaim est bilanx, sic dicta quasi duas habẽs aures. Bilanx Latinis, quę duas habet lances, *ein schüsselwaag*. Statera quę est sine lancibus, *ein boltz oder schnelwaag*. His maiora & minora ponderantur. Pertinet ad principum officium curare ut mensuræ & pondera iusta sint.

12 Abominatio est regibus, facere impietatem.

Reges boni detestantur impietatẽ. Scilicet ueri & iusti. Abominatio est non solum Deo & hominibus pijs ac honestis: sed etiam ipsis regibus, si ipsi & alij magistratus, pietatem & honestatem negligant. Ad hoc enim reges cõstituti sunt, ut ueram religionem propagent, & impietati obsistant. Sunt uicarij quidam Dei: quin Deus eos suo nomine Elohim appellat. Nam quemadmodũ Deus pios amat, impios odit, nõ recipit personam, &c. ita illi quoq; se gerere debent. Cum Iulia nouerca Antonini Basiani imperatoris, quasi per negligentiam coram priuigno sinum nudasset, & ille diceret, Vellem si liceret: illa respondit, Si libet licet. Imperatoris esse leges dare, nõ accipere. Quæ uox impia fuit. Regibus & principibus, non plus alijs peccare conceditur: sed quia omnium oculi in eos conuersi sunt, præ alijs pietati & iustitiæ studere debent. Si principes impij sint & iniusti, statim subditi eorum exemplum sequuntur. Sic etiam fit de Concionatoribus. Noti sunt uersus Claudiani de 4. Honorij consul.

» In commune iubes si quid censes'ue tenendum,
» Primus iussa subi, tunc obseruantior æqui
» Fit populus, nec ferre negat cum uiderit ipsum
» Authorem parère sibi, componitur orbis
» Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
» Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.
» Mobile mutatur semper cum principe uulgus.

Possunt hæc uerba, etiam hoc modo exponi: abominatio est regibus, si alij faciant impietatem. Reges indignantur impijs & sceleratis. Hoc enim ipsorum officium esse, scripturæ ostendunt, ut tales homines opprimant, & bonos defendant. Rex iniustus uerius tyrannus est quàm rex. Summo certè regi, de quo 1. Tim. 1. Regi autem seculorum immortali, &c. abominabiles sunt impij.

Præsidia regnorum. *Quoniam in iustitia solium confirmatur.*) Per iustitiam accipere possumus uniuersalem obedientiam, iuxta omnia præcepta, uel uirtutem qua cuiq; suum penditur. Si princeps & populus iustitiam colant, regna florebunt. Multa disputantur apud philosophos, quomodo regna cõseruari possint, alij alia adferunt: sed hoc loco, à sapientissimo rege, quin ab ipso Deo pronunciatur paucis, quæ sit conseruans causa imperiorum, nempe iustitia. Dauid quoq; dicebat Solomoni,

lomoni,ſi ſeruaret legem Dei,firmum fore regnum,1.Reg.2.cap.Idem docetur Ieremiæ 22.ca. Zacha.7.Auguſtinus in lib.de Ciuit.Dei lib.4. cap.4. ſcribit,ſublata iuſticia,regna nihil aliud eſſe, quàm latrocinia magna.

Ex contrario etiam colligi poteſt, quid regna euertat, nempe iniuſticia. Plato lib.1.de Re- *Iniuſticia*
pub. ςάσεις inquit,ἥγε ἀδικία καὶ μίση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παρέχει.ἡ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοιαν καὶ φιλίαν: *euertit re-*
hoc eſt,iniuſticia ſeditiones,odia & contentiones parit:concordiam uerò & amicitiam,iuſti- *gna.*
cia. Seneca in Thyeſte.

Vbi non eſt pudor,
Nec cura iuris, ſanctitas,pietas,fides,
Inſtabile regnum eſt, &c.

Zedechias iniuſtus erat, ideo Nabuchodonozor, iudicium iuſtum contra ipſum exercuit.

Per iuſticiam Hebræi ſæpe eleemoſynas accipiunt. Certum autem eſt,principes & ſubditos,qui ſe erga omnes beneficos præſtant, Deo acceptos eſſe,& duros quoq; hominum animos emollire. Multi inanes faciunt ſumptus in ſubſtructiones inſanas, quibus oppida muniant,& ſeſe defendant,interim de ueris præſidijs oppidorum parum ſunt ſolliciti. Hæc ſententia repetitur cap.20.uerſu 28.

13 Beneplacitum regum labia iuſta.

Scilicet bonorum. Magiſtratus ſæpe hoc uitio laborant,ut adulatores & ſycophantas amplectantur,uiros autem bonos,politicos & Eccleſiaſticos,odio habeant.Sic Achabus Micheam & Heliam,Herodes Ioannem Baptiſtam:ſed pij reges,homines qui uera & iuſta loquuntur, probant: oderunt paraſitos & aſſentatores.Et ſic augetur numerus bonorum.

Et qui loquitur recta, is diligetur.) Qui ſtudet ueritati, regi & alijs hominibus,imprimis uerò Deo erit acceptus.

14 Furor regis angeli *uel nuncij* mortis.

Salomon non tantum in genere omnibus præſcribit, quo pacto uitam inſtituere debeant:ſed ſingulos etiam ordines informat.Hoc loco de magiſtratuum & ſubditorũ officio diſſerit.Poteſt autem melius hac de re loqui, quàm quiſquam alius,cùm regnum feliciſsimum
pariter & infeliciſsimum habuerit,&c. *Ira regis,* inquit,*eſt nuncium mortiferum:* hoc eſt,formido- *Ira regis.*
loſa eſt,& nemo ei facilè poteſt reſiſtere. Rex quidem impijs & ſceleratis iraſci debet, eoſque punire. Sed plenæ ſunt omnium gentium hiſtoriæ,ſæpe bonos uiros gratia regum & principum minima occaſione excidiſſe,atq; in falſam ſuſpicionem lapſos, uitæ periculum incurriſſe. מַלְאָךְ maleach,ſicut & Græca uox ἄγγελος, angelum ſpiritum,uel nuntium hominem ſignificat. Angelus mortis fuit ille,per quem Deus omnia primogenita Ægyptiorum una nocte perdidit. Item ille qui exercitum Aſſyriorum tot interfectis diſturbauit.

Vel hominem nuntium intelligere poſſumus. Si legatus mandatum habeat à Domino ſuo,ut eat ad occidendum nos, uel ſaltem ut nunciet nos interficiendos,triſte hoc eſt: ita ira regis etiam eſt formidoloſa. Nuncij mortis dicit in plurali numero, ut periculum melius exprimat.Capite 20.uerſu 2.dicitur:Rugitus leonis ira regis,qui eam prouocat,peccat in animam ſuam. Homerus quoq; dicit,

θυμὸς δε μέγας ἐςὶ διοτρεφέων βασιλήων.

Rex qui iraſcitur,ſiue iuſtè ſiue iniuſtè hoc faciat,homines occidit.

Exemplũ habes 2.Reg.2.ca.de Salomone,qui indignatus contra Adoniá affectanté regnũ, item contra Ioabum & Semei, eos iubet occidi. In Aſſuero, qui Hamanum in crucem agi præcipit.Exemplum iniuſtæ iræ habes in Theodoſio,in Theſſalonicenſes graſſante: item in multis alijs. Tunc autem meritò excandeſcit Rex, quando ſubditi uerbum Dei, Regem ſuum,& leges contemnunt, ſeditiones concitant & turpiter uiuunt. Immeritò iraſcitur,ſi ſubditi contra Dei uerbum, idololatriam exercere nolunt.Subditi reuereantur regem,& caueant ne eius indignationem incurrant.

Vir autem ſapiens placabit eam.) כִפֵּר kaphar in ſecunda coniugatione ſignificat tegere,operi- *Prudentes*
re,abſcondere uel ſordes uel erratum uel iram, ne amplius appareat,imputetur & offendat. *uiri ſedant*
Eam.) ſcilicet iram principis erga ſe & alios. *iram regũ.*

Vir prudens ita ſe gerit,ut rex non poſsit meritò ei iraſci: nihil etiam omittit,ut regem iratum placare poſsit. Vtile autem eſt reges habere conſiliarios,qui eorum impetus cohibeant, præſertim ſi natura ſint feroces & truculenti. Peſsimum autem eſt, ſi eos contra ſubditos ſuos incitent,& ad fundendum ſanguinem inſtigent. Quales ſunt maledicti illi homines,qui principum animos ſubinde contra purioris doctrinæ amantes inflammant.Priuati quoq; homines diſcant,hominũ natura ferociũ irá ſedare.Vxores maritos hoc uitio laborátes,ſubinde retrahant,nec addant oleum camino.

15 **In luce uultus regis, est uita.**

Hoc est, Serenus ac hilaris uultus principis, exhilarat populum. Si caput in corpore rectè habeat, etiam alia membra melius habēt. 2.Sam.19. Cum rex Dauid lugeret cæso Absolomo, fecit ut populus clàm ingrederetur urbem, non pompa triumphali.

Beneuolentia principis, subditos exhilarat. *Et beneuolentia eius, est ueluti nubes pluuiæ serotinæ.)* Beneuolentiam & clementiam regis erga subditos, maximè illos, à quibus offensus est, pluuiæ serotinæ assimilat, quæ maturis messibus uenire consueuit. Deut.11. Deus populo pluuiam promittit temporaneam & serotinam, quæ illis maximè regionibus, propter æstum, est necessaria. Quemadmodum herbæ flaccescentes, pluuia recreantur & adolescunt: ita subditi beneuolentia principis. Virtus præclara in principe est gratia & beneuolentia erga suos homines. Traianus imperator, amicis, qui eũ reprehendebant, quòd in omnes plus quàm imperatorem deceret, comis esset, prudenter admodum respondit: Se talem uelle imperatorem esse priuatis, quales imperatores sibi esse priuatus optasset. Hic à Plinio admonitus de Christianis, edictum suum temperauit. Plebeij homines plurimum gaudent comitate suorum principum. Videndum tamen, ut etiam iustitia locum habeat, ne clementes sint erga indignos. Christo optimè congruit hæc sententia, in cuius iucundissimi uultus aspectu, uita æterna consistit.

16 **Possidere** *uel acquirere* **sapientiam, melius est auro, & intelligentiam possidere, præstantius argento electo.**

Sapientiæ dignitas. Si per sapientiam (nolo enim hîc sapientiam anxiè distinguere, ab intelligentia) accipias notitiam Dei, quæ uera est sapientia, preciosissimas quasq; res mundi longè lateq; superat. Reliqua enim omnia multis casibus sunt obnoxia: sæpe uiuum deserũt, tantum abest, ut morientem comitentur. Hæc uerò hominem nunquam deserit, ne in extremo quidem tempore ætatis. Illa ad salutem æternam comparandam nihil ualent: per hanc uerò uitam æternam consequimur. Si intelligas sapientiam seculi quæ naturali lumine comparatur, & ad res huius mundi regendas & administrandas plurimum ualet, longè etiam auro & argento anteferenda est. Etsi enim hominem ad æternam salutem non perducat, alia tamen commoda habet. Quomodocunq; res cadant, sapientes uiri, semper locum honestum acquirunt. Stultum itaq; est alijs rebus inhiare, & maximos thesauros negligere. Bias ille, de quo alibi diximus, etiam sapientiam alijs rebus præferebat.

17 **Via rectorum est discedere à malo: qui custodit uiam suam, custodit animam suam.**

Malum est quicquid legi Dei repugnat: uia rectorum est, sibi à malis tum hominibus, tum rebus cauere. Qui autem sedulò curant, ne in studijs uel operibus suis, uel ad dexteram uel ad sinistram deflectant, sed ueram uiam sequantur, uitam suam à malo custodiunt. Non ergo illi audiendi, qui suadent improborum uiam esse sequendam. Si in hoc & futuro seculo, felices & beati esse uoluerimus, per impiorum iter ne ambulemus.

18 **Ante contritionem est superbia, & ante ruinam, est spiritus elatio.**

Spiritus pro superbia. Spiritus superbiam uel animi elationem significat, etiã apud Latinos. Cic. in oratione pro P. Sylla ait: res gestæ credo meæ me nimis extulerunt, & mihi nescio quos spiritus attulerunt. Hoc sensu Cæsar quoq; in suis Comment. spiritum sæpe accepit. In pulmonibus superbia dicitur sedem habere, in quibus tumor est & anhelitus. Idem bis dicit, nempe superbos à Deo puniri: diabolica illa est superbia, quando homines non tantum suis operibus æternam uitã se mereri dicunt: sed opera quæ supererogationis uocant, alijs uendunt, eosq; accepta pecunia suorum meritorum participes reddi asserunt. *Opera supererogationis.* Custodiat misericors Deus omnes pios, ne operum Monachorum & Monialium participes fiant. Qui in sublimi aliquo gradu constituti sunt, & quibus omnia ex animi sententia eueniunt, humilitati studeant, ne supra suam sortem sese efferentes subitò concidant. Cæsar in comment. lib.1. dicit, Consuesse deos immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci uelint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere. Claudianus in Ruffinum lib.1.

„ Tolluntur in altum
„ Vt lapsu maiore ruant.

Seneca in Hercule furente:

„ Dominare tumidus, spiritus altos gere.
„ Sequitur superbis ultor à tergo Deus.

Vide Erasmi Prouerb. Peruicacia stultitiæ dat pœnas. Exemplum habes in Absalomo, & multis alijs. Augustinus de Genesi ad literam lib. 11. cap. 5. Non arbitrandum est, inquit, quod esset hominem deiecturus iste tentator: nisi præ-

cessisset in animo hominis, quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso præsumpserit, disceret. Verissimè quippe dictum est, *Ante ruinam exaltatur cor,* &c. Repetitur hæc sententia cap. 18. uersu 12.

19 Melior est humilitas spiritus cum abiectis, quàm diuidere spolia cum superbis.

Humiles à superbis illis hominibus contemnuntur & opprimuntur: sed præstat humiliari, quàm cum gigantibus illis spolium diuidere. Iucundum quidẽ est, deuictis hostib. prædã partiri (præsertim si hostes sumptuosè uestiti sint) tamen alterum illud potius eligendum dicit. Superbi enim miserabilem tandem exitũ habebunt. Diuitias ipsorũ, sequuntur multa mala. Ad Heb. 11. cap. de Mose legitur, iam adultum renuisse uocari filium filiæ Pharaonis, & maluisse affici malis cum populo Dei, quàm temporarijs illis commodis frui, ac tandem æternùm perire. Iudicio uulgi stultè fecisset, sed exitus declarauit, quàm rectè & prudenter fecerit. Consolatur itaq; hæc sententia afflictos & oppressos. Non præsentia tantum inspicere oportet: sed de futuris cogitare. Solomon in Ecclesiaste cap. 7. sententiam habet huic non absimilem: Melius est ire ad domum luctus, quàm ire ad domum conuiuij. Ibi est omnibus hominibus finis, & qui suauiter uiuunt, hi in corde suo expendunt. *Humilitas.*

20 Intelligens rem *uel uerbum,* inueniet bonum.

שכל sachal circumspectum esse, intelligere, prospicere, accuratè considerare significat. Qui non temere rem aliquam suscipit, sed consilio agit, omnia expendit, finem consyderat, & imprimis an aliquid uerbo Dei sit consentaneum: non facilè errabit, sed se feliciter expediet. Rationem nobis Deus indidit, ut ea utamur: in Psalmo dicitur, ne simus ueluti asinus & mulus. Satan sæpe nos ad scelera pellicit: sed non incogitanter est agendum. Iuuenes plerũq; in coniugijs, contractibus, & alijs rebus temere agunt, ideoq; multa mala incurrunt. Si peritiorum uterentur consilio, sæpe res eorum melius haberet. Præcipuè autem in rebus arduis, quæ ad religionem & Remp. spectant, in bellis, fœderibus, & alijs huiusmodi, accuratè consyderandum est, quid faciendum uel omittendum uideatur. Non autem spes est collocanda in humana prudentia, sed in illo solo Deo. Si per דבר dafar uerbum intelligas, sensus erit, in sermone nos circumspectos esse debere. *Nihil temere suscipiendum.*

Et qui sperat in Domino, is est beatus.) Sic pater quoq; Solomonis Psal. 40. dicit: Beatus uir, cuius est nomen Domini spes eius. Et Psal. 84. Beatus homo qui sperat in te. Spes magis uidetur miserum reddere, eò quòd animum res futuras expectantem cruciet, quemadmodum suprà 13. cap. uersu 12. dictum est. At quia sperantes in Deo ei placent, eumq; beneuolum experiuntur, meritò illos beatos prædicat. Huc pertinent multa loca scripturæ. Psalm. 32. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circundat. Psal. 33. Ecce oculi Domini super timentes ipsum, & super eos qui sperant in misericordia eius. Et 146. Beneplacitum eius est, super eos qui sperant in ipsius misericordiam. Etsi non omnia ex animi sententia eis succedant: tamen propter certitudinem promisionum Dei, pacatis sunt animis, sciunt sperantes in Deo non posse deseri. *Spes in Deo collocanda.*

21 Sapiens corde, appellabitur intelligens.

Qui multa uidit, audiuit, didicit & expertus est: etsi facundus non sit, prudens iudicatur.

Et dulcedo labiorum, addit doctrinam.) Quando ad sapiẽtiam hoc accedit, ut aliquis sit eloquẽs, multos potest erudire, cum in religione, tum in rebus alijs. Eloquentia enim uehementer doctrinam commendat. Addunt etiam eloquentes sibi ipsis doctrinam. Docendo enim discimus, & quotidie multa uidemus quæ antea ignorabamus. Matth. 25. legimus illum, qui sibi credito talento bene usus fuerat, plura accepisse. *Eloquentiæ donum.*

22 Vena uitæ est prudentia habenti eam.

Intelligentia qua bonum à malo, utile ab inutili, &c. discernimus, maximè uerò intelligentia rerum diuinarum, ad multas res est perutilis. Id breui similitudine illustratur. Fons uitæ, id est, saliens, non modo decus est urbium, sed magna commoda præbet ciuibus. (Hinc magnis sumptibus fiunt aquæductus, & canales per quos in urbes deducantur.) Ita prudentia non tantum ornat hominem, sed multa ei qui ea præditus est, & alijs etiam commoda præstat: nempe ut hîc piè uiuere, & post hanc æterna uita potiri queat. *Prudentiæ utilitas.*

Castigatio autem stultis uel stultorum stulticia est.) Sic suprà legi, abominatio est regib. facere impietatẽ. Stulti castigationẽ paterno animo profectã, stulticiã interpretantur: & quemadmodum illi qui corrupto & uitiato sunt cerebro, bonos odores, ita stulti castigationem auersantur. Illos amore prosequũtur, qui eis blandiũtur, eorũq; instituta probãt & collaudãt: tametsi reuera capitales ipsorum sint hostes & inimici. Christus multa egit cum suis aduersarijs, *Stulti castigationem fastidiunt.*

ſed ſalutarem eius doctrinam tanquam ſtultam reiecerunt: edidit miracula ſtupenda, ſed ipſi magis magisq; indurati ſunt. Experimur hodie ueritatis inimicos, qui tametſi ſapientes uideantur, tamen uerè ſtulti ſunt, caſtigationem & eruditionem pro ſtulticia explodere. Quiſque uerò nihilominus ſuum faciat officium, ne illi noſtra culpa pereant. Poteſt hic quoque ſenſus aſsignari, *caſtigatio ſtultorum ſtulticia eſt*, hoc eſt, ſtultè agunt qui ſtultos caſtigant: tantundem enim efficiunt, ac ſi quis Æthyopem dealbare uelit. Vel ſi ſtulti alios reprehendant, ſtultè id faciunt, nulla habita ratione circumſtantiarum.

23 Cor ſapientis dirigit prudenter os ſuum.

Qui cordatus eſt non temerè loquetur, ſed etiam atque etiam operam dabit, ut ea dicat quæ ad Dei gloriam & proximorum utilitatem pertinent, aſſueſcet utilia & ſalutaria loqui, loco & tempore opportuno.

Et adijcit labijs ſuis doctrinam.) Quia non ſtatim loquitur, ſed plura audit quàm dicat, adhæc alios docet, quotidie in doctrina maiores progreſſus faciet.

24 Fauus mellis ſunt uerba iucunda, dulcedo animæ & ſanitas oſsium.

Oratio diſerta animos reficit.

Id eſt, Corporis. Senſus eſt, orationem elegantem, diſertam, uirilem & plenam conſolatione homines recreare & reficere. Si animus rectè conſtitutus ſit, corpus etiam rectius habebit. Homerus Neſtoris facundiam etiam melli comparat:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώτ]ης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή:

Hoc eſt, Ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio.

Quòd autem oratio elegans & ſuauis homines erigat, in bello & pace eſt manifeſtum. In bello ſi congrediendum ſit cum hoſte, ſæpe languent animi militum, ſed oratione militari ducis eriguntur. Si qui oratione ſuaui, patriæ commoda oppugnare uelint, & alij ſe eis, oratione non minus diſerta opponant, animi illorum qui patriæ ſtudioſi ſunt, magnam ſuauitatem percipiunt. Fit ut homines propter peccata ſua, animo ſint prorſus abiecto, & tantum non in deſperationem incidant: fit ut morborum diuturnitate, patientia eorum expugnetur: ſed dulciſsimis ſcripturæ ſententijs, & exemplis conſolatione plenis, eriguntur & confirmantur. Quemadmodum illi qui deliquium animi patiuntur, aqua aſperſi uiſum recipiunt: ita afflicti & perturbati conſolatione uerbi Dei recreantur. Legimus oratione placida, magnos ſæpe motus fuiſſe ſedatos.

25 Eſt uia quæ uidetur homini recta, cuius tamen nouiſsimum ſunt uiæ mortis.

Contra bonam intentionem.

Hæc ſententia, quòd homini interdum inſtituta & mores probentur, quorum exitus ad mortem tendat, ſuprà 14. cap. quoq; poſita eſt: nunc autem ideo repetitur, quia ualde eſt neceſſaria. Multos hoc decipit, quòd Deũ colere uolunt ſuis adinuẽtionibus, putantes id quod bona intentione faciunt, Deo non poſſe diſplicere. At Deum grauiter offendunt. Non enim ea facienda ſunt, quæ nos Deo grata eſſe arbitramur, ſed quæ ipſe præſcripſit. Inſignis hac de re locus eſt Deut. 12. Chriſtus ex Iſaia 15. ca. Matth. dicit, Fruſtra me colunt docentes mandata hominum. Omnis plantatio, &c. Exemplum Saulis qui pingues boues ex præda Amalechitica ſeruarat: & illorum qui ſuos liberos per ignem luſtrabant, oſtendunt quàm gratæ ſint Deo noſtræ bonæ intentiones. Deus uerbo ſuo præſcribit, quæ bona opera faciamus. Decalogus abſolutiſsima eſt bonorum operum forma. Quæ igitur urget neceſsitas, illis omiſsis quæ Deus præcipit, noua confingere ipſius mandatis contraria? Seruos & ancillas tuas non ferres, ſi alia agerent quàm quæ præſcripſiſti. Quid diceres ſi illis omiſsis, uaſa tua omnia confringerent? Accedit ad hæc, quòd electitia ſua opera, operibus à Deo præſcriptis longè præferunt. Id quod multis rebus poteſt oſtendi. Si quis ſimulachrum in templo aliquo lædat, ſtatim ad flammas rapitur: ſi uerò in bello, quod Papa nefariè contra aliquem bonum principem gerit, homines ad imaginem Dei conditos perimat, illis non uidetur grauiter peccaſſe. Si quis diebus uetitis à Papa, ueſcatur carnibus, miſerè tractatur: ſi uerò quotidie inebrietur & turpiter ſe gerat, nemo curat. Si ſacrificus uxorem ducat & honeſtè uiuat, dignus uidetur, qui protinus exuratur, aut minimùm pellatur in exilium: ſi uerò prætextu uoti ſtulti, ſcortorum greges alat, per monaſteria uirginum ueſtalium oberret, uirgines & matronas corrumpat, non deponitur ab officio. Quin ſi contra naturam peccet, facilius apud multos gratiam impetrabit, quàm ſi honeſtam uxorem ducat. Hæc cùm lippis & tonſoribus nota ſint, nemo tamen eſt, qui de emendatione ſeriò cogitet: poſtea clamant, nos damnare bona opera, cum maximos illos abuſus & fictitia opera reprehendamus.

Traditiones hominũ præferũtur præceptis Dei.

Quæ de religione & cultu Dei dicta ſunt, ad communem quoque uitam pertinent. Putant multi, ſi malis artibus opes parent, rem rectè habere, at hæc uia ducit ad mortem, &c.

Aliæ

Aliæ quoque uiuendi rationes hominibus probantur, quæ Deo sunt abominationi.

26 Anima laborans (*uel laborantis*) laborauit sibi, quia incuruauit se super os suum.

Anima per Synechdochen Hebræis familiarem ponitur pro homine. Laborauit sibi, hoc est, ob suam necessitatem, quia os eius incuruat se ei, & postulat quotidie cibum. Obscura est sententia. Ostendit laborem necessarium esse hominibus: nam si & nos & familiam nostram alere uolumus, aliquid agamus oportet. Labor uerò honestus nobis commendatur. Propter peccatum Adami, terra spinas & tribulos producit, ut in sudore uultus uictus parandus sit. Paulus enim in 2. ad Thessalon. 3. capite, laborem nobis commendat, qui non est unius generis. Quidam corpore magis quàm ingenio perficitur, ut agricultura, mercatura, artificia ferè omnia: quæ etiam uaria sunt. Quidam ingenium potius quàm robur corporis requirit, ut est illorum qui Ecclesiam & Rempublicam gubernant. Quos si quis nihil agere dicat, non minus mihi ineptus uidetur (ut Ciceronis uerbis utar) quàm qui gubernatores in nauigando agere nihil dicat, cum alij malos scandant, alij per foros cursitent, alij sentinam exhauriant: illi autem clauum tenentes sedeant in puppi quieti, non faciant ea quæ agricolæ & opifices, at uerò multò maiora & meliora faciunt. Quisq; autem fideliter laboret in sua uocatione, & otium tanquam certissimam pestem fugiat. Castalio uertit, *Qui laborat sibi laborat, quippe quem suum cogit os.*) id est, cibi necessitas.

Labor.

Labor animi & corporis.

27 Vir Belial effodit malum, & in labijs eius est quasi ignis flagrans.

Duas proprietates hominis impij complectitur. Quid nomine Belial significetur capite sexto ostendimus.

Impiorum natura & ingenium.

Primùm dicit, non contentum esse, quod ex humana infirmitate & ignorantia multa cogitet, loquatur & faciat, contra legem Dei: & interdum in magna scelera prolabatur, id quod sanctis etiam usu uenire solet: sed magno labore & studio malum perficere. Hoc ostendit metaphora sumpta à metallicis: qui aurum, argentum, ferrum & alia metalla ex terra magno labore & impensis effodiunt. Aut ab illis qui in latumijs laborant, uel simpliciter à fossoribus. Fodendi autem labor magnus est. Die noctuq; cogitant, quomodo malum patrent, nullum laborem recusant, ut religionem puriorem opprimant, honestatem uitæ profligent, & proximos suos probris afficiant: multa quæ iamdudum sepulta erant, ad obfuscandum nomen aliorum reuocant. Effodiunt etiam sibijpsis malum: nam tandem infelicem exitum habent.

Quidam sic exponunt, *Impius fodit malum.*) Id est dolosè præparat proximo suo laqueum uel periculum. Alibi dicitur, fodit proximo suo foueam.

Altera proprietas impiorum est, quòd in labris eorum, est ignis ardens. Mala quæ excogitarunt proferunt: omnes incendunt & inflammant, petulanti & improba sua lingua: sunt faces Ecclesiæ & Rerũpublicarum. Iacob 3. capite, linguam igni comparat. Si ignis materiam idoneam corripiat, statim longè lateq; spargitur: sic lingua mala, priuatim & publicè, pacis & belli tempore longè patet ad nocendum. Specie certè & colore, lingua ignis flammam refert. Aliæ proprietates hominum Belial, alibi describuntur. Si nunc exhorres nomen impij, caue tibi ab eorum studijs & moribus.

Lingua igni comparatur.

28 Vir peruersitatum immittit dissensionem.

Cohæret hic uersus cum superiore, & est eius quædam explicatio. Vir peruersus, hoc est, qui recedit à regula uerbi diuini, quique linguam peruersam habet, author est omnium dissidiorum & contentionum. Nam ipse litigat cum alijs, & alios inter se committit. Exemplum habemus in historia regum. Cum enim Achab deflecteret à uerbo Dei, & dijs alienis seruiret, dissidia oriebantur & turbæ, quarum causam in Heliam conferebat. Hodie dissidia religionis, non aliam habent originem, quàm quòd multi non uolunt obtemperare uerbo Dei, à quo recesserunt: & multa defendunt contra conscientiam, ne errasse uideantur. In rebus ciuilibus etiam oriuntur certamina, si non sumus constantes in promissis, sed perfidi, uel aliàs peruersi.

Et delator disiungit principem.) Scilicet à subditis suis. Exemplum huius rei habes in Seba filio Bochri, 2. Sam. 20. cap. אלוף aluf, principem uel ducem interpretantur. Micheæ 7. cap. dicitur, Ne fidamus in duce: ubi Ionathan uertit, in consanguineo: Kimhi, in fratre maiore. Quidam hoc loco accipiunt pro marito, in qua significatione legitur suprà cap. 2. Omnes illæ interpretationes optimè huic loco congruunt. Susurrones enim, homines cõiunctissimos diuellunt: principem à subditis, maritos ab uxoribus, fratres à fratribus. Luth. reddit, *Distungit principes à se inuicem.* Illis hominibus Deus author ueræ pacis & concordiæ, ualde infensus est.

Susurrones homines cõiunctissimos diuellunt.

Pulchrum enim est si illi homines sint concordes, Eccles.25.ab initio. Suprà 6.cap. Dominus sex dicitur odisse, septimum autem ex animo detestari, illum nempe qui serit inter fratres dissidium. Fratres autem in scripturis (quemadmodum Hieronymus in libello cōtra Heluidiū disputat) quatuor modis dicuntur: Natura, gente, cognatione & affectu, idq; uel spiritualiter uel communiter, &c. Eijciendi ex ædibus sunt susurrones, nec patulæ eis sunt præbendæ aures, si pacatè & quietè uiuere cupiamus. Videndum tamen, ne amicos monitores, tanquam susurrones repellamus, utq; concordia nostra & cōsensio Deo probetur. Addendum est, delatorem, non modò ducem à subditis separare, sed etiam à seipso. Nam dux tandem re intellecta, eum pœnis afficit.

29 **Vir uiolentiæ decipit proximum suum, ducitq; eum in uiam non bonam.**

Scelerati alios quoque ad scelera pelliciunt.

Viri audaces & temerarij (חמס chamas, propriè uiolentiam & iniuriā significat, quæ consistit in rapina) uerbis blandis proximos suos ad falsam religionem & ad scelera pelliciunt (פתה pathah enim significat blanditijs fallere seu decipere) ad malum pœnæ etiam eos ducunt. Falsi doctores contra conscientiam multos abusus defendunt, interim iurant hanc esse ueram uiam, quam ipsi monstrant: pelliciunt homines blandis uerbis, ut ipsis adhæreant. De his Deut.11.legitur: Cauete uobis, ne blandis uerbis persuadeatur cor uestrum, & recedatis & colatis deos alienos. Sic iuuenes & uirgines in monasteria pelliciuntur. Multi hortantur alios ad opprimendum ueram doctrinam, ac multa eis promittunt: sed experientur tandem se malam uiam esse ingressos. Sic mercenarij milites, fures, latrones, suis sectatoribus montes aureos promittunt, eosq; ad res malas pertrahunt: sed tandem magno suo malo discunt, quàm mala sit illa uia quam sunt ingressi. De hac re elegantissimum habemus locum 1.cap. Exemplum uerò in Catilina, apud Salustium. Tametsi uerò coryphæos illos, maior pœna maneat: illi tamen non effugient, qui se eis seducendos præbuerunt. Cauendum itaq; est à consuetudine illorum hominum, qui non contenti propria malitia, alios quoque in scelera protrudere conantur.

30 **Claudens** (*uel obfirmans*) **oculos suos ad cogitādum peruersa, & annuens labijs suis, perfecit malitiam.**

Cogitationibus & gestibus peccari.

Sensus est, non modò illos legis transgressores esse, qui aliquod facinus patrant: sed etiam qui de flagitio cogitant, & assensum præbent. Qui oculos suos claudunt, melius de re aliqua possunt cogitare: animus enim uarijs obiectis non distrahitur. Et hinc fit ut cæci plus ferè ualeant memoria, quàm alij homines. Labrorum etiam motu, animum nostrum prodimus, ueluti contemptum aliorum, &c. Qui uerò indulget cogitationibus malis, non repellendo eas, & qui externis gestibus non imperat, peccat contra leges Dei. Hac de re seruator noster Christus disputat in 5. cap. Matth. ostendens, non illos modò esse homicidas, qui armata manu proximum suum iugulant, sed etiam qui extinctum uellent: non illos tantum adulteros, qui uxorem proximi constuprant, sed qui uel uident eam ad concupiscendum: gradus tamen sunt in peccato. Homines longè aliter de his rebus iudicāt: putant enim illos qui formidine ignominiæ uel pœnæ, mala non designant, uel cum maximè cuperent, tamen nefarium aliquod opus patrare nō ualent, à scelere immunes esse: sed longè secus pronunciat lex diuina, quæ etiam concupiscentiam uetat. Quò igitur, inquis, nos uertemus? Quis erit innocens coram tribunali Christi? Hæc ideo proponuntur ut agnita nostra miseria, ad Christum confugiamus, qui nos à maledictione legis liberauit.

31 **Corona gloriæ est canities, quæ in uia iustitiæ reperietur.**

Canicies decora illis qui honestè uixerunt.

Similis ferè sententia 20.cap.ponitur. Non est quod homines pudeat caniciei, hoc est senectutis: est enim corona gloriosa, hoc est, ornamentum non solum senibus, sed & toti Reipub. Nam Deus testatur, se fauere illi Reipub. cuius ciues ad iustam ætatem conseruat. Apud prophetas ingratis Iudæis minatur, se ablaturum ab eis senes, hoc est, sapientiam & consilium. Additur autem, *Quæ in uia iustitiæ inuenietur.* Nam uiris qui in iuuentute res turpes exercuerunt, & in senectute pœnitentiam non agunt, cani capilli non sunt ornamento. Mulieribus etiam quæ in iuuentute pudicitiam prostituerūt, & in senio lenocinium exercent, canities non est gloriosa. Sola ætas, senes non dignos facit honore & reuerentia: sed uirtus, multarumq; rerū experientia. Romani, ut scribit Augustinus lib.5.de Ciuitate Dei cap.12. duas ædes coniunctas honoris & uirtutis habuerunt. Sic autem erant constructæ, ut uirtutis ædes anteposita fuerit, & post inde honoris: significantes solam uirtutem esse ueram uiam ad honores. Cicero scribit in libello suo de Senectute: Mementote eam me laudare senectutem, quæ fundamentis adolescentię constituta sit. Et mox: Non cani, non rugæ, repentè authoritatē afferre possunt:

re possunt:sed honestè acta superior ætas, fructus authoritatis præbet extremos. Seneca epistola 62.ad Lucilium,Turpis,inquit,& ridiculosa res est elementarius senex.Desine eadé uelle senex,quę uoluisti puer:hoc opus sit,hoc cogitato,imponere ueteribus malis finem.Chrysost.in epistolam ad Heb.sermo.7.Canicies tunc uenerabilis,inquit,quando ea gerit quæ caniciem decent:cum uerò iuueniliter senex conuersatur,plus iuuenibus ridiculus erit.

Discant igitur ex hac sententia,primùm iuuenes,ut si uelint honorari in senectute, uirtuti studeant in iuuentute. Parentes suos & alios maiores natu reuerenter colant, hoc est,multum eis tribuant, sibiq; caueant ab illis,quæ eos offendunt.Iusto enim Dei iudicio fit, ut qui in iuuentute senes contempserunt,ipsi quoq; in senectute ab alijs contemnantur.Apud gentiles etiam multa præclara leguntur de reuerentia erga senes. Celebrantur legati illi Lacedęmoniorum,qui Athenis in theatro,cano seni assurgebant, & sessum recipiebant,cui à suis ciuibus locus nusquam dabatur.Ouidius lib.5.fastorum: *Senes honorandi.*

"Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
"Inq; suo precio ruga senilis erat.
"Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
"Nomen & ætatis mite senatus habet.
"Verba quis auderet coram sene digna ruboro
"Dicere? censuram longa senecta dabat.

Extat peculiaris lex Dei, de senibus honorandis,Leuit.19. ubi præcipit,ut cano capiti assurgamus.Hinc sumptum uideri potest, quod Iuuenalis scribit satyra 13.

"Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
"Si iuuenis uetulo non assurrexerat, &c.

2.Regum 2. capite in calce memorabilis legitur historia,quæ ad hunc locum pertinet. Helisæus propheta, ascendens in Bethel,à puerorum caterua ex urbe egredientium,sannis exceptus est: clamabant enim, Calue ascende, calue ascende:propheta maledixit eis afflatu Domini,& statim duo ursi ex proxima sylua egressi, quadraginta duos pueros dilaniarunt,in æternum exemplum omnibus parentibus, ut ita instituant suos liberos, ne peregrinos & senes ludibrio habeant.

Deinde seniores ex hac sententia discant, ne quid sua ætate indignum committant, sed uirtuti dent operam, & à uitijs cùm alijs,tum illis quæ ætas illa secum affert,sibi temperent. Lacon quidam interrogatus, cur promissam aleret barbam canam: respondit,Vt canos intuens,nihil committam illis indignum. Vox est non modò Spartano, sed etiam Christiano digna.Si in iuuentute tua dissolutè uixisti, uide ut in senectute pœnitentiam agas, & quæ peccasti corrigas:id quod ad uiros pariter ætate prouectos, & ad anus pertinet. Quid senes deceat paucis D. Paulus ad Timotheon secundo capite comprehendit. Idem etiam præclara exempla senum ostendunt.Berzelai,de quo 2.libro Samuelis 19.capite legitur,inuitatus à rege Dauide,ut secum iret Hierosolymam, essetq; inter aulicos, propter beneficia, quibus Dauidem regno pulsum affecerat, respondit: se iam octogenarium esse, nec è re Dauidis,nec è re sua esse,ut aulam sequatur. Rogat,ut eum in ciuitatem suam redire permittat,in qua mortuus iuxta sepulchrum paternum sepeliatur. De morte magis quàm de delitijs aulicis cogitat. Semper quidem præparare nos ad mortem debemus, maximè uerò si senectus nos urgeat.Laborant tamen hoc uitio multi senes,quòd iuuenes uideri uelint,cum tamen capilli canescant uel defluant,memoria labascat,sensus hebetentur,dentes excidant,oculi fluant, & neq; manus, neq; pes, suum officium rectè faciat. Simeon cùm Christum infantem in ulnas suas accepisset,optauit mori,Lucę secundo capite:ne igitur miserè metuas mortem,cum contra eius metum tot scripturarum oraculis munitus sis. *Officium senum.*

Præcipuè uerò senes qui populum gubernant,suum officium strenuè exequantur. Ministri Ecclesiæ, in asserenda uera doctrina sint constantes. De Polycarpo legitur in Eccles. historia Euseb.libro quarto,capite decimoquinto, quòd cum ad defectionem solicitaretur à præside, qui iubebat ut ætati parceret, & Christo conuitium diceret,responderit:Iam octogesimum sextum annum Christo seruio, nec me ulla in re læsit unquam, & quomodo possum maledicere regi meo,qui me seruauit? Qui præsunt Reip.strenuè agant,semper cogitantes paruũ uitæ spaciũ eis restare. Huc illud pertinet quod Pisistrato tyranno à Solone responsum est:Cũ illi quærenti (ut scribit Cic.) qua tandé spe fretus, sibi tã audacter resisteret,respondit,Senectute.Val. Maxim. libro 6. capite 2.scribit de Cesellio,quòd cum triumuiris non pareret, & multa liberè contra C. Cæsarem loqueretur, admonentibus amicis, ut sibi caueret:Duæ,dixit, res sunt quæ cæteros reddunt formidolosos, mihi maximam suppeditant fiduciam, senectus & orbitas. Senatus deligitur ex senioribus,non tantũ propter multarum *Senatus cur deligatur ex senibus.*

rerum experientiam, qua præditi sunt: sed eam quoque ob causam, quòd cùm morti uicini sint, animosiores & fortiores esse debeant, quàm adolescentes, & nihil contra publicam iusticiam ac religionem agere. Queruntur interdum senes, se contemptui esse iuuenibus: cum tamen in ipsis culpa hæreat. Anus quoque quomodo se gerere debeant, Paulus ad Tit. 2. capire ostendit. Exemplum autem quod intueantur, Annam habent, Luc. 2. cap. præsertim quæ uiduæ sunt. Habemus igitur, canitiem esse decoram illis, qui uel in iuuentute honestè uixerunt: uel quod peccatum est in iuuentute, in senectute emendant.

Vetularum officium.

32 Melior est tardus ad iram, quàm fortis: & qui dominatur spiritui suo, quàm qui capit urbem.

Magnam laudem merentur, qui robore corporis præditi sunt. Duces qui in bello hostes profligant, arces & oppida euertunt, regiones occupant, magnifiunt à ciuibus. In imperatorijs legibus multis & magnis priuilegijs ornantur: at iudicio sapientis, maiore laude dignus est, qui irã, & alios uitiosos affectus, frenat, quàm qui urbes expugnat, & hostes superat. Praui affectus, ira, inuidia, auaritia, ambitio, luxuria, capitales nostri hostes sunt, nos in seruitutem suam redigunt. 2. Pet. 2. cap. À quo quis superatus est, huius seruus est: ibi fortiter est pugnandum. Hi sunt Turci nostri, contra quos assiduè bellum geri debet. Samson hostibus Palęstinis multa dedit damna: interim turpi amore uictus est. Hercules multa monstra domuit: sed tandem seruiuit Omphalæ. Hac de re consule Lactantium lib. 1. diuinarum Instit. cap. 9. Alexander Magnus magnam orbis partem deuicit: sed tamen ebrietatem & iram suam domare non potuit.

Dominari suis affectibus.

Multæ sententiæ in prophanis quoq; scriptoribus leguntur, quæ ad hanc illustrandam pertinent. Cato senior (scribit Plutarchus in Rom. apophtheg.) dicebat, eum optimum & laude dignum esse imperatorem, qui proprijs suis affectibus imperare posset. Seneca ad Lucilium: Si uis omnia tibi subijcere, subijce te rationi. Multos reges, si ratio te rexerit: ab illa disces, quid & quemadmodum aliquid aggredi debeas. Apud Liuium, Scipio Masinissam sic affatur: Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis ætatis nostræ periculum, quantum à circumfusis undiq; uoluptatibus. Qui eas sua temperantia frenauit ac domuit, multò maius decus, maioremq; uictoriam sibi peperit, quàm nos Syphace uicto habuimus. Valer. Max. lib. 4, Multo enim multoq; seipsum, quàm hostem superare operosius est, nec aduersa propera festinatione fugientem, nec secunda, effuso gaudio apprehendentem. Horatius lib. 2. Carminum hanc sententiam Solomonis pulcherrimè expressit.

„ Latius regnes auidum domando
„ Spiritum, quàm si Libyam remotis
„ Gadibus iungas, & uterque Pœnus
„ Seruiat uni, &c.

Seneca in Thyeste:

„ Quis uos exagitat furor
„ Alternum dare sanguinem
„ Et sceptrum scelere aggredi?
„ Nescitis cupidi arcium
„ Quo regnum iaceat loco.
„ Regem non faciunt opes,
„ Non uestis Tyriæ color,
„ Non frontis nota regiæ,
„ Non auro nitidæ trabes.
„ Rex est, qui posuit metus,
„ Et diri mala pectoris,
„ Quem non ambitio impotens,
„ Et nunquam stabilis fauor
„ Vulgi præcipitis mouet, &c.

Tale etiam illud est quod Claudianus sub nomine Theodo. præcipit:

„ Tu licet extremos latè dominêre per Indos,
„ Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
„ Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
„ Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
„ *Alterius leges: tunc omnia iura tenebis,
„ Cum poteris rex esse tuis, &c.

** Alij, interius.*

Apud Græcos etiam multæ hac de re sunt insignes sententiæ. Illa Pythagoræ nota sunt, quæ citantur

citantur à Stobæo: δουλεύειν πάθεσι χαλεπώτερον ἢ τυράννοις. ἐλεύθερον ἀδύνατον εἶναι, τὸν πάθεσι δουλεύοντα, καὶ ὑπὸ παθῶν κρατούμενον. Idem: οὐδεὶς ἐλεύθερος ἑαυτοῦ μὴ κρατῶν, &c.

33 In ſinum proijcitur ſors, at à Domino eſt totum iudicium eius.

Hæc gnome primo aſpectu leuicula uidetur, ſed ſi quis diligenter eam expendat & euoluat, uidebit rem maximi momenti continere: nempe quòd uniuerſa & ſingula, illa etiam quæ uulgò temerè accidere putamus, Dei arcana prouidentia gubernentur. Similis eſt hæc ſententia, gemmæ paruulæ quidem, ſed precioſæ ob innumeras ſuas uirtutes. Quod ſi omnium hominum mentibus eſſet impreſſa, ad omnem caſum eſſent paratiores: rebus ſecundis non inſoleſcerent: rebus aduerſis animum non deſponderent. Videamus igitur quid contineat. חֵיק chek uel חֵק abſque iod, ſinus uel gremium. Et quia ſinus eſt corporis medium, per Metaphoram ſignificat medium. Item quia pars eſt interior, ad concauitatem cuiuſque rei tranſumitur. Ezec. 43. Et ſinus ei, id eſt, concauitas. Senſus igitur erit, ſors in medium, uel in uas concauum, uel ſecundum literam, in ſinum aut gremium conijcitur: quod intelligendum eſt ex more ueterum. Olim enim conijciebantur ſortes, in uaſculum aliquod, quod Græcis κάδισκος dicitur, ueluti in urnam, ſitulam, hydriam, galeam: deinde agitando confundebantur, mox educebantur. Sors autem ſiue ſignum ſortitionis, quod in urnam conijciebant, calculus uidelicet, conchula marina, ſcheda, teſtula, aut ſimile quid, à Græcis κλῆρος uel πάλος dicitur: Quacunq; autem ratione ſors fiat, à Domino temperatur. Hoc loco non modò ad intelligentiam huius ſententiæ: ſed etiam aliorum locorum ſcripturæ, in quibus mentio fit ſortium, quædam de ſortibus uidentur annotanda.

Sinus.

Locus de ſortibus.

Sortes apud ueteres uariæ fuerunt: quarum aliæ licitæ ſunt, aliæ illicitæ. Sortes diuiſoriæ (ſic enim uocant) licitæ ſunt: illis inquiritur, ad quem pertineat res diuidenda, ut hæreditas, prȩda bello parta, & ſimilia. Sorte Iſraelitis terra de mandato Dei diſtributa eſt. Num. 33. 26. cap. Hac ratione multæ contentionts componuntur: decreto enim ſortis, homines non inuiti acquieſcunt. Pro. 18. ca. Sors ſedat contentiones, & præduros componit. Ægyptij ſortiebantur quos quiſq; agros coleret. Sunt & illæ licitæ, quibus certæ functiones idoneis perſonis commendantur. In ueteri Teſtamento, ſummi potifices ſorte deligebantur. Saul ſorte rex deſignatus eſſe creditur. 1. Reg. 10. In Græcia ſacerdotia ſortitò capiebantur. In nouo quoque Teſtamento, Matthias ſorte, in Apoſtolum electus eſt. Prohibetur autem talis electio in Decretis, extra de ſortilegis cap. ult. ſed qua in re huius ſortis uſus, authoritati ſacrarum literarum repugnet, non liquet. Athenienſes annuatim magiſtratus ſuos ſorte conſtituerũt. Apud Rom. quoq;, magiſtratus ſorte eligebantur. Iudices miſsis in urnam calculis, ita ferebant ſententias, ut albis abſoluerent, atris damnarent: qui ſi fuiſſent æquales, liberabant reum. Sortibus legati deligebantur. Præterea, conſules prouincias ſortiebantur. Cauſam Cor. Tac. li. 20. aſsignat, ne ambitioni aut inimicitijs locus foret. Quid enim æmulationes in Rebuſp. poſſint, quotidiana exempla oſtendunt. Sortibus item coloniæ deducebantur: hinc coloni κληροῦχοι apud Græcos dicti ſunt. Si à multis rei militaris flagitium eſſet admiſſum, ſorte decimus quiſq; ad ſupplicium legebatur, ut oſtendit Liu. lib. 2. In amplisſima Venetorum Rep. hodie quoq; magiſtratus ſorte deliguntur. Apud Hom. Iliad. γ. reuocatur ad ſortem, Paris ne an Agamem. prior in aduerſarium haſtam iaciat. Sic hodie uulgò labores, excubiæ, uaria exercitia & certamina, & alia huius generis, ſorte diſtribuuntur.

Sors diuiſoria.

Eſt deinde ſortium genus illicitum, diuinatorium appellauit, quando occulta ignotaq; per ſortes inueſtigamus: ueluti quis exitus huius uel illius perſonæ aut rei futurus ſit: & his ſimilia. Sic Ezech. 21. cap. Nabuchodonozor in biuio per ſortes explorat, an ad Iſraelitas, uel alias uicinas gentes cum exercitu pergat. Sic coram Hamano quiſpiam miſit ſortem, de die in diem, de menſe in menſem, ut exquireret quo menſe & die, Iudæorum gens penitus deleri poſſet. Heſter. 3. cap. Apud ueteres quoque Germanos, ea conſuetudo fuit, ut matresfamiliàs eorum, ſortibus inquirerent, utrum prælium committi ex uſu eſſet nec'ne. Quæ res ut Iulius Cæſar ſcribit, Ariouiſtum regem perdidit. Ad hunc ordinem pertinent illæ ſortes quibus puellæ & adoleſcentes certis conſtitutisq; diebus, exquirunt quales uxores uel maritos habituri ſint. Ex gentiliſmo hæ ſuperſtitiones originem ſuam duxerunt. Eſt autem ratio diuinandi ex ſortibus, uaria & multiplex: Peucerus in erudito ſuo opere de Diuinatione, aliquot recenſet. Hoc genus in uniuerſum repugnat uerbo Dei. Omnia enim quæ nobis ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt, Deus nobis per os ſuorum prophetarum, Apoſtolorum, & imprimis filij ſui reuelauit: ueluti De Antichriſto, reſurrectione mortuorum, nouiſsimo iudicio, æterna gloria & damnatione. Multa autem in ſua poteſtate

Sors diuinatoria.

posuit,nolens nos scire omnia momenta & tẽpora:Act.1.Ioan.ult.cap. curiositas Petri retunditur,qua scire cupiebat qualem exitũ Ioan.habiturus esset.Contenti nos illis debemus esse, quæ Deus nobis aperire dignatus est,eaq; ex uerbo eius petere.Reliqua uerò, quorum notitiam sibi reseruauit,quorumq; cognitio ad nos non pertinet,neq; per sortes,neq; per alias superstitiosas artes,aut qualescunque uias inuestigare debemus. Expressa hac de re extat lex Deut.18.ubi superstitiosæ illæ artes à Deo prohibentur, & inter alias sortilegium ponitur. A' sanctis quoq; patribus,sub pœna anathematis prohibetur,26.q.sortes. Quin etiam Cicero de diuinatione lib.2.disputans de sortibus quibus futura prędicuntur, ait,totam rem esse inuentam fallacijs aut ad quæstum,aut ad superstitionem,aut ad errorem. Obijciunt quidã nobis, sæpe euenire quę sortes futura esse ostenderunt,ideoq; fieri non posse,ut diuinatoriæ sortes, iniustæ sint.Respondeo illis,ex loco Deut.13.cap. de pseudopropheta, ubi Dominus inquit, Si surrexerit in medio tui propheta,aut qui somnium somniet, dederitq; tibi aut signum aut portentum,eueneritq; signum aut portentum,quod prędixit tibi,atq; is dixerit,Eamus post deos alios,& seruiemus eis,non audies uerba prophetæ illius, aut eius, qui somniauerit huiusmodi somnium,quia tentat uos Dominus Deus uester,num sitis amantes Domini Dei uestri,toto corde uestro,&c.Punit Deus hoc modo hominum superstitionem,ut quãdoq; multa euenire patiatur.2.Thess.2. Instet autem aliquis & obijciat mihi Iosue, qui authorem anathematis sorte protulit:item nautas qui sorte deprehenderunt,propter Ionam tantam tempestatem diuinitus immissam fuisse.Deum has sortes gubernasse, negari non debet: tamen simili uia exquirendi præterita uel futura,non est utendum.Peculiaria sunt hæc,& idcirco in exemplum non trahenda.Pręceptis uiuendum est,non exemplis.Sic etiam quòd Abraamus paratus fuit filium suum immolare,personale est exemplum, quod alij qui idem mandatum non habent,imitari non debent.Voluit Deus docere homines illis exemplis,ne spe impunitatis peccarent.Multi enim sibi blandiuntur,opinione occultationis, non cogitantes Deum innumeras habere uias quibus sceleratos,ueluti ex latebris,in publicum protrahat. Quanquam de altero exemplo dici potest,nautas illos peccasse utendo hac ratione occulta peruestigandi. Idololatras enim fuisse textus ostendit, nec scribitur Ionam quoq; ijsdem sortibus usum esse.Hæc de sorte diuisoria & diuinatoria,ut uocant (consultoriam his duabus speciebus includo) quarum omnem rationem à Deo temperari Sapiens dicit. Colligimus ex hac sententia,primùm errare ethnicos & alios qui cæcam fortunam (quam deam fecerunt) atq; casum,omnia temere sursum & deorsum agitare,opinantur. Quidam finxerũt eam super globo cõsistere.Vulgò rotam ei uersatilem tribuunt,cum quatuor hominum imaginibus, primi ascendentis,secundi summum tenentis,tertij descendentis, quarti uerò in rotæ imo depressi,addito hoc uersiculo:

Fortuna nõ regit res humanas.

" Regnabo,regno,regnaui,sum sine regno,&c.

Errant etiam illi,qui magna tantum,prouidentiæ diuinæ subijciunt.Nihil enim eximi debet à gubernatione Dei.Nam si sortes non temere iaciuntur: sed à Deo gubernantur, nihil certè est,quod Deus non gubernet.Etiam illa quæ nobis fortuita,quæq; in mundo tanquam pelago iactari & fluctuare uidentur,à numine reguntur. Qua de re suprà quædam attulimus. Si Deus sortes gubernat,certè imperia,bella & alia huiusmodi non negligit.Obijciunt quidam illos sæpius uincere,qui deteriorem habent causam,& multa alia indigna fieri:non autem cogitãt,Deum multas habere causas,ob quas,iusto iudicio,hæc interdum sinat accidere.Quòd uerò quidam intelligere nequeunt,quomodo Deus uniuersorum curam gerere posit, hinc est,quòd Deum ex hominũ ingenio metiuntur,& nimis angustè de eo sentiunt,in cuius conspectu,cœlum & terra quasi punctum sunt.Lege Isaiam 40.cap.

CAPVT XVII.

MElius est buccella sicca,& tranquillitas in ea, quàm domus plena uictimis contentionis.



SIMILEM sententiam cap.15.habuimus. Per uictimas, intelligit opiparum & instructum conuiuium. Solebant enim,non tantum apud Iudæos, sed etiam Gentes,in sacrificijs epulari, quemadmodũ ex prima ad Cor.cap.8. de idolothytis intelligitur.Quanquam uox Hebr. זבח sabach non modò sacrificare: sed mactare etiam significat.Hinc Tigurina editio habet:*Domus plena mactatis pecoribus.*) Sensus autem est,homines si in frugali & tenui conuiuio concordes sint,maiorem uoluptatem percipere,

cipere, quàm si instructissimum conuiuium habeant, & sint discordes. Hoc sæpe experimur, cum unus aliquis totum conuiuium perturbat. Vergilius scribit fuisse Tarenti senem agricolam in re tenui, qui

> Regum æquabat opes animis, seraq; reuertens
> Nocte domum, mensas dapibus onerabat inemptis.

Præclara res est concordia. Videndum tamen, ne concordia uerbo Dei aduersetur, alioqui bellum paci præferendum est. Quod nos attinet, pax quidem habenda cum omnibus: cauendum tamen, ne dum eius nimis studiosi simus, Christum ipsum, principem pacis amittamus, qui non pacem, sed gladium ueniens misit: & per Prophetam maledicit prohibentem manum à sanguine: ne dum pro terrena pace seruanda quiduis loquimur & tacemus, facimus & patimur, simulamus & dissimulamus, cœlesti illa, quam mundus dare non potest, tandem careamus.

Discant itaq; omnes concordiam & amicitiam fouere, imprimis uerò domestici. Multi congerendis opibus student, ut lautiorem mensam habeant: sed rixæ oriuntur iusto Dei iudicio in tali domo, ut tam iucunda non sit eorum uita, quàm fuit antea.

2 *Seruus cordatus imperabit filiofamiliàs pudore afficienti.*

Seruus prudens, qui suum officium uerbo Dei præscriptum, sedulò facit, sæpe ita emergit, ut imperet filiofamiliàs pudore afficienti suis moribus, parentes, cognatos & seipsum. Multi ex seruili conditione ad maximos honores euecti sunt. Filijfamiliàs sæpe freti suis opibus, alijs non obtemperant, nihil discunt, opes suas decoquunt. Non igitur idonei sunt ad Remp. Non bene imperant, qui non paruerint imperio. Serui autem obtemperant dominis suis, quotidie aliquid discunt, & ita si non sint seruili ingenio, apti sunt ad gerendam Remp. *Serui sæpe præstantiores sunt liberis hominibus.*

Et in medio fratrum, hæreditatem diuidet.) Hoc quidam ita intelligunt, quòd talis seruus tantæ authoritatis fiat, ut hæreditatem distribuat: sed melior sensus est, si intelligamus, eum partem etiam habiturum cum reliquis filijs. Sæpe enim accidit, ut dominus perspecta fide & diligentia serui, filiam ei in matrimonium collocet, quæ defuncto parente, partem suæ hæreditatis accipit. Exempla habemus in Iacobo, qui duxit filias Labani: & in Iosepho, qui ex seruili conditione, in altissimum gradum euectus fuit. Discant ex hac sententia serui & ancillæ, ut suo officio fungantur, si uelint emergere. Hodie multi queruntur, in Rebusp. peregrinos & infimæ conditionis homines, ad dignitates promoueri, ac uetustas familias negligi. At isti causas consyderare debebant, cur hoc sæpenumero fiat. Peregrini non fidunt fauori aliorum, sed humiles se præbent, discunt bonas artes, ideoq; committi aliquid eis potest. Isti uerò freti suis opibus, cognatis, & alijs rebus, omnia bona consilia respuunt, dissolutè uiuunt, ideoq; à gubernaculis Reip. non immeritò arcentur.

3 *Conflatorium argento, & caminus auro, & discernens* (*uel probans*) *corda Dominus.*

מצרף Mazref est nomen uasis, in quo aurum & argentũ excoquitur, examinatur & à scoria repurgatur, *Ein tigel.* Sensus est, Vt conflatorium probat aurum & argentum, sic Deus corda. Sæpe enim nota similitudinis omittitur in hoc libro. Vel dissimile esse potest. Conflatorium. s. est argento, quo probantur metalla, at solus Deus corda examinat. Homines quantumuis sagaces, quid in homine lateat, nequaquam penitus perspicere possunt. Hac de re Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 6. illos uersus adducit ex Theognide:

> " Χρυσοῦ κιβδήλοιο καὶ ἀργύρου ἄχετος ἄτη
> " Κύρνε, καὶ ἐξευρεῖν ῥᾴδιον ἀνδρὶ σοφῷ.
> " εἰ δὲ φίλου νόον ἀνδρὸς ἐνὶ στήθεσσι λέληθεν
> " ψυδρὸς ἐών, δόλιον δ᾽ ἐν φρεσὶν ἦτορ ἔχει.
> " τοῦτο θεὸς κιβδηλότατον ποίησε βροτοῖσι,
> " καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ᾽ ἀνιαρότερον.

Ex Euripidis Medea:

> " ὦ Ζεῦ, τί δὴ τὰ χρυσοῦ μὲν ὃς κίβδηλος ᾖ
> " τεκμήρι᾽ ἀνθρώποισιν ὤπασας σαφῆ.
> " ἀνδρῶν δ᾽ ὅτῳ χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι
> " οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι.

Hier. 17. legitur: Prauũ est cor hominis, & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dñs scrutãs cor, & probãs renes. Sal. 2. Reg. 8. ca. in oratione sua, quam ad Deum habuit absoluto templo, inter alia dicit: Facies & dabis unicuiq; iuxta uias suas, qui cognoscis cor eius: tu enim solus nosti corda hominum. Si solus Deus nouit, ergo neq; boni, neq; mali angeli. (Quanquam *Solus Deus nouit corda hominum.*

non me latet Aug. in libello de Diuinatione dæmonum, & in epist. 115. ad Nebridium, scribere, quòd diabolus de nostris cogitationibus ac uolũtate aliqua cognoscat, &c.) Si solus Deus nouit, pij & sancti, qui nunc æternis gaudijs perfruuntur, non norunt, ideoq; non sunt inuocandi. Si Deus omnia nouit, piè uiuendum, & in persecutione & omnibus aduersis, patientia præstanda est. De hac re aliâs. Hominem cognoscere perquam difficile est. Multi se pietatis & religionis amantissimos esse profitentur, cùm tamen hypocritę sint. Homines etiam in horas & momenta mutantur. Sunt tamen quædam, ex quibus quid quisq; absconditum in pectore habeat, & qualis sit, aliquo modo intelligitur, ueluti uultus, oratio, actiones, uestitus, sodales, magistratus: sed sæpenumerò nos hæc fallunt. De religione interdum latrones loquuntur, ut incautos, qui in eos incidunt, & nihil mali expectant, de improuisò iugulent. Socrates optasse legitur, ut hominum pectora essent aperta, aut ita facta, ut quemadmodum in uitreo globo, si quid inclusum sit, ab omnibus perspicitur: ita quæ in corde latent, ab omnibus cerni possent, quò minus dolis & imposturis esset locus. Verùm Deus Opt. Max. sibi uni hoc seruauit, is intimos hominum sensus scrutatur, corda solus probat, an pura sint nec ne. Non igitur quenquam temere uel approbare uel reijcere debemus, ne fallamur.

Quomodo & quibus iudicijs homines cognoscãtur.

Deus probat corda duplici ratione.

Quòd dicitur, Deum probare corda, dupliciter intelligitur: primum examinat qualia sint: deinde purgat à scoria. Varijs autem affectionibus excoquimur in fornace Dei, id est, tentamur & examinamur, & per hoc Deus explorat, uera ne an ficta sit nostra fides. 1. Pet. 1. cap. Nõ quòd ipse ignoret, sed ut alij & nos ipsi hoc cognoscamus. Hypocritæ in aduersis, instar malæ ollæ per impatientiam crepant. August. alicubi dicit, Perfacile est, uestem contemptam portare, capite inclinato incedere, uelum super oculos demittere: sed uerè uirtute præditum ac humilem, patientia monstrat.

4 Malus attendit labio mendaci, mendax auscultat, (*uel obtemperat*) linguæ prauitatum.

Prout quisq; affectus est, aliquid libenter audit uel facit, siue bonum siue malum. Homo leuis, delectatur fabulis inanibus, etiam pro suggestu, cupit audire fabulas: quemadmodum Paulus in 2. epistola ad Timotheon de quibusdam prædixit. Ebriosus de uino libenter audit, scortator de rebus amatorijs. Viri autem graues, auersantur sermones de huiuscemodi rebus institutos, cupiunt audire de rebus sanctis, pijs, utilibus. Deinde mali præcipientibus illicita & iniqua libenter obtemperant.

5 Subsannans pauperem, probris afficit factorem eius.

Ex cap. 14. repetita est hæc sententia. Qui humilis conditionis homines (quales sunt uiduæ, pupilli, peregrini, &c.) contemnit, Deum contemnit. Nam hæc dissimilitudo, quòd hic diues est, ille pauper, non à fortuna, sed à Deo introducta est, qui, ut scriptura testatur, diuites facit & pauperes. Vult autem ut cum pauper diuitis, & è diuerso, diues pauperis opera indigeat, inter se firmius coniungantur. Proinde qui pauperem contemnit, cõtemnit in eo Deũ. Quid si pauperes deglubit & prorsus opprimit? Deus se patronum oppressorum profitetur in scripturis, nõ ergo feret oppressionem pauperum. In extremo iudicio dicet, Recedite maledicti, Esuriui non dedistis mihi edere, &c. Quid si non modò nõ dedisti, sed quod habebat, fraudibus, dolis, & aperta ui extorsisti? &c. Quid uerò de illis dicemus, qui homines pauperes & diuites, propter ueræ religionis confessionem, non modò fortunis, sed & uita spoliãt?

Contra ἐπιχαιρεκακίαν.

Et qui gaudet in contritione alterius, non erit immunis.) Non gaudere debemus malis proximorum nostrorum, sed potius dolore affici. Communes enim sunt calamitates: quę alijs accidunt, nobis quoq; possunt accidere. Phocylides egregiè scribit:

» *κοινὰ πάθη πάντων, ὁ βίος τροχὸς, ἄστατος ὄλβος.*

Gregorius Theologus dictus in epistola quadam ad Sophronium, eleganter scripsit: Cernis quales res nostræ sint, & quomodo instar rotæ cuiusdam res hominum circumuoluantur, cum nunc hi, nunc illi floreãt, defloreantq;: & neq; felicitas nobis, neq; infelicitas firma permaneat, sed subitò mutẽtur: ita ut tutius sit uentis, aut literis in aquam scriptis credere, quàm felicitati humanæ, &c. Cogitandum est, nos eadem quæ alij, quin & æternam damnationem mereri. Notum est quid Christus nuncium afferentibus de crudelitate Pilati, & lapsu turris Luc. 13. responderit. Inter magna peccata recensetur, gaudium de alienis malis. Iob. 31. Si lætatus sum, inquit, in contritione aduersarij mei, & exultaui, quòd eum inuenit malum, hæc & hæc mihi obtingant, &c. Propter hoc peccatum, Idumæi, Ammonitæ, Palæstini & imprimis Babylonij, ut passim in prophetis legitur, deleti sunt. Michæas cap. 7. prędicens captiuitatem Babylonicam, mox promittit futurum ut restituãtur, & Babylonij pereãt: ac conuerso sermone ad Babylonios sub nomine piorũ dicit: Ne læteris inimica mea, quòd cecidi, resurgã, &c.

In

In threnis Ierem.1.cap.inter alia queritur, Lætati ſunt mea calamitate. Libenter illi fabula fiunt,qui aliorum calamitatibus non mouentur. Impiorum autem hæc eſt natura,ut alienis malis gaudeant. Sic impij illi, Chriſto in cruce pendenti, inſultarunt: ſed poſtea quid fecerint,magno ſuo malo didicerunt.Noſtrum quoque uulgus dicit: Calamitatem illius fores pulſare, qui calamitate alterius gaudet. Gentiles quoque inſignes habent ſententias, quibus docent non eſſe gaudendum ob alienas calamitates. Iſocrates ad Demonicum ait, μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς. κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον: Demoſthenes in oratione de Corona,Ego,inquit,planè illum ſtolidum eſſe iudico, qui cum homo ſit, homini fortunam exprobrat,&c.Multa huius generis inuenies apud Stobæum ſermone 111.& 112.Cum rex Perſeus,ut ſcribit Liuius, bello à Romanis uictus,ad Paulum Æmylium imperatorem perductus eſſet,is ei obuiam cum amicis uenit,aſſurrexit,& obortis lachrymis conſolatus eſt. Poſtea ad ſuos conuerſus dixit: Exemplum inſigne cernitis mutationis rerum humanarum,uobis hoc præcipuè dico iuuenes.Ideo in ſecundis rebus nihil in quenquam ſuperbè & uiolenter conſulere decet,nec præſenti credere fortunæ,cum quid ueſper ferat,incertum ſit. Is demum uir erit,cuius animum nec proſpera flatu ſuo efferet, nec aduerſa infringet.Itaque neq; publicis neq; priuatis aliorum malis eſt gaudendum. At obijciat mihi aliquis exemplum Dauidis & aliorum prophetarum,qui non modò lætari impiorum exitio uidentur:ſed etiam dira hoſtibus imprecantur: Paulus (ut ex multis hoc unum proferam) ad Galatas dicit: Vtinam excindantur qui turbant uos, &c. D. Auguſtinus dicit, prædictiones eſſe,tam certò euentura hæc, ut non dubitent orare. Deinde ſancti illi non ex prauis affectibus hæc dixerunt, ſed ex zelo iuſticiæ, ut in impiorum interitu laudaretur Deus, iuſticia & ueritas Dei confirmaretur, ceſſaret perſequutio, & pax reſtauraretur: plura hac de re inuenies, cap.24. uerſu 18. Impiorum hæc eſt natura ut alienis malis gaudeant. Inprimis uerò ſi pijs triſte quid euenire intelligant. Sic Chriſto in cruce pendenti, martyribus item qui crudelibus ſupplicijs afficiebantur,impij inſultarunt,id quod hominibus ualde dolet:de quo 1.cap.uerſu 26.His igitur exemplis & dictis mentes noſtræ confirmandæ ſunt.

Pauli Aemilij magnifica uerba.

Pij dira imprecantur hoſtibus.

6 Corona ſenum filij filiorum,& gloria filiorum patres eorum.

Corona pro honore decore & ornamento ſumitur.Nam apud ueteres coronam accipere, honorificum fuit.Paulus in 1. ad Theſſ. 2. Theſſalonicenſes coronam ſuæ gloriationis appellat.Non autem de quibuslibet filijs & nepotibus loquitur Solomon, ſed de pijs & honeſtis, qui decus ſunt parentum. Viciſsim patres & aui, gloria ſunt liberorum.

Docet hæc ſententia, primum liberos obtemperare parentibus, ſi recta præſcribant,quò eis ornamento & ſolatio eſſe poſsint. Quid prodeſt iactare parentum nobilitatem & ſanctitatem, ſi paternis ueternis ueſtigijs non inſiſtant? Similes ſunt Iudæis, qui Ioan. 8.ſibi propter maiores placebant, interim tamen diaboli ingenium referebant. Quid dicturos putas multorum parentes, ſi hodie redirent & liberorum ſuorum mores contemplarentur? Cum quidam alteri ut probrum obijceret, quòd è parentibus prognatus eſſet ignobilibus,Mihi, inquit,dedecori ſunt parentes,tu uerò parentibus. *Liberorum officium.*

Deinde parentes diſcant ſuos liberos ita inſtituere, ut eorum corona eſſe aliquando poſſint. Quibus in rebus inſtitutio conſiſtat, alibi annotauimus. Curent etiam ab alijs, ſi ipſi minus ſint idonei, erudiri ac inſtitui. Plerunque enim liberi religioſè à teneris inſtituti, parentum expectationi tandem reſpondent, nec ſolum ipſis, ſed & toti nonnunquam Reipub. ſunt ornamento.Quanquam etiam fiat,ut bene inſtituti degenerent, quod in filijs multorum pietate & uirtute præſtantium uirorum perſpicuum eſt. Quod ſi parentes liberos ſuos non modò non inſtituant & caſtigent: ſed ab alijs quoque inſtitui & caſtigari eos indignè ferant, quin omnibus ſceleribus eos imbuant, quid mirum ſi tandem eis ſint probro & dedecori? *Parentum officium.*

Adhæc parentes piè & ſanctè uiuant,ne liberi quid uideant, uel audiant,quod eos poſsit corrumpere. Pueri enim ſimiarum mores quodammodo referunt, quæ homines imitantur, ac ita capiuntur, ut Ælianus & Strabo annotant: Sic liberi quoque parentum uitia imitantur, priuſquam uitia eſſe intelligant. Deinde hanc etiam ob cauſam piè & ſanctè uiuere debent, ut liberis honori ſint,ne quis parentes eis exprobrare poſsit.Parentes nefaria nonnunquam deſignant in gratiam liberorum,ut eos promoueant & locupletent.Inuenias qui defuncta uxore, nolint aliam ducere,ne quid liberis decedat,interim impudenter ſcortentur. Item qui per fas & nefas opes corradant, quibus poſtea diſsipatis, filijs nihil à parentibus relinquitur,præter dedecus & infamiam. Danda igitur opera,ut honeſtum ſaltem nomen liberis relinquatur.

7 Non est decorũ in stulto labium excellentiæ, quanto minus in principe labium mendacij?

Labiũ excellentiæ. Labium excellentiæ est, quod sibi plus arrogat quàm par sit: uel quod de rebus magnis & excellentibus loquitur. Simplex hic sensus esse uidetur: Si adolescentuli imperiti, & stulti homines, de arduis rebus ad Rempub. & Ecclesiam spectantibus, loqui & consilia dare instituant, ridentur à prudentibus uiris. De his enim rebus loqui decet πολυπείρους, & magna authoritate præditos. Hannibal Phormionem philosophum risisse legitur, cum de re militari & imperatoris officio multa tradere uellet, qui nunquam castra uiderat. Si per stultum accipias improbum hominem, etiam ille ridiculus fit, si de rebus magnis loqui instituat. Epicureus de promouenda religione, ebriosus de sobrietate, adulter de castitate, &c. In hanc quoq; sententiam apud Græcos Menandri uersus celebratur:

μισῶ πονηρὸν χρηστὸν ὅταν εἴπῃ λόγον. Item τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. Populũ Romanus Carbone, homine improbo & uano, quippiam promittẽte & addente iusiurandum, uicissim iurauit, se illi non crediturum etiam iurato.

Caietanus uertit, *labium superfluitatis*, id est, sermo iactantis se, uel promittentis quæ excedunt uires eius: hæc minimè decent. At multò minus decet principem esse uanum. In omnibus quidem mendacium turpe est, in gubernatoribus uerò populi, longè turpissimum. Nam omnium oculi ad ipsos conuertuntur. Antonius Panormita scribit Alphonsum Arragonum regem, semper hoc in ore habuisse, tantum ualere ad fidem debere, unicum principis uiri uerbum, quantum priuatorum iusiurandum. *Princeps ne sit mendax.*

Discant itaq; primum quibus commissa est Respub. ut cum aliàs cõstantes sint in dictis & promissis, tum in iudicio si dicenda sententia est, ne malum bonum esse dicãt, ne'ue testimonium bonũ indignis perhibeant. Plato de Repub. Dialogo 3. scribit, Si quibus alijs, Rempub. administrantibus, licere mentiri, uel hostium uel ciuium causa, ad communem ciuitatis utilitatem: reliquis autem à mendacio abstinendum esse. Sed Deus per os Solomonis longè aliter pronunciat.

Neq; solum principes à mendacio cauere sibi debẽt: sed mendaces & calumniatores quoque ab aulis submouere: non enim decet principem tales homines fouere. Regnat autem ferè in aulis calumnia. Doctores item Ecclesiarum, quàm longissimè à mendacio abesse conuenit: debent enim ministri esse ueritatis. Quod si in quotidiano hominum conuictu, mendaces sint, etiam pro suggestu ueritatem docentibus, fides non adhibetur. Vbi præcipuè curare debent, ne quid falsum populo proponant.

Quod de sermone magistratuũ dicitur, de uita quoq; in uniuersum debet intelligi. Si turpiter uiuãt, alij etiã eorum mores imitantur. Vita igitur ipsorũ, legibus & doctrinæ respondeat.

8 Lapis gratiæ munus in oculis dominorum suorum quocunq; se uerterit: faciet eum prosperè agere.

Munus est gemma gratissima, hoc est, omnes muneribus delectantur: quod in pueris etiã, & stultis experimur. Seneca ex sententia philosophi cuiusdam dicit, omnium esse dulcissimum accipere.

Vel munus est lapis gratiæ, hoc est, danti fauorem & gratiam conciliat. Gemmæ maximas habent uirtutes, quædam sanguinem sistunt, quædam uenenum depellunt, &c. ita munus lapis quidam est, fauorem pariens in oculis dominorũ eius, uel habentium ipsum, hoc est, eorum qui eo corrumpuntur, uel eorum, qui alios corrumpunt: Et ad omne quo offerens uerterit petitionem suam, uel ad quemcunq; uenerit, facit eum qui munus dedit, prosperè agere: quicquid petit facilè assequitur. שׂכל sakal significat intelligere & prosperè agere: munera enim faciunt homines intelligere, rem aliquam pro utilitate offerentis. Nota est narratiuncula de illo qui pro suggestu improbabat pluralitatem, ut uocant, sacerdotiorum, tandem cùm multis sacerdotijs auctus, longè secus sentiret, interrogatus cur in illum abusum nõ amplius inueheretur, dicebat, se iam illam materiam melius intelligere, &c. Munsterus accipit pro סכל infatuare: Munera enim excæcant homines, sicut idololatria, amor & ebrietas, &c. De effectu munerum Eurip. in Medea dicit:

" πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.
" χρυσὸς δὲ, κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς. Ouid. 3. de Arte:
" Munera (crede mihi) placant hominesq; deosq;,
" Placatur donis Iuppiter ipse datis.
" Quid faciet sapiens? stultus quoq; munere gaudet,
" Ipse quoq; accepto munere mitis erit. Horatius Ode. 16. lib. 3.

Aurum

Aurum per medios ire satellites, "
Et perumpere amat castra potentius "
Ferro,&c. Mox, "
Et diffidit urbium "
Portas uir Macedo,& subruit æmulos "
Reges muneribus,munera nauium "
Sæuos illaqueant duces. "

Philippus enim rex Macedonum,nullam arcem tam munitam esse dicebat, quin expugnari posset,modò asinus onustus auro eam accedere posset.Plutarchus in uita Pauli Æmilij, scribit ueteres historicos tradidisse,non Philippum,sed eius aurum Græciam subegisse.Nihil esse tam munitum quod auro nō expugnetur.Poetæ etiam significarunt fabula Danaes à Ioue in aurum uerso constupratæ.Tanta uis est munerum,ut qui modò causam aliquam probauerunt,postquam munus acceperunt, uel se accepturos sperant, eam improbare incipiant, uel prorsus conticescant:qui fuerunt uehementes,butyro molliores fiunt. Cicero Verrem ita disputantem inducit:nihil esse tam sanctum,quod non uiolari,nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia posit.

Exempla multa habemus de sacris & ciuilibus rebus: Bileami,illorum militum qui negabant Christum resurrexisse,Demosthenis,qui collo panno obuoluto in cōcionem ueniebat, Romanorum quos Iugurtha corruperat,& aliorum. Quid patrum nostrorū memoria,in bellis & fœderibus acciderit,manifestū est.Hodie experimur quid clerici suis conuiuiolis, quid amatores suis munusculis efficiant,quid illi qui iudices corrumpunt. Ideoq; uetuit Deus,ne iudices munera accipiant.Isa.5,Væ qui iustificatis impium pro muneribus.Micheas 3,cap.inter alias causas,ob quas Israelitæ excindendi sint,dicit prophetas & iudices,munera accipere.In bene constitutis Rebuspub.contra corruptelam munerum leges propositæ sunt.Distinguendum autem est ut alibi dixi,inter honoraria & corruptoria munera. Nec ualet illa excusatio quam multi afferunt, Licet munera accipiam, nihilominus tamen officium meum faciam.Deus enim,qui corda & creat & examinat,dicit muneribus sapientū oculos excæcari.

9 *Operiens præuaricationem quærit amicitiam.*

Si quis proximorū uitia & errata celat,inq; meliorem partem interpretatur: amicitias conciliat & conseruat.Non de omnibus uitijs loquimur. Fit ut uiri boni,interdum labantur ex infirmitate,& nos uel alios lædant:ibi nō statim omnia retegenda, & in peiorem partem accipienda sunt.At si crimen alterius uergat in perniciem Reipub.& Ecclesiæ, deq; illius emendatione spes nulla sit:item si rogemur à magistratu,nihil dissimulare oporter, sed ne Ecclesia uel Respub. detrimentum accipiat,quæ patefacienda sunt,patefacere. *Crimina aliorum non inuulgāda.*

Et qui repetit uel mutat *rem,separat ducem.*) שנה schanah, mutare,iterare. Qui uitia amicorū & aliorum diuulgat sine iusta causa,& subinde repetit,uerba mutando, aut aliqua adijciēdo, seu sinistrè interpretando,ac iam pridem sepulta reuocat,diuidit à seipso duces suos. Quis enim talem amicum habere uelit? Vel,qui uerbum aut rem mutat,hoc est,quæ bene dicta uel facta sunt, in malam partem interpretatur, & de suo aliquid affingit: homines coniunctissimos diuellit,principem à subditis, ducem ab exercitu, maritum à coniuge, ut quos non nisi mors separare debebat,lingua illa separet ac diuidat. Quidam posterius membrum sic intelligunt,qui non contentus semel peccasse,rem malam repetit,alienat à se principem.Etsi enim ei ignouit ante,tamen postea non amplius ignoscit.Hanc sententiam R. Him.iungit cum superioribus:dixit quòd munus sit ueluti lapis gratiosus in oculis recipientis illud, nunc dicit, munus hoc etiam habere,quod operiat præuaricationem (læsi enim muneribus placantur.) efficere item,ut res mutetur ad utilitatē dantis:præterea ducem separare ab alijs, hoc est,homines inter sese committere.

10 *Descendit increpatio in intelligentē magis,quàm si percutias stultum centies.*

Quia dixit de celandis uitijs proximi, ne quis cogitare posset, increpationem prorsus tolli,de ea nunc loquitur.Magna est ingeniorum uarietas:sunt quædam generosa ingenia,quæ uerbis ducuntur.Deinde sunt quædam seruilia ingenia,quæ non nisi uerberibus emendantur.Patres igitur & prçceptores,diligenter pueros obseruent, & pro ingeniorum diuersitate, cum ipsis agant.Sunt item deplorata ingenia, quæ neque uerbis neq; uerberibus redduntur meliora.Quod de pueris dicitur,in adultis etiam locum habet.

Disce amicos castigandos esse si peccent, non autem statim diuulganda esse peccata ipso-

rum. Apud cordatos admonitio ex bono animo profecta, suum omnino pondus habebit. Quando Deus hominibus afflictiones immittit, statim commouetur cordatus, stulti uerò magis magisq; indurantur. Exemplum habes in Pharaone. Deus Isa. 9. queritur, populum non reuersum esse ad percutientem se.

Quod linguam attinet תחת thechah quidam deducunt à radice חתת chathath, hoc est, conterere, frangere, & refertur ad animum. Alij deducunt à חתה chathah capere, id est, capietur increpatio. R. Dauid à נחת nachath, id est, descendit, mansit, ut sit sensus, descendet mane bitq; increpatio in sapiente. Sunt etiam qui putant positum esse, pro אחת achath, una.

11 Rebellis tantum quærit malum, *uel, tantum rebellionem quærit malus.*

Homines contumaces puniuntur à Deo. Homines qui à Deo & hominibus, uel uerbis uel alijs modis castigantur, non similiter castigationē accipiūt. Quidam enim, ut paulo antè diximus, uerbis magis quàm uerberibus mouentur. Illi generosis equis conferri possunt, qui ut inquit Seneca, umbra uirgæ regitur: cum ignauus nec calcaribus concitari possit. Deinde sunt homines seruili ingenio, qui nisi uerbera adhibeantur, officium suum non faciunt: de quibus prouerbio dicitur, Phryx plagis emendatur. Tertium genus est illorum, qui neque uerbis neque uerberibus ad sanam mentem reuocari possunt: sed ab hominibus castigati, eos odio prosequuntur, & in scelera maiore impetu ruunt. Si Deus eos puniat, manum castigantis non agnoscunt: sed in alias atq; alias causas referunt, ac magis magisq; frementes, indies peiores redduntur: de his loquitur hæc sententia.

אך ach, certè, profectò. Quidam reddunt, tantum, etiam, ueruntamen. מרי meri rebellionem & inobedientiam significat, & est ἔλλειψις, defectiua loquutio, subaudiendum est uir rebellionis. Vel est adiectiuum secundum eandem fortunam, *rebellis quæret malum.* Quod bifariam potest intelligi: primùm rebellis duntaxat studet sceleribus, nihil boni quærit, quoniam mala sunt, quæ eius consilijs prosunt. Suprà dixit impium effodere malum. Qui aliquid amiserunt, magna cura & solicitudine id quærunt: ita illi dedita opera peccant. Micheas de impijs dicit: quòd in lectis suis, noctu, de euertendis proximis cogitent: imprimis uerò monitoribus suis malum parant, quibus gratiam referre debebant. Deinde quærunt malum, hoc est, suum ipsorum exitium. Subijcit enim:

Et angelus uel nuncius *crudelis mittetur contra eum.*) Scilicet à Deo & ab hominibus. Deus enim rebelles & inobedientes punit. Omnes creaturæ, angeli boni & mali, elementa, homines, bestiæ, sunt nuncij Dei, quos contra rebelles mittit. Sic Pharaonem & Senacheribum, angelorum ministerio afflixit & perdidit. Contra Herodem Antipam misit Aretam regem Arabum, qui exercitum eius fudit. Instigauit contra eum Tyberium, à quo in exilium cum adultera relegatus est. Contra Herodem Agrippam, angelum misit qui eum percuteret. Publicè etiam crudeles nuncios mittit contra rebelles. Sic Hierosolyma temporibus Nabuchodonozor & postea Vespasiani funditus euertit. Hodie quoque rebellibus immittit pestem, penuriam rerum, bella & malas bestias. Qui uerò neque his malis commouentur, illos post hanc quoque uitam, crudeles angeli ad æterna tormenta pertrahunt. In extremo iudicio contra omnes impios, ultores angeli mittentur.

Ab hominibus quoque ueluti regibus & alijs magistratibus, nuncij crudeles contra inobedientes & rebelles mittuntur, qui eos in carceres conijciant & ad uaria supplicia trahant, uide suprà 16. uersu 14. Fit autem sæpe ut qui parentibus suis parére noluerunt, tandem carnificibus parére cogantur.

12 Occurrere urso orbato *præstat* uiro, & non stulto in stulticia sua.

Vrsus iratus. Vrsus est robustum animal & ferox: si abreptio catulorum accedat, in rabiem uertitur: primum sibi occurrentem solet inuadere, er richt den nechsten schaden. Venatores affirmant etiam uenabula ab iratis confringi. Hac similitudine de urso cui abrepti sunt catuli, Chusai etiam usus est, 2. Sam. 17. cap. cùm Absalomo consuleret, ne Dauidem persequeretur. Oseæ 13. capite, Occurram eis quasi ursus orbatus, & lacerabo obstinatum cor eorum. Vrsa catulos suos, quos ut dicunt, lambendo magno labore absoluit, tenerrimè diligit: cùm fugiunt, ut est apud Aristot. eos propellit, susceptosq; portat, amissos quæritat, & quemcunque obuiam habuerit adoritur. Poetæ ursos sæuos & truces cognominant. Apollonius apud Philostratum dicit, ursos cùm feritate cæteras beluas superent, pro catulis tamen omnia facere. דוב dob ursum & ursam significat: hinc quidam reddunt, *Vrsæ orbæ*, quanquam hoc loco sit generis masculei. Aristoteles scribit fœminas omnes in uniuerso animantium genere, minus quàm mares animosas esse, excepta panthera & ursa. Minus periculosum esse dicit Solomon urso furenti occurrere, quàm stulto in stulticia sua. Per stultum intelligit illum

illum qui, ut in Psalmo est, in corde suo dicit, non esse Deum, uel qui falsam religionem amplectitur, quiq; in omni scelerum genere uersatur. Hic, si res ex animi sententia ei succedant, ferocissimus existit, nec alios homines ferre potest. Res manifesta est in stultissimis hominibus idololatris: nulla bestia est, quantumuis truculenta, quæ ita furiat, quemadmodum illi in Christianos sæuiunt. In Ecclesiasticis historijs legimus, pantheras, ursos, leones famelicos, sanctis, cùm eis obijcerentur, sæpe pepercisse: at idololatræ exaturari non potuerunt. Quid fit à stultis illis hominibus, qui cadauerosum hominem pro Christo, qui defunctos, etiam illos qui an unquam uixerint ignoratur, qui ligna, lapides, ossa adorãt? non'ne illos etiam quibus ferarum rabies parcit, miserè trucidant? Hoc ignes passim excitati testantur. Bestiæ quantumuis truculentæ, nisi fame agitentur, aut lædantur ab hominibus, non facilè quenquam lædunt. Canes quantumuis iracundi, si panem uel carnes eis obijcias, latrare & sæuire desinunt: at quomodocunq; illos stultos tractes, non placantur. Vrsi eum qui mortuo similis iacet & spiritum continet, relinquere dicuntur, leones quoque prostrata despiciunt: at isti etiam benefactoribus suis, imò liberi parentibus suis non parcunt, ac ne mortuis quidem. Cadauera enim ex sepulchris eruta exurunt. Sed tandem Deus instar ursi & leonis, cum belluis illis aget. Oseæ 13.

Crudelitas hostium Euangelij.

13 Qui malum pro bono reddit, de illius domo nunquam recedet malum.

Christus seruator noster Matthæi 5. cap. dicit: Diligite inimicos uestros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite ijs, qui uos odio prosequuntur: Orate pro ijs qui uos lædunt & insectantur. Mox exemplum patris sui cœlestis subijcit. Idem docetur ad Rom. 13. 1. Pet. 2. & 3. cap. Peccamus itaque, si illos lædamus à quibus sumus læsi: quanquam homines aliter iudicent. Magis itaque illi peccant, qui illos à quibus beneficiis affecti sunt, lædunt. Augustinus in expositione Psal. 8. Sex differentiæ sunt, inquit: Reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis, hæc bonorum sunt, & prius melius. Non reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis, hæc duo malorum sunt, sed posterius deterius. Reddere bona pro bonis, & pro malis mala, hæc duo mediocrium sunt, prius propinquum bonis, &c. Cic. Offic. lib. 1. in referenda gratia, ex Hesiodi doctrina, imitandos esse dicit agros fertiles, qui multò plus adferunt, quam acceperunt. Pro Planco inquit, Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere ut beneficio non dicam indignus, sed uictus esse uideare. In Philip. 3. Cui gratia referri non potest, inquit, quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Gratia referenda illis, qui beneficia in nos cõtulerunt.

Hinc colligi potest, quantum sit scelus, pro beneficio maleficium reponere. Bestiæ etiam benefactores suos agnoscunt. Canis blanditur domino suo cauda: equus dominum sessorem admittit: ciconiæ decimas persoluunt. Non itaque mirandum si malum de domo, id est, familia ingrati, nunquam recedat.

Porrò ingratitudo committitur in Deũ & homines. Deus nos innumeris beneficijs quodammodo onerat: quæ si quis omnia recensere tentaret, immensum pelagus ingrederetur. Vitam nobis dedit, item uitæ necessaria, defendit nos à periculis, &c. Omnes creaturæ usum aliquem nobis præstant: maximum beneficium est, quòd filium suum pro nobis tradidit, & uerbo suo nobis patefecit. Quam uerò illi gratiam referimus? In homines ingrati sumus, quorum beneficijs quotidie utimur: in parẽtes, præceptores, concionatores, magistratus & alios benefactores. Non igitur mirari debemus, si & nos, & familiæ nostræ affligantur. Dicit enim, de domo ingrati malum nũquam recedere. Exemplum illustre habes in familia Saulis, cuius liberi partim in monte Gelboe occisi, partim cruci suffixi sunt.

Ingratitudo.

Sed oritur hîc quæstio, An uxores, liberi, serui, ancillæ propter nostra peccata, Deo pœnas persoluant? Breuiter respondemus, liberos non puniri pro parentibus, nisi parentum uestigijs insistant, & illorum peccata continuent. Fit quidem ut cum puniuntur impij alicuius Reipub. pij etiam inuoluantur, quemadmodum omnibus seculis accidit: in peste pereunt, in bellis cadunt: sed dispar est piorum & impiorum exitus. Neque pij omnino eximendi sunt ex culpa, non enim sceleratis sese opponunt, quemadmodum deberent & possent, deinde & ipsi quotidie peccant. Ad illud autem quod obijcitur, infantes innocentes in diluuio & Sodomis perijsse, responderi debet, in iudicio Dei neminem purum esse. Si actuali peccato carent, tamen originali non carent, quod etiam uim damnandi eos haberet, nisi Christi merito eriperentur. Zuinglius egregiam affert similitudinem de catulis luporum, qui etsi nondum pecora laniarint, tamen iugulantur. Sensus igitur est, malum non recedet de domo eius, scilicet familia, ipsum in malis sequente.

An propter parentes liberi puniantur.

14 **Aperiens aquas principiũ litis, antequam misceatur lis, dimitte eam.**

Rixæ oriuntur ex paruis initijs.

Similitudine ostendit, quàm difficulter contentionibus ex paruis initijs ortis, postea resisti posit. Si quis aggeres, quibus fluuiorum cursus constringuntur, perforet, aqua paulatim exitum quærit, & tandem ruptis aggeribus, cohiberi amplius non potest. Verg. Æneid. 2.

„ aggeribus ruptis cum spumeus amnis
„ Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles,
„ Fertur in arua furens cumulo, camposq; per omnes,
„ Cum stabulis armenta trahit.

Ita lis minimis uerbis aliquando ita crescit, ut postea in cædes & in cruenta bella erumpat. Facile autem est ordiri litem & bellum: sed non ita facile deponere. Idem similitudine ignis declarari potest, qui ex parua scintilla maximus nascitur. Homerus quoq; ἔριν, hoc est, contentionem scribit à paruo incipere, & postea in cœlum usque subcrescere. Euripides in Andromache dicit:

„ Σμικρᾶς ἀπ᾽ ἀρχῆς νεῖκος ἀνθρώποις μέγα
„ Γλῶσσ᾽ ἐκπορίζει.

Remedium ostenditur, *Antequam lis commisceatur, dimitte illam.*) Si incidas in hominem iracundum, placidus sis erga ipsum, ne penses maledicta maledictis: cogita semper quid Deus præcipiat, quid te deceat: obsta principijs. Morbus, si maturè remedium adhibeas, facilè curatur: sed si inueterauerit, uix & ne uix quidem tollitur. Si aggerem uel alueum ruptum, initiò reficias, aquæ impetus cohiberi nullo negocio potest: sin autem rem differas, magna ui erumpit, nec nisi magno labore & impensis reficitur. Domus uitiata imbribus, principiò exiguo sumptu potest refici, postea uerò maximis impensis uix potest restitui. Præcipuè uerò iuniores operam dare decet, ne rixis dent locum. Natura enim impatientes sunt iniuriarum. Quod de litibus & iurgijs dicitur, trahendum est ad omnes prauos affectus, quos frenare oportet. Ouid. rectè scribit de turpi amore resecando:

Opprime, dum noua sunt, subiti mala semina morbi.
Nam mora dat uires, &c.

Quin alijs omnibus malis in Republica & domestica, maturè obuiam eundum est.

15 **Iustificans impium, & condemnãs iustum, abominatio Iehouæ ambo ipsi.**

Impij nõ absoluẽdi, pij non condẽnãdi, siue in iudicio, siue extra iudicium.

Hæc sententia præcipuè ad iudices pertinet, quorum officium inter alia est pœnis afficere. Peccat autem iudex in decernendis pœnis, si uel innocentes occidat, uel illos dimittat, quos Deus interfici præcepit. הצדיק hizdik significat iustificare, hoc est, absoluere: huic opponitur הרשיע harschia, improbificare, si ita liceret loqui, hoc est, condemnare atq; adeò ad supplicium tradere. Sensus est, Qui insontem damnat, & sontem absoluit, uterque æquè exosus est Domino.

Quid Paulus per δικαιοῦσθαι intelligat.

Hinc colligimus, quid sit apud Paulum quando scribit, quo pacto homo iustificari posit: sensus est, quomodo à morte æterna absoluatur & liberetur. Stamus ante iudicem Deum, & non modò à diabolo, sed & propria conscientia accusamur & conuincimur peccati, propter quod æternam mortem meremur. Quæritur nunc, quomodo liberari posimus: Paulus multis respondet, Fide in Christum, qui sua morte æternam mortem sustulit.

Innocentem hominem uel uerbo lædere, magnum est peccatum, quantum nunc est uita spoliare? maximè si hoc fiat sub prætextu iusticiæ, quemadmodum Nabotho accidit, & multis hodie, qui propter ueram religionem, tanquam hæretici & pestilentes homines, uarijs supplicijs afficiuntur. Magistratus enim diuinitus gladium accepit, ut bonos defendat, & malos cædat. Rom. 13. Magna ad totam Rempub. redit utilitas si in ciuitate aliqua multi sint honesti ciues: tales si magistratus tollant, abominationi sunt Deo. Quæ abominamur, nec respicere nec de eis audire æquo animo possumus: ita Deus ab illis hominibus oculos auertit, nec preces eorum, nisi ueram pœnitentiã agant, exaudire dignatur. Quanquam autem grauisimè peccent, qui iustos homines condemnant: tamen illi quoq; peccant, qui iniustos absoluunt. Nam primùm mandatum Dei transgrediuntur, quod non solum sceleratos magnas ob causas iubet occidere: sed & suppliciũ iudicibus cõminatur, nisi occiderint quos iubet occidere. Nec culpa hæret in magistratu, supplicijs afficiente sceleratos homines iuxta bonas leges: ideo toties in lege repetitur, Sanguis eius super eum. At si negligens suæ uocationis magistratus, det ueniam impijs, ipse in uitio est. Deinde nocent cum illi quem absoluunt, tum alijs, tam bonis quàm malis. Nam qui impunè dimittũtur, peiores ferè

reddi

reddi compertum eſt. Et ſæpe accidit ut quem propter unam cædem magiſtratus occidere noluit, tandem propter multas occidere cogatur. Non temere dicitur Teutonico prouerbio, ſi ſcelerati uirgis cæſi dimittuntur incolumes, primos eſſe gradus ad patibulum. Obeſt etiam hæc præpoſtera clementia illis qui tentantur quidem, ut toti in flagitia ruant: ſed nondum uinci ſe paſsi ſunt. Si enim parci ſceleratis uideant, tentationi ſuccumbunt. Illi quoque qui iiſdem flagitijs obnoxij ſunt, non cogitant de feria pœnitentia: ſed quomodo in ſceleribus pergant. Bonis item uiris non parum obeſt hæc clementia, nam ſolicitantur & ipſi ad mala, multisq; malis ab improbis illis hominibus afficiuntur: ſuo enim magno malo, hominum illorum ingenia explorare coguntur. Præſtaret apros, urſos, lupos emittere in plebeculam quàm peſtilentes & nefarios illos homines. Saulus & Achabi exempla docent illos incurrere offenſam Dei, qui illis parcunt, quos interfici mandauerit.

Pythagoras quoque dicebat, οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς, βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθούς. Demoſthenes laudat dictum illud Æſchinis: οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας, μὴ ἐχούσης ὀργὴν κατὰ ἀδικούντων. Cato ſenior, ſcribit Plutarchus in Rom. Apoph. exhortans magiſtratus ut ſceleratos pœnis afficerent, dicebat, eos qui maleficos prohibere poſſent, & tamen impune dimitterent, lapidibus obruendos eſſe.

Diſcant magiſtratus ex hac ſententia ſuum officium, ut non modò innocentes non opprimant, ſed etiam nocentes non abſoluant: non enim poteſtatem acceperunt à Deo abſoluendi impios, cum bonam mentem eis dare non poſsint. Deut. 25. cap. expreſsè legitur: Si fuerit controuerſia inter uiros, ibunt ad iudicium, ut iudices diſcernant inter ipſos, & iuſtificabunt eum qui iuſtus eſt, & condemnabunt eum qui impius eſt. Iſaiæ 5. capite, Væ illis qui iuſtificant impium propter munus, iuſticiam autem iuſtorum auferunt ab eis. Quidam philoſophorum etiam dixerunt, Rempub. illam diu ſtare non poſſe, in qua bonis ciuibus præmia non ſint conſtituta: & in qua improbi non coerceantur. Requiritur quidem clementia à iudicibus: ſed uiciſsim ſeueritati etiam ſuus eſt locus, quæ non tantum exercetur, quando iure damnati propter maleficia cæduntur: ſed etiam cùm pro defenſione ſubditorum, neceſſarium & iuſtum bellum ſuſcipitur. Argumenta quæ Anabaptiſtæ opponunt, facilè dilui poſſunt. Sin uerò magiſtratus bellum cum deberent non ſuſcipiant, fit ut ipſi poſtea bello conterantur, ut Achabo accidit, qui Benhadado pepercerat.

Officiũ magiſtratus.

Quod dicimus de magiſtratibus, ne malum iuſtum pronuncient, & bonum malum: ad priuatos quoq; homines pertinet, ne uidelicet de perſonis uel rebus perperam iudicent. Væ uobis, dicit Iſaias, qui malum bonum, & bonum malum dicitis. Vt cum quis hominem impium, uſurarium, ebrium, militem mercenarium, hoſtem Euangelij, prefert uiro pio & honeſto. Si quis Euangelium hæreſim, falſam autem doctrinam, orthodoxam appellet.

Priuati quoque impios non debent abſoluere, & bonos condemnare.

16 Vt quid eſt hoc precium in manu ſtulti, ad poſsidendum *uel emendum* ſapientiam, & cor non eſt ei?

Non uult dicere, ſpiritualia bona per temporalia comparari: ſed tametſi ſtultis opes ſuppetant comparandis libris & magiſtris, & ſe conferendi in peregrinas regiones ingenij cultus capeſſendi gratia, nihil tamen addiſcere, deficiunt enim corde. Res ſtultiſsimas rebus maximis anteponunt, omnesq; ſumptus malè collocant. Cordati homines ſæpe multarum rerum ſibi cognitionem compararent, ſi illis adminiculis non deſtituerentur. Vera quoque & cœleſtis ſapientia à multis perciperetur, ſi corde ab ea non abhorrerent. Audiunt quidem ſacras conciones, ſed abſque fructu: interim in res ſtultiſsimas multum impendunt. Opes inſtrumenta ſunt uirtutum, ſi in bonos incidunt: ſin uerò in malos, uitiorum. Operam igitur dare parentes ante omnia oportebat, ne liberi, quibus ingentes opes relinquunt, ſtulti eſſent & uecordes.

Quod de opibus dicitur, de alijs etiam animi, corporis & fortunæ, ut loquuntur, bonis accipi debet. (Sunt enim qui hanc uocem מְחִיר machir, pro uiribus naturalibus accipiendam putant.) Si ingenio, robore, authoritate, & alijs rebus, præditi ſunt ſtulti & impij homines, ad ſuam & aliorum perniciem hæc dona, alioqui præſtantia, conuertunt.

17 Omni tempore diligit amicus, & frater ad anguſtiam naſcetur.

Hæc ſententia continet deſcriptionem ueri amici. Verus amicus eſt, qui non tantum rebus ſecundis: ſed etiam aduerſis nos amat. Multi ſunt qui nos dum opibus, potentia, authoritate floremus, amicè complectuntur: ſed cum fortuna ipſi quoq; mutantur, quin in hoſtes interdum uertuntur, meretriculis non abſimiles, quæ amorem quidem erga amatores ſuos præ ſe ferunt, ſed cumprimum eos auro emunxerint, perfidè deſerunt. Boni amici in periculis conſtitutos conſolantur & erigunt. Plautus in Epidico:

Verus amicus.

,, Is amicus est, qui in re dubia te iuuat
,, Vbi re est opus, &c.

Talis erat Ionathan, Chusai, Ithai cum suis socijs, qui Dauidi pulso è regno suo, fidem præstiterunt. Si quis antè nobis amicus non fuit, sed in periculo constitutis opem fert, germani fratris loco habendus est. Nam sæpe fit ut in periculis, ab illis quos optimos amicos esse credebamus, quin à parentibus, fratribus & liberis deseramur. Psal. 27. 41. Quod de priuatis hominibus diximus, ad oppida & populos etiam referri debet. Samaritani ut apud Iosephum legitur, cum Iudæi prosperè agerent, dicebant se eiusdem esse religionis: cum uerò clades acciperent, dicebant se institutis & legibus ab eis differre. De hac amicorum inconstantia, multa egregia leguntur passim apud poetas. Lucanus lib. 8. scribit:

,, Nulla fides unquam miseros elegit amicos.
,, Idem lib. 9. Clausa fides miseris.

Seneca in Hercule Oeteo:

,, Non rata fides ubi iam melior
,, Fortuna ruit.

Sillius Italicus lib. 11. belli Punici secundi:

,, Stat nulla diu mortalibus usquam
,, Fortuna titubante fides.

Omitto elegantissimos uersus, qui apud Ouid. in lib. de Ponto & Tristibus hac de re habentur, &c. Arist. lib. moralium Eudemiorum 7. dicit: χρόνον δεικνύναι τὸν φιλόμενον, hoc est, tempus indicare, quis uerè amet. Diximus de amicis hominum, de amicis Dei ueris etiam quædam sunt addenda. Hæc est uera nota amicorum Dei, ut non tantum secundis rebus Euangelium profiteantur, sed etiam aduersis, quando Ecclesia uarijs persequutionibus exercetur. Christus uerus noster amicus censeri debet, qui se patri suo cœlesti piacularem hostiam obtulit, ad expianda nostra peccata, ut nos cœlo restitueret.

18 Homo deficiens corde, percutit manum, spondens sponsionem coram amico suo.

Sponsionũ pericula. Non docet nos ab omni sponsionis genere abstinere (sæpe enim sponsionibus amicis succurri potest, absq; nostro damno) sed ne temerè pro aliquo fideiubeamus. Sępe fit, ut sponsione proximum non liberes, interim teipsum in certissimum facultatum discrimen conijcias. Ne putes fideiussionem rem esse nullius momenti: quàm periculosa sit, multi magno suo malo didicerunt. *Coram amico suo.)* Potest etiam uerti, *ante amicum suum*, ut sit sensus, homo imprudens fideiubet antequàm socius fideiubeat, cuius erat hoc facere.

19 Diligit iniquitatem, qui diligit rixam, & qui exaltat ostium *uel os* suum, quærit contritionem.

Contentio radix est multorum peccatorũ. Hæc sententia de duobus magnis uitijs pronunciat. Primùm de contentione: deinde de illa superbia, quæ partim in uerbis, partim in sumptuosis ædificijs consistit. Qui contentionem amat, amat transgresionem. Contentio enim mater est transgresionis. Ex contentione tanquam ex fonte perenni, multa & magna mala scaturiunt, odium, inuidia, cædes, bella. Hæc uitia qui seriò detestatur, fontem tantorum malorum obstruit. Vide cap. 10. uersu 11. Cauendum autem est, ne illos statim qui asserendæ ueritatis studio tenentur, contentiosos dicamus. Non enim omnis concordia & pax Deo probatur.

Exaltare os. פתח pethach significat apertionem. Micheæ 7. ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi פתחי pithechei, aperturas oris tui. Significat etiam ostium. Exaltare os dicitur, qui se iactãdo, alios contemnit, quiq; contra homines ipsumq; Deum loquitur. Græci dicunt, μεγάλα λέγειν, τραγικῶς λέγειν: sic μέγα φρονεῖν, μέγα πνέειν, pro insolentem atq; elatum esse. Isaiæ 14. de rege Babylonis legitur, quòd thronum sibi inter stellas collocare uoluerit, seq; Deo æquare. Ezech. 28. de rege Tyri, quod cum à Deo ingentia beneficia obtinuisset, ausus fuerit se Deum facere, ideoq; ceciderit. Patres ad casum diaboli referunt. Pontifex Romanus se Christi uicariũ appellat: se potestatem habere dicit remittendi peccata quibuscunq; uoluerit: sacerdotes qui ab ipso potestatem acceperint, quinq; uerbis Christum de cœlis cogere in panem: prophetis, Apostolis, regibus, concilijs, quin & angelis, se per arrogantiam anteponit. Daniel quoque 7. cap. tribuit Antichristo os loquens grandia. Quærit igitur malum, licet præter intẽtionem suam, quoniam quærit illa quibus hæc annexa sunt.

Superbi exosi Deo & hominibus. Antiquitas finxit Nemesim deam iactantiæ ultricem. Deo & hominibus, magniloquentia & iactantia est intolerabilis. Deo, qui uult ut si quid accidit boni, ipsi referamus acceptũ: hominibus, qui nulla re citius saturantur quàm audiendis alienis laudibus. Admonet igitur

tur hæc sententia, temperãdum esse ab huiusmodi grandiloquentia. De qua re ethnici etiam grauiter præceperunt. Vide Prouerb. Ne magna loquaris.

Possumus etiam ita interpretari, *Qui exaltat ostium suum*, ut pars pro toto ponatur: hoc est, qui sumptuosè ædificat suas ædes. Vt in rebus omnibus, ita in ædificijs quoq; modus seruandus est. Finis domorum est, commoda habitatio. Vetusti patres qui tot seculis uixerunt, sub tentorijs degebant, nimirum ut testarentur, se hîc locum manentem nõ habere, sed futurum inquirere. Veteres Romani, & nobiles quoq;, humiles casas incoluerunt. Romulus quantũuis Romam condidisset, tamen in parua domo habitauit. Claud. lib. 1. in Ruff. inquit: *Aedificia splendida.*

Et casa pugnaces Curios angusta tenebat.

Qui autem magnis sumptibus ædes ædificant & exornant, contritionem quærunt, hoc est, prodigunt suas opes, & ad paupertatem rediguntur. Accedit ad hæc, quòd mortis metum augent, ægrè enim ex palatijs illis diuellũtur. Quod si homines cum iniuria aliorum sumptuosa ædificia construant, eorumq; contritionem quærant, quid nisi suam quoq; contritionem expectabunt? Grauissimè contra tales scriptura loquitur. Ierem. 22, Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, &c. Amos 3. cap. Percutiam domũ hyemalem cum æstiua, & peribunt eburneæ domus, & dissipabũtur ædes multæ. Amoz 5. & 6. ca. Detestor ego superbiã Iacob, & domos eius odi. Abac. 2, Lapis de pariete clamabit, &c. Domus eorum transibunt ad alios. Ier. 6. Ezech. 7. Sophon. 1. Cogita tu cui amplissima domus non sufficit, quàm exiguo sepulchro inferendus sis. Cogita Christũ nec unam habuisse domũ cum nasceretur, & postea quoq; alieno sepulchro illatũ fuisse. Cogita quot sancti in cauernis & speluncis uitã trãsegerint. Heb. 11.

Quòd de priuatis ædificijs dicitur, ad publica etiam potest accommodari, ut sunt mœnia, turres, ualla, fossæ, portæ, pontes, fontes, & alia id genus, quæ uel ad necessitatẽ & munitionem, uel ad ornatum instituuntur. Non inanes sumptus faciendi sunt, fraudatis uiuis lapidibus, ex quibus magni regis ciuitas extruitur. Præstat item pecunias in alios usus conseruare, ne difficilibus temporibus, puta belli, famis, &c. Respub. detrimentum accipiat. Nabuchodonozor gloriabatur de Babylone à se ædificata, sed non impunè tulit, Dan. 4. cap. Babylonicæ turris architectis quid acciderit notum est ex Gen. 10. & 11. cap. Posset etiam de ineptis ædificijs intelligi, Qui ædes exaltat, sed fundamenta non locat, facit ut tandem corruant. Quę sententia postea ad alia quoq; potest transferri.

20 **Cor peruersum,** *uel corde peruersus,* **non reperit bonum.**

Qui malo corde præditus est, omnia dicta & facta calumniatur. Deinde non inuenit bonum, id est, pacem & gratiam. Quia Caligula coopertus erat omnibus sceleribus, nullum hominem castum reperiri credebat. Impijs rectissima Dei iudicia, peruersa esse uidentur. Aduersarij Christi omnibus dictis & factis Christi offendebantur.

Et qui peruersus est in lingua sua, cadet in malum.) Vsus linguæ est celebrare Deum, prodesse proximo, & mentis cogitationes depromere. Peruersam nunc habet, qui ab hoc fine deflectentes, ociosa dicunt, alijs detrectant, (uariè enim peccatur lingua) mentiuntur, falsa docent, blasphemant, &c. hi incident in malum, ut loquuntur, pœnæ & culpæ.

21 **Qui generat stultum, ad mœrorem suum** *gignit eum,* **nec gaudebit pater stultus.**

Si per stultum, hominem parum mentis compotem intelligas, patris est mœror: nam ad omnes res ineptus est. Dolorem affert patri, si filium habeat gibbosum, claudicantem, cuius tamen usus esse potest: an' non igitur ineptus ad res omnes, molestiam affert? Si intelligas stultos illos qui opes suas prodigunt, amicos bonos odio prosequuntur, adulatores colunt, certè magnum parentibus dolorem conciliant. Si intelligas prudentes quidem iuxta seculum, sed stultos in rebus spiritualibus (quales multi sunt) pios parentes magna molestia afficiunt. Quid enim ab illis filijs expectabunt? quid de ipsis futurum esse cogitabunt? An'non magnos dolores eis afferret, cum uident se non Deo, sed diabolo liberos genuisse? Hanc ob causam Dauid Absalomum uehementissimè lamentatus est. Si pater in eis instituendis magnam curam adhibens, nullis sumptibus parcens, tandem uidet, oleum & operam perijsse, suam certè uicem deplorat. Sin uerò sua culpa tales esse uidet quia eos non modò non instituit, uel instituẽdos curauit, sed dictis & factis perdidit, & rationem Deo reddendam esse seriò cogitat, quantos quæso dolores sentiet? Si iam non sentiat, sentiet tamen aliquando. Deus non ideo nobis liberos dat, ut nullam eorum curam geramus: sed ut nihil in eis instituendis omittamus, quò Ecclesiæ & Reipublicæ aliquando sint ornamento. Addit, *Nec patrem stultum gaudere.* Parentes enim quantumuis stulti, cuperent liberos suos bonos & prudentes euadere. Vel, parens stultus qui Deum ignorat & sibi similem *Stultus.*

filium optat, non lætabitur, ſed tandem ſuo malo experietur, qualem filium habeat. Si legas, *Nec pater ſtulti gaudebit*, eandem rem per cōtrarium affert, ad oſtendendam magnitudinem doloris. Poteſt hæc ſentētia allegoricè etiam de ſpiritualibus parentibus & filijs exponi. Paulus de Corinthijs ſcribit, In Chriſto Ieſu per Euangelium uos genui. Timotheū filium ſuum germanum uocat in fide, &c.

Allegoria.

Cor lætum prodeſt corpori inſtar medicinæ.

22 **Cor lætum benefacit (*ut*) medicina.**

Lætus & alacris animus, eſt inſtar medicinæ. Sæpe enim in hoc libro ſubauditur Caph ſimilitudinis: quemadmodum medicina corpus ſanat & uegetius reddit, ita etiam mens hilaris prodeſt corpori. Plautus in Rudente:

„ Animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum.

Vel legi poteſt, *Cor lætum bonam faciet medicinam.* Homini enim ægroto, ſi læto fuerit corde, plus prodeſt medicina, q̄ ſi triſtitia & mœrore afficiatur. Ex melancholia morbi graues oriuntur.

Medicina.

Medicina donum Dei eſt, & ob id non reijcienda. Eccleſ.38.cap. Affice medicum honore ſuo, propter neceſſitatē. Dominus enim eius author eſt. Nam medicina manat ab altiſſimo. Mox, Altiſſimus medicamēta de terra procreauit, nec abhorrebit illa ſapiens. Chriſtus Math. 9. dicit, Non opus eſt ualentibus medico, ſed malè habentibus. Quibus uerbis approbat medicinam. Medicinæ uſum fuiſſe apud Iudæos hinc apparet, quòd Exodi 21. dicitur de ſumptibus quos uulneratus fecit, reddendis ab illo qui ei uulnus inflixit. Lucas ſcribitur fuiſſe medicus, Coloſſ.4. Magnum eſt bonum quod Deus Rebuſpublicis concedit, ſi bonos medicos & Chirurgos habeant. Ezechias iuſſu prophetæ, medicina uſus eſt, 2. Regum 20. cap. Cauendum igitur ne eam reijciamus, ut quidam qui dicunt, Deus ſolus medicus meus eſt, nullam aliorum medicorum uel pharmacopolæ mentionem faciatis. Rectè faciunt quòd ſpem ſuam in Deo collocant, quòd autem cauſas ſecundas, per quas Deus operari uult, reijciunt, probari nō debet. Deus uim medicam herbis, radicibus, lapidibus & alijs rebus indidit, quibus cum gratiarum actione utendum eſt. Qui uerò nulla medicina utuntur, uel nō tempeſtiuè, uel nō eo modo quo debebant, perdunt ſeipſos. Ex altera parte peccant, qui nimium medicinæ tribuunt, ut in morbis non ad Deum, ſed tantum ad medicos cōfugiant. Hoc nomine reprehenditur Aſa, 2. Para.16. cap. qui non Deum, ſed medicos quæſiuit. Nullas autem uires habet medicina, niſi Deus ſua adſit gratia: ipſe ſanat nos. Exemplum habes de hæmarhouſa Matth.12. cap. Caueant autem ſibi homines ab artis imperitis, empiricis, uetulis, Iudæis: maximè uerò ab incantatoribus & magis. Reſpondent multi, ægrotus quærit ſanitatem. Multi experti ſunt hæc & illa, effectu non caruiſſe. Sed ponamus homines uerè ſic ſanari, non tamen hoc modo procurare ſanitatem licet, Prohibetur hoc legibus diuinis & pontificijs: ut in Decretis, Cauſa 26. Medici quoq;, ſuum officium faciant. Munſt. uertit, *Cor lætum bonam facit ualetudinem.* גהה gehah ſanitatem ſignificat uel medicinam, גהה gahah ſanare, mederi. Alij interpretantur ſplendorem uel ſpeciem, à radice נגה nagah.

Triſtitia homines conficit.

Spiritus conſternatus exſiccat oſſa.) Id eſt, totum corpus & etiam ipſa oſſa. Triſtitia uires eneruat. Eccl.30, Mœſtitia in mortem exit, animiq; triſtitia uires debilitat. Ita alij affectus, auaritia, ambitio, ira, odium. In primis uerò peccatorum recordatio, nos exagitat. Ne igitur dedas animū tuum triſtitiæ: ſed abige eam conſolationibus ex uerbo Dei depromptis. Sunt autem multa dicta & exempla ueteris & noui Teſtamenti, quæ nos in omni caſu conſolantur, ut ſi deceſſerunt nobis parentes, amici, ſi peccata nos cruciant, &c.

Ariſtoteles in libello ſuo de longitudine & breuitate uitę, dicit, in calore natiuo conſiſtere uitam: illo extincto frigus, ex frigore mortem oriri. Cauſas autem exſiccantes hunc calorem, oſtendit labores: per quos non tantum corporis fatigationes, ſed etiam mentis intelligit, ut eſt metus, triſtitia, &c. Deinde multitudinem excrementorum, ſiue ſanguinis, ſiue ſeminis. Quandoquidē igitur triſtitia calorem pellit, morbos cōciliat & mortē accelerat. Euripides:

„ λυπαὶ γὰρ (inquit) ἀνθρώποισι τίκτουσιν νόσους. Id eſt,
„ Mœrores morbos pariunt hominibus. Menander:
„ πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσι ἀνθρώπων κακῶν
„ ὄντων, μέγιστον ἐστὶν ἡ λύπη κακῶν. Id eſt,
„ Cùm natura cunctis hominibus mala multa
„ Hæreant: maximum eſt triſtitia malum.

Lege Stobæum Sermone 97. Ouid. lib. 1. de Ponto:

„ Iam mihi deterior canis aſpergitur ætas:
„ Iamq; meos uultus ruga ſenilis arat, &c.
„ Confiteor facere hoc annos, ſed & altera cauſa eſt:
„ Anxietas animi, continuusq; labor, &c. Vide cap.12. uer.25.

23 Munus

23 Munus è ſinu accipit impius,ut inclinet ſemitas iudicij.

Suprà dixit de incredibili ui munerum: nunc qui uel quales ſint tam illi qui munera accipiunt,quàm illi qui largiuntur, oſtendit : de utriſq; enim hæc ſententia commodè intelligi poteſt. Iudex qui accepto munere magno uel paruo, non pronunciat ex legibus, ſecundum æquum & bonum,ut ſuum cuiq; cedat,quiq; religionem opprimit,impius eſt.Cic.dicit in 4. Verrina:Omnium rerum turpiſsimum,maximeq; nefarium eſt,ob rem iudicatam pecuniam accipere,precio habere addictam fidem & religionē. Concionator quoq; qui opulēta ſacerdotia accipit, & ſemitas iudicij peruertit, falſam doctrinā uerā eſſe dicēs:impius iudicari debet.Ita alij qui accepta pecunia è ſinu,id eſt,clàm,nō rectè de rebus iudicant,ſed multa etiam contra communem ſenſum probāt,tenebras lucem,lucem tenebras dicūt,ſunt impij.Quot ſunt qui fatentur errores in Papatu eſſe,quos tamen propter munera retinent & defendunt? *Qui dant & qui accipiunt munera, reprehēduntur.*

Poteſt etiam hic ſenſus eſſe, *Impius accipit munus è ſinu,* Et dat iudici uel alijs,ut eos corrūpat. Aliàs nihil conferret, & ſi alij conferrent,ei inuideret,tamē nunc promittit uel dat,ut cauſam uincat.Nihil dandum eſt iudici, ne cauſa bona cadamus, multò minus dandum, ut malum uincamus.Paulus Felici præſidi nihil dedit, ut liberaretur è uinculis, quamuis ille ſperaret, Act. 24. Peccant item qui ut gradum aliquem in Rep. conſequātur,muneribus alios corrumpunt.Qui ita affecti ſunt,non publicæ,ſed priuatæ utilitati ſtudebunt,uendent ſuffragia & omnia habebunt uenalia.Magis autem reprehendendi ſunt,qui ut honeſtum aliquem locum in Eccleſia ſibi comparent, muneribus agunt.Simoniam hoc uitium,ueteres appellant. *Simonia.*

24 Facies intelligentis ſapientia,& oculi ſtultorum in extremo terræ.

Sacram ſcripturam quidam metallo ſimilem dicunt. Quemadmodum enim bonum metallum exhauriri non poteſt:ita ſacræ literæ fructu ita abundant, ut ſi omnium hominum ingenia in illis eruendis laborent, nunquam tamen eorum labor irritus & inanis eſſe poſsit. Paucis ſæpe multa myſteria continet.Vnius ſæpe ſententiæ,tres uel quatuor ſenſus eſſe poſſunt,qui omnes utilem doctrinam continent. Talis fuit ſuperior ſententia de muneribus,& hæc præſens, & multæ aliæ. Senſus eſt,interiorem ſapientiam mentis,relucere in uultu ſapientis:grauitatem enim præ ſe ferunt,Eccleſ.19.Ita ferè fit: fallit tamen interdum,nam multi de facie boni uidentur, cum mali ſint, & uiciſsim mali cum boni ſint.Quanquam non loquatur de uultu tantum quoad os, nares,cilia,ſed quoad actiones,ſtudia, &c. *Stultorum autem oculi,ſunt in extremo terræ.*) Hoc eſt, oculos habent uagos & inſtabiles : oculos nunc huc,nunc illuc torquent.Oculos cuſtodire docet ſcriptura.Iob dicit,ſe pepigiſſe fœdus cum oculis ſuis, ne illa inſpiciant,quæ nefas ſit inſpicere.Hecuba apud Euripidem dicit: *Sacrarum literarum fœcunditas.* *Oculi.*

αἴτιόν τι καὶ νόμος, "

γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον. "

Rebecca cum occurreret Iſaaco, faciem contexit. Dina uerò Iacobi filia,cum oculos non cuſtodiuiſſet,uitiata fuit.Decet iuniores,demittere uultum ſi incidant in graues uiros.Maximè autem in templo non huc & illuc oculi torquendi ſunt.Vel ſenſus eſt,homo intelligens habet ob oculos ſapientiam, uerbum Dei, atque adeò ipſum Chriſtum, qui eſt uera ſapientia: ſtulti uerò terrena ſpectant. Vel,ſapiens in promptu habet ſapientiam,ſtulto autem huc & illuc reſpiciendum eſt.Poteſt etiam hic ſenſus aſsignari, In conſpectu, uel coram prudente ſapientia, hoc eſt, qui diſcere uult, ſemper habet unde diſcat, ſapientia ei expoſita eſt & in promptu : non neceſſe eſt ut procul eat eius aſſequendæ gratia, cum Pythagora ad uates Memphiticos, cum Platone in Ægyptum, cum Apollonio Thyanæo ad gymnoſophiſtas Indorum:quotidie in ea proficit. Stulti uerò quæ ante pedes ſunt conculcantes ac prætereuntes, ſapientiam longinquis & periculoſis itineribus perſequendam putant, trans maria currunt,maximos ſumptus faciunt,nihil tamen perficiunt: uitia exterorum diſcunt,non uirtutes.Non tamen improbamus illos,qui peregrinationes ſuſcipiunt,ut cum Vlyſſe Homerico multorum populorum mores & inſtituta cognoſcant, & artes addiſcant. Magni enim philoſophi diſcendi cauſa remotiſsimas gentes penetrarunt. De multis ſanctis idem legitur. Multis opificibus peregrinationes ſuſceptæ non parum profuerunt. Stulti uerò orbem terrarum fruſtra luſtrabunt.Socrates cuidam querenti,quòd peregrinationes ſibi nihil profuiſſent,Non immeritò, reſpondit, tibi iſtud euenit:tecum enim peregrinabaris. Sapientes ut peccatorum ueniam conſequantur,nō emetiuntur longa itinera.Stulti uerò Romam,Compoſtellam, Hieroſolyma & alia loca longinqua petunt: redeunt autem peiores,exhauriunt loculos,& uxorum pudicitiam in diſcrimen conijciunt. *Peregrinationes.* *Votiuæ peregrinationes.*

25 Mœſtitia eſt patri ſuo filius ſtultus, & amaritudo matri ſuæ.

בעס Kaas, actiuè accipitur pro prouocatione uel irritatione: & paſsiuè, pro dolore, per-

turbatione,ira & indignatione. Hæc eadem sententia suprà posita fuit,nisi quòd nunc matris quoq; meminit. Ideo aūt repetitur,ut parētes discant,nihil omittere in instituēda iuuentute. Matres sæpe filios corrūpūt sua indulgētia:iusto igitur Dei iudicio fit, ut postea pœnas dent.

26 Etiam condemnare iustum,non est bonum.

ענש Anasch significat affligere,mulctare,& intelligitur de pœna pecuniæ & corporis. גם gam,quidam interpretantur hoc loco,profectò. Iusti uiri colendi sunt, nam ornamento sunt oppidis. Sæpe propter paucos bonos,Deus multis parcit,aut pœnas mitigat:principes defendere eos debēt,& si deiecti sint suis possessionibus,in integrum restituere. Sin uerò mulctentur,uel supplicio afficiantur,bonum non est,id est,pessimum est. Liptote hæc figura à Grammaticis appellatur,cū minus dicimus,& plus intelligimus:ut apud Vergiliū lib.1. Georgicôn: *Liptote.*

„ Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ:

Id est,maxima & præcipua. Sed & Hebræi,quando uolunt explicare superlatiuum,dicūt per negationem. Suppliciorum genera sunt uaria: est mulctatio in fortunis, exilium, captiuitas, amputatio membrorum,ipsa deniq; mors,quæ non uno modo infertur. His supplicijs nefarij homines,non pij & innocentes afficiendi sunt. Si uerò pij, uel à priuatis hominibus uel à magistratibus affligantur,Deus inultum non sinit. Testatur enim se oppressorum esse uindicem. Maius nunc est,si propter ueram religionem homines indignis modis tractentur, quod hodie uulgare est, & ut pius zelus à multis laudatur. Si quis habeat sacra Biblia, carnes diebus à Papa uetitis comedat,de idolis non reuerenter loquatur,sacrificulorum turpem uitam improbet,abusus crassissimos reprehendat, & salutem soli Christo acceptam referat, statim hæreticus esse accusatur,& ignominijs,uinculis,exilijs,uirgis,morte tandem mulctatur. Parcitur interim ebrijs,adulteris,homicidis. At Deus quotidie declarat,quàm hoc sibi displiceat: manifestissimè autem extremo die declarabit. Zach.2.cap.inquit, Qui uos tetigerit,tangit pupillam oculi mei. Isa. 63. de populo Israelitico scribitur, In omni afflictione eorū ipse afflictus est. Omnibus seculis in persequutores horrenda exempla edita sunt.

Et percutere principes ob rectitudinem.) Scilicet,pessimum est. Radix est נכה nachah,uerberare, pulsare,afficere plagis,occidere,in hiphil frequentiss. est in usu,ac latæ significationis. Si principes qui bonas leges defendunt & rectè iudicāt, à subditis indignè tractentur, magnum est peccatum. Deus enim subditis præscribit,quomodo se gerant erga magistratus suos: uult ut honorificè de ipsis sentiant,eis obediant,tributa,uectigalia & alia persoluant, pro eis orent, eosq; defendant. 2. Sam. 21. cap. scribitur de Dauide,quòd in bello Palestino pugnantem cum gigante, Abisai protexerit, Israelitæ decretum fecerint, ne amplius descenderet in prælium, quo eius prudentia & consilijs diutius fruerentur. Et quemadmodum caput obiectu brachij defendimus:ita capita,hoc est,principes nostros defendere debemus. Oppositum nunc facere,grande scelus est. Paulus enim dicit,illos qui magistratui resistunt, Dei ordinationi resistere:ideoq; à Deo puniri. Eurip. quoq; dicit in Electra: *Subditorū officium erga Magistratus.* *Seditiosi puniuntur à Deo.*

„ ὅτι βασιλέα φαῦλον κτανεῖν.

Hoc est, Non res leuis est regem interficere. Exempla habemus in Absolomo, in illis qui Godoliam interfecerūt, Ierem. 41. & in bello Seruili quod nostra ætate in Germania gestum est. Etiam contra malos principes non insurgendum est. Petrus enim seruos, etiam δυσκόλοις dominis iubet parēre. Si officium suum non faciant, Deo rationem reddent. Quidam ita uidentur accipere,si principes aliquem feriant propter iustitiam, grauiter peccant: putant enim se excipi à communibus illis legibus. Si de proceribus Ecclesiæ loquamur,etiam nō percutiendi sunt,si officio suo ritè fungātur. Malè enim hoc cecidit Core, Dathan & Abiram, Num. 16. Multa hac de re leguntur in epistolis Ignatij. Sin autem officium non faciant,deponendi sunt à magistratibus. Queruntur hodie pontifices quòd eos oppugnemus, sed causa in promptu est,quia petunt fortunas,corpora & animas nostras: doctrinam puram abiecerunt,ideoq; nō magis audiendi sunt quàm Annas, Caiaphas, scribæ & pharisæi. Veterem Romanam Ecclesiam,quæ fuit Ecclesia Christi,nequaquam impugnamus.

27 Prohibens eloquia sua,nouit scientiam,preciosus spiritu est uir intelligentiæ.

Hæc sententia ostendit,sapientes non esse multiloquos, sciunt tempus esse loquendi, & tempus tacendi. Si loquendum sit loquuntur,si tacendum tacent. Potest enim nō minus silentio,quàm loquacitate peccari. Sæpe necessitas postulat ut loquamur: sæpius autē loquendo quàm tacendo peccatur. Vox enim emissa non potest reuocari. Hom. ἔπεα πτερόεντα uocat, quòd euolent atq; reuolare nesciant, Metaph. sumpta à uolucribus. Horat. *Lingua frenanda.*

„ Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum.

Ecclesia-

Ecclesiastici cap.26. duabus similitudinibus docemur, frenare linguam. Maximè autem illi qui inter scyphos se multa non dicenda loqui norūt, os frenare debent, & sibi à nimio uino temperare. Preciosus spiritu Hebraica phrasi is dicitur, qui rarò mentem suam declarat uerbis: qui non temerè effundit spiritum suum. Germani dicunt, Den athem sparen. יקר iakar preciosum dicitur quod rarum est, & non omnib. obuium. Grammatici annotant scribi per uaf, pro iod, quod legi posit ויקר uijakar: quidam deducunt à יקר iakar, quod est prohibere, *Prohibens spiritum uir intelligentiæ.* קר kar etiam frigidum significat: hinc quidam reddunt, *frigidus spiritu*, hoc est, qui sibi ab ira temperat. Vel, remissus, non temerarius. *Preciosus spiritu.*

28 Etiam stultus cum tacet, sapiens reputatur, & qui obdurat labia sua intelligens.

Cum oratio speculum sit animi, statim stultus oratione declarat qualis sit. Silentio igitur tegitur stulticia. Silentium ubi loquendi tempus non est, prudentiæ signum est: loquacitas stulticiæ. Iob 13, Vtinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Idem bis dicit, quanquam posterioris membri hic sensus esse posit: Stultum, si tacet, sapientem uideri. Sapientes enim labia sua compescere: ut ad sapientem, non stultum referatur.

CAPVT XIII.

SEcundum concupiscentiam (*uel desiderium*) quærit separatus, in omni essentia *uel re* miscebit se.



HAEC sententia difficilis est intellectu: ego simpliciter sequor uersionem antiquam, & septuaginta interpretum, qui hunc sensum reddunt: Qui animū habet abalienatum ab aliquo, pro libidine quærit occasionem ab eo recedendi, & in quauis re eam inuenit. Thuschia interpretantur, ut aliàs annotauimus, opus bonum, rem, subsistentiam, successum, sapientiam, religionem. גלע gala in hithpael tantum reperitur, & significat misceri uel miscere se, inuoluere & implicare. Taxantur iuxta hanc sententiam, illi qui absq; iustis causis, amicitiā dissoluunt. Sæpe experimur, amicos nostros, qui aliquas ob causas alieniore in nos sunt animo, multas fingere causas, ob quas apertè à nobis discedant. Hoc etiam in rebus maioribus locum habet. Sunt qui à uera religione abhorrent: illi causas afferunt multas: obijciunt nobis discordiam ministrorum ecclesiæ, uitā dissolutā: ideo dicunt se Euangelium auersari, quòd diuortia usitata sint apud Euangelicos: alij alia fingunt. Anabaptistæ cum à cœtibus sacris refugiunt, suos habent prætextus, ne temere hoc facere uideātur, dicūt concionatores non exprimere uita sua id quod docent, accipere stipendia, disciplinam nullam esse, &c. Pharisæi & scribæ abalienato animo erāt erga Christum, ideo omnia tam dicta quàm facta eius, calumniabantur. Potest & hic sensus ab hoc non multum diuersus, annotari: illi qui se animo ab alijs separant, affectum suum sequuti, *Qui cupidè dissociari studet, quauis ratione utitur.*

Οἷς αἰεὶ ἔρις τε φίλη πόλεμοί τε μάχαι τε,

Propter omnes res, etiam solidissimas, se immiscebunt. s. litibus, sine fine rixabuntur. Vt hac sententia taxentur homines φιλονικεῖς & ἐριστικοί, qui facilè quauis de causa mouent certamina. Sic Græci de nocendi cupidis prouerbium habent, προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία, hoc est, occasione duntaxat opus est improbitati. Vulgus dicit, Facilè baculum inueniet, qui cupit cedere canem. Capite 20. dicet, gloria est uiro quiescere à lite, & omnis stultus יתגלע ijthgalla, id est, miscebit se. s. litibus. Caietanus hunc sensum affert, quòd qui à communi uiuendi ratione abhorrent, subinde quærunt suis moribus congruentes. Alij hunc sensum afferunt, *Secundum desiderium suum quæret*, Scilicet sapientiam, *Qui se diuidit*, Scilicet ab alijs: *Et in omni sapientia*, Id est, cum omnibus sapientibus *Se miscebit*. Vt sit mutatio speciei, sapientia pro sapiente accipiatur. Quidam in malam etiam partem accipiunt. Rabbinorum aliquot interpretationes Santes collegit in suo Lexico, in themate פרד parad. *Contentiosi vndecunq; rixandi occasiones uenantur.*

2 Non complacebit sibi stultus in intelligentia, sed cum manifestatur cor eius.

Ad uerbum est, *In patefacere cor eius*: est enim infin. coniugat. hithpael, à גלה galah. Stultus non acquiescit doctrinæ salubri, nec ea delectatur: nihil placet ei quod ipse corde suo non uolutarit, aut quod ipsius affectibus non consentiat. Sua autem qualiacunque sint, ei mirificè probantur. Pestilens est hoc φιλαυτίας malum, & omnibus insitum. Nemo ferè tam modestus & cautus existit, quin in suis rebus cæcutiat. Eò usq; autem procedit, ut & uirtutes alienas calumniemur, & nostris blandiamur uitijs, eaque uirtutum nomine done- *Philautia.*

mus. Sed scriptura stultos illos esse dicit, quibus illa tantum placent, quę secum in animo uoluerunt. Inuenias Theologos, qui non nisi per omnia secum sentientes, ferre queunt: Politicos uiros, qui consilia quantumuis utilia & salutaria, ab alijs data respuunt. Quot sunt qui flagitia sua mordicus defendunt? Dicant omnes Theologi quicquid uelint, inquiunt, tamen nemo mihi persuadebit, hoc uel illud, peccatum esse. Idem dici potest de religione: simulachra, cereos & alia tuentur, si proferas sacras literas, morem ueterum, nihil effeceris: his rebus Deum coli sibi persuaserunt. Non exigentes eas ad scripturæ regulam, sed ad suos affectus. Quod uolunt, sanctum est.

3 Quando uenit impius, uenit etiam contemptus, & cum ignominia, opprobrium.

Vetus uersio habet, *Impius cùm in profundum uenerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Bona est sentētia de obstinatione mentis, sed Hebraica ueritas aliter habet. *Impij omnia contemnunt.* Ostendit impios homines, Deum & res diuinas, ueluti scripturas, promissiones, minas, homines item, qui sibi similes non sunt, contemnere, licet à Deo magnis donis sint ornati. *Cum ignominia*, id est, ignominioso per Meton. *uenit probrum & contumelia.* Tales homines probro afficiunt Deum uerbis & factis. Sic de Pharaone, Senacheribo, Antiocho & alijs legitur. Multi hodie authoritatem sacrarum literarū prorsus eleuant. Alij eas imperfectas esse asserunt: Euangelium hæresim appellāt. Blasphemiarum nullus modus est neq; finis. Neq; hîc excusantur, qui Euangelici uocari gaudent, interim uerò turpi uita ab Epicureis nihil differunt. Deinde in homines quoq; contumeliosi sunt: illos qui Euangelium amplectuntur, plurimis & grauissimis contumelijs uexant: gaudent si famam aliorum lædant, multa quæ sepulta erant, reuocant, & ne mortuis quidem parcunt. Factis item in alios contumeliā edunt, uxores & uirgines eorum constuprantes, &c. Quid tandem fiet? In hac uita contumelia ipsi etiam afficientur. Deus enim disertè dicit, Qui glorificauerit me, hunc ego glorificabo, qui uerò me contumelia afficiet, hunc ego contumelia afficiam. Probra eorum omnibus fiunt manifesta, carnificibus sæpenumero iugulum præbere iusto iudicio coguntur. In altera uita, si non agant pœnitentiam, æterna ignominia afficiuntur, & in nouissimo iudicio ignominia eorum publica erit. Quod de priuatis hominibus dicitur, ad gentes & populos extendēdum est, quos Deus per famem, & gladium & alias calamitates uastat. Exemplum habes in Iudæis. Castalio reddit, *Vbi adest impietas, ibi est contemptus, & despicationis comes est ignominia.*

4 Aquæ profundæ uerba oris uiri, torrens redundans uena sapientiæ.

Sermo sapientum, aquis profundis & redundantibus comparatur. Quemadmodum usus aquarum stagnantium & fluentium, magnus est & necessarius hominibus: ita uiri sapientis, & eloquentis. Si hanc sentētiam ad uerbum Dei, ueram sapientiam, & Christum seruatorem nostrum referamus, res erit manifesta.

5 Accipere personam impij, non est bonum, ad peruertendum (*uel declinare faciendum*) iustum in iudicio.

Repetitur hæc sententia cap. 24. uer. 23.

Persona. Persona accipitur pro qualitate, qua alius ab alio differimus: in animo, ut cui studio incumbat, an luxuriosus sit an temperans: corpore, ut, iuuenis ne sit an senex, pulcher an deformis: in extra positis, ut diues an pauper, clarus an obscurus, prolem habēs, an orbus. *Respicere personam.* Accipere nūc uel respicere personas, est attendere ad cōditionem personæ, nihil facientē ad illud negociū. Iudex in iudicio, ipsas res uel causas quales sunt expendere debet, non conditionē personæ. Exempli gratia: Venit in iudiciū diues & pauper: hic bonā habet causam, ille malā: nō igitur iudicandū est pro diuite, & uicissim. Si nunc iustus in iudicio, cadat causa: & iniustus qui muneribus iudicem corrupit, uel formidabilis est, causam uincat, maximū hoc peccatū est. Iudicium enim non hominum est, sed Dei, qui personam nō suscipit. 2. Paralip. 19. Iosaphat hac de re cum iudicibus quos cōstituerat, seriò agit. Multa hinc inde in scripturis leguntur, cum contra alia uitia iudicum, tum cōtra acceptionem personarum. Leuit. 19. Deut. 1. & 16. Psalmo 82.

Est etiā alia quædā personarū acceptio, quæ extra iudiciū consideratur. De qua D. Iacobus 2. ca. suę epistolę loquitur. Si, inquit, ingressus fuerit in cœtū uestrū, uir aureos annulos gestās, ueste indutus splendida: ingressus aūt fuerit & pauper in sordida ueste, & respexeritis in eū, q̄ uestē fert splendidā, dicitis ei, Tu sede hîc honestè: pauperi dicitis, tu sta illic, aut sede hîc subter scabellū meū, & non dijudicati estis in uobisipsis, & facti estis iudices cogitationū malarū. Audite fratres mei dilecti, Nō'ne Deus elegit pauperes huius mūdi, diuites in fide, & hęredes regni, q̄d ꝓmisit his à q̄b. dilectus fuerit? Vos aūt cōtemptui habuistis pauperē, &c. Vitiosa est illa ꝑsonarū acceptio, q̄n solo respectu diuitiarū, malos honore ꝓsequmur, cū iniuria bonorū.

6 Labia

6 Labia stulti ueniunt cum rixa.

D. Iacobus Apostolus cap. 3. suæ epistolæ, linguam clauo nauis similem facit, qui cùm sit instrumentum perexiguum, tamen totam molem nauis aut seruat, aut euertit: sic lingua licet membrum corporis paruum sit, tamen hominibus magnam utilitatem, & uicissim perniciem adfert. Ideo sæpe de lingua in hoc libro differitur. Si per stultum fatuum intelligas, res manifesta est. Nam quia loquitur quicquid in buccam uenerit, fieri non potest, quin contentiones oriantur. Deinde cedere nemini uult, non illa prudentia præditus est, ut cogitet hominibus natura iracundis, ebrijs & alijs, aliquid concedendum esse, occasionem itaq; dat rixis. Putat item honorificum esse, si res etiam non compertas affirmet, ideo ubicunq; fuerit, rixis materiam præbet. Si per stultum impium accipias, etiam illum in rebus politicis & Ecclesiasticis, litibus delectari certum est. Imitatur enim diabolum patrem suum, qui odijs & concertationibus impense delectatur. Homines inter se committit, sub specie iusticiæ rixatur, sæpe in foro cum alijs litigat, etiamsi probè norit se malam causam habere. In religione de omnibus capitibus fidei certamina mouet, non simpliciter in Christum credit & sanctè uiuit. Hinc fit ut nullus contentionum neq; modus neq; finis sit. *Stultus lingua sua contentiones mouet.*

Atque os eius uocabit ad pugnas.) Os impij alios contra se prouocat: sæpe enim malè tractatur ab alijs. Deinde alios etiam inter se committit. Interdum etiam seditiones & funesta bella concitat. Hæc quàm ad amussim quadrent in pontifices illos Roman. qui aliquot iam seculis maximorum in orbe dissidiorum fuerũt authores, optimè norunt, qui legerunt historias.

7 Os stulti contritio sibi.

מחתה Mechitah contritio uel terror, à חתת chathath, conterere, frangere, & refertur ad animum, frangi animo, consternari. Quoniam stulti ingenita quadam malignitate, contra Deum & homines quicquid libet loquuntur, in magno metu sint oportet, ne homines, quid dixerint, rescis cãt, & eos odio persequantur, uel lædant, ne magistratus eos compescant, neue Deus eos puniat.

Et labia eius, laqueus animæ eius.) Loquuntur multa, propter quæ non tantum partem facultatum suarum: sed etiam uitam, quin & animam perdunt, nisi agant pœnitentiam.

8 Verba susurronis sunt similia uulneribus, descẽdunt in penetralia uentris.

Similis ferè sententia ponitur cap. 26. uersu 22. Pestilentes sunt homines qui naturæ morbo, passim omnibus maledicunt: sed pestilentiores sunt, qui clancularijs delationibus, animos ad iram & odium inflammant. Nam grauiter uulnerant, cum illos quos deferunt, tum illos quibus deferunt. Et quemadmodum uulnus quod in penetralia uentris descẽdit, immedicabile est: ita uix illi possunt placari. Non enim uocatur ille, qui accusatus est, ut se purget ac defendat. Vulnus autẽ quod tegitur, non potest curari. Multi plus mali per calumnias, quàm per hostes acceperunt. Vel sensus est, Verba illa altissimè in animum descendere. נרגן nirgan susurro, delator, qui mala de alijs occultè dicit, mala intentione. Non enim existimandum est, omnes qui aliquid clàm de alijs dicunt, delatores aut susurrones esse. Nam si magistratus nos de aliquo testari iubeat, bona fide quę comperta habemus, dicere tenemur. Item si hunc in finem aliquid detegimus, ut coerceãtur scelerati, non sumus accusandi. Ioseph hoc nomine in scripturis laudatur, quòd detexit patri suo, fratrum desidiam & improbitatẽ. Delatores sunt illi, qui homines traducunt ex prauis affectibus, ut eos suum in odium adducãt, & ita se ulciscantur de eis, uel aliquid assequantur, quod metuunt ne alter assequatur, &c. In Repub. sæpe fit, ut improbi homines clancularijs delationibus, uiros integros inter se committant, ne religionem iunctis uiribus propagent. *Delator quis.*

Non autem unus modus est delationis: aliquando susurrones, id quod dictum uel factum est, in aliorum sinum effundunt: ubi illos qui peccarunt, potius monere debebant, si doleret eis peccatum illorum. Aliquando non simpliciter narrant, quæ dicta uel facta sunt, sed deprauant, quædam addunt, quædam detrahunt, prout suæ causæ uident prodesse. Aliquando narrant de aliquo, quæ nunquam uel per somnium cogitauit. Figuratum est genus delationis, quando simulant sibi dolere quòd quis hæc uel illa dixerit aut fecerit, dicunt se bono animo, sed inuitos & coactos hæc dicere, & partem tantum dicere, non uolunt ut illi quibus narrant, cuiquam reuelent. Quin confirmant nonnunquam interposito iuramento, rem sic habere, cum tamen ipsi confinxerint. Est aũt uitium ualde detestabile: homines enim coniunctissimos diuellit, atq; odia accendit erga illos, qui nihil tale sunt commeriti. Furtum odiosum est scelus: fures deprehensi graues dant pœnas, truncantur auribus, cæduntur uirgis, aguntur in patibulum, & in aere penduli, coruorum præda fiunt. At susurrones *Species delationis.* *Grauitas obtrectationis.*

grauius peccant, Eccles. 5. ca. Quis enim non mallet saccularium aliquem loculos sibi auferre, quàm susurronem bonam famam & amicitiam, quæ optima est possessio? Deinde opes sera & repagulis muniri possunt, at susurrones caueri non possunt. Adhæc opes semel amissę, possunt recuperari, at bonum nomen non item. Si de furto suspectus sis, fure deprehenso liberaris à suspicione: at si adultera dicaris, non item. Species quædam homicidij est, famam innocentis hominis lædere.

Cauendum est à delatione. Cauendum igitur est à tanto scelere. Si hactenus hoc morbo laborasti, pœnitentiam age. Deus enim detestatur susurrones: diabolus hinc nomen habet, quòd calumnietur hominum dicta & facta coram Deo. Ne igitur diabolo gratificeris: ne patulas istis hominibus aures præbeas, audi semper alteram partem, nec omnibus fidas. Pelopidas, cum fortis quidam miles apud ipsum deferretur, quòd ei conuiciatus esset: Equidem, aiebat, facta eius respicio, uerba autem non audiui. Quisque etiam ita se gerat, ut nemo facilè queat uel audeat eum calumniari. Socrates ille Cynicus, ut est apud Stobæum, cum audisset hominem improbum, Platonem maledictis proscindere, Desine, inquit: neq; enim tu malè de illo dicendo fidem merebere, neque is te laudando. Prouerbio dicitur, Frustra Herculi, scilicet calumniam struxeris. Præcipuè uerò principes cauere sibi à susurronibus debent. Vix enim ullus princeps tam est cautus, qui calumniatorum insidias euitare posit. Dauid ab adulatore Siba, in fraudem inductus fuit: de multis imperatoribus legitur, quòd cum nimium faciles se calumniatoribus præberent, multos fortitudine & sapientia præstantes uiros amiserint. Non autem satis est, ut principes sibi caueant ab hoc hominum genere, sed pœnas quoq; de eis sumere debent. Furtum punitur, sed multò est sceleratius impetere famam alterius, uita quoq; chariorem. Concionatores taxent ex uerbo Dei delatores. Parentes, liberos qui delationibus se insinuare uolunt, compescant, seruis & ancillis non concedant, quæ audiuerunt cum iniuria aliorum referre, &c.

Quod linguam attinet להם laham, significat blandiri, lenire, & uulnerare & uerberare: hinc quidam exponunt, *Verba susurratoris tanquam blandientia aut lenientia*, Id est, blanda aut lenia, aut nemo sit qui illa sentiat: uel, *tanquam uulnera, uel uerbera.*

9 *Etiam qui se remissum facit in opere suo, frater eius est qui dissipat.*

Socordia et negligētia, maximæ res dilabuntur. Frater, id est, similis est dissipanti, scilicet res suas. Sic somnum uocamus fratrem mortis. Hoc in re domestica manifestum est: non enim decoctores tantum, qui dilapidant rem familiarem: sed etiam negligentes, desides & remissi, qui accepti & expensi nullam curam habēt, ad extremam inopiam rediguntur.

Potest hæc sentētia rebus maiorib. aptari. In Repub. dissipant, qui bonas leges & religionē euertere conātur: illis nō multum dissimiles sunt cessatores illi, qui se malis nō strenuè opponunt. Nostri de huiuscemodi hominib. dicunt, Quòd nullum damnū dent, neq; auertant. Plus requiritur à uiris politicis, ut Respub. conseruari possint: nisi diligentes sint in officio, multiplices abusus irrepunt. Ecclesia etiam uastatur, non tantum à dissipatoribus, hoc est, falsis doctoribus: sed illis quoq;, qui officium suum negligenter obeunt. Dominus in Euangelio dicit, Qui non colligit, dissipat. Cessantibus & stertentibus episcopis, multi errores in ecclesiam inuecti sunt. Commendat nobis hæc sententia sedulitatem & laborem.

10 *Turris roboris est nomē Domini, huc enim currit iustus, & tutus est.*

Nomen Domini. Insignis hæc est sententia. Nomen Domini, non uno modo accipitur in scriptura: sæpe sumitur pro ipso Deo, quemadmodum etiam in hoc loco. Deus turris fortis est fidelium, confugientium ad se, hoc est, tutissimum & ualidissimum præsidium. מגדל migdal significat arcem uel turrim, à magnitudine sic appellatum. Curritur autem ad Deum, non pedibus corporis, sed animi. Dauid Psalmis 59. 60. & alibi, Deum subinde uocat clypeum, petram, munitionem, propugnaculum, arcem, refugium: quòd ad eum confugientes tuti sint, inq; eo suauissimè conquiescant. Etsi enim corpora eorum affligantur, uel etiam occidantur, certi tamē sunt de æterna uita, quam hostes eis eripere non possunt. Post diluuiū turrim ædificabant, in qua se sperabant tutos fore contra aquarum periculum: sed Deus quàm uani essent, linguarū confusione declarauit. Principes multū impendunt in aggeres & propugnacula: sed ante omnia curandum erat, ut Deum protectorem & defensorem haberēt. Deo. n. irato oēs turres, arces & propugnacula cōtra hostilē uim nihil prosunt. Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? In omnibus igitur afflictionibus, maximè si tentamur à satana, ad Deum tanquam in munitissimam arcem nos recipiamus. Sancti patres in omnibus ærumnis suis, per fidelem orationem ad Deum confugiebant. Non autem satis est ore duntaxat dicere, Deus est turris & confugium meum, sed reipsa declarandum est, nos spē nostrā in Deum collocasse. Cū fame laboramus

ramus non confugiendum ad artes inhonestas, cùm morbis premimur, non ad magos, incantatores, & nescio quos recurrendum est. Turris enim humanæ sapientiæ, & potentiæ, rebus afflictis & desperatis non seruat.

11 Substantia diuitis, est urbs fortitudinis eius, & est ueluti murus eleuatus in imaginatione sua.

Diximus de pijs qui spem suam in Deo ponunt: iam de impijs dicitur, qui in rebus incertis spem suam collocant. Distinguendum est inter diuites. Quidam opes habent tanquam non habeant, rectè parant, & rectè eis utuntur. Quidam uerò opibus suis confidunt: de his loquitur Solomon. Similitudine ostendit fiduciam eorum in opes. Confidunt opibus ac si in munitissima urbe essent, aut obiectu muri altissimi defenderentur. Plus fidunt suis opibus, quàm Deo, quin ex opibus suis Deum faciunt. Atqui hæc uana fiducia, grauissimum est peccatum contra primum præceptum primæ tabulæ, ubi Deus dicit: Ego sum Deus tuus, Ne habeas deos alienos coram me. Paulus ad Colossen. tertio capite auaritiam uocat simulachrorum cultum. Auari enim loco Dei, diuitias constituunt. Christus diuitibus malè ominatur, Matthæi 19. capite. An non stultum est, in res incertas & mille casibus obnoxias, spem suam collocare? Adhæc diuitiæ non prosunt in tentatione & agone mortis. Mammon suos cultores perire sinit, & probris affici, non secus quàm satan magos & incantatores, quos animo & corpore interire sinit. Pessimè igitur agunt, qui opibus suis plus confidũt, quàm Deo. Quis uerò, inquis, tam miser est? etiam auarissimi, negant se tales esse. Respondeo, Illos tales esse, qui per phas & nephas opes congerunt: si enim Deum plus colerent, obsequerentur uerbo eius. Deinde qui partis opibus non rectè utuntur, sed uel auari sunt, & diuitijs non secus, quàm gallinæ ouis suis incubant, & malunt pura uerbi Dei prædicatione carere, quàm uel teruntiũ amittere: uel prodigi sunt & decoctores. Peiores his sunt, qui ꝓdiga auaritia laborant. Item qui amissas opes impatientius ferentes, contra Deum recuperare conantur. Diuitem esse, per se malum non est: diuitiæ enim sunt Dei donum. Curandum autem, quemadmodum Dauid Psalmo 62. cecinit, ut si affluant, cor non apponamus. Thesaurus noster in cœlis esse debet. Grauissimam exhortationem Paulus habet ad diuites 1. Timoth. 6. Ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, &c.

Auari diuites in suis opibus spē collocant.

Quinā opibus plus cō fidāt quàm Deo.

Quod de opibus dicimus, de omnibus creaturis accipiendum est. Ne fiduciam ponas in liberos, cognatos, amicos, fœderatos, non in locorum munitiones, arma: totam anchoram sacram figamus in Deo, qui solus nec potest, nec uult fallere. Homines mirum quàm interdum simulent & dissimulent. Si qui ex animo nobis bene uolunt, leui occasione in hostes uertuntur: tenax est offensæ memoria, omnium beneficiorum profunda obliuio. Loca etiam quantumuis munita facilè expugnantur. משכית maskith, quæ uox infrà 25. etiam ponitur, significat imaginationem, item cælaturam, opus reticulatum. Hinc quidam intelligunt, diuites putant se inter sua ornamenta & delicias tutos esse, tanquam intra murum sublimẽ.

12 Ante contritionem eleuatur cor, & ante gloriam humilitas.

Hæc sententia optimè coniungitur cum superiore. Diuites enim insolescunt, & alios despiciendo sibi nimium placent. Tanta enim est ingenij nostri prauitas, ut res quibus ad salutem nostram uti deberemus, ad exitium nostrum conuertamus. Ostendit autem quid maneat elatos animo, nẽpe exitiũ. Idẽ docet Christus Luc. 14. 1. Pet. 5. Ethnici quoq; uiderunt, Deũ elatos deijcere, & humiles euehere. Horatius Hesiodum imitatus, Ode. 34. lib. 1. dicit:

Superbiæ pœna.

" Valet ima summis
" Mutare, & insignem attenuat Deus,
" Obscura premens.

Euripides in Troad.

" ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω,
" τὰ μηδὲν ὄντα· τὰ δὲ δοκοῦντα ἀπόλεσεν.

In Heracl.

" ἀλλ' ἁ τῶν φρονημάτων,
" ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.

Xenophon lib. 6. ἑλληνικῶν, ὁ θεὸς πολλάκις χαίρει, τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους, μικρὸς. Causam uerò cur superbiam & iactantiam ruina subsequatur, Chrysost. hom. 5. in 4. cap. Matthæi hac gradatione ostẽdit: Quia omnis qui confidens est in operibus suis, & gloriatur, securus est: qui aũt securus est, non timet: & qui non timet, nec cauet: qui aũt nõ cauet, quãdo non sperat, supplantatur à diabolo & deijcitur, &c. Exẽplis plenæ sunt omnes historiæ. Tota

oppida,regna,gentes,superbia,cum minimè putant,euertit.Abdias uaticinatur de miserabili exitio Idumæorum,qui locorum præsidijs freti, superbia turgebant,& omnes alias nationes despiciebant. Romani qui omnes alias nationes barbaras uocabant,tandem à barbaris illis discerpti sunt.Humiles in hoc & futuro seculo glorificantur. Hæc sententia 16.cap.uersu 18. etiam est posita.

13 Qui respondet uerbum antequam audit, stulticia est illi atque ignominia.

Hæc sententia latè patet.Ostendit primùm non tantum loquendum,sed etiam auscultandum esse.Ideo etiam dixerunt philosophi,Deum homini duos oculos,& duas aures dedisse, linguam unicam, ut plus uideat & audiat, quàm loquatur. Deinde de rebus ignotis docet, pronunciandum nō esse.Discere prius oportet,quàm dicere,docere,& de rebus iudicare uelis.Appelles Megabizen quendam, ut scribit Plutarchus, in eius officina de umbris & lineis disputantem,his uerbis reprehendit: Hi pueri qui terunt colorem,antea cum taceres,te mirabantur,nunc rident,quando iudicium tibi sumis, de rebus quas nunquam didicisti. Iudicium peritorum alicuius rei audiendum est. Qui nihil audit, nihil nouit. Qui tantum loquitur, discere ab alijs nihil potest. Adhæc docet non interrumpendum esse sermonem illius, qui loquitur uel te interrogat. Quidam tam sunt præcipites, ut orationis exitum expectare non possint,& antequam sciant mentem quærentis,incipiunt ad quæstionem ipsius respondere.Iudices priusquam respondeant, hoc est, sententiam ferant, rem totam cognoscant,alteram quoque partem audiant. In negocio quoq; religionis idem faciendum est: non antè damnanda sententia aliqua,quàm eam noueris. Vociferantur multi, Iam dudum illa religio dānata est. A' quibus?Non'ne ab illis,quorum mores puriorem doctrinam ferre nō possunt? Libros non lectos,non intellectos,statim exurere,leue crimen non est.Anabaptistæ etiam in hoc peccant, quòd alios audire, & suæ doctrinæ rationem reddere, non uolunt:non respondendum est,inquiunt,illis hominibus.An uerò tam difficilem se Christus erga suos aduersarios præbuit? non'ne ad eorum argumenta respondit?

14 Spiritus hominis sustentat infirmitatem, & spiritum contritum *uel mœstum* quis leuabit?

Simplicissimus huius sententiæ sensus hic esse uidetur: Si homo spiritu alacri, hoc est, mente sana præditus est, facilius fert ærumnas. Hoc experimur in ægrotis,captiuis,martyribus, illis, qui omnes afflictiones forti & excelso animo perferunt: sciunt enim à Deo ipsis in bonum immitti. Vel intelligi potest de spiritu Dei, qui,ut habetur ad Rom.8.adiuuat infirmitatem nostram.At qui sana mente præditi non sunt, ad quamlibet occasionem trepidant,in morbis,paupertate,& alijs afflictionibus,queruli sunt,nec facilè erigi possunt. Quid igitur faciendum est? Quemadmodum apes & formicæ æstate colligunt, quibus hyeme uescantur:ita secundis rebus colligendæ sunt consolationes,quæ aduersis rebus nos erudiant, erigant & confirment.

15 Cor intelligens, acquiret scientiam, & auris sapientum quæret scientiam.

Homines cordati,scientiam humanarum & diuinarum rerum, sibi comparare studebunt, nec pigebit eos uel ab animalculis aliquid addiscere: artes liberales & mœchanicas,à peritis hominibus discere uoluptati eis erit. Religioni uerò imprimis operam dabunt.Magna enim est stulticia, tantum impendere in res præsenti tantum uitæ utiles, & religionis nulla cura tangi.Stulti de sapientia comparanda non sunt soliciti, malunt fabulas tractare,& rebus inanibus auscultare,quàm sacris historijs,& rebus serijs atq; utilibus uacare.

16 Donum hominis dilatabit ei (*scilicet uiam uel locum*) & ante magnates ducet eum.

Effectus munerum. De ui & effectu munerum,iterum pronunciat. Munera homines ex magnis periculis eripiunt.Malum & afflictio,coartat cor & stringit: bonum, læticia dilatat: hinc cor dilatare,& latum alicui facere,est læticiam dare.Nos dicimus, *Einem lufft machen*. Psal. 4. In tribulatione dilatasti me,uel mihi,hoc est,ex angustijs eduxisti me. Gen.26.Dilatauit nos Dominus,id est,lęticiā dedit.Deinde munera nō tantū efficiūt,ut noti & grati simus uiris magnis:sed etiā uiā ad dignitates aperiūt.Indigni aliquādo & iniusti in Rebusp.& Ecclesijs,ad magnos honores promouētur.Monachi & sacerdotes,illos qui dona eis afferūt, in cœlū efferūt: peccata eis remittunt,prope summū altare sepeliūt. Multi etiā qui malā causam habent, eā sub corruptis iudicibus uincunt. Non pauci principes, Iudæos capitales Christi hostes, propter munera defendunt,& subditos suos, qui spem suam in solum Christum collocant, ferro & flammis perse-

persequuntur. Multi ab hostibus acceptis muneribus, illos oderunt, qui se pro ipsis in certissimum discrimen obtulerunt, & hostibus eorum uiam aperiunt. Magna itaq; uis est munerum. Non autem hæc ideo dicuntur, ut muneribus nobis uiam sternamus ad dignitates & alia: sed ut cognoscamus, qui hominũ huius seculi mores sint. Si per donũ hominis, accipias charismata, quæ Deus homini confert, alius erit sensus. Prudentia & eloquentia multos humili genere natos, cùm in Repub. tum in Ecclesia, ad maximos honores euexerunt. Quidam hanc sententiam referunt ad liberales & beneficos, qui sibi fauorem principum concilient, & ad maximas dignitates uiam sternunt. Antiquitas eos qui homines ingentibus beneficijs afficerent, pro dijs coluit, adeò ut & belluas quæ prodessent mortalibus & inanimata quædam corpora, pro dijs haberent. Vide prouerbium apud Erasmum, Homo homini deus.

Dona quæ Deus hominibus largitur, acceptos faciũt. Liberales uiã sibi sternunt ad res amplas.

17 **Iustus primus est in causa sua** (*uel litc*) **uenitq; proximus eius & scrutatur eum.**

Sensus est, iustus primum sese accusat, postea inquirit & explorat alterum. Admonendi quidem & reprehendendi sunt proximi, si peccent: sed legitimus ordo seruandus est. A` nobis ipsis initium faciendum, & cauendum est, ne ijsdem uitijs, uel similibus, uel etiam grauioribus obnoxij simus, priusquam aliena inquiramus, quò oratio nostra maius pondus habeat. Pleriq; uerò sibi ipsis blandiuntur, sua uitia & suos errores non modò eleuant & defendunt: sed sub titulo uirtutum uenditant, & interim alienæ uitæ seuerissimi sunt censores. Quidam suam pietatem sic hominibus approbare student. Martialis Ollum quendam taxat, qui malorum alienorũ reprehensor erat acerrimus, cum ipse uxorẽ aleret adulterã, deberetq; etiamnũ pro toga. Huc accõmodari solet Apologus de duabus manticis. Multa extant apud Græcos & Latinos prouerbia, quę docent nostra primum errata emendare. Christus seruator noster, iubet prius ex oculo nostro trabem eijcere, quàm festucam ex proximi nostri oculo eximamus, Matth. 7. Lutherus hunc sensum reddit, Qui primus suam causam exponit, ius sibi uendicat: sed si aduersarius eius audiatur, statim apparebit priorẽ omnia ad suã utilitatẽ retulisse.

In reprehẽsione ordo est seruandus.

18 **Dissensiones quiescere facit sors, & inter fortes diuidit.**

In diuidendis rebus, puta hæreditatibus, legatis, donatis, manubijs & similibus, uel distribuendis certis functionib. siue magnis siue paruis, quisq; suo cõmodo studet, & querelæ uariæ exoriũtur. Sæpe æqualitas in diuisione rerũ seruari nequit: ad uitandas igitur cõtẽtiones, sortibus utimur. Nam homines quantũuis uehemẽtibus ingenijs, decreto sortis acquiescũt, qualiscunq; sit. Pij sciũt sortes diuinitus gubernari, atq; ex iustiss. ac sapientiss. Dei uoluntate dependere, quid quisq; accipiat: illis igitur quæ sortib. acquirũt, cõtenti sunt. Alij quoq; non accusant proximũ suũ, sed fortunã potius. Atq; ita sortes inseruiũt prohibẽdis contentionib. & dirimẽdis certaminib. nisi quis fraudem & dolos in sortibus adhibeat. Queadmodũ fecit Themenus, cuius fraude Ctesiphõtes terrã cohęredib. exclusis retinuit, ut est apud Pausaniã.

Sortes.

19 **Frater transgressus** (*sicut*) **urbs fortis, & dissensiones similes sunt repagulo arcis.**

Hoc uult dicere, fratrem qui à fratre læsus est, uix unquam posse placari. Nam quò arctior fuerit coniunctio, eò uehementius ea dirempta oritur dissidiũ. Hoc explicatur duplici similitudine: quemadmodum urbs mœnib. uallis & fossis munita, non facilè expugnari potest: ita ira fratrum non facilè mitigatur. Et quemadmodum uectes & repagula palatij (ubi thesauri uel instrumenta principum reconduntur) infringi facilè nõ possunt: ita fratrum ira non facilè comprimitur. Polynices apud Eurip. in Phænissis dicit:

Fratrum inimicitiæ uehemẽtes.

“ ὡς δεινὸν ἔχθρα μᾶτερ οἰκείων φίλων,
“ καὶ δυσλύτους ἔχουσα τὰς διαλλαγάς.

Idem in Iphigenia in Aulide:

“ δεινὸν, κασιγνήτοισι γίνεσθαι λόγους,
“ μάχας θ᾽, ὅταν ποτ᾽ ἐμπέσωσι εἰς ἔριν.

Cur autem fratrum & amicorum simultates acerbiores sint, quàm aliorum hominum. Arist. lib. 7. polit. ostendit, dicens: à quibus beneficium deberi existimant, ab ijsdem non modò non beneficio se affici, sed etiam lædi putant. Vnde prouerbio dicitur, bella fratrum acerba. Exẽpla multa hoc declarant: Caini & Abelis, Esau & Iacobi, Polynicis & Eteoclis, Romuli & Remi, &c. odium Antonini Bassiani Caracallæ, filij Seueri Imperat. in Getam fratrem suum, uix & ne uix quidem saturari potuit. Non enim contentus eum supra matris pectus interemisse, in amicos etiam eius sæuijt, ac tandem in numerum Deorum eum referens, Sit diuus aiebat, modò non sit uiuus. Nostra ætate fratres à fratribus maximè propter religionem odio habentur, secundum Christi uaticinium. Ante paucos annos, quod dictu horribile est, Al-

phonſus iſte Diazius, fratrem ſuum Ioannem Diazium, pium & eruditum uirum, religionis cauſa Nuburgi (oppido ad Danubium) obtruncari curauit. Quæ de fratribus dicuntur, ad fœderatos quoq;, & alios coniunctiſsimos homines poſſunt referri. Quia uerò tanta eſt acerbitas odiorum inter fratres, cauendum eſt, ne fratres & amicos inter ſe committamus: de quo ſuprà non ſemel eſt dictum. Deinde omnia tentanda ſunt, ut diſsidentes inter ſe conciliemus, & principijs contentionum & rixarum obſiſtamus. Quibus argumentis Socrates Chærephontem atque Chærecratem fratres, inter ſe altercãtes, ad concordiam hortatus ſit, ſcribit Xenophon de factis & dictis Socratis lib. 1.

Quidam ſic exponunt, *Frater etiam à fratre offenſus magis prodeſt, quàm urbs munita in periculis.* Fit enim ſæpenumerò ut fratres, qui capitali odio diſsident, communis hoſtis cõcordes reddat: ut obliti iniuriarum, ad uim alienam propulſandam, unus alteri adſit, ſeq; hoſti opponat ueluti murus, & uectis palatij. Hinc dicitur, non tutum eſſe rixantibus fratribus ſe medium ingerere. Hector Iliados χ. impar Achilli Deiphobum fratrem inuocat, ut ei ferat ſuppetias. Vide prouerb. Frater uiro adſit.

פשע paſcha deficere, rebellare ſignificat, in uoce paſsiua נפשע nipſcha, offenſus præuaricatione, uel frater tranſgreſſus, id eſt in quem tranſgreſsio facta eſt. Deinde פשע paſa, cum Smol ſignificat inceſsit. Hinc uulgatus interpres & Septuaginta uerterunt, *frater à fratre adiutus quaſi ciuitas munita*, id eſt, inſuperabiles ſunt, qui ſimul incedunt, id eſt, concordes ſunt. Santes in dictione פשע alias quoq; habet interpretationes.

20 De fructu oris hominis, ſatiatur uenter eius, & de prouentu labiorum eius ſaturabitur.

Simplex ſenſus eſt, prout lingua quis bene uel malè uſus fuerit, uel præmio uel pœna affici. Cap. 12. dixit, de fructu oris ſui unuſquiſq; replebitur bonis. Vir bene loquendo, & alios ſapienter docendo, conſequetur magna bona.

21 Mors & uita in manu linguæ.

Commoda linguæ bonæ, & incommoda malæ.

Quemadmodum paterfamiliàs ſæpe domeſticos ſuos ignem cuſtodire, & cineribus obruere iubet: ut qui non ignorat, quàm facilè incendium excitari poſsit, quod poſtea latè uagetur: ita Salomon nos ſæpe linguam, quæ igni comparatur, cuſtodire & frenare iubet, non ignarus quanta ex lingua incendia oriri poſsint. Non igitur mirum eſt, eum nunc quoq; de linguæ effectis loqui. In manu, hoc eſt, in poteſtate linguæ. Senſus eſt, Homo lingua, id eſt, ſermone ſuo, poteſt & ſe & alios interficere ac ſeruare. Res manifeſta eſt. Homo qui lingua ſua famam alicuius lædit, furem, latronem, proditorem, &c. appellando, ſecundum leges illas dat pœnas, quas alterum dare oportuiſſet, ſi illorum ſcelerum fuiſſet conuictus. Qui contra principes & magiſtratus, qui contra Deum blaſphemias euomunt, ſupplicio afficiuntur. Alios etiam interficiunt, ut falſi teſtes, corrupti iudices, ſuſurrones, ſeditioſi, proditores. Falſi doctores corrupta ſua doctrina, æternam quoq; uitam hominibus eripiunt. Econtrà lingua bona, & nos & alios conſeruamus. Per mortem & uitam, in ſcripturis etiam miſeria & felicitas ſignificatur. Multum autem ut homo felix ſit uel infelix, retulerit quomodo lingua utatur. Hinc Bias, ut refert Plutarchus in libello de loquacitate, Amaſidi Ægyptiorum tyranno imperanti, ut ſibi quod eſſet in uictimæ carnibus optimum & peſsimum mitteret, linguam reſectam miſit. Chryſoſtomus, in homil. ad baptiſandos, homines hortatur, ut linguam frenent, & hanc ſententiam explicat. Et homil. 52. in 5. cap. Matth. dicit: Cùm uita & mors ſit in manu linguæ, magis quàm pupillam oculi linguam tuam cuſtodias: regius quidam equus eſt lingua noſtra. Si ergo ei frenum immiſeris, & doctrina tua gradarium feceris, aſcendet in eum rex, & quieſcet in eo: ſi autem nullo freno domueris, ſed huc atq; illuc infrenem iactari permiſeris, diaboli eam uehiculum feciſti.

Alij Pittaco hoc tribuunt.

Et qui diligunt eam, comedent fructum eius.) Hoc eſt, qui eam cuſtodiunt & frenant: quæ enim nobis chara ſunt, ueluti κειμήλια cuſtodimus. Loquitur autem de lingua, ueluti de arbore fructifera: aliàs etiam eam lignum uitæ appellauit. Sermo eſt ueluti fructus linguæ: qui linguæ rationem habet, ampliſsimum fructum percipiet.

22 Qui inuenit uxorem, inuenit bonum.

Vxor bona, magnũ Dei donum.

Hæc ſententia, non intelligenda eſt de quauis uxore, ſed de bona, quæ abſolutè dicitur mulier. Nam qui malam acquirit, contentioſam, adulteram, ſtultam, &c. acquirit rem peſsimam, quæ exitium marito affert. Vxor enim mala uirum perdit. Heſiodus etiam dixit:

„ Οὐ μὲν γὰρ γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζεται ἄμεινον
„ Τῆς ἀγαθῆς· τῆς δὲ αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Vxor bona non eſt, ut uulgò putant, quæ ad omnia flagitia mariti cõniuet. Quemadmodum

nec

nec illa bona mater appellanda est, quæ liberis suis quiduis indulget. Vxor bona est, quæ officium suum studiosè & diligenter facit. De officijs uxorum Paulus ad Ephes. 5. Coloss. 3. 1. Timoth. 3. Titum 2. & Petrus 1. cap. 3. disserunt. Possunt autem ad hæc capita reduci: Vt sit uera fide prædita, marito obediat, temperet sibi ab illis quibus eum scit offendi, sit benigna, rem domesticam sedulò curet, non sit sumptuosa in cibo, potu, suppellectile, uestitu & alijs., liberos religiosè instituat. His uirtutibus præditam si quis nactus fuerit, magnum habet thesaurum.

Eduxit beneuolentiam uel gratiã *à Domino.*) Id est, assecutus est. Translatio est ab his qui aquam hauriunt. Vide Ecclesiastici, 26. cap. Ex Deo fonte bonorum, est uxor bona, illi gratias agere conuenit. Reprehendenda est illa maritorum ingratitudo, quibus nunquam in mentem uenit, ut de tanto bono Deo gratias agant. Quoniam uerò dicit, Qui inuenit: innuit non ducendam uxorem, nisi præmissa diligenti inuestigatione. Inuenimus enim quæsita. Huius rei egregium exemplum scriptura nobis proponit in seruo Abrahami, Gene. cap. 24. Deus orandus est pro uxore bona, nostra quoq; diligentia est adhibenda. Profectò si tanta morum haberetur ratio, quanta facultatum, formæ, affinitatis, &c. coniugia feliciora essent. Si uerò quis uxorem bonam nactus fuerit, det operam ut talem seruet. Mariti enim uitio, ex bona sæpe mala euadit. Sin uerò in malam incidas, da operam ut bona reddatur. Quæ de mulieribus dicuntur, uiris etiam aptari possunt: Quæ inuenit bonum maritum, rem bonam inuenit, & fauorem à Domino impetrauit. Satan coniugijs ualde insidiatur, hinc fit, ut tam pauci sint qui suum officium faciant. Plura require cap. 19. uersu 14.

23 Supplicationes loquitur pauper, at diues respondet dura.

Pauper παῤῥησίαν non habet, uidet se gratia & authotitate destitui, cogitur sæpe ad res indignissimas, uel inuitus tacere: eget opera aliorum, non igitur eos uult offendere: quando loquitur, summissè, blandè & per obsecrationes loquitur. At diues, qui aliorum opera non ita indiget, liberius loquitur. Hinc leges illæ sunt in Rebuspub. ut opulenti in senatorium ordinem deligantur, qui alijs non sint obstricti, qui malos senatores, legatos, præfectos, si necessitas postulet, in ordinem redigant. Omnes quidem recti honestiq; maiorem rationem habere deberent, quàm hominum: sed ea est nostra miseria, ut statim trepidemus. Addendum est, diuites opum fiducia arroganter & confidenter loqui, alios contemnere, & in omnibus ferè rebus modum excedere. Non indigeo, inquiunt, aliorum opera, quid ad me hic uel ille? At displicet Deo uana hæc fiducia. Deus nos ita coniunxit, ut unus alterius opera indigeat. Sæpe in magnis periculis, in morbis, incendijs, bellis, contemptissimorum hominum opera, nobis non tantum utilis, sed etiam necessaria existit. Nemo igitur proximum suum contempserit. Pauperes item petendo subsidium, humiliter loquuntur, diuites sæpe asperè respondent. Vide ca. 10 uers. 15. Potest etiam hæc sententia allegoricè uel spiritualiter intelligi: Pauperes spiritu, hoc est, qui contrito sunt corde ac peccatorum sensu tanguntur, humiliter loquuntur, gratiam Dei supplices implorant, suamq; dignitatẽ confitentur. At diuites spiritu, hoc est, qui suorum bonorum operum & meritorũ diuitias iactãt, superbissimè loquuntur: Deum sibi nescio quid debere contendunt. Exẽplum huius rei habes in publicano & pharisæo, Luc. 18. Pestilentissima autem est hæc superbia. Christus dicit ad scribas & pharisæos, Publicani & scorta præcedent uos in regnum cœlorum. Quia illi suis operibus confidebant, hi uerò gratiæ diuinæ. Quid nunc de illis dicendum est, qui opera Supererogationis prorsus Luciferiano spiritu iactitant?

Pauper obuinctam hãbet linguã.

Pauperes et diuites spiritu.

24 Vir amicorum associat illos sibi: & est amicus adhærens plus quàm frater.

Vir amicorum, hoc est, uir deditus acquirendis amicis, uel qui delectatur amicis, (sic cap. 19. uir donorum appellatur, qui libenter dona elargitur) non leues ob causas amicos reijcit, sed dat operam ut eos retineat. Nam uerus amicus, tenacius adhæret quàm frater. Fratrum magna est quidem concordia, & in rebus periculosis frater fratrem uix unquam deserit, aliquando tamen in hostes uertuntur: amicus autem uerus & constans, in periculis amico nunquam deest. Egregium exẽplum recitatur à Cicerone Damonis & Pythiæ. Alteri. n. Dionysius tyrannus diẽ necis cõstituerat: cumq; is pauculos dies petijsset rerum domesticarũ ordinandarũ gratia, hac lege impetrauit, ut alter uas amici fieret, ac si ille ad diẽ constitutũ non redijsset, hic plecteretur. Redijt aũt ad diem, mori malẽs, quàm amicũ fallere. Tyrãnus egregiam illorum fidẽ miratus, Rogo, inquit, ut me quoq; in uestram amicitiã recipiatis. Sed hæc exempla rarissima sunt. Multi qui rebus secundis, se amicos nostros profitentur, leuibus de causis, in periculis nos deserunt. Magnum itaq; bonum reperit, qui amicum fidum & cõ-

Amici non reijciendi.

Damon & Pythias.

ſtantem reperit, qui rebus ſecundis gratuletur, aduerſis condoleat. Magna fuit omnibus ſeculis de amicorum inconſtantia querela. Fallũt nos perſæpe, quibus plurimum deferebamus. Non igitur fiducia ponẽda eſt in hominibus, ſed in ſolo Deo. Curandum eſt, ut is amicus noſter ſit, qui ſolus in omnibus periculis poteſt & uult nobis adeſſe. In agone mortis, amici etiã optimi, aliud facere nihil poſſunt quàm gemere, lachrymari: at Deus uitam meliorem nobis conferre poteſt. Tunc autem Deum amicum, fœderatum, patrem deniq; habebimus, ſi fiducia per filium in ipſo poſita, ſanctè & piè uixerimus.

CAPVT XIX.

Melior eſt pauper, qui ambulat in integritate ſua, quàm peruerſus labijs, & ipſe diues.

De paupertate & diuitijs.


QVEMADMODVM uulgus de alijs ferè omnibus rebus, peruerſè iudicat: ita etiam de paupertate & diuitijs. Diuites beatos iudicat, quomodocunq; ſua acquiſiuerint: pauperes uerò miſeros, etſi piè & ſanctè uiuant. Vulgus multa impia prouerbia de utrorumq; conditione, in ore habet, quæ ſi pij audiant, non leuiter uulnerantur. Bonos enim mores, ut Apoſtolus dicit, corrumpunt praua colloquia. Proinde ſacrarum literarum oraculis, animi noſtri muniendi & cõfirmandi ſunt. Deus enim in uerbo ſuo, aliter iudicat de rebus quàm homines. In prima ſententia huius capitis pronunciat, pauperes integræ uitæ, præferendos eſſe diuitibus peruerſa loquentibus. Pauperes non unius ſunt generis. Quidam magno labore neceſſaria quęritant: alij uerò oſtiatim uictum petunt: ſed præſtat iudicio Dei pauperrimum eſſe, interim uerò rectas de Deo opiniones habere, & integrè uiuere: quàm maximas opes poſsidere, & peruerſis eſſe labijs. Multi mentiendo opes colligunt, & opibus elati, Deo atq; hominibus maledicunt. כסיל kesil ſtultum propriè ſignificat, ſed hoc loco uidetur pro diuite poni per Metonymiã, eo quòd opes homines ſtultos reddant. Nam pauperi opponit כסיל kesil, id eſt, diuitem: & peruerſo labijs, ambulantem in integritate ſua. Etiam quidam Hebræorum ſic intelligunt. Quin ipſemet Solomon poſtea ſic interpretatur, cap. 28. Vbi eandem ferè ſententiã repetens, pro כסיל kesil ſubſtituit עשיר aſchir, quod diuitem & locupletem ſignificat.

Cauſa autem cur pauperes honeſti diuitibus impijs anteferendi ſint, hæc aſsignari poteſt, quòd potior ſit uirtutum & honeſtatis ratio, quàm opum. Chriſtus quoq; in Euangelio dicit, Quæ eſt utilitas totum orbem poſsidere, & animæ iacturam facere? Diſcunt ex hac ſententia pauperes, ne fraudibus, dolis & malis artibus, opes iniuſtas colligere conentur. Prætexunt multi liberorum multitudinem, at cogitandum eſt, liberos uel bonos uel malos eſſe. Si boni ſint, paucis erunt contenti, & benignum Deum experientur: promiſit enim Deus ſe pijs non defuturum. Sin mali, nimium eſt quicquid ipſis relinquas: nam opibus in ſuam & aliorum perniciem abutentur. Diſcunt item diuites, ut cum Deus propter religionem opes deſerere iubet, non ſequantur exemplum uxoris Loti, uel diuitis illius adoleſcentis, Matth. 19. ſed potius Abraami, qui uocantem Dominum ſecutus eſt, neſciẽs quò eſſet uenturus. Moſis, qui potius elegit paupertatem cum populo Dei, quàm theſauros Ægyptiorum, Hebr. 11. Poteſt hæc gnome non incommodè opibus ingenij quoq; aptari: præſtat indoctum eſſe, interim caſtis moribus, quàm doctum & impuræ uitæ.

2 Abſq; ſcientia, *animæ*, non eſt bonum.

Animam quidam interpretes cum ſcientia, quidam cum uerbis mox ſequentibus coniungunt. Scientia rerum diuinarum, comparanda eſt ex ſacris literis. Vult enim Deus agnoſci à nobis, & celebrari. Malè conſulunt animabus ſuis, qui nullo ſcientię Dei deſiderio tenentur. Quemadmodum enim corpus: ita & anima, ſuo cibo indiget, qui eſt uerbum Dei. Non autẽ exacta cognitio rerum diuinarum ab omnibus requiritur: ſed præcipuorum capitum ueræ doctrinæ, quæ continentur in oratione dominica, ſymbolo Apoſtolorum & Decalogo. Porrò ſabbatum in hunc finem à Deo inſtitutum eſt, ut ceſſantes à labore manuum, nos totos rerum diuinarum meditationi cõſecremus. Habes ſacra Biblia, habes multos egregios libros, lingua Latina & uernacula conſcriptos, ex quibus neceſſaria dogmata haurire poſsis. Multi putant ſi ex ignorantia aliquid faciant, ſe non puniri: at conſiderandum quàm Deo affectata illa & craſſa ignorantia diſpliceat. Poteſt etiam de cognitione rerum humanarum hoc membrum exponi, ſine qua feliciter uitam degere non poſſumus. Lutherus uertit, *ubi non ratione agitur, multa perperam fiunt.*

Et festinans pedibus aberrat.) Homines nimio festinandi studio sæpe aberrant,& serius iter propositum perficiunt. Docet hæc sententia cauendam esse temeritatem & præcipitantiam, cui iuuenes maximè sunt obnoxij: cogitent igitur nihil sine consilio, ac temere esse suscipiendum. Turpe est falsum sentire, aut quod non satis exploratè sit perceptum & cognitum, defendere. Turpe est per incogitantiam designare, cuius te postea pœniteat. Si tractandum sit de repurganda religione, prudentia & grauitate opus est. Si de bello, omnia prius experiri oportet, quàm bellum suscipiatur: si fuerit susceptum, consilio & prudentia est gerendum. Romanæ Reipublicæ plus profuit Fabij cunctatio, quàm M. Minutij præceps temeritas. Plus consilio & ingenio, quàm robore efficitur. Curandum autem est, ne nimia cunctatione, rerum gerendarum occasiones perdamus. Hac de re multa leguntur apud Erasmum in prouerbio, Festina lente. Quidam notam similitudinis subintelligunt, ut sit sensus, Qui nimium properat, errat: ita anima ignorans, à uia pietatis & uirtutum aberrat. Castalio ita reddit. *Ne uita quidem sine scientia suauis est, & qui pedibus festinat, offendit*: id est, qui temerè agit, qui scientia caret. *Præcipitantia cauẽda.*

3 **Stulticia hominis, peruertet uiam eius.**

Ignorantia diuinarum literarum, facit ut homines nec rectè credant, neq; rectè mores suos forment. Illa enim quibus ipsi delectantur, Deo quoq; grata esse existimant. Hinc fit ut illa pro cultibus Dei uenditent, quæ Deus detestatur, cuius generis sunt, idola, cerei, peregrinationes ad loca sacra, uota monastica, & alia innumera. Quod nunc uitam & mores attinet, faciunt quæ libet, cumq; grauissimè peccent, tamen se putant non peccasse: si iugulent sanctos homines, existimant se Deo obsequium præstitisse, &c.

Et contra Dominum irascetur cor eius.) Quandoquidem stulti carent scientia Dei, in ærumnis & afflictionibus aliud facere non possunt, quàm quiritari & fremere. Sin uerò causas afflictionum, in sacris literis expositas intelligerent, in laudes Dei & gratiarum actiones erumperẽt. Causas item peccatorum suorum in Deum reijciunt, non in suã corruptam naturam & propriam malitiam. Exemplum Israelitarum habemus apud prophetas. Ad Rom. 9. sub impiorũ persona dicitur: Quid adhuc conqueritur? nam uoluntati eius quis resistit?

4 **Opulẽtia addit amicos multos, at pauper separabitur ab amico suo.**

Hoc est hominum ingenium, ut se apud potentes & opulentos insinuent, ac amicitiam eorum expetant, ut commoda aliqua ab eis consequantur. De hac re illi uersus Euripidis loquuntur: Ἐπίσταμαι καὶ πεπέιραμαι λίαν, ὡς τῶν ἐχόντων πάντες ἄνθρωποι φίλοι, id est, Hoc scio & planè expertus sum, quòd omnes amici fiunt diuitibus. Chremylus apud Aristophanem in Pluto, iam diues factus, queritur se obtundi illis salutatoribus, qui aurum olfecerant. Cum uerò homines non amplius sunt in gratia, & amicis nulla spes lucri affulget, à diuitibus & pauperibus deseruntur, etiam ab illis quibus plurimum confidebant. Plautus in Sticho. *Diuites multos habent amicos.*

Nam hoc tu [illegible]cito cogites, ut cuiq; homines res parata est. “
Firmi amici sunt, si res lassæ labant, itidem amici collabascunt. “
Res amicos inuenit, &c. “

Vetus translatio habet, *à paupere autem, & hi quos habuit separantur*: ut יפרד ijpared reddatur deseretur: ponitur enim in uoce passiua, exhaustus à sodali suo deseretur. Græci dicũt, λέιπεται deseritur. Cum Nero senatus sententia ad necem condemnatus esset, nec ullum reperiret à quo feriretur, exclamauit, Ita'ne amicum, nec inimicum habeo? Veri amici in periculis constitutos nõ deserunt, & tales etiam quandoq; diuitiæ pariunt. Nam si diuites liberales sint, & de multis bene mereantur, amicos sibi conciliant.

5 **Testis falsus non erit impunitus, & qui profert mendacia, non euadet.**

Hæc sententia aptissimè superioribus connectitur: nam sunt qui in gratiam diuitum, accepta pecunia, falsum testimonium dicunt: tales fuerunt illi qui contra Nabothum, & qui contra Christum seruatorem, falsum testimonium dixerunt. Addit, uindictam omnes mendaces sequi. Etsi humanum iudicium euadant: tamen diuinum non subterfugient. Repetet mox hanc sententiam, ne temere excidisse ei uideretur. Posterius membrum, non tantum de falsis testibus: sed in genere de omnibus mendacibus potest intelligi. Hæc sententia repetitur nono uersu. *Testis falsus.*

6 **Multi precabuntur faciem principis.**

Vetus est querela de amicis, quòd pauci rebus aduersis fidẽ præstent. Hac de re complures *Amicorum inconstantia.*

ſunt ſentẽtiæ in hoc libro. Non autem idcirco hæc dicuntur, ut nemini fidamus, (totus enim humanus conuictus potiſsimum fide conſiſtit) ſed in hunc finem proponuntur, ne hominib. qui mutabiles ſunt, nimium tribuamus. Videamus quid de amicis nunc dicatur. Prima huius ſententiæ pars hunc habet ſenſum. Multi ſunt qui principes, magiſtratus, & potentes, ſuſpiciunt, ſeq; ad pedes eorum proijciunt, ſtudium gratificandi uerbis geſtibusq; præ ſe ferentes, non bono animo, ſed ut commodum aliquod conſequantur. חלה Chillah in piel ſignificat enixè precari. Præcipit Deus, ut cui honorem debemus, illi honorem deferamus, ad Rom. 13. cap. ubi de magiſtratibus agitur. Magiſtratus ſunt ueluti legati Dei & patres Reipub. exhibẽdus igitur eis eſt honos: non contemptim de eis ſentiendum eſt. At multi non ideo erga eos debitum honorem ac reuerentiam oſtendunt, quòd Deus mandauit: ſed propter priuatum ſuum commodum. Si enim boni principes & magiſtratus, per bella & ſeditiones iniuſtè deponantur, prorſus ab eis negliguntur: cum nihilominus honore proſequẽdi eſſent. Salomon hoc loco dicit, quid uulgò fiat: colligamus nos ex alijs locis, q̃d pios deceat. נדיב nadif principem ſignificat, à liberalitate ſic dictum, quam erga ſubditos ſuos exercere debet. Quidam ſimpliciter uertunt, liberalem & munificum. Liberales à multis coluntur.

Diuites multos habent amicos.

Et omnis amicus eſt uiro doni.) Hoc eſt, omnes amici eſſe uolũt illius, qui libenter largitur opes ſuas. Græci etiam dicunt, τῶν εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς. Qualiſcunq; aliquis ſit, ſi dona liberaliter diſtribuit, ſtatim multos habet amicos, qui eum collaudant, & impijs etiam eius conatibus fauent. Quot ſunt qui cõuiuijs, auro & argento inducti, patriam ſuam & religionem oppugnauerunt? Non hæc idcirco à Salomone dicuntur, ut ſtatim nos cõiungamus illis, qui munera elargiuntur: uidendum eſt quis det, & quo animo. Diſtinguendum eſt inter munera honoraria & corruptoria. Videat quiſq;, ut ſit Dei amicus, qui eſt uir donorum, à quo omnia dona bona deriuantur. Vera liberalitas, ueros etiam amicos conciliat.

7 Omnes fratres pauperis, oderunt eum, quantò magis amici eius, elongabunt ſe ab eo?

Pauperes deſeruntur.

Omnes, hoc eſt, plerique per Synecdochen. Sæpe autem ſic loquitur ſcriptura, oderunt, id eſt, auerſantur, negligũt, fugiunt eum: breuiter, ita ſe gerunt ac ſi hoſtes eſſent, metuunt enim ne paupertate preſsis opem ferre cogantur. Aliquando etiam uero odio eos proſequuntur: Græci dicunt, πτωχοῦ φίλοι οὐδ' οἱ γεννήτορες, id eſt, mendico ne parentes quidem amici ſunt. Hoc ſibi accidiſſe Iob 19. queritur. Cùm hoc fratres & conſanguinei faciant, non mirandum eſt, ſi idem fiat ab alijs, qui illis uinculis eis aſtricti nõ ſunt: ſed quos diuitiæ tantum eis cõciliarũt.

Verba proſequens, & non ipſi, id eſt, ſunt.) Amicus deſertus, multis utitur uerbis: repoſcit promiſſa, dicit pauperes non eſſe contemnendos: operam eorum, diuitibus ſæpe eſſe neceſſariã: pauperes ſæpe ex paupertate emergere, diuites uiciſsim ad paupertatẽ redigi: adducit ſacras ſcripturas, amplificat ſuas miſerias: ſed ſurdis fabulam dicit, nemo eſt qui auxilium ei ferat. Sic Heſiodus ad fratrem dicit:

„ ὁ δ' ἐτώσια πολλ' ἀγορεύσεις
„ ἀχρεῖος δ' ἔσται ἐπέων νόμος.

Nempe ſi ocioſus ab alijs neceſſaria petat.

Alij ad fratres & amicos referunt, qui pauperem deſerunt, ſectantur uerba, obiurgant eum dicentes, Talis & talis fuiſti, turpiter res tuas prodegiſti: interim manus nõ porrigunt. Pauperibus item multa promittũt interdum, ſed nihil in eorum gratiam faciunt, multa perſequuntur uerba, ut ſe excuſent & nihil dent. Iterum dicit, quid uulgò fiat, non quid fieri debeat. Pauperes enim quorum patronum ſe Deus eſſe profitetur, non ſunt negligendi: ſed rebus ipſorũ afflictis conſulendum eſt: Deus ideo eos diuitibus proponit, ut exercendæ ſuæ liberalitatis materiam habeant.

Christus quia pauper eſt negligitur.

Cùm autem ita comparati ſint homines, ut pauperes amicos faſtidiant, non mirum eſt, ſi Chriſtus qui pauper eſt, in membris ſuis contemnatur. Si in hoc ſeculo, ad exemplum ſui uicarij, pontificales cœnas institueret, magnam uim pecuniarum, &c. ſuis cultoribus conferret, plures haberet amicos. Quia uerò pauper eſt, multi eum non modò oderunt, ſed crudeliſsimè perſequuntur. Non autem ideo frater noſter Chriſtus à nobis deſerendus eſt: noſtra enim cauſa pauper factus eſt, ut nos ueris diuitijs cumularet. Sunt multi qui dũ lucri aliqua ſpes ex doctrina Chriſti eis affulget, ſe fratres eſſe ſimulant: ſed cum id quod ſperarunt, uel non conſequuntur: uel iam conſequuti ſunt, atrociſsimi fiunt hoſtes: qualis erant Iulianus, Lucianus & alij perfidi Apoſtatæ, &c. Recurre ad cap. 19. uerſ. 20.

Animã ſeu uitam amare.

8 Poſsidens cor diligit animam ſuam.

Omnes homines habent cor, ſed illi poſsidere dicuntur, qui ſapientia ornatum habẽt. Animam diligere, eſt uitam ſuam diligere: id quod faciũt, qui ſe nõ temere in pericula cõijciunt.

Deinde

Deinde est curare salutem animæ, dare operam ne falsis opinionibus & sceleribus inficiatur. Qui à quouis uento falsæ doctrinæ, ut Paulus inquit, circumferuntur, & turpiter uiuunt, ebrietati indulgent, usuras exercent, bella iniusta gerunt, prodigi sunt animæ suæ. Sic Psalmo decimo. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Amare animam alio sensu à Christo usurpatur Ioannis 12. cap. ubi dicit, Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Amare animam hoc loco est, tanta uitæ cupiditate teneri, ut studeas eam retinere, contra uerbum Dei. Odio habere animam est, se in mortis discrimen offerre propter Christum. Exemplo res fiet manifesta. Aliquis obijcitur persequutionibus propter ueritatem, is, si mauult amore uitæ abnegare Christum, quàm periculo uitæ confiteri eum, mundi iudicio amat animam uel uitam suam: sed reuera odio habet: hac enim ratione non conseruat, sed perdit eam. (Multi enim hanc ob causam postea in horribilem desperationem inciderunt.) Qui uerò odio habet animam, hoc est, uitam æternam potius amittendam, quàm Christum abnegandum iudicat, is conseruabit eam: atq; sic martyres animas suas conseruarunt.

Cordatus custodit intelligentiam, ut inueniat bonum.) Hoc est, dat operam, ut sibi utilem & necessariam rerum diuinarum cognitionem paret: temere nihil aggrediatur: ut non modò huius uitæ bonis particeps sit: sed summum illud bonum consequatur.

9 Testis mendaciorum, non erit impunitus.

Hæc sententia paulò superius, ijsdem uerbis posita fuit, nisi quòd pro eo, quod supra dixit, non euadet, nunc dicit, peribit, quod maius est. Ideo autem repetitur, quia res est magni momenti. Testis in scripturis latæ est significationis: nos de illis testibus nunc agemus, qui in foro aut iudicio requisiti, testimonium dicunt. Falsus autem testis is est, qui illa, quæ neque uidit, neque audiuit, nec certa aliqua ratione perspecta habet, affirmat. *Falsus testis quis.* Est autem malum falsi testimonij ingens & atrox. Nam iudex fallitur, qui testibus iuratis fidem adhibet, nisi pateat eorum nequitia. *Atrocitas falsi testimonij.* Lex enim statuit, ut in ore duorum uel trium testium, quæcunq; causa uel stet uel cadat. Deinde proximus magno damno afficitur in fortunis, existimatione, corpore & uita. Exemplo sunt, Naboth Iesraelites, Susanna, Stephanus. Accedit ad hæc, quòd Deus ipse iniuria afficitur, quem falsus testis, perfidiæ suæ patronum constituit. Ideoq; Salomon hoc loco dicit, falsum testem non fore impunitum. De uoce נקה nikah alibi diximus. *Falsi testis pœna.* Pœnas autem exigit Deus à falsis testibus, uel per magistratus, uel per seipsum. Deuteronom. decimonono capite expressit, qua pœna falsi testes afficiendi sint. In omnibus Rebuspub. sunt leges, quæ decernunt, ut falsus testis ea patiatur, in quæ proximum suum coniecisset, nisi mendacium ipsius fuisset detectum. Sin uerò magistratus falsos testes non puniunt, siue quòd eos non deprehendunt, siue ex negligentia sui officij, & præpostera quadam clementia: Deus tamen impunitos non dimittit. Multas autem habet uias, quibus eos in hac uita punit, & nisi pœnitentiam agant, æternis tormentis obijcit.

Quomodo dicẽdum sit testimoniũ. Omnes itaq; in dicendis testimonijs ueritati studeant, positis prauis affectibus, metu, auaritia, odio, amore. Eleganter dicit Iuuenalis satyra. 8.

"ambiguæ si quando citabere testis
"Incertæq; rei, Phalaris licet imperet, ut sis
"Falsus, & admoto dictet periuria tauro,
"Summum crede nefas animum præferre pudori,
"Et propter uitam uiuendi perdere causas, &c.

Celebre est apophthegma Periclis, qui cùm amicus quispiam eum rogaret, ut in causa quadam, sua gratia falsum iuraret, respondit: Vsque ad aram sum amicus: admonens, in gratiam hominum non esse uiolandam religionem. Sunt tamen non pauci nostro tempore, qui paratissimi sunt, hoc modo amicorum utilitatibus & paci consulere. Nam absq; suo incommodo hoc se facere posse existimant. Magistratus quoq;, testes quorum fides suspecta est, reijciat, præsertim in rebus magni momenti.

Et qui loquitur mendacia, peribit.) Quod in specie dixit de falso testimonio, iam ad θέσιν transfert. Non tantùm illi punientur, qui iurati falsum testimonium in foro proferunt, sed omnes mendaces, & inter illos imprimis falsi doctores. Deus enim qui ueritas est, uix alio peccato tantoperè offenditur.

10 Voluptas stultum non decet.

Per uoluptatem uel delicias, intelligere possumus omnia externa bona, nobilitatem, opes, formam, bonam ualetudinem, dignitatem, & alia huius generis. Quæ non competunt stulto. His enim omnibus non rectè utitur: sed ad suam & aliorum perniciem conuertit,

ut puer cultrum.(נָאוָה nafæh, decet, pulchrum est, pasſiuum à uerbo נָאָה afah, ſcribitur ſine aleph נָוָה nifæh.) Hæc ſapientes, aliquando inſolentes reddunt, quid igitur de ſtultis nobis promitteremus? Proinde non eſt æquum aut conueniens, ut his rebus abundent. Res pręclara non eſt adhibenda, ubi nõ eſt opus. Latini dicunt, Feli crocaton addis. Habent & alia multa prouerbia, quibus oſtendunt aliquid non congruere.

Quantò minus ſeruum imperitare principibus.) Minimè decet, ut ſerui imperium exerceāt in principes & nobiles. Serui enim parére debent ſuis dominis, & patienter ferre ſuam cōditionem, Eph. 5. Coloſſ. 4. Plerunq; etiam fit, ut qui ex humili fortuna ſubuehuntur ad res amplas, cæteris ſint inſolentiores, ac poteſtate ſua tyrannicè abutantur. Infrà 30. cap. dicet, Sub tribus contremiſcit terra, & ſub quarto nequit conſiſtere: ſub ſeruo qui imperat, ſub ſtulto qui ſatur eſt panibus, ſub odioſa, ſi marito nupſerit, & ſub ancilla, quæ hæres facta eſt dominæ ſuæ. Huc pertinent uerſus Ouid. lib. 3. de Triſtib.

›› Quo quiſq; eſt maior, magis eſt placabilis iræ.
›› Et faciles motus mens generoſa capit.
›› Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
›› Pugna ſuum finem cùm iacet hoſtis habet.
›› At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
›› Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.

Claudianus lib. 1. in Eutrop.

›› Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.
›› Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes,
›› Vt ſe poſſe putent: nec bellua tetrior ulla eſt:
›› Quàm ſerui rabies in libera colla furentis.
›› Agnoſcit gemitus, & pœnæ parcere neſcit,
›› Quam ſubijt: dominiq; memor, quem uerberat, odit.

De Claudio imperatore legitur quòd Liberti eum rexerint, quorum aſperitatem populus deteſtabatur, fuitq; in eos pronunciatus uerſus in theatro:

›› ἀφόρητος ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας.

Germani illos qui ex humili genere emerſerunt, acutæ nouaculæ comparant. Nobiles & patritij plerunq; res melius adminiſtrant. In rebuſpub. itaq; ſunt promouendi, ſi pietatis & patriæ ſint amantes. Illi etiam qui addicti ſunt ſceleribus, meritò ſerui iudicantur, ut qui auaritiæ, ambitioni, &c. ſeruiūt, & certè nulla ſeruitus eſt turpior, quàm uoluntaria. Bion dicebat, bonos famulos liberos eſſe, at liberos malos, ſeruos multarum cupiditatum. 2. Pet. 2. cap. Falſi doctores appellantur ſerui corruptionis: Adijcitur ratio, Siquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic quoq; in ſeruitutem eſt addictus. Hinc meritò in Rebuſpub. bene conſtitutis, adulteri legibus remouentur à gubernaculis, ut qui nondum ſuis affectibus dominari didicerint.

Pontifex Ro. non debet imperiū exercere in principes. Addendum eſt etiam hoc, Pontificem Romanum uſurpare ſibi in principes imperium nequaquam debuiſſe, cùm ſe non tantùm ſeruum, ſed ſeruum ſeruorum in ſuis diplomatis appellet. At quia dolis & fraudibus, multorum principum regna inuaſit, ſubditos in eos armauit, & barbaricam crudelitatem in plurimos exercuit, oſtēdit ſe uerbis quidem humilitatem crepare, reipſa autem crudeliſsimum & ſuperbiſsimum tyrannum eſſe.

11 Intelligentia hominis, *id eſt, prudens homo*, retardat furorem ipſius.

Iræ duo ſunt genera. אָרַךְ Arach, longum fuit, protraxit, prolongauit, diſtulit. Duplex eſt iræ genus: Vnum quod ex bona radice ortum habet, & ad bonum finem tendit. Qualis eſt ira miniſtrorum Eccleſiæ, principum, parētum & aliorum, qui corruptis moribus iraſcūtur. Alterum eſt iniuſtum, quod ex mala radice oritur, & malum finem ſpectat. Omnes autē homines huic perturbationi ſunt obnoxij, quidam plus, quidam minus. At ſapientis eſt, iram ſuam premere, neq; ſe uel uerbis uel factis ulciſci. Non autem ita premendá eſt ira, ut oblata occaſione uindictā exigas, ſed iniuriæ ſepeliendæ ſunt ſempiterna obliuione. Porrò ſi iræ impetum non ſequaris, poſtea uidebis, te non ualde læſum, aut melius poteris reſpondere. Aliorū quoq; iram, homo prudens retardat & coercet ſua prudentia & dexteritate.

Præterire præuaricationem gloria eius.) Tranſire ſuper tranſgreſsionem, eſt diſsimulare. Si quis in te peccauit, facit ad gloriam tuam, ſi ſurda aure præteris. Non quòd ad omnia conniuere oporteat. Si enim lædatur gloria Dei, iraſci debemus. Multi uerò nihil afficiuntur contumelijs nominis Dei: ſuas uerò iniurias quantumuis leues, uindicant. Multi putant ſibi glorioſum, ſi ad leuem iniuriam gladios ſtringant. Rom. 12. Vince in bono malum. Quod de priuatis hominibus dicimus, ad magiſtratus etiā pertinet, multa enim eos diſsimulare & ferre in

uicinis,

uicinis,& alijs, necesse est. Fridericus imperator dicebat,Si quis nescit multa dissimulare, nescit regnare.

12 **Ceu fremitus leonis est ira regis.**

Kephir,catulum leonem significat, leunculum uertunt. Ira regis est formidabilis suis subditis.Similitudine rem illustrat: Leones rugitu suo,alia animalia terrent. Amos 3.cap.Leo si rugiat,quis est,qui non timeat? Basilius in suo Hexaemero testatur,animantium multa,quæ celeritate sua, leonis impetum euaserint, horrenda tamen eius uoce, ita consternari ac præ metu deficere,ut nullo negocio capiantur. Dicunt autem leonis indignantis rugitum procul exaudiri.Itaq; Pindarus eum ἐρίβρομον latè rugientem appellat. D. Petrus ferociam diaboli,per rugientem leonem significat.Supra dixit,Indignatio regis,nuncij mortis.Seneca in Medea:Grauis ira regum est semper.Boni principis ira formidabilis est sceleratis,non bonis: mali uerò,etiam bonis,in quos cùm alias ob causas,tum propter religionem puriorem uehementissimè grassantur. Sæpe principes natura clementes, ab impijs suis consiliarijs,flabellis diaboli,ad sæuitiam inducuntur. Qui placare iram regum debebant,sæpenumerò frigidam suffundunt,& oleum camino addunt.Principes in multis parum sunt attenti,calumnia multùm ualet apud potentes.Multis persuasum est Euangelicam doctrinam,esse seminarium discordiæ,& euersionem regnorum. Cùm populus Israelis ex Babylone reuersus,urbem ædificaret,multi principes apud reges eos accusabant, quasi defectionem molirentur. Idem hodie fit,quando de urbe Dei restituenda agitur.Discant principes & aulici ipsorum,suum officium. Deo aliquando erit ratio reddenda. Repetetur hæc sententia 20.capite.

Regum iræ.

Gratia autem illius,tanquam ros in herba.) Subditos consternatos,principis beneuolentia erigit. Rem declarat similitudine. Quemadmodum herbæ flaccidæ,pluuia & rore,ita animi subditorum deiecti,principis clementia recreantur.Principes inprimis decet clementia. Videndum autem ne præpostera sit,sed iusta. Si subditi sentiant,se clementes & beneuolos habere magistratus,quibus suis in ipsorum gratiam periculis sese obijciunt. Ferocia uerò principum magnas sæpe mutationes, & funestas seditiones excitauit. Potest hæc sententia per Allegoriam, Christo principi accommodari.

13 **Contritiones patris,filius stultus.**

הוה hauah,Contritio,infortunium,malum. Per stultum,fatuum intelligere potes,uel filium immorigerum parentibus,qui expectationi eorum non respondet,uel etiam impium & sceleratum,qui tametsi mundi iudicio sapiens uideatur, coram Deo tamen stultus est. Tales filij parentibus suis magnos cruciatus pariunt. Etsi liberi morigeros sese præbeant,nihilominus tamen magnas molestias & curas suis pariunt:quid si suo officio non fungantur? Parentibus dolorem non mediocrem parit, si pueri uitio aliquo corporis laborent: quis igitur non credat,maximum ipsis dolorem afferre, si liberi uacui sint uera pietate? Quid sibi de huiuscemodi liberis,uel in hac uel in futura uita promittere possunt? Si uident sua culpa tales esse,quid cogitabunt? Certè si sciant se non esse in uitio, dolores non erunt tam uehemẽtes. August.Imp.Iulias filiam ac neptem, postea etiam Agrippam relegarat. Ad omnem horum mentionem exclamabat uersu Homerico:

Stultus filius parentibus dolorẽ conciliat.

αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι.

Id est,O᾽ utinam cœlebs uixissem,orbusq; perissem:nec aliter illas appellabat,quàm tres uomicas.Quia uerò ex sobolis dedecore,non parùm mœroris redit ad patrem, uideat pater ne suo officio in educanda iuuentute suis desit: & liberi parentibus obsequantur. De spirituali quoq; patre, potest hæc sententia exponi.

Contentiones mulieris,tanquam stillatio continua.) Quidam uertunt,tectum iugiter perstillans.Teguntur domus,ut à pluuia defendamur. Multi si gutturnium stillans audiant, ferre nequeunt.In stillicidio incedere,res est ualde molesta & odiosa: & fortè hoc sensu, impij apud Micheam 2.cap.dicunt,Ne stilletis,ne stilletis, hoc est, ne sitis nobis molesti uestris illis concionibus,& muliebribus rixis.Si in mensam uarijs cibis instructam,guttæ assiduè decidant, uel in lectum,res est ualde molesta.Deinde tectum perstillans,domui incõmodat,perdit tabulata,&c.Hæc nũc rei propositæ sunt accõmodanda.Matrimonium à Deo institutum est ad uitandam scortationem, 1. Corinth. 7. Deinde propter conuictum. Deus in Paradiso dixit: Non est bonum hominem esse solum. Bonum igitur est,ut habeat sociam laborum & fortunarum. Si uxor absque causa subinde rixetur, marito nunc generis maculas,nunc paupertatem , nunc alia huius generis obijciat , similis est tecto fracto & perstillanti, marito est molesta,non potest quietè aut iucundè cum ea uiuere, sæpe domo pellitur. Deinde talis uxor,familiam conturbat,domum perdit, & rẽ familiarem dissipat. Quia enim quotidie

Mulier cõtentiosa.

noua famulitia habet, nō potest nō opum magnam iacturam facere, satius est solum uiuere, quàm cū tali, quæ te nō amat. Nā acerbū est, malum habere cōtubernalem : tametsi quis patiens sit, tamē expugnatur eius patiētia cōtinuis rixis. Gutta assidua, etiam lapidem excauat. Apud Græcos, uersus hic prouerbialis circumfertur: χειμὼν κατ᾽ οἶκος ἐστὶ ἀνδράσι γυνή, quod de mala est intelligēdum. Mulieres quidē nō debēt conniuere ad omnia, sed nec ob leuissimas offensiunculas, rixari. Possent multæ felices esse, nisi linguæ petulātia, multa mala sibi asciscerent. Est resistendum satanæ, qui turbare coniugia conatur. Semper cogitandum felicitatis matrimonij, maximam partem esse concordiam: rixarum igitur causæ uitandæ.

14 Domus ac diuitiæ hæreditas patrum: à Domino aūt prudens uxor.

Vxor bona diuinitus datur: hæreditas uerò relinquitur à parentib.

Dixit de mala uxore, è cōtrario nūc de bona pronūciat. Prudēs uxor, quæ rerum domesticarum noticiam, usu & experientia cōsequuta est, beneficio summo ac singulari, à Deo tribuitur. Domus & diuitiæ liberis tempore nuptiarum dantur à parentibus, aut hæreditate eis relinquuntur: uxor uerò bona, proprium Dei munus est. Quamuis parentes consultent de eligenda prudente, suo filio, tamen nesciunt qualis futura sit. Non igitur hoc uult dicere, quòd hæreditas non obtingat beneficio Dei, sed quòd commoda uxor peculiari quadam cura Dei detur, quodq; hæc res minus in nostro arbitrio & consilio sit posita, quàm aliæ. Proinde qui bonam nactus est, Deo gratias agat, & uideat, ne sua morositate malam efficiat. Qui bonam habere cupit, à Deo petat. Quid uerò de mala dicendum, an' non etiam à Deo datur? De hoc nō est dubitādum. Vulgus enim rectè dicit, Matrimonia esse fatalia. Deus aliquādo punit per contentiosas mulieres, malos, qui alienos thoros uiolarunt, aut omnes uxores contempserunt: bonos uerò exercet, & uult ut eis sint uirtutis materia. Multa autem loca testantur, prouidentia Dei omnia etiam munitissima gubernari. Quidam obijciunt, Si coniuges Deus copularet, diuites & pauperes coniungerentur: hoc uerò quia non fiat, nisi perrarò, facilè apparere, quòd Deus homines non coniungat. Hoc friuolum est, an propterea illi negabunt Deum fluuiorum cursum & fluxum regere, quòd non etiam sursum labuntur? Obijciunt etiam, Si Deus homines coniungeret, nullus diuortijs esset locus. Nam Matthæi decimonono dicitur: Quicquid Deus coniunxit, homo non separet. At quidam separari debent ac possunt: Non ergo à Deo coniunguntur. Fallacia est in coniungendi uoce. Quia uerò peculiari Dei ordinatione, uxor bona contingit, Deus orandus est, ut gubernator & rector matrimonij esse uelit. Interim non ociosi desidere debemus, sed curare ut uxores bonas consequamur. Hæc sententia ad maritos quoq; extendi debet. Singulare enim Dei beneficium est, si mulieres, bonos & prudentes maritos consequantur.

Mala uxor etiā à Deo.

15 Pigredo cadere facit soporem, & anima dolosa (*uel remissa*) esuriet.

Pigritia & dolus famē pariunt.

Sensus est: Quemadmodum pigritia tardema, id est, Somnum profundum cōciliat: ita doli & fraudes famem. Anima dolosa per Synecdochen hominem fraudulentum significat, qui per fraudes ac dolos opes congerit. Vel duo uitia ostendit, quæ famem pariunt, nempe pigritiam & dolum. Deus uult ut omnes honesto labori incumbant. Non autem unum est genus honesti laboris, ut aliàs explicauimus. Qui uerò ocio se dedunt, fame laborabunt. Deinde qui artes quidem exercent, at non honestas, sæpe fame contabescunt. Deus etenim eos punit, & homines quoq; sibi ab eis cauent, ob fraudes eorum. Ac tametsi magnos cumulos interdum colligant, tamen in medijs illis opibus esuriunt: Partis enim opibus, ad suam necessitatem uti non audent, & plura subinde appetunt. Remissi in diuinis negocijs, etiam subinde fiunt deteriores & tandem esuriunt.

16 Qui custodit mandatum (*uel præceptum*) custodit animam suam.

Custodire mandata.

Seruare mandata Dei, non uno modo accipitur in scripturis. Primùm significat legi Dei penitus satisfacere, ita nemo seruat in mundo. Scriptura enim omnes nos reos statuit, coràm tribunali Dei. Christus remittit diuitem adolescentem ad obseruationem mandatorum Dei, Matth. 19. Non quòd ille uitam hoc pacto acquirere posset, sed ut admoneretur suæ infirmitatis, & opem à Christo peteret, dicente, Qui credit in me, habet uitam æternam. Alioqui non negamus, homines per legem iustificandos, si perfectè eam præstarent. Deinde seruare mandata significat, pro infirmitatis humanæ captu, uitam formare ad præscriptum legis diuinæ. Addendum est per mandatum intelligi posse magistratuum, parentum, præceptorum, &c. Qui student uitam suam formare ad eorum obsequium, custodiunt animam suam, hoc est, consulunt uitæ suæ. Quot cæduntur à magistratu uel alijs, qui si præcepta illa seruassent, uiuere diutius potuissent? Custodiunt etiam animam à laqueis & potestate diaboli.

Et qui contemnit uias suas (uel eius) *morietur.*) Scilicet legis. Qui non consyderat, quid lex Dei prescribat, sed impetū affectuū suorū sequitur, quiq; in uocatione sua nō ambulat. An' nō moriuntur,

riuntur,in quis,etiam illi qui uias mandatorum non contemnunt? Duplex est mors,primum corporalis, quæ est animæ à corpore separatio, nec tantum est naturalis,sed etiam uiolenta, ut cum quis ab alijs occiditur,aut sibimet manus infert. Deinde Spiritualis, quæ iterum duplex est,una temporalis, quando morimur Deo & pietati, at in sceleribus uiuimus.Eph.2. 1.Tim.5. Luc.9, Sine mortui sepeliant suos mortuos. Altera æterna,non quòd anima moriatur. (Credimus enim ex uerbo Dei, animas nostras immortales esse) sed quia mors amara est & horribilis,per Metaph.mors pro afflictione & tormentis accipitur, ita ut mors æterna aliud non sit,quàm damnatio æterna. Hanc mortem Ioannes in Apoc.2.& 20.cap.appellat mortem secundam. *Mors duplex.*

17 Fœnerat Iehouæ,gratiosus erga pauperem,& retributionem suam reddet ei.

Hæc sententia beneficentiam & liberalitatem in pauperes commendat.Singula uerba suum habent pondus. Qui miseretur, hoc est, qui aliorum paupertate non modò afficitur: sed etiam ex commiseratione egenis & afflictis largitur. חנן Chanan significat recipere aliquem in gratiam,ex gratia donare aliquem.Eleemosynæ dictio Latinè nihil est aliud quàm misericordia. Vocamus autem hoc nomine beneficium, quod ex commiseratione datur pauperi. Per pauperes non illos tantum intelligit, qui ostiatim uictum quærere coguntur:sed omnes qui ope nostra indigent. דל dol significat exhaustum facultatibus,seu uiribus,tenuis fortunæ hominem,à דלל dalal, quod significat exhaurire. Qui in illos liberalis est,tantum abest, ut sua amittat,ut cum fœnore receptutus sit. Deus enim se sponsorem obstringit,& chirographum suum nobis dat.Fallunt nos sæpe homines, Deus nos non fallet.Libenter mutuò damus illis pecuniam,quos scimus honestos esse & ueraces: cur igitur Deo toties promittenti certissimum lucrum,nihil conferimus? לוה lasah propriè significat additum uel adiunctum fuit: deinde usurpatur pro accommodato seu mutuò accipere: Quoniam ille (ait Forsterus) qui mutuò accipit,addit seu deuincit & obligat se, fidemque suam alteri qui mutuò dedit. Non autem existimandum est, nos Eleemosynis nostris mereri uitam æternam. Promittit Deus bonis operibus pręmia,sed ex mera gratia.Nihil pauperibus conferre possumus,quod Dei non sit.Terra est Domini,& omnis plenitudo eius. Discamus ex hac sententia beneficentiam in pauperes.Nam si pauperibus benefaciamus, Deo ipsi benefacimus. Nemo non est qui Christo sua gratis conferre cupiat: cur igitur pauperibus conferre dedignamur,quos tantopere nobis commendauit? Præsertim autem id faciendum est,cum omnium rerum caritas fuerit. Excusant se multi,quòd ignorent qui ope eorum indigeant: at illa excusatio nulla est. Si uerò nihil habes, quod egenti conferas, potes pro ipsis apud alios intercedere. Nec unum est Eleemosynæ genus,ut alibi ostendimus. Hanc sententiam pulchrè explicat Chrysostomus ad populum Antiochenum,homil.24.& 33. In homil.3.in Genes.homil.in caput 5.Matthæi 15. & 67.in caput 21. *Liberalitas in pauperes. Eleemosyna.*

18 Castiga filium tuum,quia spes est,& ad interficiendum eum ne eleues animam tuam.

Docet castigandos esse liberos,& in castigatione modum esse seruandum. Bifariam à parentibus hac in re peccatur: primùm si nimia indulgentia liberos prorsus non castigent,& uitia ipsorum approbent.Deinde si modum excedant in castigatione,quæ ad coercenda peccata adhibetur.Hæc autem uel parua sunt,uel magna: destinato consilio, uel per incogitantiam admissa.Magna peccata,requirunt magnam pœnam: parua, paruam. Magna quoque ingeniorum est uarietas,quidam uerbis,quidam uerò, nonnisi plagis emendantur. Parentes itaque prudenter & circumspectè agant, & moderationem ut in alijs rebus, ita etiam in correctione liberorum seruent. *Castigatio liberorum.*

Ne leues,inquit,*animam tuam*, hoc est, ne inducas in animum tuum,*ut eum occidas.* Nam leuare animam suam,Hebr.phrasi est concupiscere, aspirare, desiderare.Reperiuntur parentes sæui & implacabiles, qui non patres, sed potius carnifices se præbent. Quidam gentilium, filios suos clàm sustulisse leguntur. Contumaces tamen filij, accusari apud iudices debuerunt. Deut.21.

Addendum est his, illos interficere liberos qui eos non castigant. Chrysostomus quoque dicit,patres qui liberorum modestiam & temperantiam non curant, liberorum interfectores esse,atq; grauius peccare quàm illi, quanto scilicet animi perditio grauior est,quàm corporis. Hinc Castalio hanc sententiam interpretatur,*Et eum necare in animum ne induxeris*,id est, ne committe tua indulgentia, ut pergat esse nequam, & ita pereat. Alij legunt: *Ad clamorem eius ne apponas cor tuum.* Deducunt à radice המה hamah sonare, non à radice מות meth.

Ne statim lachrymis eius mouearis, ut à correptione desistas. Prępostera est illa misericordia. Præstat, ut uulgus dicit, filios plorare quàm parentes.

Addit, *Dum spes est*, uel, *quia spes est*. Dum adhuc teneri sunt, magna est spes de profectu eorũ: nec tamen spes abijcienda est etiamsi ad multam ætatem processerint. Qui hodie admonitionem contemnit, fortè cras eam recipiet. Latro in cruce tandem ad meliorem mentem conuersus est. Quidam sub uesperam in uineam Domini mittuntur.

Quæ de parentibus dicta sunt, ad omnes pertinent qui in sacris scripturis sub hoc nomine intelliguntur, ueluti sunt tutores, præceptores, senes, magistratus. Magistratus pœnis coercere debent improbos. Pœnæ autem uariæ sunt, pro atrocitate delictorum. Non audiendi sunt illi, qui omnes pœnas tollunt tanquam inutiles. Deus enim quo ad hoc præcipit magistratibus quid faciant. Modum autem seruent in supplicijs inferendis. Ne illos puniant qui non meruerunt, ueluti qui diebus ab hominibus uetitis, carnibus uescuntur, matrimonium amplectuntur, sacra Biblia legunt, &c. & interim sceleratis quibusque parcant. Concionatores quoque taxent scelera, non modò in priuatis hominibus, sed exemplo Christi & prophetarum, in proceribus etiam: modum tamen in reprehensione seruent. Neque statim de aliquo desperent, quantumuis malo. Si equi tui uitijs aliquibus laborent, non statim excoriandos tradis. Multi quos nemo ad frugem aliquam unquam peruenturos sperasset, tandem in egregios uiros euaserunt. Eusebius in Ecclesiast. historia libro tertio capite uigesimo tertio, narrat egregiam historiam, de quodam duce latronum, quem D. Ioannes in uiam salutis reuocarit. Quis unquam credidisset, Paulum & alios, illa præstituros quæ præstiterunt?

19 Magnus ira sustinet pœnam: si erueris eum, adhuc tamen addes.

Hæc sententia cohæret superiori, de castigatione liberorum. *Magnus ira*, hoc est, qui nimium seuerus fuerit erga liberos, *sustinet pœnam, aut accipit damnum. Si liberas*, scilicet, filium, *rursum adde*, scilicet castigare eum, ne abijcias spem. Castalio reddit, *tardus ad bilem*, id est puniendum filium, *damnum faciet*: nam si siueris euadere, iterandum tibi erit, id est, iterum peccabit, & tibi puniendus erit.

Possumus hanc sententiam in genere accipere de iracundis, *magnus ira*, hoc est, qui impetum irę sequitur, *portat uel sustinet pœnam uel mulctam*, sæpe incurrit magna pericula: graues enim leges constitutæ sunt in uiolatores pacis. *Si erueris*, scilicet iracundum, *adhuc tamen addes*, hoc est, denuò oportebit te eum liberare. Etsi euadat periculum, tamen non cautus redditur. Vel si teipsum eruas, alijs tuo furore metum incutiendo: tamen addes pœnam, non semper impunè euades. Ita non sese tantum, sed alios in magnum mœrorem sæpe conijciunt. Qui igitur natura se iracundiæ obnoxios esse sentiunt, dent operam ne frena iræ laxent.

20 Audi consilium, & suscipe correctionem, ut sis sapiens in nouissimo tuo.

Postquam de parentibus dixit, quo pacto liberos suos castigare debeant, iam ad liberos, & eos qui in scriptura sub liberorum nomine ueniunt, sermonem conuertit, duo ab eis postulans. Primùm, ut consilium audiant, auribus scilicet mentis & corporis. Deinde ut correctionem suscipiant. Iuuenes ferè optimos consultores spernunt, illosq; magnifaciunt, qui se eorum affectibus accommodant: at cogitare debebant, parentes eis non modò optimè posse, sed etiam uelle consulere. Deinde inuitos ad castigationem accedere, sed propter liberorum utilitatem, eam interdum adhibere, quod licet nunc non intelligant, olim tamen uidebunt. Ostendit autem quis fructus consequatur, si consilium parentum & disciplinam non auersentur: tandem fiunt cauti & sapientes. Hæc subditi quoq; cogitent, qui à suis rectoribus, & omnes homines, qui à Deo castigantur.

Officium liberorum.

21 Multæ cogitationes sunt in corde uiri.

Multi ex gentilib. præclarè de prouidentia Dei philosophati sunt, at cum uiderunt sua consilia, illum quẽ sperabant euentum non habuisse, planè attoniti, cœperũt ambigere nũ Deus esset. At sacræ literæ docent omnia, etiam quæ non ex sententia nostra eueniunt, & perturbatissima uidentur, optimè à Deo gubernari: neq; ullis humanis consilijs, consilia eius impediri. Vulgò hanc sententiam sic efferunt, Homo proponit, Deus disponit. Multi ambitiosè cogitant, se assecuturos magnum gradum in Repub. at non assequuntur. Multi diuitias colligere instituunt, at Deus pauperes esse uult. Quidam partis opibus diu frui uolunt, at Deus cursum uitæ eorum subitò abrumpit. Multi alioqui se diu uicturos cogitant, at statim concidũt. Quidam Euangelium excindere parant, at uarijs modis eorum consilia impediuntur. Multi uolunt uincere, sed uincuntur. Ita hominum consilia, irrita sunt & frustranea.

Consilium autem Domini surgit (uel permanet.) Dei consilium & decretum constans est & immobile, inuitis impijs & diabolis semper fit. Esaiæ 46. cap. Omnis uoluntas mea fiet, cui certè nemo resistere potest. Psalm. 33, Dominus dissoluit consilium gentium, & in irritum deducit cogitationes populorũ. Consiliũ Domini stabit in æternũ: cogitationes eius in generationẽ & generationẽ, &c. Et quemadmodũ frustranei essent illorũ conatus, qui cursum Solis uel fluuiorum remorari uellent: ita qui uoluntati Dei omnibus uiribus reluctantur. Quando oramus, Fiat uoluntas tua, &c. non de obedientia necessitatis, sed uoluntatis loquimur. Etiam tum, cum contra Dei uoluntatem impij faciunt, fit aliquo modo Dei uoluntas. August. in Enchiridio ad Laurentium capite 100, Quantum ad illos attinet (loquitur de peccatoribus) quod noluit Deus fecerunt, quoad potentiam eius, hoc facere nullo modo potuerunt. Hoc enim ipso quod fecerunt contra uoluntatem eius, de illis facta est uoluntas eius. Hæc ille. Res in persecutione manifesta est, quæ tribuitur diuinæ uoluntati, 1. Pet. 4. Vtile autem nobis est, quòd impiorum & diaboli consilia non procedunt: alioqui statim de nobis actum esset. Quia uerò Dei consilium firmum est, mala quæ nobis accidunt, certo eius consilio accidunt, & res omnes euentum habent pijs utilem & salutarem, etsi nos non semper assequamur. Orandus itaq; est Deus, ut nostra consilia regat. Vide cap. 21. uers. 30.

Decretorũ Dei constãtia.

Quãdo impij contra uoluntatem Dei faciũt, aliquo modo implent eius uolũtatem.

22 Concupiscentia hominis misericordia eius.

Scilicet Dei, de quo iam dixit. Homines etiam impij, cuperent Deum sibi misericordem esse, at quia fide carent, frustra cupiunt. Pij agnoscentes sua peccata petunt ne Deus cum eis agat secundum iusticiam suam: sed per immensam misericordiam, eis propter Christum propitius sit. Norunt ex scripturis, Deum natura esse clemẽtem & misericordem. Exo. 32. Ionæ 4. &c. Reprehendendi sunt, qui in opera sua, nec illa tantum quæ Deus exigit, sed etiam electitia fiduciam suam collocant. Pronomen, eius, potest etiam ad homines referri. *Desiderium hominis misericordia eius*, scilicet sit uel esse debet. Delectari homo debet misericordia in alios. Christus enim dicit Luc. 6, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Matth. 9, Misericordiam uolo, nõ sacrificium. Æquum autem est, ut qui magnam misericordiam consequuti sunt, eandem alijs quoq; præstent, Matth. 18. Est autem misericordia, ut ait Cicero, animi dolor & ægritudo de alterius concepta miseria, & ad succurrendum impensa. Vnde colligimus, pauperes etiam misericordiam præstare posse. Qui uerò opes habent, opera etiam misericordiæ præstare debent. Vulgò numerantur sex, nempe cibare & potare famelicos & sitientes, tegere nudos, uisitare infirmos, redimere captiuos, colligere peregrinos & sepelire mortuos: sed sunt infinita. Sunt qui ita intelligãt, Sunt multi homines, qui cupiunt misericordes uideri. Quidam ita, Homo indigens misericors est, quia ex propriæ paupertatis experientia, aliorum miseretur. Sic Dido apud Vergilium dicit,

Misericordia.

Non ignara mali, miseris succurrere disco. "

Et præstantior est pauper, quàm uir mendax.) Præstat pauperem esse & aliorum misereri: tametsi reipsa misericordiæ opera propter egestatem exercere non possis, quàm diuitem esse & mendacem, fingendo te nihil habere, quo subleues necessitatem proximi, cum tamen abunde tibi suppetat. Vel simulando, te proximo tuo manum porrexisse, cum tamen nihil aut parum feceris. Vel simulando, te pio animo fecisse, quod tamen ideo fecisti, ut homines tuam pietatem prædicent, Matth. 6. In genere etiam præstat leberide nudiorem, quàm mendacem esse. Mendacium enim detestatur Deus, qui est ipsa ueritas.

23 Timor Domini ad uitam (*s. ducit*) & satur commorabitur, non uisitabitur malo.

Triplicem timoris Domini fructum ostendit: primus est uita, hoc est gaudium & prosperitas in hoc seculo: uita item æterna, quæ timentibus Deum, propter Christum donatur. Secundus fructus est saturitas: suprà enim dixit, seruans præceptum, scilicet Dei, seruat animam, scilicet à fame, ut quidam interpretantur. Sic Psalmo 34. dicit propheta: Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Psalmo 37, Non est defectus timentibus eum. Tertius fructus est securitas, tuti erunt ab omni malo, non quòd malis pij non exerceantur: sed quòd in medijs malis, in Deo tanquam in portu conquiescant, sciunt eum sibi bene uelle: nemo eos potest ab eo diuellere, Roman. 8. Hæc uerò Deus in futura uita cumulatissimè suis præstabit.

Timoris Domini triplex fructus.

24 Abscondit piger manum suam in sinu, etiam ad os suum non adducet eam.

Capite 26. uers. 15. repetitur hæc sententia. Apud Latinos quoq; manum habere sub pallio dicuntur, qui languent ocio. Desidiosus homo, honestum laborem non suscipit, ideoque

Pigritia.

nihil habebit quod in os ingerat. Multi malunt extremam famem pati, quàm laborare. Vel hac phrasi summa ostenditur ignauia: nullus enim labor est, manum ad os applicare. Aben Ezra notam similitudinis subaudit: piger est similis illi, qui manum suam mittit in lebetem uel ollam, & tamen ad os non retrahit. Vt sit sensus: pigros aliquando conari aliquid, sed ad finem non perducere. At constanter neglectis periculis pergendum est. Qui in finem usque perseuerauerit, inquit Seruator noster, hic saluabitur.

Forsterus hanc dicit esse sentẽtiam: Piger citius patitur corrumpi in caldario cibum, quàm ut statim in os ingerat, quod nimirum quæ friguntur & torrentur, statim incalescant, & nisi statim excipiantur, dispereant adustione. צלחית zilchith & צלחת zallachath, significat scutellam, uel lebetem, ollam, frixorium, & per translationem sinum.

25 Derisorem si percusseris, simplex efficietur astutus.

Vtile est si de malis pœnæ sumantur.

Non omnes idem sentiunt de pœna, quæ erga iuuenes & adultos exercetur. Sunt enim qui neminem puniendum esse censent: nullam enim utilitatem esse. Illos qui sponte non faciunt, neq; pœnis adigi posse, ut ex animo faciant quod debent. At scripturæ iubent sontibus pœnas inferre, partim ut illi puniantur, partim in terrorem aliorum, ut eorum exemplo fiant cautiores. Et hoc dicit etiam Solomon hoc loco: *Si percusseris*, hoc est, cum aliquis percusserit, ut certa persona pro quauis ponatur (תכה takæ percuties, futurum à uerbo נכה nakah) *Derisorem*, hominem qui omnia contemnit, *Simplex fit cautior.* Si homines simplices audiunt derisorum pestilentes sermones, & eos abundare omnibus rebus conspiciũt, multum commouentur: sed si uicissim eos à Deo uel hominibus flagellari uident, statim timent, ne idem ipsis quoq; contingat, & alienis periculis bene utuntur. Felices sunt qui alienis malis cautiores fiunt. Sic Tibullus,

Felix quicunq; dolore
Alterius, discis posse carere tuo.

Miseri uerò sunt, qui magno suo malo uix tãdem sapiunt. Demades, ut est apud Plutarchum, suis Atheniensibus obijciebat, quòd nunquam tractarent de pace, nisi pullis uestibus induti, hoc est, nisi suorum cladibus admoniti & edocti.

Et si quis increpauerit intelligentem, intelliget scientiam.) Intelligens, si uel uerbo admoneatur sui officij, fit cautior. Omnia cõuertit in argumẽtũ rectè uiuẽdi. Petrus gallicinio in uiã reuocatur.

26 Destruit patrem, fugat matrem, filius pudore & probris afficiens.

Lex præcipit, ut liberi parentes honorent, hoc est, honorificè de eis sentiãt, externum quoque honorem eis deferant, eorumq; paupertati succurrant. Qui itaque contrarium facit, ut qui res patris clàm aufert, uel sua prodigalitate & perdita uita, patrem ad paupertatem redigit, item qui matrem expellit, uel ita uiuendo, ut mater domum & omnia uendere cogatur, ut satisfiat creditoribus: uel alioqui barbarica immanitate matrem ædibus eijciendo, pudore & probro afficit se & parentes suos. מחפיר machpir, participium præsens in hiphil, à uerbo חפר chapar, oculos auertere, auertens se præ pudore, pudendus, id est, quem nemo bonus dignatur oculis suis aspicere.

27 Cessa fili mi audire institutionem, quæ te ducit, ut erres ab eloquijs scientiæ.

Sunt priuatim homines, qui deterrent nos à lectione & meditatione sacrarum literarum, & nos inuitãt ad ebrietatem, scortationem, militiam mercenariam, &c. contra uerbum Dei, quibus non est auscultandum. Deinde sunt falsi doctores, qui tradunt doctrinam ueræ scientiæ contrariam, & abducentem à mandatis Dei, qui etiam diligenter cognoscendi & cauendi sunt. Vera scientia, ostendit salutem in solo Christo positam esse. Qui salutem alibi ostendunt, in nostris uel aliorum operibus, abstrahunt nos à uerbis scientiæ. Christus & Apostoli, etiam cauendum scribunt à falsis doctoribus. Matth. 7. 24. 2. Pet. 2. &c. Cessa, dicit Solomon, audire: quasi dicat, Si hactenus auscultasti eis, auerte nunc aurem: non enim proderit hæc quam multi afferũt excusatio, in iudicio Dei, Qui me seduxit, ipse reddet rationem. Christus dicit utrunq; in foueam casurum.

28 Testis Belial, deridebit iudicium.

ליץ Lutz deridere, & interpretari significat. Testis impius, qui iusiurandum & ueritatem contemnit, ridet & uili pendit iudicium, non cogitat iudicium non hominum esse, sed Dei. Id quod etiam Hesiodus agnouit, nam scribit ad fratrem:

αὖθι διακρινώμεθα νεῖκος
ἰθείῃσι δίκαις, αἵτ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.

Testis impius loquitur in iudicio, quæ praui affectus suggerunt. R. Dauid in libro de radic. dicit,

dicit, componet seu palliabit in iudicio, bonitate aut decore uerborum suorum mendacium, perinde ac si esset ueritas. Iudicium accipitur etiam pro pœna & supplicio: Contemnunt autem tales homines Dei iudicia parata mendacibus, quæ tamen nequaquam effugient. Vide cap. 28. uers. 5. Hanc hominum impietatem Iuuenalis quoque Satyra decimatertia taxauit.

"Tam facile & pronum est superos contemnere testes,
"Si mortalis idem nemo sciat. Aspice quanta
"Voce neget, quæ sit ficti constantia uultus.
"Per Solis radios, Tarpeiaq; fulmina iurat, &c.

Os impiorum, deuorabit iniquitatem.) Quidam ad iudices constringunt, abscondunt & tegunt impiorum iniquitatem, quam ex legibus punire debebant. Pòst tamen in genere accipi: *Os impiorum teget uel operiet iniquitatem*, cùm uel in animo habent scelus aliquod patrare, aut iam patrarunt, possunt egregie dissimulare. Sic infra cap. 31. de adultera dicit, quòd commisso adulterio mox dicat: nihil mali feci. Quid hypocrisis possit nemini ignotum est. Quin & aliorum scelera tegunt. Sic hodie multi, Antichristi pessimos errores & turpissimam eius uitam excusant. בלע bala significat absorbere, deglutire, præcipitare: Metaphora sumpta ab illis qui præcipitanter & temerè deglutiunt: hinc quidam reddunt, *Os improborum, præcipitabit iniquitatem*, Id est, præcipitanter effutiet. Quidam intelligunt, quòd falsis testimonijs delectentur quasi cibo.

29 Illusoribus parata sunt iudicia (*uel pœnæ*) & uerbera dorso stultorum.

Primum membrum huius sententiæ, ostendit illusores manere supplicia. Vbi de illusoribus quædam annotanda sunt: sæpe enim in hoc libro, & alibi in scripturis eorum fit mentio. Deinde nostro seculo multi sunt illusores, & quotidie magis magisque eorum numerus crescit, quemadmodum Petrus in secunda epistola, capite tertio fore, prædixit. לץ lez illusor, est nomen participiale, à uerbo ליץ lutz, quod est deridere uel interpretari: significat hominem profanum qui res sacras irridet, & uerba uel facta alterius falsò interpretatur. *Illusor quis.* Non hic de illis loquimur, qui non malo animo, alios interdum irrident, ut homines reficiant, Græci εὐτραπέλους comes, facetos & urbanos hos uocant: sed de illis loquimur, qui ex contemptu omnia irrident, cùm aliquid uel ipsi non intelligunt, uel cùm aliquid eorum affectibus repugnat. Fuerunt autem omnibus seculis tales homines. *Illusores multi fuerunt omnibus seculis.* Quid putamus Noe ab illusoribus passum esse? Prophetæ cum illo genere hominum assiduè pugnarunt. Dauid in Psalmo 119. queritur, se à superbis derisum, cùm legi Dei studeret. Ieremias 20. capite queritur, uerbum Domini sibi factum esse in derisum & opprobrium. Capite uigesimotertio interrogant prophetam, quod nam sit onus Domini? Tobias Ammonita irridet ædificantes templum. Christo illuserunt ministri sacerdotum, in atrio Caiphæ, Herodes, milites, & omnis generis homines, cùm in cruce penderet. Cùm Apostoli in die Pentecostes uarijs linguis loquerentur, quidam irridentes eos, ebrios esse dicebant. In historia ueteris Ecclesiæ, multi leguntur, & uiua uoce & scriptis insultasse Christianis, ueluti Porphyrius, Iulianus, Lucianus, & alij. Hodie magnus illorum hominum numerus existit, non modò inter falsæ religionis homines: sed inter illos etiam, qui Euangelici uocantur. Multi potentes omnem rident religionem, & non ob aliam causam inuentam putant, quàm ut stulta plebecula, hoc quasi uinculo in officio contineatur. Multi doctores Ecclesiæ, sacra omnia habent contemptui, & pro sana doctrina, ridicula quædam proponunt. Qui Deo se approbare studet, quiq; bonum reddit pro malo, non præsentia sed futura respiciens, hunc Cardinales Romæ, Bonum Christianum per Ironiam uocant. Opifices, rustici, pueri, uerbum Dei in ludibrium uertunt. Putant multi se ingeniosos esse, si omnia suauiter irridere possint.

Irrident autem uerbum Dei, præcepta, promissiones, minas, prodigia, sacras ceremonias: item homines qui cum ipsis uolunt insanire. *Quidnã & quos irrideant.* Non quidem illusores existimandi sunt, qui stultas Papistarum ceremonias irrident, ueluti uenerationem reliquiarum, baptismum campanarum, peregrinationes ad templa sanctorum, & alia huius generis. Helias enim Baalistas etiam irridens, iubebat eos alta uoce clamare, ut exaudiri possent. Baalem enim aut in diuersorio, aut in itinere esse, aut obdormiuisse. Modus tamen hac in re seruari debet, ne ex ministris scurræ fiant. Sunt qui in uniuersum scripturas & omnia reijciant. Sunt deinde qui certa tantum capita irrident. Sapientes huius mundi, illa rident quæ non ratione humana, sed fide duntaxat apprehenduntur. Sic Actorum 17. Athenienses Paulum de mortuorum resurrectione concionantem, irridebant. Auari illa rident, quæ contra ipsos proferuntur. Sic pharisæi Lucæ 16. capite, Christum deridebant cùm eos

hortaretur, ut sibi amicos pararent ex Mammona iniquitatis, & ne sperarent, se Deo & Mammonæ simul posse seruire. Sic ebrij, scortatores, adulteri, Cares &c. illa cõtemnunt & irridét, quæ contra eos producuntur. Nonnulli dicunt, se non ridere Deum aut uerbum Dei, sed tantùm concionatores: quos tamé ideò irrident, quia uerbum Dei afferunt. Homo dum nondũ regeneratus est, non potest non irridere mysteria uerbi Dei.

Quomodo irrideãt uerbum diuinum & res diuinas. Hæc autem irrisio non fit uno modo. Quidam in corde suo omnia irrident, nec prorumpunt in uerba, metuentes ne hoc ipsis fraudi sit. Alij uerò uerbis & factis derident, partim apud notos homines, partim uerò apud omnes, in omnibus conuenticulis & cœtibus hominum. Qui sint eorum sermones, Petrus in sua epistola expresſit: negant secundum aduentum Christi, ideoq; resurrectionem mortuorum, uitam æternam, & æternum etiam supplicium. *Sermones.* Multa impia prouerbia circumferunt. Quidam scurriliter per irrisionem, pronunciationem & gestus prædicatorum uerbi diuini imitantur & exprimunt. Quidam uerbum Dei corrumpunt, & omnibus rebus accommodant. Huc pertinent omnes illæ impiæ uoces, Quid ad me scriptura? An non æquè mendacium scribi potuit, ac ueritas? Diu est quando hæc, de quibus uos concionatores dicitis, acciderunt. Edamus, bibamus, cras moriemur. Chrysostomus suo tempore scribit quosdam dixisse: Δὸς μοὶ τὴν σήμερον, καὶ λάβε τὴν αὔριον: hoc est, Da mihi hodiernum diem, & sume tibi crastinum: Significantes se malle certa, quàm incerta persequi. Huc refer sannas hostium Christi, qui si contra fideles uictoria potiantur, si eos tormentis subijciant, aut ad supplicia educant, superbiſsimè eis insultant. *Gestus.* Gestibus quoq; contemptum irrisores illi interdum significant, ueluti motu capitis, labiorum, nutu oculorum, strepitu digitorũ.

Facta. Facta eorum qualia sint, D. Petrus ostendit, dicit enim: eos uicturos secundùm proprias cõcupiscentias. Multi non curãt legem Dei, nec leges pontificias: sed ex omnibus religionibus illa deligunt, quæ eorum affectibus uidentur congruere.

Quantum mali dent irrisores. Non autem falsi tantùm doctores, gregi dominico incommodant, sed etiam illi irrisores: sermo eorum serpit, ut cancer uel gangræna. Natura pleni sumus dubitationum, si nunc huiusmodi flabella diaboli accedant, magis excitantur. Sit aliquis in uera fide bene instructus & confirmatus, tamen si quotidie illos subsannatores audiat, sentiet suam fidem non parum labefactari. Præsertim autem iuniorum & infirmiorum mentes, his sermonibus grauiter uulnerantur. Hieronymus & Græci, Lezim ferè uertunt pestilentes, nimirum quòd illi nebulones pestis quædam sint Reipub. & Ecclesiæ. Infrà 29. cap. dicet, illusores illaqueare ciuitatem, hoc est, efficere, ut in seruitutẽ redigatur. *Pœna illusorum.* Magna itaq; pœna eis est proposita. Magnum enim peccatum est uerbum Dei, cui summa reuerentia exhibenda erat, sannis excipere. Si secundũ uerba Christi, Matth. 12. cap. ratio reddenda est de quouis ocioso uerbo, quantò magis de illa irrisione? Hoc loco dicit Solomon, derisoribus parata esse iudicia, siue supplicia. Ierem. 23. ca. irrisoribus illis, ex ore Dei pœnas denunciat. Raró enim illusores ad pietatem conuertuntur. Prouerb. 11. Qui illusor est, nõ audit, cùm arguitur. Magistratuum est, petulantiam illorum hominum coercere, saltem in terrorem aliorum, ut suprà dictum est. Si uerò illi suum officium non faciant, sed dicant: Norunt omnes illum esse illusorem, nullum igitur est periculũ: Deus tamen suas partes agit, finit eos interdum in alia flagitia incidere, propter quę magistratus in eos animaduertat: alijs horrendis & miseris modis eos è medio tollit. Si memoria repetas, rari fuerunt illusores, qui non in hac uita pœnas dederint. Exempla huius rei permulta extant in historia. Helias 1. Reg. 1. cap. quinquagenarios illusores cum suis militibus igne è cœlo euocato perdidit. Heliseus eius successor, pueros illusores ursis laniandos obijcit. 1. Reg. 2. cap. Lucianus Samosatenus apostata, dicebat, se nihil habere ex Christianismo, quàm cùm antea Lucius uocatus esset, nunc Lucianus uocaretur: irrisit Deum & homines, sed dignum se exitum habuit. Nam (ut refert Suidas) à canibus laceratus est, quorum ingenium oris petulantia expresserat. Iulianus apostata, qui Christianis opes eripiens, dicebat, se hoc recipere, ut centuplum iuxta seruatoris sui doctrinam reciperent, & miris modis eis insultabat, tandem infelix miserabilem exitum habuit. Possemus etiam nostrorum temporum exempla afferre. Non autem priuatim tantùm, sed & publicè Deus uerbi sui irrisionem punit. Exemplo nobis sunt Iudæi, qui cùm prophetas monitores suos contemnerent, tandem præda facti sunt Babylonijs & alijs: qui cùm & ipsi uictoria diuinitùs sibi cõcessa abuterentur, & Israelitis insultarét, de qua re aliquot Psalmi loquuntur, tandem etiam manus illius senserunt, quem irriserant. Cùm Christus Iudæos doceret uerbum Dei, sed ab omnibus ordinibus ludibrio haberetur, factum est, ut tandem per Romanos funditùs excisi, & toti orbi fabula facti sint, quemadmodum apud prophetas sæpè eis fuerat comminatus. Nec dubitandum est gentes illas, quæ ueram religionem non tantùm irrident, sed crudelisſimè persequuntur, tandem miserè perituras esse. Deus enim se irrideri nequaquam patitur. Prouerb. 3. illusoribus ipse illudet, at humilibus

libus dat gratiam. Maximè uerò in extremo iudicio illusores illi risui erunt expositi, quando sancti, ut est in libro Sapientiæ, magna constantia eos accusabunt, & impij æterna ignominia afficientur.

Quare si hactenus fuisti illusor, aut eorum sermonibus delectatus, caue tibi deinceps, pete ueniam à Deo, defende ueritatem, contemptis impiorum sannis & sarcasmis, perge in uera fide & uitæ integritate: non enim perpetuò ridebunt impij. Prouerb. 9. legitur: Si illusisti, solus tu portabis, hoc est, non me doctorem, sed teipsum deludes. Patresfamiliâs, ludimagistri, concionatores, & præcipuè principes & magistratus, suo officio non desint: sed homines illos prophanos, coerceant, & toti in hoc sint, ut Deus ametur, colatur & celebretur. Alterum membrum huius sententiæ ostendit, quomodo agendum sit cum illusoribus. *Quo pacto nos geramus.*

Flagella & contusiones, corpori stultorum. s. Parata sunt. Eccl. 33. Pabulum, uirga, & onus asino: Sic panis, disciplina & opus seruo. Stulti metu pœnarum regendi sunt, blandis uerbis adduci non possunt, ut suum faciat officium. Deinde stultis, id est, impijs hominibus constituta sunt grauia supplicia, iuxta diuersa flagitia quæ committunt, &c. in hoc & in futuro seculo.

CAPUT XX.

Derisorem *efficit* uinum, tumultuatur sicera, & omnis qui errat in eo, non erit sapiens.



IN fine præcedentis capitis, dixit derisorib. parata esse iudicia: iam in primo uersu ostendit, quid efficiat derisores. *Vinum*, inquit, *derisorem*, scilicet, efficit: est enim ἐμπαίκτης, uel *derisor est uinum*, id est, bibens uinum, *& sicera tumultuantem facit*. Est aũt sicera omnis potus, quo quis inebriari potest. *Omnis qui errat in eo*, hoc est, qui modum in bibendo seruare nescit, *non erit sapiens*. שגה schagah, significat errare, incogitanter & inconsyderatè agere. Sic Isa. 28. etiam isti in uino, uel propter uinum, errauerunt: sacerdos & propheta errauerunt in sicera. Non dicit, qui bibunt uinum aut siceram: sed qui errant in eis, hoc est, qui modum excedunt. *Quid efficiat derisores.*

Hæc sententia tria complectitur, quæ ex ebrietate oriuntur. Primum est, quod illusores facit. Vinum est bona Dei creatura, quod, si rectè eo utimur, nos non reddit ineptos: sed si immodicè bibamus, facit derisores, qui omnia consilia & præcepta contemnunt, Dei iudicia non metuunt, omnia flagitia pro ludo habent. Est enim multorum uitiorum radix. Hoc iudices experiuntur, nam qui alterius bona, famam, corpus læserunt, dicunt se benè potos fecisse. Quia uerò ebrij omnia irrident, ipsi tandem omnium risui exponentur. *Ex ebrietate quæ oriãtur.*

Alterum quod ex ebrietate nascitur, est tumultus, המה hamah, significat sonare, tumultuari, fremere. Nam ubi ebrietas regnat, ibi exaudiuntur uarij strepitus, uociferationes, fremitus: oriuntur contentiones & tumultus: ad cædes aliquando proceditur. Noctu sæpe uino madidi, per plateas clamantes oberrant. Grammatici annotant Bacchum dici, ἀπὸ τοῦ βάζω quod est clamo, uocifero. Similiter Iacchum παρὰ τὴν ἰαχὴν, id est, clamore, gemitu, rugitu: & Bromium ἀπὸ τοῦ βρόμου quod est strepitus, sonus, &c.

Tertium est stulticia: nam qui se uino oblectat, non erit sapiens, nihil consultè, nihil moderatè uel dicet uel faciet. Quid enim tàm est ineptum & stultum, ad quod non incitet ebrietas? Plinius scribit prouerbium esse: Sapientiam uino obumbrari. Plato libro 1. de legibus scribit, non solum senes, uerum etiam temulentos, pueros esse. Ratio, qua homines à cæteris animantibus differunt, ebrietate aufertur. Multi mortuis similes iacent. Oseas 4. cap. Vinum & mulieres dicit cor auferre. Vulgus etiã dicit, ingrediente uino sapientiã exire.

Discamus igitur ex hac sententia, cauere ebrietatẽ, ex qua hæc & alia innumera mala consequuntur. Longum esset recensere, quo pacto lædat fortunas, famam, corpus, uitam & animam. Fugiamus illos, qui etiam nõ sitiẽtes ad bibendũ cogunt. Nec satis est, ut nobis ab ebrietate caueamus: sed curandum quoq; est, ne alij ebrietati indulgeant: resistendum est huic malo. Et quanquam omnes desperent, hoc malum posse tolli, tamen si Concionatores & Magistratus, cæteris ad imitationẽ uitæ exempla propositi, ab ebrietate sibi cauerẽt, una eademq; opera, & sibi consulerent, & à populo eandem sobrietatem impetrarent facilius.

2 Rugitus tanquam leonis, est terror regis, qui incitat illum in se, peccat contra animam suam.

Ira regis, ut suprà quoq; cap. 19. uersu 12. comparatur rugitui leonis, qui terribilis est animalibus, tunc enim maximè rugiunt, quando irati & famelici sunt. Ita regis ira (per regem *Regis ira.*

quemlibet magistratum intelligere possumus) est terribilis. Iusta autem est eius ira, quando sceleratis, iniusta quando pijs & innocentibus irascitur. *Qui irascitur ei* (de hac uoce עבר afar dixi cap. 14. uersu 16. uulgatus interpres reddidit, qui prouocat eam) *peccat contra animam suam,* hoc est, mortis periculo se obijcit. Multi enim qui uerbis uel factis, principes offendunt, malè mulctantur: nec mali tantum, sed & boni uiri. Colligimus ex hac sententia cauendum esse, ne principes ad iustam iram prouocemus, quod tum fit, si eos contemnamus, tributa, uectigalia & alia non persoluamus: si eorum legibus, edictis, iudicijs, non pareamus, tunc enim iurè nobis succensent. Obediendum illis est, ut Paulus docet, non solùm propter iram, ne in rebelles animaduertatur: sed etiam propter conscientiam, quia uerbo Dei conscientia obstringitur, quæ suadet parendum esse. At si præcipiant pugnantia cum uerbo Dei, eis obtemperandum non est, utcunq; fremant & ferociant. Exemplo nobis sunt socij Danielis, Apostoli, Polycarpus & alij. Socrates quoq; apud Platonem dicit, πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. Quandoquidem uerò principes sæpenumerò bonis uiris immeritò irascuntur, illi qui gratia & authoritate apud eos ualent, placare iratos debent. Qui eis adulantur & oleum camino addunt, horribiles Deo pœnas dabunt. Quales sunt illi, qui hodie principes ad bella nō necessaria, & cōtra Christianos incitant.

Regibus impia præcipientibus nō est parendum.

Potest hæc sententia de rege regum etiam commodè exponi. Nam ira numinis in scripturis non semel rugienti leoni comparatur. Ad iram Deum prouocant, qui idola defendunt ac turpiter & flagitiosè uiuunt. Prouocant autem eum contra animā suam: Deo ipsi nocere non possunt. Huic regi regum, reges rationem sunt reddituri: qui, si sua potestate abusi fuerint, & innocentes oppresserint & dilaniarint, Deus quoq; instar ursi & leonis eos perdet.

3 Gloria est uiro quiescere à lite, & omnis stultus admiscet se.

Vide cap. 18. uers. 1. Sedere à lite, id est, quiescere, cessare, à שבת schabath, uel ישב iaschaf. Multi natura sunt φιλονεικεῖς, & ob quamlibet leuem occasionem, inter domesticos, cum quibus quotidie uersantur, mouent certamina. Deinde in foro etiam sæpè nō necessarias ob causas contendunt. Reperias contentiosos homines, qui dicant se etiam malam causam uincere posse. Malitiosa hęc sunt ingenia. Putant sibi gloriosum esse, si nemini cedant. At sacra scriptura contrarium pronunciat, dicit gloriam esse unicuiq;, non solùm apud homines prudentes, sed ipsum Deum: adde etiam utilitatem afferre, si à litibus sibi temperet, multa tacitus dimittat, nec semper ius suum rigidè persequatur. Oportet aliquando concedere de suo iure, quin etiam uexationem redimere.

Stulti φιλονεικεῖς.

At omnis stultus admiscet se liti.) Stulti gaudent rixis, nolunt cuiquam cedere, putāt hoc ad laudem cùm suam, tum totius familiæ pertinere, undiq; captāt rixandi occasionem, domi rixantur, in foro cōtendunt de rebus, quæ alioqui disceptari possent. Quin etiam de religione mouent certamina non necessaria. Quemadmodum hodie in Anabaptistis & Papistis uidemus, qui libidine illa rixandi, sæpè tuentur, quæ in conscientijs suis non credunt, tantùm ne uideantur errasse. Quàm multa sunt in Papatu absurda, quæ uehementi concertatione defendenda suscipiunt, & sic perturbantur, ut magis magisq; à ueritate recedant? Non autem dicendi sunt, rixas serere, qui absq; obstinatione ueritatis causam defendunt. Pax quidē seruanda est, sed salua semper ueritate. Contentiosi sunt, qui mordicùs falsa dogmata retinent & tuentur. Quin longius procedunt contentiosi homines, & aliquando cum ipso Deo litigāt, cur opes, uictorias illis, uel illis concedat, cur fruges grandine conterat, cur non omnibus gratiam conferat, ut oblatum uerbum fide recipiant? At cogitandum erat, rationes cōsiliorum diuinorū, humano ingenio perueſtigari non posse. Ne lumen Solis, apertis oculis intueri possumus. Quàm multa sunt in rerum natura, quorum causas scrutari homines nequeunt? Dicendū est cum Dauide, Psalmo 38. Obmutui, non aperui os meum, quia tu fecisti.

4 Propter hyemē piger nō arabit, & mendicabit (*uel petet*) in messe, & nō.

Sensus est: Pigri propter hyemem, id est, frigus, nolunt arare & labores perferre, ideò etiam nō metent. Et quando ab alijs petent, non erit, qui eis aliquid det, uel quod eis detur, uel nō scilicet, adipiscentur. Dicent enim, cur non etiā tu laborasti? Sic formica cicadam illusit, cùm, ut est in fabulis, respondit petenti cibum: æstate cantasti, hyeme salta. Apostolicum præceptū est, ut qui non laborat, non manducet. Ostendit hæc sentētia quid tandem maneat illos, qui recusant labores ferre. Hesiodus quoq; fratrem suum hortatur, ut maturè & diligenter labores perficiat, ne egestate compulsus, cogatur uicinorum opem implorare: etsi enim semel & iterum eum subleuent, tamen id non perpetuò esse facturos, &c.

Allegoria.

Per allegoriam, literarum studiosis hæc sententia accommodari potest. Qui si tempore iuuentutis arare nolint, id est, magnos labores sustinere, tandem optatum studiorum fructum

non metent,sed frustra ab alijs emendicabunt.Ita alij quoq; qui agrum cordis non excolunt, in æstate,id est,in die iudicij sui particularis,aut uniuersalis,mendicabunt,Matth.25.

5 Aquæ profundæ,consilium in corde uiri, & uir intelligentiæ hauriet eas.

Hæc sentẽtia primùm sic potest intelligi. Vir sapiẽs (אִישׁ isch Hebræis emphaticè significat, quod Latinis Vir,à uirtute, qui ætate,authoritate & dignitate præstat,) consulit alijs. Scit enim se illam facultatẽ,diuinitùs in hunc finẽ accepisse, ut gloriã Dei promoueat,& aliorum cõmodis studeat.Nemo accendit lucernam,ut modio eam contegat:ita Deus his dotibus homines non ornat,ut eas non proferãt. Etsi uerò uir sapiens multis bona det consilia,sapiẽtia tamen eius nõ minuitur,sed potius acuitur.Cor enim eius,plenũ est bonis cõsilijs,& nõ potest exhauriri. Vel,homo intelligẽs,accedit sapientẽ & haurit ex eo cõsilia,in rebus perplexis. Homines enim quantumuis prudentes, sibiipsis consulere nequeunt. Stulti autem seipsos abundare consilio existimantes, non sunt soliciti de aliorum consilijs. Quin bona consilia, tanquam perniciosa repudiant.Potest etiam hic sensus assignari:homo tegit sua cõsilia, cùm aliquid sibi proponit,aliud præ se fert. Quemadmodum multi,qui dicunt se hac ituros,& illac eunt. Multi simulant se religionem & bonas leges amare,cùm odio habeant: at uir intelligens eliciet consilium latens in corde.Verum quidem est,quod Ierem.17.scribitur:Prauum est cor hominis,& inscrutabile.Solus Deus est καρδιογνώστης. At sunt quædam uestigia,quæ periti homines sequentes, non rarò deprehendunt,quid in pectoribus hominum lateat. Veluti sunt sermones, gestus, facta, sodales & alia tametsi multa homines simulẽt,tamẽ seipsos interdũ prodũt, queadmodũ asinus Cumanus,ut est in fabulis, qui aures celare non potuit.

6 Multi deprædicant eum, qui eis benefacit.

Primum membrum huius sententiæ,uariè redditur. Munsterus uertit: *plerunq; homo prædicat eum,qui sibi benefacit.* Sic etiam Tigurina uersio habet. Santes, *Multitudo hominum,prædicat uniuscuiusq; misericordiam.* Alij, *multi prædicabunt uirum ob misericordiam suam.* Castalio, *multi homines pij uocantur.* Alij, *multitudo hominis*, uel, *multùm homo inuocat uirum beneficij sui*, id est, plurimi inuocant illos,in quos beneficia contulerunt, at pauci sunt, qui promissa seruent, & beneficia rependant. Alij, *sunt multi homines, quorum unusquisq; prædicabit misericordiam suam*, hoc est,sunt multi qui uolunt quidem dici benefici & misericordes: sed nomini suo parum respondent.Vel,nomine multi sunt pij.De illis ostentatoribus Christus loquitur, Matth.6. Simplicior sensus hic esse uidetur:multi uerbis laudant illum, à quo beneficijs affecti sunt. Nil enim est,quod plus fauoris homini pariat, quàm liberalitas & beneficentia. Hinc multi sua liberalitate,res malas promouere student. Veteres in Deorum numerum illos referebant, à quibus ingentibus beneficijs essent affecti.

At uirum fidelem quis inueniet?) Hac interrogatione raritatem ostendit. Sic Christus Luc.18. Filius hominis cùm uenerit, an reperturus est fidem in terris? Vult dicere,raram fore.Nam si fidem accipias,pro uera doctrina, paucis in locis illa uiget. Si pro assensu promissionum Dei, in paucis reperitur.Si pro constantia dictorum & factorum,omnes queruntur nullam esse.Si pro fide,quæ inter coniuges,seruos & dominos, magistratus & subditos esse debet, ferè nulla est. Queruntur omnes,periuriorum plena esse omnia. Ita Solomon hac forma loquendi, ostendere uult constantes raros esse. Sunt multi,qui cum beneficium abs te accipiunt,te laudant:sed pauci grati,qui beneficia reddant & in aduersis fidem præstent. Non autem mirandum multos erga homines tales esse, cùm omnes in Deum ingrati simus. *Fides rara.*

7 Ambulantes in perfectione sua iusti, beati filij ipsius post eum.

Hoc est, filijs hominis integri,qui in fide est syncerus,& à dolis est alienus,benè erit. Etsi enim pater nullam hæreditatem eis relinquat: tamen gloriam uirtutis rerumque gestarum, quæ omni patrimonio est præstantior, eis relinquit.Paruæ etiam opes eis benè cedunt,non enim fraudibus collectæ sunt.Illi cùm docti sint pietatem,rectè norunt opibus uti. Qui igitur liberorum commodis consulere uolunt, non defraudent alios, sed iusticiæ dent operam,& studeant,post se relinquere fideles,& sibi similes liberos.Psal.25. Semen eius (qui dominum timet) hæreditabit terram: item Psal.112. Filij hinc discant quid sit probos parentes habere, & eorum uestigijs insistant. מִתְהַלֵּךְ mithhalech est particip. hithpael,significans faciens seipsum ambulare,non enim timore pœnæ, sed sponte,amore uirtutis,rectè est agendum.

8 Rex qui sedet super soliũ iudicij, dispergit oculis suis omne malum uel omnem malum.

Hæc sententia ostendit, quàm utile sit, si reges officio suo fungantur.Sedere super solium *Sedere su-*

per solium quid. Hebraica phrasi,est causas cognoscere,iustas ferre sententias,bonos defendere & malos coercere,quod officium est omnium regum & magistratuum. Hoc si faciant,uel nutu oculorum, absq; omni difficultate,malos coercent,nō opus semper erit uinculis & carnificibus. Vel oculis suis,hoc est,cura,inspectione,præsentia.Sic ille interrogatus,quæ res potissimùm saginaret equum,respondit,oculus Domini. Grauiter peccant principes, qui uenationi, compotationi,aleæ,&c.indulgent,& iudicia per alios exercent.Quemadmodum etiam Episcopi,qui alijs curam Ecclesiarum committunt,ipsi interim priuatis rebus, aut etiam uoluptatibus intenti sunt.Liuius dicit,non satis feliciter procedere,quæ oculis alienis aguntur. Columella malum putat colonū esse,qui per alios mauult agrum, quàm per se colere.Discant igitur magistratus sedere in solio,hoc est,iniunctum sibi munus exequi, & oculis suis omne malū, uel omnes malos dispellent.Subditi,si intelligant rem aliquam magistratui displicere, sibi ab ea cauebunt,& component se ad eorum uoluntatem.Ebrij fugient cōspectum principis sobrij, &c.Plutarchus scribit,meretrices Catonis conspectum exhorruisse.

9 Quis potest dicere,mundaui cor meū,mundatus sum à peccato meo?

Sensus est,neminem uerè dicere posse,quòd à peccatis immunis sit. Reperiuntur Anabaptistæ & hypocritæ,qui se peccatores esse negant.At nisi nos peccatores esse sentiamus & fateamur,quomodo de remedio seriò cogitabimus? Primus gradus ad salutem est,propriæ miseriæ agnitio.Sunt autem præter hunc multa alia loca scripturæ,& rationes,quæ nos peccati conuincunt.Iob 9.cap.Verè scio,inquit,quod ita sit,& quod non iustificetur homo compositus cum Deo.Si uolueris contendere cum illo,non poteris ei respondere,unū pro mille, &c. Idem 14.cap. Quis potest facere mundum,de immundo conceptum semine? Idem 25.cap.dicit,ne infantem unius diei,imò nec stellas esse mundas,in conspectu Dei.Psal.146. Ne intres in iudicium cum seruo tuo,quia non iustificabitur apud te ulla caro.1.Reg.8.cap.Salomon generalem hanc sententiam ponit, in sua oratione ad Deum, non esse hominem qui non peccet.Christus omnes iubet orare: Remitte nobis debita nostra,hoc est,peccata,ut apud Lucā legitur.Paulus fatetur ad Rom.7.cap.peccatū etiam in renatis, uires suas exercere. Delectat, inquit,me lex Dei secundum internum hominem: sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, &c.1.Ioan.1.Si dixerimus,peccatum non habemus, nos ipsos fallimus & ueritas in nobis non est.Peccant certè,quicunq; contra legem Dei faciunt:at omnes quotidie multa contra legem facimus. Lex enim non externam tantùm sed perfectissimam iustitiam requirit.Quis se immunem dicet à prauis concupiscentijs? Quin sanctos etiā homines in grauissima peccata lapsos esse legimus. Tametsi uerò non omnes grauia scelera committant:tamen in multis,ut Iacobus dicit,quotidie labuntur.Bona eorum opera imperfecta sunt.Indigemus itaq; omnes misericordia Dei. At obijciunt quidam locum ex 1.Ioan. cap.3.Omnis qui in Deo manet,non peccat. Credentes aūt in Deo manere,Christus Ioan.6. manifestè testatur,non igitur peccare.Fatemur quidem nō peccare, quemadmodum infideles,in quibus peccatum regnat:pij enim peccata deplorant & pœnitentiam agunt. Non autem negat simpliciter,& reipsa homines peccare.Reipsa dum in hac carne sumus, nunquam perfectam cordis mundiciam consequimur. Deinde peccata pijs, qui natura sua peccatores sunt,& impuri,non imputantur.Sic intelligendum,quòd multi in scripturis dicuntur perfecti,scilicet imputatione & iuxta conditionem huius uitæ,quantum hic status patitur:alioqui nemo ab omni peccati macula alienus est.Sciendum igitur mundiciem non esse ex uiribus nostris,sed aliunde parari.Christus sanguine suo nos abluit,cuius ablutionis sacramētum est Baptismus.Petrus in Actis Apostolorum 15.cap.testatur, fide purificari corda nostra, quia per hanc perfectissima Christi puritas ex gratia nobis imputatur,& impuritas condonatur: & sic omnes fideles gloriari possunt,se purificatos esse à peccatis suis.Hæc confirmantur multis locis scripturæ. 1.Cor.1. Scribit Christum nobis factum sapientiam à Deo,iustitiam,sanctificationem & redemptionem.Ad Rom.Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.Item,nulla condemnatio his qui sunt in Christo. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.

Omnes homines esse peccatores.

Nulli credentes peccant.

10 Lapis & lapis,modius & modius,abominatio sunt etiam ipsa ambo coram Domino.

De ponderibus & mēsuris. *Furtum.* Hæc sententia interpretatio est octaui præcepti,quod dicit,Nō fureris:quod enim illo præcepto generaliter effertur,hoc ista gnome,certa specie explicat. Nam nō hoc tantùm furtum est,ut uulgò putant,cùm quis rem alienam inuito domino aufert,sed quicquid iniquis ponderibus & mensuris paratur,furti nomine cōtinetur.Lapis & lapis,id est, diuersum pondus, mensura & mēsura,id est,diuersa mensura,utrumq; Deo est abominatio.Sensus est,si quis in

recipiendo

recipiendo,magno,in uendendo, paruo pondere,mensura & ulna utatur (omnia enim comprehendit genera ponderum & mensurarum) abominatio est coram Deo. תעב taaf in kal significat appetere, in piel auersari, detestari. Hinc nomen תועבה thoefah,quod sæpe occurrit in scripturis, significat abominationem, quando personam aut rem aliquam non dignamur uel uisu, uel auditu, uel gustu, uel tactu,uel olfactu.Si amicus aliquis faciem suam à nobis auertat,quantum nobis dolet? Doleat nobis potius, si Deus nos clementer aspicere dedignetur. Similes loci alibi quoque in sacris literis habentur, ut aliàs est expositum. Discamus igitur in contractibus rectè uersari, iustis uti ponderibus & mensuris. Si uendas pannum,frumenta,uinum,oleum & id genus alia, da mensuram bonam, quemadmodum Christus dicit: Mensuram bonam & confertam & concussam atque exundantem. Nec satis est te iustam habere mensuram & pondus legitimum,nisi rectè ijs utaris:quidam enim mensuram non implent,quidam libræ iugum pulsant,ut lanx in qua merces ponuntur,alteri lanci præponderet. Hinc Phocylides præcipit:

Abominatio.

σταθμὸν μὴ κρούειν ἑτερόζυγον, ἀλλ᾽ ἴσον ἕλκειν.

Semper in conspectu habendum est illud dictum Christi: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris.Non autem uelles te à uenditore accipere mensuram iniustam. Putant quidem homines se lucrum facere his imposturis: & certè multum hac ratione paulatim alijs detrahitur, secundùm illud Hesiodi:

Εἰ γάρ κεν τὸ σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθεῖο,
Καὶ θ᾽ ἄμα τοῦτ᾽ ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καί τι γένοιτο.

Interim uerò bona conscientia,multis opibus præstantior, amittitur,quæ si ad tempus quiescat,tamen exeret se tandem.Præterea hæ opes sunt & tibi & tuis infaustæ. Non de eis iudicandum est,secundùm externam eorum speciem, sed secundùm uerbum Dei,quod maledictas pronunciat. Si Deus iniqua pondera & mensuras abominatur, certè etiam opes hac ratione conquisitas abominatur. Ethnici etiam dixerunt,iniqua lucra à damnis nihil differre. Ne igitur cogites mensuram & pondera mutare, in rebus uendendis leuiculum esse & uulgare,omnia artificiola suos habere dolos:hæc enim Satan suggerit,reuoca potius in mentem,quid Deus hac de re statuat. Discunt etiam magistratus curare,ut iusta sint pondera & mensuræ,in Rep.& seueriter punire,ponderum & mensurarum corruptores,alioqui pauperes magna iniuria afficiuntur, & crescunt indies doli & fraudes.

11 Etiam in studijs suis notum se facit puer,an purum futurum sit & rectum opus eius.

Plerunque ex puerorum studijs colligi potest,quales futuri, & quod genus uitæ sectaturi sint,postquam adoleuerint. Pueri enim à teneris illa tractant,ad quæ inclinationem quandam habent. Itaque alios uideas sibi usurpare officium doctoris,alios iudicis, alios ducis. Quidam uendunt & emunt, quidam ædificant, &c. De illis qui gaudent congressibus bonorum quique bona studia amant, polliceri nobis possumus, quod in bonos uiros euasuri sint. De puellis quoque, quæ matribus obtemperant, petulantes fastidiunt, &c. benè speramus, & uicissim. Multa exempla bonæ & malæ indolis, passim extant in histo- *Exempla* rijs.De Iosepho, Samsone, Samuele, Dauide, Solomone, inprimis uero de Christo seruatore *bonæ &* qui cùm duodecim esset annorum disputauit cum Scribis & Pharisæis,Luc.2.In exteris histo *malæ in-* rijs de Alexandro Magno legitur, quod etiamnum puer cùm uidisset quàm feliciter pater *dolis.* bella gereret, nequaquam gauisus sit:sed ad æquales suos conqueribundus dixerit: Pater mihi nihil relicturus est. Illis respondentibus, imò ea omnia quæ bello iam parauit. Quid profuerit, dicebat Alexander,si multa hæreditario iure possideam,ego autem nihil habeam quod agam, & militem patri Philippo similem me esse non ostendam? M. Cato puer,cum in domo M. Drusi auunculi educaretur, & ad eum Latini uenissent pro impetranda ciuitate, rogareturq; ut Latinos apud auunculum iuuaret, negauit se id facturum. Vnus,comprehensum abiecturum se inde minatus est, nisi obtemperaret: sed Cato constanti uultu se non facturum respondit. Hinc facile colligi potuit, eum utilem ciuem patriæ futurum. Areopagitæ puerum quendam damnauerunt, quòd coturnicum quæ in nido implumes fuerant,effodisset oculos. Iudicabant enim crudelitatem illam quam in auiculas exercuerat, in ciues exercēdam esse,si adoleuisset. Eusebius hist.Ecclesiast. lib. 10.cap.14.scribit de Atha- *Athana-* nasio, quod etiamnum puer ludens cum pueris, Episcopi officio functus sit. Nam ab *sius.* æqualibus confessionem fidei petebat, & illis qui reddere eam poterant, aquæ baptismum conferebat,cæteras quoq; cæremonias peragens.Quod cùm accepisset ciuitatis Episcopus, sacris literis erudiendum curauit,iam tum in illo perspiciens ingenium maximis rebus natū.

Possent multa alia huius generis adduci. Parentes in pueris obseruare debent, ad quæ natura propendeant, ut melius eorũ mores formare, eosq; ad certũ genus uitæ applicare possint.

Quanquam autem pueri, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, agnoscuntur in pueritia, quales olim futuri sint, interdum tamen in pueritia oppositum illius, quod futuri sunt ostẽdunt. Multi enim qui uidẽtur bonæ indolis & spei, tandem degenerant. Alij cõtra, qui in pueritia malis morib. præditi fuerũt, euadunt tamẽ in præclaros uiros. Verbum התנכר hithnaker in cõiugat. hithpael, non tantùm significat, se agnoscẽdum præbere, sed etiã se occultare, sermones, gestus alios fingere ne agnoscatur. In Gen. 42. de Iosepho legitur quod se occultarit erga fratres, scilicet ne ab eis cognosceretur. Hinc quidam contrariam sententiam colligunt, *Etiã in operibus suis ignotum se faciet, uel occultabit se puer*: Vt ex his quæ puer agit, coniecturam facere non possis, qualis olim prouectioris ætatis, futurus sit, an recta futura sint opera eius uel minus, statim norunt simulare & dissimulare. Cor hominis à pueritia intentum est ad malum. Gene. 8.

12 Aurem audientem, & oculum uidentem, Dominus fecit, etiam ambo ista.

Quod auditu, uisu & reliquis sensibus præditi sumus, quod manus & pedes mouere possumus, quodq; spiritum trahimus, beneficium Dei est. In Deo uiuimus, mouemur & sumus. Agnoscamus itaq; hæc & alia Dei immensa beneficia, ipsiq; gratias agamus, qui ideo cæcos & surdos aliquando facit, ut melius eius beneficia conspiciantur. Deinde rectè utamur illis organis. Deus nobis aures dedit, non ut delectemur rerum impiarum auscultatione, sed ut audiamus doctrinam & disciplinam: oculos, non ut abutamur, ad concupiscentiam, sed contemplemur opera eius. Alijs quoq; membris, ad id utamur, ad quod condita sunt. De usu partium humani corporis, etiam Galenus, pulchrè scripsit. Dauid ex hoc, quod Deus aures & oculos fecit, colligit, eum omnia audire & inspicere, Psal. 94. Is qui aurem plantauit, non audiet? aut qui oculum finxit, non uidebit? Siracides cap. 23. de adulteris agens, qui putant tenebras eos tegere, postea subiungit præclaram sententiam: non intelligit, inquiens, oculos Domini, sole infinitis partibus perspicaciores, uias hominum omnes inspicere, atq; abstrusissima quæq; perlustrare. Antequam crearentur pernouit omnia, atq; item postquam perfecta sunt, omnia perspicit. Auris quoq; audiens, id est, obediens illis quæ audit, & oculus uidens, quæ alij non uident, opus sunt gratiæ diuinæ.

Deus omnia perspicit.

13 Ne diligas somnum, ne forte pauper fias, aperi oculos tuos & satura teipsum (*id est, saturaberis*) panibus.

Somno necessario, qui medicina est hominum, non interdicit nobis: sed immodico, qui non modò uarios morbos, sed & egestatem conciliat. Nam qui somno & desidię dediti sunt, uitæ necessaria sibi comparare non possunt. Ideò non dicit, ne dormias, sed ne diligas somnum. Multas sententias continet hic liber, quæ laborem commendant. Aperi oculos tuos, euigila, esto prouidus, ut pane satieris, hoc est, uitæ necessaria acquiras. Germani eadem phrasi utuntur. Hæc de spirituali quoq; somno, ignorantiæ & peccati possunt exponi. Videndum, ne simus somno dediti, hoc est, socordes, sed uigilemus contra diabolũ & falsos doctores, ne pane uitæ spoliemur. Euigilandum est ex somno peccatorum. Ephes. 5. Somnus animi perniciosior est somno corporis.

14 Malum est malum, dicit, qui emit, sed discedens sibi *uel ad sua*, tunc gloriatur.

Vulgaris hic est morbus, ut qui rem aliquã paruã uel magnã empturi sunt, contemnunt ac uituperẽt, quò minore emant, & postquàm emerint, gloriẽtur, quòd uili precio cõpararint, & periti sint emptores. Charitas Christiana postulat, ut des quod æquũ est, proximo tuo, neq; eum fraudibus & dolis circũuenias. Simplices & agrestes homines, quos necessitas in forũ cõpellit, ne decipias, & postea tanquàm re bene gesta glorieris. Ciuiles quidẽ leges hæc non puniunt, sed Deus suis partibus nõ deest. Alij legunt *cum abit sibi*, id est, cùm amiserit, tum laudat, dicit se magnam fecisse iacturam. Rodolphus Bayno *cum abit sibi*, interpretatur, cùm bene uendit. Germanicè quoq; dicimus, so es jhm wol abgadt/tum laudat sese. Melanchthon hunc sensum elicit, Malum est, dicunt, cùm tenent, sed postquam amiserint, laudant: Vt taxet morbum illum, quo plerunq; res præsentes fastidimus, & alias appetimus: amissas uerò desyderamus & requirimus. קנה kanah enim non tantùm emere, sed etiam possidere significat. Certum hoc est, quòd egregios uiros, dum uiuunt, non curamus nec magnifacimus, sed postquam eis orbati sumus, tum demum laudibus eos efferimus. Plautus in Capt.

" Tum deniq; omnes nostra intelligimus bona.

Cùm

Cùm,quæ in poteſtate habuimus,ea amiſimus.

15 Labia ſcientiæ, auro & multitudine gemmarum ac uaſis precioſis *precioſiora ſunt.*

Confert eloquentiam cũ auro,argento,& uaſis precioſis,quæ homines maximi æſtimant, magno ſudore comparant, magna cura & ſolicitudine conſeruant: eamq; eis longè præfert. Per labia ſcientiæ, ſapientiam cum eloquentia copulatam intelligit. Etiam Cicero ſcribit,illum qui ſapientia præditus non ſit, facundum dici non debere. Vera eloquentia maximum eſt Dei donum, quo ſi homines rectè utuntur, utiliſsimi eſſe poſſunt. In Eccleſia poſſunt magna cum utilitate imperitos docere, remiſſos hortari,flagitioſos increpare, afflictos conſolari, falſos doctores reprimere. Quantum profuit Eccleſiæ eloquentia unius Pauli? quantum noſtra ætate uiri eloquentes uiua uoce & ſcriptis ſuis effecerunt? In Repub. tempore pacis eloquentes religionem propagare,bonos tueri,malos coercere poſſunt. Excitato ciuili motu,facundi homines eloquentia ſua eum poſſunt reprimere. In bello ſiue uincas ſiue uincatur gens aliqua, eloquentes plurimum poſſunt. Poteſt hic uerſus ſimpliciter reddi: *Eſt aurum & multitudo gemmarum & uas precioſum labijs ſcientiæ*, uel *homini qui habet ſcientiæ labia*,hoc eſt,eloquentes & ſapientes,facilè diteſcunt. Vel,ſapientes & eloquentes habent hæc omnia, id eſt, habent his longè præſtantiora ornamenta. *Eloquẽtiæ donum.*

16 Tolle ueſtimentum eius,qui fideiuſsit pro extraneo,& pro extranea cùm fideiuſſerit, pignus eius.

Scilicet ab eo accipe. Hac gnome oſtendit,quàm periculoſæ ſint ſponſiones.Ab illo qui fideiuſſerit pro extraneo, tollent etiam ueſtimenta, ſi non habeat,quo creditori ſatisfaciat. Vt imperatiuus pro futuro ponatur. Non enim uult docere crudelitatem.Amos 2.cap.exprobrat illis,qui ſuper ueſtes oppignoratas requieſcebant.Leges de hac re extant.Exod.22.Deu. 5.7. Vel amicum fideiuſſoris hortatur,ut accipiat eius ueſtem eamq; ſeruet:futurum enim, ut propter fideiuſsionem etiam ueſtes eius ablaturi ſint. Multi enim,quia pro alijs fidem ſuam obſtrinxerunt, ad extremam paupertatem ſunt redacti. Non uult prohibere,ne quis pro alijs fideiubeat, ſed ne temere hoc faciat,quin cogitet,an poſtulante neceſsitate, fidem ſuam liberare poſsit.Cautio tum aliàs eſt adhibenda,tum imprimis ſi tibi negocium ſit cum peregrinis,qui tibi noti non ſunt. Cogitent illi etiam pro quibus fideiuſsiones fiunt, ne fidem fallant. Tigurina editio habet. *Si alienus ſpoponderit,eripe ueſtem eius,ut pro extraneo ſit pignus eius.* Caſtalio, *& eam pro alijs pignora.* *Fideiuſsiões periculoſæ.*

17 Dulcis eſt uiro, panis mendacij,poſtea implebitur os eius lapillo.

Panis mendacij,hoc eſt,panis malis artibus partus, initio delectat hominem: tandem autem dolorem parit. Qui in pane calculos dentibus imprudentes terunt, ſentiunt dolorem: ita illi qui res neceſſarias, mendacijs ſibi comparant,tandem dolores ſentient. Lapilli concoqui non poſſunt, ita illi etiam leuari moleſtia non poterunt, conſcientiæ ſtimulis agitabuntur, quibus nihil eſt intolerabilius. Homines moleſtos, ædibus eijcere poſſumus,at conſcientia expelli non poteſt:in conuiuijs, noctu quoque,homines affligit.Exemplum habes in Iuda proditore.Porrò non tantùm furtum & rapina,ſed omnia peccata hanc naturam habent,ut primùm iucunda ſint,poſtea uerò dolores acerbos poſt ſe relinquant: ueluti adulterium,ebrietas,uindicta, & alia. Fit ſæpe ut his uitijs obnoxij,in hoc ſeculo capitales dent pœnas,minimùm autem ſtimulis conſcientiæ agitantur: & niſi homines iuſtum remedium adhibeant,& pœnitentiam agant,in deſperationem ruunt & æternùm pereunt. Satan etiam ſolet peccata primùm uarijs argumentis extenuare,ut homines in ea pertrahat,poſtquam uerò lapſi fuerint, exaggerare. Per panem mendacij falſam etiam doctrinam potes intelligere, quæ ſuauis eſt homini, at finis non tam eſt iucundus. Rectè autem uocatur panis mendacij, quòd uidelicet paſcere uideatur & non paſcit.

18 Cogitationes conſilio firmabitur.

Id eſt,ſingulæ cogitationum,conſilio firmabuntur, hoc eſt,dirigẽtur,ut bonum ſucceſſum habeant.Si aliquid ſuſcipiendum ſit,uarijs & multiplicibus cogitationibus diſtrahimur,ac ſi conſilia audimus,certi aliquid conſtituimus.

Et conſilijs gere bellum.) In omnibus rebus arduis, maximè uerò in ſuſcipiendis & gerendis bellis,conſilium plurimum habet momenti. Nam bellum res eſt ualde periculoſa,& incerti eius exitus.In bello agitur de omnium uita & fortunis: ſi peccetur aliqua in re,Regnum uel Reſp.magnum detrimentũ accipit. Deinde uictoria neq; multitudine exercitus, nec robore: ſed multò magis cõſilijs & ſtratagematis paratur. Sic ſcribit Cic. in Catone maiore, nõ uirib. aut uelocitatibus aut celeritate corporum, res magnæ geruntur, ſed conſilio,& authoritate *Conſiliũ in bellis requiritur.*

& sententia. Vegetius de re militari lib. 1. cap. 2. dicit: Non parum prodest, in dimicationibus uti consilijs. Ad uictoriam multum momenti habet locus, tempus & alia. Pauci sæpenumero temporis & locorum opportunitate adiuti, magnos exercitus profligarũt. Hæc omnia boni consultores perpendunt. Non autem satis est bona consilia dari, nisi illa sequamur. Polybius ab Euripide prudentissimè dictum scribit. Σοφὸν ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, hoc est, unicum consilium rectum, magnum militum manum uincit. Vide hac de re Stobæum, sermone 25. Antigonus interrogatus, quem è suæ ætatis ducibus præstantissimum iudicaret, Pyrrhum respondit, si senesceret. Manu enim strenuus erat, sed nondum consilio pollebat, propter iuuentutem. Cùm Paulus Æmylius per loca prærupta exercitũ in Macedoniam traduxisset, & instructam hostium aciem uideret, hortante Nasica, ut protinus cum hoste confligeret. Facerem, inquit, si tuæ essem ætatis: sed rerum experientia prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie hostium congrediar. Innuens adolescentes non pollere consilijs, quorum in bello maxima est utilitas, sed temerarios atq; audaces esse. Aphricanus, cùm quidam eum, ut parum pugnacem uituperarent. Imperatorem, dicebat, me mater, non bellatorem peperit, innuens: prudentibus consilijs hostem uincendum esse. Hoc sensu alius quidam dicebat, imperatorem, senem moribus esse oportere. Spiritualia quoq; prælia contra diabolum, uerbi diuini consilio gerenda sunt. Damnatur in hoc quoq; bello, inconsulta temeritas. Vide plura de hac re cap. 24. uersu. 6.

19 **Qui reuelat secretum, ambulat detractor, & cum eo, qui decipit labijs, ne misceas te.**

Arcana reticenda. Tria hominum genera ostendit, à quorum congressibus cauendum sit. Primum est illorum, qui secreta effutiunt. Non sunt euulganda secreta, nisi Reipub. uel innocentium hominum salus requirat. Potest enim fieri, ut qui arcana non retinent, sed temere spargunt, & sibi & alijs magnum malum accersant.

Susurrones. Alterum genus est, susurronum uel detractorum. רכל rachal, ut alibi quoq; annotauimus, significat negotiari, mercari, hinc רכיל rachil delator dicitur: nam quemadmodum mercator, quod emit ab uno, alteri uendit: ita detractor, quod ab uno audiuit, alteri reuelat. Et sæpe additur uerbum ambulandi, eò quòd detractor ad alios uadit, ut quæ audiuit, postea narret. Hinc quidam רכיל rachil, quasi רגיל ragil, id est, exploratorem dictum uolunt. Quidam accipiunt aduerbialiter, *qui ambulat fraudulenter uel detractoriè.* Vide suprà ca. 11. uers. 13.

Adulatores. Tertium genus est adulatorum, uel ad scelera pellicentium. פתה pathah significat adulari, incitare, dilatare. Hinc non una est huius clausulæ interpretatio. Quidam dicunt, *adulanti labijs suis, ne te misceas*, id est, ne habeas commercium cum eo. Cicero quoque pulchrè præcipit in Lælio, cauendum esse ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus, in quo falli facile sit: tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur. Potest etiã intelligi ab illorum societate cauendum esse, qui nos blandis uerbis ad impietatem & scelera pelliciunt. Deut. 11. Cauete uobis ne blandis uerbis persuadeatur cor uestrum, & recedatis & colatis deos alienos. Sunt qui exponant, *cum dilatante labia sua, ne misceas te.* Dilatare labia significat hoc loco, quicquid in buccam uenit loqui. Germani etiam dicunt, den mund zwyt vff thůn. Tales homines, cùm sibi, tum auditoribus suis sæpe magnorum malorum sunt authores. Iungamus nos potius uiris bonis, quorum familiaritate meliores reddamur.

20 **Maledicentis patri suo & matri suæ, lucerna extinguetur in obscuritate tenebrarum.**

Loquitur de pœna illorum liberorum, qui parentes suos contumelia afficiunt. קלל killel propriè ad pondus pertinet, significans alleuiari, per Metaphoram uilipendere & pro nihilo æstimare: ferè reddunt maledicere, execrari: & opponitur uerbo כבד kauad, quod significat grauare, per Metaphoram reuereri, honorem alicui habere atq; impendere. Si filij parentes uilipendant & contemnant, sequuntur conuitia, uerbera & alia. Tales uerò filij, rebus aduersis, gratia, consilio, & ope Dei & hominum destituentur. Idem eis accidet, quod illis, quorũ in locis periculosis intempesta nocte, lucerna extinguitur. Familiare enim est scripturis per tenebras intelligere afflictiones, ærumnas & desperationem: per lucernam, opem, & consolationem. Iob 18. Non'ne lux impij extinguetur? Repete capitis 13. uersum 9. Germani quoq; lucernas per Metaphoram uocant, homines, qui eos amãt, & rebus eorum optimè consultum uolunt. Indignum est, ut qui parentum suorum consilia contempserunt, postea aliorum consilijs leuentur. Lex Exo. 21. & Leuit. 20. præcipit, ut qui parentibus male-

Parricidæ dixerit, aut qui eos pulsarit, interficiatur. Apud Romanos parricida insutus culeo, cum simia,

cane,

sane, gallo gallinaceo & uipera, in mare uel in amnem proijciebatur. Meritò autem hac luce priuantur, qui indignè illos tractant, propter quos hanc lucem aspexerunt. Hac uerò de causa simia in parricidæ culeum includebatur, quòd homo non est, tamen humanam speciem habet, deinde filios suos necare ipsa solet. Vipera, ut physici tradunt, corrosis matris lateribus prodit in lucem: præterea dolosa & inimica est humano generi. Canes nemini parcunt, neque proprio generi. Gallus superbissimus est. Canis quoque & gallus impiè facere uidentur, quòd sorores & matres ipsas saliant. In culeum includebatur, tanquam indignus qui lucem aspiceret, utq; omnium elementorum usu uiuus carere inciperet, ut cœlum superstiti & terra mortuo auferretur. De hoc supplicio uide Institut. Iustiniani libro quarto, & Ciceronē in oratione pro Roscio Amerino. Hoc supplicium in parricidas Romani ideò excogitarunt, ut quos natura in officio retinere non posset, magnitudine pœnæ, maleficio submouerent.

supplicium apud Romanos.

Discant itaq; filij suos parētes reuereri, eorū iussis obtemperēt, ne lux ipsorū extinguatur, hoc est, ne immatura morte pereāt, & in maximis periculis, ab hominibus & Deo deserātur. Si qui hactenus parum honorificè de parentibus senserunt, pœnitentiam agant, & cogitent id, quod gentiles etiam intellexerunt, parem eis gratiam referri non posse.

Parentes quoq; liberos, non sinant uel ipsis uel alijs conuitium dicere. Quod de parentibus, qui nos genuerunt, dicimus, ad alios quoq; qui in scripturis parentum nomine intelliguntur, debet extēdi. Seditiosi debent occidi, nam contra magistratus agunt, qui sunt patres. Addendum etiam illud, si terrenorum parentum contemptoribus tanta supplicia proposita sunt, quid de illis dicemus, qui patrem cœlestem contemnunt, eiq; conuitium faciunt?

21 Hæreditas in principio festinanter acquisita, etiam nouissimum eius non benedicetur.

Filij qui ante tempus in annos patrios, ut ille inquit, inquirunt, rarò fortunarum exitum sortiuntur. Qui optant parentes mori, & qui iniuria eos afficiunt, ut mortem eorum accelerent, quò statim in hæreditatem inuolent, sæpè dant pœnas. Exemplo nobis est Adonias filius Dauidis, qui superstitis adhuc parentis regnum inuadere tentabat, quæ res postea necem ei attulit. Absalom quoque patrem regno pepulit, sed non tulit impunè. Lucæ decimoquinto filius ille prodigus, qui in hæreditatem parentis nondum mortui inuadebat, tandem miser & ærumnosus efficitur. Imprudenter & stultè etiam faciunt parentes illi, qui filijs sua bona, ante obitum suum conferunt. Hinc enim sæpè fit, ut se & filios suos perdant. Rectè dicitur Germanico prouerbio, parentem facilius decem liberos alere, quàm decem liberi unicum parentem. Siracides quoque cap. 32. monet, ut unusquisque maneat dominus facultatum suarum, nec liberis cedat possesionem harum ante obitum. Quæ de filijs dicuntur, ad alios quoque extendenda sunt, qui ante tempus hæreditatis animo inuadunt. Septuaginta interpretes de opibus in genere intelligunt: Qui sttaim uolunt ditescere, non experiuntur benedictionem Dei. 1. Tim. 6. cap.

Hæreditatē ante tēpus inuadere.

22 Ne dicas, reddam malum, sed expecta dominum & liberabit te.

Hæc sententia tria complectitur. Primum est, non appetendam esse uindictam. Alterum, Deo esse committendam. Tertium, illum nos liberaturum. Dicere in scripturis, aliquando est cogitare ac deliberare, quod animo quoq; suus sermo sit. In Euangelio habetur: scriba quidam dicebat intra se, id est, cogitabat. Ne cogites aut statuas, & multò minus expresis uerbis dicas, rependam malum, ulciscar me de inimicis meis. Ne pro malo malum reddere paratus sis, & multò minus, pro bono malum. Omnes natura cupidi sumus uindictæ, ut Iuuenalis dicit Satyr. 13.

Est uindicta bonum & uita dulcius ipsa.

Multi gloriosum sibi esse arbitrantur, si nemini cedant. At multa sunt quæ suadent ignoscendum esse proximo, omnemque uindictam Deo committendam. Primùm Deus multis in locis hoc postulat, Matthæi 5. 6. & 18. pulchra similitudine hoc docet. Doctrinæ respondet eius exemplum. Deus enim benefacit etiam inimicis suis: Solem suum exoriri sinit super bonos & malos. Filium suum pro nobis inimicis suis in mortem tradidit, Roman. 6. Christus orauit pro illis, qui crucifixerunt eum. Hoc imitatus est postea Stephanus. Cogita Deum excitare tibi aduersarios, qui te exerceant, exemplo Iosephi & Dauidis, qui Semei conuitiatori parcebat. Cogita te meritum esse, si non in hoc, tamen in alijs casib. si non quo ad hunc, tamen quoad alios homines, aut certè quoad Deum, idque mille modis. Cogita item proximum tuum, illa quæ eum dixisse uel fecisse contra te putas, fortasis nec dixisse nec fecisse, aut non malo animo dixisse uel fecisse, aut eum illius, quod fecit aut

Contra uindictam priuatam.

dixit iam pœnitere. Si non hoc tempore, fortè alio: si nunquam, Deum uindicaturum. Qui seipsum ulciscitur, temerè facit, usurpatq; sibi munus Dei dicentis, Mihi uindictam & ego retribuam. Adhæc si cedamus aduersarijs, eorum impetus frangemus: at si resistamus, magis illorum furor exardescet. Ita fulmina, res duras & obsistentes magno fragore ac ruina comminuunt: at si mollia ac cedentia occurrant, facilè penetrant & ea non lædunt. Hinc fit ut gladius sæpe conteratur salua uagina, pecunia comminuatur illæsis loculis. Accedit etiam hoc, quod dum de uindicta cogitamus nos potius lædimus, quàm illos quos odio habemus. Hæc & alia si diligenter perpendamus, non aspirabimus ad uindictam. Iudices quidem debent pœnas exigere de sceleratis. De pœna talionis Leuit 21. Hæc de primo membro huius gnomæ.

Alterum membrum ostendit, quid facere oporteat, postquam accepimus iniuriam: pulchramq; consolationem continet: *Sed expecta Dominum & liberabit te.* Relinquenda est uindicta Deo, qui ulturus est causam nostram, Deut. 32. Roman. 12. Nam nostris iniurijs ille prior offenditur. Nemo enim uel cogitare potest de lædendis nobis, quin prius Deum offendat. Exercet autem uindictam, uel per magistratum, contra paucos uel multos, & hunc læsi adire possunt, atq; eum qui læsit, in ius uocare, certis tamen rationibus. Magistratus etiam concedit nobis, ut cùm subitò aliquis nos inuadit, uim ui repellamus, Defensio tamen & ultio, plurimùm inter se differunt. Vel exercet per seipsum, ut loquuntur immediatè. Si enim in ius uocare aduersarium non possis, si magistratus officium suum negligat, quia tu pauper es, & aduersarius tuus potens, Deus te eripiet, qui se uindicem pauperum & oppressorum appellat. Habet autem mille modos, quibus te defendat, & innocentiam tuam asserat. Martyrum innocentiam multis & illustribus miraculis sæpe declarauit.

23 Abominatio est apud Deum lapis & lapis, & statera dolosa non est bona.

Illa sententia suprà etiam posita fuit, nunc repetitur, ut uideamus Deo hanc rem curæ esse. Institores igitur, lanij, hospites & alij negociatores, iustis ponderibus & mensuris utantur, neq; putent, rem paruam esse, quæ Deo non sit curæ. Allegoricè quidam dicunt, non utendum diuerso pondere, non, quod in te leue crimen putas, in alio supplicio dignum existimes. Magistratus non in uno aliquem defendat, & postea in simili casu alium condemnet: sed iusticiam exerceat, quæ symbolo listeræ significatur.

Allegoria.

24 A' Domino gressus uiri (*sunt uel diriguntur*) homo autem quomodo intelliget uiam suam *uel eius?*

Hęc sētētia ostēdit Deū nō tantū res magnas in mūdo, sed oēs singulorū hominū actiones interiores & exteriores, gubernare. Si uiā secūdū literā intelligas, nō nisi beneficio Dei possumus nos de loco in locū mouere. Qui ideo nos in morbos interdū cōijcit, qui usum mēbrorum nobis adimūt, aut alioqui claudos nobis obijcit, ut eius beneficiū melius intelligamus. Non possumus ire quò uolumus: aliquando accincti ad iter, subitò cogimur mutare consiliū: aliquando aberramus à uia etiam nota, nec redire quando & quomodo uolumus, nisi Dominus nos deducat. Multi enim in bestias, in latrones incidunt, aut alioqui pereunt. Hinc est quod Iacobus 4. cap. illos reprehendit, qui dicunt, hodie uel cras ibimus in illam ciuitatem, negociabimur, cùm addendum esset, si Dominus uoluerit, si uixerimus. A' Domino enim etiam minutissima illa dependent. Non passerculi, inquit Saluator noster, cadunt absq; uoluntate Dei: omnes pili capitis nostri numerati sunt. Paulus ad Romanos 1. cap. dicit, sæpe constituisse se Romam proficisci, sed impeditum fuisse. 1. Cor. 4. cap. Veniam breui ad uos, inquit, si Dominus uoluerit: hanc conditionem adijciens, qui norat nihil planè in nostra potestate esse. August. in Enchiridio ad Laurentium cap. 17. Nobis ipsis, inquit, accidit, ut in quodam biuio falleremur, & non iremus per illum locum, ubi operiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat, atq; ita factum est, ut eò quò tendebamus, per deuium circuitum ueniremus, atq; inde gratias ageremus Deo. Meminit eiusdem historiæ Posidonius in uita August. cap. 13. Si per uiam accipias studia & consilia, homines etiam hæc non intelligunt: nec sequuntur illi euentus, quos proposuerunt sibi, longè alia accidunt, quàm putassent, & aliquando benè, aliquando malè cadunt: Nabuchodonozor statuerat ad Ammonitas proficisci cum exercitu, sed Dominus eum contra Israelitas direxit. De quo Ieremiæ capite 10. dicitur: Scio Domine, apud homines non est uia sua: nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos. Pompeius, Cato & Cicero, bona cœperunt consilia, de opprimenda Cæsaris potentia, quæ optatum exitum non habebant. Ideoq; obstupescebant, omnia sursum & deor

Deus omnes actiones nostras gubernat.

sum à cæca fortuna misceri cogitantes. At fideles sciunt, non in hominis manu, positam esse suam uiam, sed euentum consiliorum omnium in manu Dei esse, eumque rebus euentum dare quem ipse uoluerit. Student sua consilia conformare uerbo Dei, euentum ipsi committunt. Si aliquid præter eorum consilium & expectationem contingat, sciunt hoc ad suam salutem & Dei gloriam pertinere, tametsi hoc tempore caussas non uideant. Orant etiam Deum, ut uias eorum dirigat, & consilijs felicem successum concedat. Quia uerò conatus piorum, quantumuis boni, in libero ipsorum arbitrio non sunt, sed à domino uel impediuntur uel retardantur, boni consulamus totique ab eo dependamus. Nec metuamus conatus malos impiorum, qui multò minus sunt in libero ipsorum arbitrio. Subinde enim malum eorum propositum à Deo impeditur. Hæc de externis tantùm dicta sunt. Si de uia salutis æternæ dicendum sit, nemo hominum eam intelligere potest ex uiribus suis, nedum incedere. Quod humana ratione uia salutis inuestigari non posit, nobis argumento est, quòd tot ferè hac de re sunt sententiæ, quot philosophi, & omnes absurdæ. Christus, quia uia est, dicit: Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit eum. Ipsius beneficio in Christum credimus, & ex fide sanctè uiuimus. *Quis intelligit uiam eius?* Quidam ad Deum referunt: incertus enim nobis est modus, quo Deus promissa implebit.

25 Laqueus est (*uel offendiculum*) homini (*si*) uel (*qui*) deglutiuit sanctum: & postea uota inquirere.

קדש Kodesch, sanctitas aut consecratum & Deo dicatum, accipitur pro uictimis, uasis, uestibus, alijsque, quibus in cultu Dei, sacerdotes tantùm utebantur. ילע iala, significat auidè & præcipitanter deglutire uel deuorare. Alij deducunt à לוע lua, quod est absorbere, perdere, corrumpere, uel sit fut. ex hiphil. Apud doctores Hebr. לוע lua, significat loqui. Hinc non una est huius sententiæ expositio. Vulgata editio sic reddidit: *Ruina est homini deuorare sanctos* (alij codices habent, deuorare sancta) *Et post uota, retractare.* Lyranus sic interpretatur: Qui facit diuis uota, & non implet, ruit in peccatum, nisi excusetur per impotentiam: sed hæc interpretatio pugnat cum ipsis uerbis Solomonis, & alijs locis scripturæ. Septuaginta interpretes uertunt: *Laqueus est, celeriter quidpiam propriorum sanctificare, quia postquam uotum fuerit nuncupatum, pœnitere contigit.* Vt doceat, in uouendo cauendum esse laqueum, ne facilè, inconsulto & temerè homines ad ea se obstringant, quæ postea detrectant præstare. Alij reddunt: *Laqueus est homini*, quo scilicet, capitur, *Cum locutus fuerit sanctificationem*, quasi dicat: cùm uouerit aliquid, & postea illum pœnituerit uoti: & hoc est, quod postea subiungit, *Et post uota quærere*, id est, inquirere scrutariq;, utrum quod nouit, teneatur reddere: hoc enim inquirendum fuerat antequam uoueret.

Obscura & difficilis est sententia, ideoque paulò diligentius excutienda. In ueteri Testamento, multæ fuerunt res sanctæ, id est, Deo sacratæ, ueluti sacrificia. De quibusdam illorum comedebant offerentes, Sacerdotes & Leuitæ. Quædam uerò Deo immolabantur, ex quibus comedere nefas erat: si quis autem comedisset, & postea conuersus ad uota, pro uno boue, pro una oue, tres uel quatuor se redditurum uouisset, tamen captus erat, & se scelere adstrinxerat. Nominat unum scelus, nempe sacrilegium, & alia quoque intelligit, ostendens, scelera rebus externis non expiari. Laborabant Iudæi hac superstitione, ut cùm sacrilegi essent, homicidæ, idololatræ, se immunes crederent, modò uota nuncupassent Deo, quòd oblaturi essent tot & tot sacrificia: sed apud prophetas sæpè taxantur. Deus enim non placatur rebus externis. Christiani hodie quoque eodem morbo laborant: multi enim qui deuorarunt & sancta, & sanctos: sacrilegi, homicidæ, &c. se absolui credunt rebus externis, si curent tabulas pingi, uestiri altaria, si anathemata diuis suspendant, aut monasterium ingrediantur: at laqueus est, in quo pereunt. Deus enim hæc non moratur, sed fidem & ueram pœnitentiam requirit. Hi certè grauius hac in parte peccant, quàm Iudæi: opera enim illa quibus Deum demereri uolunt, à Deo non postulantur. *Laqueũ sibi inijcit, qui sancta deuorat.*

Secundùm alteram significationem huius uerbi לוע lua (significat enim etiã corrumpere) si quis קדש kodæsch, hoc est, aliquid Deo dicatũ: putà uictimas, uasa, uestes, aliaq; quibus sacerdotes ad cultũ Dei utebantur, corrupisset, laqueus ei fuisset. Deuorare sancta, Melanchthon exponit, contumelia afficere sancta, contemnere uerbum Dei, & postea sacrificijs expiare uelle. Quidam putant eum respicere ad legem Num. 4. ubi prohibetur, ne temere ingrederentur & tractarent sacra. Alterum huius sententiæ membrum ad uerbum habet: *Et post uota inquirere*, scilicet an reddenda sint, ut hic sit sensus: Si uouisti uel promisisti aliquid, irretitus es uerbis tuis. Antequã uouisti, uidendum erat, an soluendo esses, postea enim *Laqueũ sibi inijcit, qui post uota quærit liber esse.*

u

liber non es,sed solutioni uoti obnoxius:ut duo hac sententia ostendat: primum, hominem laqueum sibi inijcere,si sancta deuoret:alterum,si post uota quærat liber esse, non quod omnia qualiacunq; sint,præstari debeant:distinguendum enim est in uotis & promissis. Nam si sunt licita,omnino præstanda sunt,etsi cum tua iactura id fiat (decet enim uirum bonum fidem suam liberare.) Sin uerò sint illicita,omnino præstari non debent.Vt cùm quis iurat uel promittit,se Euangelicam doctrinam nō recepturum, uel se oppressurum patriam, proximo uitam erepturum:si quis iurat,se non uelle redire cum proximo in gratiam: si quis promittit se non deserturum uitam monasticam,& alia huius generis:de qua re paulò prolixius dicendum est.Multa enim ultrò citroq; de hoc disputantur.Sunt stulti homines,qui putant omnia uota,iuramenta & promissa etiam illicita esse seruanda. Quæq; coràm Deo seruare nō tenentur,omnino uolunt præstare:quæ autem seruare conueniebat,plærunq; negligunt.

Promissa, uota & iuramenta impia, nō esse præstanda.

Ex diuinis itaq;,naturalibus,imperatorijs & pontificijs legibus, patribus item & Concilijs,euidenter demonstrabimus & euincemus:Vota,iuramenta & promissa, quæ cum uerbo Dei,& charitate proximi pugnant,seruanda nequaquam esse.Quæ nō eò pertinebunt,ut homines socordes faciamus,& periurijs frena laxemus:sed ut erigamus conscientias consternatas,& errantes in uiam reuocemus,ne magis magisq; à uia salutis suæ aberrent.Num.30.cap.

Ius diuinū.

Deus disertè dicit:Si mulier uouerit uotum Domino,obstringēdo se in domo patris sui, idq; in adolescentia sua:si pater eius uotum eius audierit,& renuerit illud,eodem die, quo ipse omnia uota eius & uincula,quibus animam suam obstrinxit,audierit,nō ratum erit: & Dominus propitius erit ei,quod pater illud renuerit. Hinc manifestum est, quod quædam uota & iuramenta possint rescindi.Israelitę,ut legitur Iudicum 8.cap.post obitum Gedeonis,fecerūt fœdus cum Baal, ut esset eis in Deum, hoc est, fœdere iureiurando confirmato, se perpetuò Baalitica sacra seruaturos promiserunt.Et postea Domino approbante,ea sacra aboleuerunt. Habemus etiam exemplum Dauidis,qui ira commotus,iurauerat se & Nabalem, & uniuersam domum eius deleturum esse:sed tamen ad intercessionem Abigaelis,propositum mutauit,& Deo immortali gratias egit,quòd in occursum ei hanc fœminam misisset,quæ ab instituto eum retraheret.1.Sam.25.Petrus,Ioan.13.nolebat,ut Christus pedes eius lauaret, magna obiectatione dicens:Non lauabis pedes meos in æternum.Postea meliora edoctus,domino obtemperat.Præstat enim uerbis duntaxat peccare,quàm impia facta adiungere.

Ius naturale.

Deinde natura nos omnes docet,iuramentum non esse inuentum,ut sit iniquitatis & iniustitiæ uinculum.Item,satius esse unū scelus patrasse,quàm peccata peccatis addere. Si quis uerò illa, quæ uerbo Domini ex diametro aduersa sunt, iurat, & postea seruat, iam duplicat peccatum,& Deum magis magisq; offendit. Ex hoc fonte manauit hoc prouerbium : Satius est recurrere,quàm malè currere.Quo significatur laudandos illos esse,qui in rebus,quas malè instituerunt,non pergunt,sed consilium mutant.Hinc est,quod sapientes gentilium (ueluti Cic.lib.3.Offic.) etiam dicunt:promissum potiùs non faciendum, quàm tetrum facinus admittendum esse. Seneca in Hercule Oeteo:

„ Præstare,fateor,posse me tacitam fidem
„ Si scelere careat,interim scelus est fides.

Si gentilis aliquis olim iurasset se non recepturum Christianam religionem,& postea agnouisset,se illa in re peccasse,nemo est,qui propter iurisiurandi religionem, mordicùs gentilismum ei retinendum esse diceret.In imperatorijs legibus de solutione iuramentorū non pauca leguntur,quæ aliundè peti possunt.Vsitata est iuris regula : In stultis promissis rescinde fidem.Si in stultis,multò magis turpibus & impijs.In pontificijs legibus,de hac re multa disputantur.22.Quæst.4.in malis,&c.& expressè concluditur, omnia iuramenta, quæ cum uerbo Dei & salute nostra pugnāt,rescindenda esse.Regula est uulgaris:Non potest se inferior obligare ad id quod secundùm se est illicitum,& ad non obediendū superiori.In omni iuramento intelligitur:Nisi cōtrarium præcipiat aut uelit superior.Excipitur igitur Deus, cōtra quem si quid præcipiatur,ipsi est obtemperandum.

Ius Cæsareum.
In pontificium.

Similia audiemus ex patribus.Ambrosius inquit lib.1.Offic.cap.50. Est nonnunquam contra officium,sacramentum custodire,ut Herodes:qui iurauit,quoniam quicquid petitura esset,daret filię Herodiadis,& necem Ioannis pręstitit,ne promissum negaret.Nam de Iephthe quid dicā,qui immolauit filiā,quæ sibi uictori prima occurrerat, quo uotum impleret, quod spoponderat,ut quicquid sibi primò occurrisset,Deo offerret. Melius fuerat nihil tale promittere,quàm promissum parricidio soluere.Deinde lib.3.cap.12.Purum & sincerum oportet esse affectum (inquit) ut unusquisq; simplicem sermonem proferat,nec fratrem suum,præscriptione uerborum seducat,nihil promittat inhonestum : at si promiserit, tolerabilius est,promissum non facere,quàm facere quod turpe sit.Sæpe pleriq; cōstringunt seipsos iurisiurandi

Doctrina patrum.
Ambrosius.

sacra,

ſacramento, & cum ipſi cognouerint promittendum non fuiſſe, ſacramenti tamen contemplatione faciunt, quod ſpoponderunt. Sic de Herode legimus, qui ſaltatrici præmium turpiter promiſit, crudeliter ſoluit. Turpe quòd regnum pro ſaltatione promittitur: crudele, quòd mors prophetæ pro iuriſiurandi religione donatur. Quantò tolerabilius fuiſſet periurium tali ſacramento, ſi tamen periurium poſsit dici, quod inter uina iurauerat, quod * deieratus inter ſaltantium choros promiſerat. Infertur diſco caput prophetæ, & hoc æſtimatum eſt fidei eſſe, quod dementiæ fuit. Mox poſt diſputationem de uoto Iephthe: Melius eſt non uouere, quàm uouere id quod ſibi cui promittitur nolit exolui. Non ſemper promiſſa ſoluenda omnia ſunt. Deniq; ipſe Dominus frequenter ſuam mutat ſententiam, ſicut ſcriptura indicat.

** Aliter, eui ratus.*

Auguſtinus.

S. Auguſtinus inter alia ad Seuerum Mileuitanum Epiſcopum ſic dicit: Iuramentum non ad hoc inſtitutum inuenitur, ut eſſet uinculum iniquitatis, uel matricidij uel fratricidij, ſeu cuiuſquam criminis. In ſermone de decollatione Ioannis Baptiſtæ inquit: Quòd Dauid iuramentum per ſanguinis effuſionem non impleuit, maior pietas fuit. Iurauit Dauid temere, ſed non impleuit maiori pietate. Loquitur autem de illo iuramento, de quo ſuprà quoq; diximus.

Cyrillus.

Cyrillus libro in Ioannis nonũ caput, capite ſexto, ſcribens de facto Petri ablutionem pedum recuſante, dicit: Caueamus quantum fieri poteſt, ne temerario caſu uerba efferamus: ſed ſi quid (homines enim ſumus) exciderit, etiamſi probè dictum uideretur, cum tamen aliud melius appareat non contendamus, ſed quamprimum quod melius eſt amplectamur. Præſtat enim uerbis ſolummodo peccare, quàm magnarum etiam rerum detrimentum habere, &c.

Heſychius.

Heſychius in Leuiticum libro ſexto capite decimonono: Iuſiurandum iniuſtum eſt, non ſolum quod præuaricatur, ſed etiam quod iniuſtè cuſtoditur. Quale fuit quod Herodes filiæ Herodiadis iurans, Ioan. Baptiſtæ caput abſcidit. Oportebat enim hoc eum iuſiurandum non facere, poſtquam tamen iurauit, non pręſtare. Quia talia ſacramenta nec initium ſumere Deus uult, nec ſumentia ad finem peruenire.

Gregorius.

D. Gregor. lib. 5. expoſ. in 1. li. Reg. ca. 14. apertè ſcribit: Cum malè iuratur iuſtius iuſiurandũ dimittitur, quàm compleantur crimina quæ iurantur. Mox, Quidam incauti quidem ſunt, & diſcreti non ſunt: nam ſępe ſe acturos mala promittunt, & reuocare promiſſa, quaſi periurium incurſuri non ſatagunt. Mox, Iurare quæ reuocanda ſunt & deteſtanda, omnino cauendum eſt, & uehementer horrendum, quia cum tale iuſiurandum non impletur, non omnino culpa uitatur, ſed minor eligitur.

Iſidorus.

Iſidorus inquit de ſummo bono lib. 2. cap. 32. Non eſt ſeruandum ſacramentum, quo malum incautè promittitur. Veluti ſi quiſpiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem pollicetur. Tolerabilius enim eſt non impleri ſacramentum, quàm in ſtupri flagitio permanere. Similiter in Synonymis libro ſecundo, In malis promiſsis reſcinde fidem, inquit, in turpi uoto muta decretum, quod incautè uouiſti ne facias: impia enim eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur.

Beda.

Beda ſcribit in Matt. Si quid fortè nos incautius iurare contigerit, quod obſeruatum in peiorem uergat exitum, liberè illud ſalubriori conſilio mutandum nouerimus, ac magis inſtante neceſsitate peierandum nobis, quàm pro uitando periurio, in aliud crimen grauius eſſe diuertendum.

Bernhardus.

S. Bernhardus in epiſtola 219. ad tres Epiſcopos ita ſcribit: De duobus non excuſamus regem. Nam & iurauit illicitè, & perſeuerat iniuſtè: uerum id non uoluntate, ſed uerecundia. Nam probro ducitur apud Francigenas, ſicut optimè noſtis, iuramentum ſoluere, quamlibet malè publicè iuratum ſit. Quamuis nemo ſapiens dubitet, illicita iuramenta non eſſe tenenda. Veruntamen ne in hoc quidem excuſari poſſe fatemur, &c.

Iuo Carnutenſis epiſcopus.

Iuo Carnutenſis Epiſcopus, cuius librum Gratianus in Decretum tranſtulit, libro octauo, tractat de licitis & illicitis iuramentis, & oſtendit uota uel iuramenta illicita, neququam præſtanda, ſed diſſoluenda eſſe.

Hugo de S. Victore.

Hugo de S. Victore lib. 1. parte 2. cap. 14. Qui malè ſe facturum iurat, inquit, peccat. Et melius eſt tunc iuramentum frangere, quàm implere: ita ut & malum caueat quod iurauit, & nihilominus culpam agnoſcat in eo, quod malè iurauit.

Petrus Lõbardus.

Petrus Lombardus ſic ſcribit libro tertio ſententiarum, diſt. 39. de temerarijs uotis & iuramentis. Inquirendum utrum omne iuramentum implendum ſit. Si enim quis iurauerit contra fidem & charitatem, quod obſeruatum in peiorem exitum uergat, potius mutandum eſt, quàm adimplendum. Mox, poſtquam aliquot ueterum ſententias recenſuit, ſubiungit: Ex his alijsque pluribus oſtenditur, quædam iuramenta non obſeruanda eſſe, & qui ſic iurat uehementer peccat, cum autem mutat benefacit: qui autem non mutat, dupliciter peccat.

Ioan. Gerſon.

Ioannes Gerſon de uita ſpirituali animæ, lectione 4. corol. 14. Iuramentum, inquit, ſicut & uotum, non obligant, ubi uergunt palàm ad deteriorem exitum. Idcirco diſpenſationem recipiunt aut relaxationem, aut commutationem, ut ſapiens præſertim ſuperior iudicabit.

Procopius.

Procopius Gazæus in 2. lib. Regum. τίς οὖν ἂν τὴν ἀλήθειαν τὴν ἡρώδου κατηγορήσειεν ἐπὶ φόνῳ γενομένην τοῦ βαπτιστοῦ, ἐπεὶ γὰρ ὤμοσεν ὡς οὐκ ἔδει, τὸ ψεῦδος αἱρετώτερον τῆς σφαγῆς.

Conciliorũ Decreta.

Insuper in concilio Toletano 8.cap.2.hic articulus legitur: Si publicis sacramentorum gestis (quod Deus auertat) à quibuslibet illicita uel non bona extitisse conditio allegatur, quę aut iugulare animam patris, aut agere compelleret stuprum sacratisimę uirginis, nunquid tolerabilius esset stultæ promisionis reijcere uota, quàm inutilium promissorum custodia, exhorrendam criminum implere mensuram? Mox uerbis aliquot interiectis, Si periculi necessitas ex his unum temperare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari, quid autem ex his leuius, quid'ue sit grauius, pietatis acumine uestigemus. Etenim dum peierare compellimur, creatorem quidem offendimus, sed nos tantummodo maculamus. Cùm uerò noxia promissa complemus, & Dei iussa superbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipsos crudeliore gladio trucidamus. Illic enim duplici cul parum telo percutimur, hîc tripliciter iugulamur, &c. Plura huius generis leguntur in libro conciliorum. In Decretis Pontificum, aliorum etiam Conciliorum fit mentio, quę idem de iuramentorum solutione statuerunt: quæ omnia studio breuitatis omittimus.

Iuramẽtum Gabaonitis factum, an seruari debuerit.

Si uerò iuramenta, inquis, quæ fiunt contra uerbum Dei obseruanda non sunt, etiam Israelitæ iuramentum, quod Gabaonitis fecerunt, conseruare non debuerunt. Fuit enim contra expressum uerbum Dei. Qui Deut.7.cap. disertè dicit, Delebis Chananæos usq; ad internecionem, non inibis fœdus cum eis, nec misereberis eorum, &c. Respondeo: Videndum esse quis sit sensus huius præcepti de excindendis Chananæis. Pręceptum hoc de his tantum intelligitur, qui Israelitis resistebant, & falsam suam religionem mordicus retinebant. Et hi omnino delendi erant. Cum illis uerò, qui se Iudæis subijciebant, & religionem ipsorum amplectebantur, fœdus feriri potuit. Et ita rectè fecit Iosue, quòd hoc iuramẽtum seruauit. Sic enim non modò uoluntatem mandati Dei conseruauit, sed etiam uitauit scandalum.

Iusiurãdum etiam illicitum non temerè et per fractè uiolandum.

Quanquã autem id quod contra Dei uoluntatem & uerbum iurauimus, seruandum non sit, tamen hac in parte non inconsideratè & præcipitanter est agendum, ne rudiores nostro exemplo prouocati, legitimum iusiurandum discant uiolare. Huius rei præclarum exemplum habemus in Beniamitis, Iudicum ultimo capite, qui magna prudentia iuramentum impium & illicitum corrigebant, ne publicè & magno aliorum offendiculo, hoc uiolare eis esset necessarium.

Consilium pro illis qui rem impiã & illicitam iurarunt.

Optimum nunc, & salutare fuerit consilium, ut quicunq; uel prudens uel imprudens rem impiam iurasti uel uouisti, nõ desperes, sed uerè & ex animo pœnitentiam agas, Deumq; preceris, ut propter Christum, hoc peccatum tibi condonet, ne ęternùm pereas. Quantum enim illos à peccato in Spiritum sanctum abesse putas, qui scientes & prudentes, in proposito conseruandi scelerata & nefaria iuramenta persistunt? Reliqui uerò, illos qui de impijs iuramentis ueram pœnitentiam egerunt, non contemnant, nec uiolatum iusiurandum eis exprobrẽt, sed gratulentur potius, quòd in ueram salutis uiam reuerterunt.

26 Dissipat impios rex sapiens, & circumducit super eos rotam.

Rex facinorosos supplicio afficit.

De rotæ supplicio.

Regis officium in duabus potissimùm rebus consistit, nempe ut bonos defendat, & malos coerceat. Ad alterum hoc eius officium, hæc sententia pertinet. Si impij homines coniurant contra pium principem uel Rempub. si fures, latrones, prędones cõglobati, itinera infestent: bonus princeps eos dissipat, & rotam super eos conuertit, hoc est, diris supplicijs eos afficit, ut publica pax & tranquillitas conseruari posit. Vnum genus supplicij exprimitur, & alia etiam intelliguntur. Olim rotam ex suppliciorum genere fuisse, colligitur ex Plutarcho in uita Phocionis, ubi scribit, fuisse quosdam tam crudeles, qui Phocionem non uellent antè necari, quàm uarijs esset cruciatibus & tormentis afflictus, iussisseq; induci rotam inspectante theatro, & carnifices cum securibus & flagris expediri. Apuleius in Asino aureo lib.3. rotam inter dira tormentorum genera numerat his uerbis: Nec rota, uel equuleus more Græcorum tormentis eius apparata deerant. Postea lib.10. scribit: Cùm ritu Græciensi ignis & rota inferrentur, &c. Rotam nomine trochleæ significatam arbitror, apud Eusebium lib.8. Eccles. historiæ, ubi scribit: Post tergum alij uinctis manibus appendebãtur, & trochleis distenti membratim diuellebantur. Apud Aristoph. dicitur:

„ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
„ εἰπεῖν, ἃ πεπανούργηκας.

Hoc est, rota te illic tortum, fateri oportet quæ perperam fecisti. Vergilius lib.6. Aeneid. rotã inter supplicia inferni numerat.

„ Saxum ingens uoluunt alij, radijsq; rotarum
„ Districti pendent.

Id est, alij diuersis partibus, lignis inter canthum seu circumferentiã & axem astricti torquentur, &c. De Ixionis rota, multa apud poetas leguntur. In Germania, latronum tibiæ, femora,

& brachia, rotis primum contunduntur, postea eis impositi ad incutiendum alijs terrorem, sæpenumero ad dies aliquot uiuunt. An uerò ueteres eodem supplicio usi sint, & qualis τροχὸς Græcorum fuerit, affirmare non possum. Regum est, non modo bonis uerbis subditos in officio continere, sed etiam supplicijs: quæ non sunt unius generis. Quædam enim leuiora sunt, quædam grauiora, quæ interdum ad cohibenda flagitia adhiberi possunt. Nemo tamen ex hoc loco crudelitate aut immanitate in supplicijs utendum colligat, &c. Conuenticula item hæreticorum dissipanda sunt, ne Ecclesia detrimentum accipiat. Nec audiendi illi, qui sceleratis & seductoribus, clamant parcendum esse. Magistratus non frustra gladio armatus est: non est crudelitas, si impij tollantur. Impij principes, abutuntur sua potestate: impios, idololatras, sanguinarios homines defendunt, pios uerò omni genere suppliciorum persequuntur, eorumq; cœtus dissipant. Qualiscunq; aliquis sit, modò dicat se omnia decreta pontificis probare, huic parcitur. At Christus qui uerè sapiens rex est, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi sunt, Col. 2. cap. uenturus in nubibus cœli ad iudicandum uiuos ac mortuos, furores illorum compescet, & rotam super eos uertet, hoc est, diris cruciatibus eos subijciet, suos uerò fideles omnibus malis liberatos, in æterna uita consolabitur. אופן ofan, propriè significat superficiem & circumferentiam rotæ, per Synecdoch. pro tota rota ponitur.

Vulgata translatio legit, *Incuruat super eos fornicem*, id est, arcum triumphalem. Antiquitus enim (ut Lyranus & Glossa annotant) parta de hoste uictoria, fornices aut arcus triumphales (Græci ἀψίδας τροπαιοφόρους uocant) erigebant, in quibus uirium suarum laudes describerent. Exemplum adducunt de Saule 1. Samuelis 15. capite. Vbi uetus interpres legit, Nunciatum est Samueli, quòd Saul uenisset in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, &c. sed alius huius loci sensus esse potest. Nam ad uerbum ibi legitur, Ecce statuit sibi יד iad, id est, locum sibi delegit, scilicet pro castris, ut prædam ibi diuideret.

27 Lucerna Domino est spiritus hominis, inuestigans omnia penetralia uentris.

Hæc sententia bifariam potest exponi: Primùm spiritus uel animus hominis, Deo est lucerna, id est, perspicuus & apertus. Quemadmodum lucerna in tenebris conspicitur: ita Deus animum hominis & penitissimos recessus cordis intuetur. Sic Num. 27. Moses, Deum uocat Deum spirituum uniuersæ carnis. Psalm. 139. ostendit Dauid, quomodo Deus hominem exploret. Sunt & alia loca scripturæ, quæ idem ostendunt. Nos sæpenumero fallit externa species, iudicamus uirum bonum esse, qui magnus est hypocrita: malitiosum, qui est syncerus & integer. Adhæc illos quos putabamus nobis intus & in cute notos esse, sæpe experimur nos fallere. Verbum scrutandi uel inuestigandi, nemo ita accipiat, quasi Deus humano more res antea ignotas, diligenti exploratione, cogitatione & indagatione demum cognoscat, id quod humanæ est imbecillitatis. Nihil aliud hoc uerbo uult scriptura, quàm Deum omnia secreta exactissimè intelligere.

Deus corda intuetur.

Scrutari.

Quia uerò solus Deus mentes hominum nouit, in electionibus orandus est, ne sinat nos aberrare, nec temere de quoquam est iudicandum. Actorum primo capite, cum ecclesia in Iudæ locum alium substituere uellet, primùm statuerunt duos, Iosephum Iustum, & Matthiam: deinde facta precatione, dixerunt, Tu Domine qui corda nosti hominum, ostende utrum elegeris ex illis duobus.

Alter huius gnomæ sensus est: Spiritum hominis lucernam esse Domini, inuestigantem omnia interiora uentris. נשמה neschamah, flatum, spiritum, rationem siue mẽtem & animã, in scripturis significat. Mens Dei quædam est lucerna, quæ aciem noticiæ, super seipsam flectit. Sic Paulus 1. ad Cor. 2. ca. loquitur: Quis hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? inde colligit, quòd quæ Dei sunt, nemo norit nisi spiritus Dei, per quem omnia quæ rerum cœlestium nouimus, nobis reuelata sunt.

28 Misericordia & ueritas, custodient regem, & fulciet per misericordiam solium suum.

Per regẽ, alias etiã potestates intelligit, ueluti aristocraticã, & democraticã. Multa à politicis uiris disputãtur de pſidijs regnorũ: at rex Solomõ, q spiritu Dei & sapiẽtia illustri pditus fuit, optimè de hac re potuit iudicare. Duo aũt nominat quib. regna & Resp. conseruari posint, & reges à periculis defendi, misericordiã nẽpe & ueritatẽ. Misericordia in hoc posita est, ne principes immodicis exactionib. subditos exhauriãt: sed potius paupes sua liberalitate subleuẽt, utq; in supplicijs modum seruent. Vera tamẽ misericordia, à præpostera discernẽda est, ne sceleratis hominibus parcatur. Veritas in hoc consistit, ut sint seruantes pactorum, tabulas non

Præsidia regnorum, bonitas & fides.

infringant. Optimi hi ſunt regum ſatellites. Repetit miſericordiam uel clementiam, & dicit ea thronum regium fulciri: præſtantiſsima enim eſt uirtus, qua principes in animos ſubditorum quaſi influere poſſunt. M. Antoninus apud Volcatium ſcribit, nihil eſſe quod Imperatorem Romanum melius commendet quàm clemētia. Antigonus rex Macedoniæ amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, ualidis illam præſidijs muniret, ne quando ab eo deficerent, reſpondit: ſe ſemper in hac fuiſſe ſententia, quòd clementia plus poſsit quàm uiolentia. Cato ſenior admonere potētes ſolebat, teſte Plutarcho in Rom. Apophthegmatis, ut parcè uterentur ſua poteſtate, quò ſemper uti poſſent. De hac re pulchrè diſputat Cicero Offic. li. 2. Regna quæ tyrannicè adminiſtrantur, durabilia non ſunt. Seneca in Troade:

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timēt.

Violenta nemo imperia continuit diu.

Idem in Thebaide:

Qui uult amari languida regnet manu.
Inuiſa nunquam imperia retinentur diu.

Idem in Octauia.

Nero. Metuant neceſſe eſt.
Seneca. Quicquid exprimitur, graue eſt.

Idem in Octauia.

Magnum timoris remedium clementia.

Idem in Oedipode:

Qui ſceptra duo ſæuus imperio regit,
Timet timentes, metus in autorem redit.

Terentius in Adelph.

Et errat longè mea quidem ſententia
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur, &c.

Apud Curtium quoq; dicitur, imperia ſcelere quæſita nō ſolere diuturna eſſe. Antipatri proſapia, quæ Romanorum amicitia floruit, uniuerſa intra ſpatium annorū quinquaginta poſt Chriſti mortem ſublata fuit: multiq; ex illa, triſtes habuerūt exitus. Veluti Herodes magnus, Agrippa & Roboam Solomonis filij, regnum quod tyrannicè adminiſtrauit infœlix fuit, &c.

29 Gloria iuuenum fortitudo eorum, & decus ſenum canicies.

Oſtendit unamquamq; ætatem ſuas habere dotes, iuuenes pollent uiribus, quibus ad exercendos honeſtos labores, & poſtulante neceſsitate ad Remp. defendendam & repellendum hoſtes, uti debent. Grauiſsimè peccant qui deſidia, crapula & ebrietate, uires exhauriūt. Scriptura enim præcipit nobis de ualetudine tuenda. Senes commendat uaria rerum experientia, & ideo honorantur, magniſq; rebus & gubernaculis Reipub. adhibentur: Honor eorum eſt canicies, nempe ſi ſuperiorem ætatem honeſtè peregerint. Non eſt quòd quenquam pudeat ſenectutis. Apud Gentes etiam ſenibus magnus honos eſt habitus. Deus pijs hominibus diuturnam uitam promittit, quanquam impijs etiam longam interdum ætatem concedit. Iulia Auguſti filia, ut ſcribit Macrobius Saturnaliorum lib. 2. cap. 5. cùm cœpiſſet habere canos, ornatrices legere ſecretò iubebat. Cùm pater id ſubitò interuentu aliquando obſeruaſſet, diſsimulauit, & alijs ſermonibus tempore extracto, ſenectutis mentionem fecit, interrogauitq; filiam, utrum poſt aliquot annos, cana eſſe mallet, an calua. Et cum illa reſpondiſſet, Ego pater cana eſſe malo. Quid ergo, dixit, iſtæ te caluam tam citò faciunt? Non caniciei, ſed turpium rerum nos pudere debet. Dominus in lege præcipit, ut coram cano capite aſſurgamus. Cauendum autem eſt ſenibus, ne quid ſua canicie indignum committant.

Senes honorandi.

Ideo autem Deus iuuenibus robur concedit, & prudentiam plerumq; non dat: econtrà ſenibus prudentiam largitur, uires negat: ut inter ſe firmius connectantur, dum unus alterius opera indiget. Idem de alijs quoq; donis eſt intelligendum. Non omnia à Deo omnibus tribuuntur: ſed alia alijs, ut beneuolentia conſeruetur. Quod etiā Homerus intellexit, qui dicit:

Nō uni dat cūcta Deus.

ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι.

Euripides in Rheſo:

οὐ γὰρ πάντα ἐπίστασθαι βροτῶν
πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας.

Pulchra ad hanc ſententiam congeſsit Eraſmus in Prouerbio, Non omnia poſſumus omnes.

30 Liuores & uulnus, ſunt abſterſio mali, & plagæ penetralium uentris.

חבורה Chapura propriè eſt liuor, plaga in extrema cute, quæ non mittit ſanguinem. פצע

peza

peza uerò est uulnus, quod sanguinem mittit. Simplex sensus est, quosdam seruili esse ingenio, qui non nisi plagis & malo accepto emendentur. Domi tuæ experiris quorundam liberorum hæc esse ingenia, ut nisi flagellentur, idq; uehementer, nihil faciant. Hodie multi concionibus ex uerbo Dei petitis nihil mouentur, pœnis etiam leuioribus non excitãtur: Deus igitur uulnera infligit, quibus eis ueternum excutiat. Sic comminatus est Israelitis per Isaiam 28. capite, quandoquidem frequentibus concionibus prophetarum, emendari non possint, fore ut alia uoce per Nabuchodonozorem cum eis loquatur: id quod tandem accidisse sacra historia tradit. Metuendum etiam est, ne idem nobis Germanis contingat, qui tot iam annis Euangelij uocem publicè sonantem habuimus, interim uerò de uita nostra emendanda nihil cogitamus. Corrupti sunt omnes hominum ordines, grassantur omnia genera peccatorum, debitus honor uerbo Dei non defertur: fiet igitur ut Deus impœnitentibus uulnera infligat, hastis, bipennibus & bombardis loqui incipiat, ut tandem è profundissimo scelerum somno nos excitet. Paternis itaq; admonitionibus & blandis uerbis, nos potius corrigi sinamus, quàm uirgis, flagellis & uulneribus. Alij hanc sententiam ita intelligunt: liuores uulneris & תמרוק thamaruk, contritio uel fractura, plerunq; homini malo eueniunt. Et sic Targum uertit, *Liuores & uulnera eueniunt malo.*

Mali plagis emendãtur.

CAPUT XXI.

VElut riui aquarum, cor regis in manu Domini, ad omne quod uult inclinat illud.



AEC sententia ad diuinam prouidentiam pertinet: ostendit cor, id est, concupiscentiam & uoluntatem regis, esse in manu Dei. Manus est uis illa, qua ciet & cohibet motus cordis, id est, uoluntatis eligentis aut respuentis. Rem explicat breui similitudine, ueluti riui aquarum, scilicet ab agricola ligone, uel etiam manu, deducuntur quocunq; uoluerit, sic Deus corda regum gubernat. Potest & hoc modo exponi: Sicut aqua & alia elementa, & res in uniuersum omnes, in potestate Dei sunt, ita corda regum. Fluuiorum cursus Deus moderatur, mare coercet: mare rubrũ & Iordanẽ Israelitis aperuit, pluuias item regit, ut quoties, quando, ubi uoluerit, cadant: ita etiã corda regum in potestate Dei sunt, illa dirigit, ut iam uelint iam nolint aliquid, aliquando in bonũ, aliquando ad pœnã hominũ. Nota quòd nõ dicitur cor Dei in manu regũ esse, sed regum in manu Dei. Huius sentẽtiæ multa exempla habemus in sacris literis. Achis Dauidem insaniã & stulticiam simulantẽ, non plura interrogat, 1. Regũ 21. Ochosias Heliã dira nunciantẽ non lædit, 4. Reg. 1. cap. Ioramus mittit spiculatorem qui Heliseum occidat, mox mutato consilio, reuocat eum, 4. Reg. 7. cap. Apud Ezech. Nabuch. stat in biuio, ducit sortes quò se uertat. Deus rexit eum, ut ad Iudæos potius, quàm alias gentes cum exercitu proficisceretur. Idem, ut est apud Danielem cap. 3. constantes Dei martyres, propter ueram religionem exurere statuerat, mox ut seruatos uidit, Deum Israeliticum celebrat & ueram religionem edictis propagat. Darius Assueri filius, Danielem leonibus obijci permittit, sed mox iubet eum extrahere, hostesq; eius leonibus laniandos obijcere, Dan. 14. Esther ab Assuero populo Dei, quem decretum erat, uno die delere (quemadmodum de Templarijs legitur) pacem impetrauit. Esdræ 1. cap. Dominus excitasse spiritum Cyri dicitur, ut Iudæos in patriam redire pateretur, & uasa templi aurea & argentea eis redderet. Artaxerxes Nehemiam pincernam suum in patriam mittit, ut conatus populi Dei in ædificio templi & Vrbis iuuaret. Alexander magnus expugnata Gaza oppido (teste Iosepho Antiquit. Iud. libro undecimo, capite octauo) cum exercitu in Iudæam mouens, urbem Hierosolymam ob negata auxilia in obsidione euertere statuerat, sed cum uidisset Iaddum summum pontificem, eum ueneratus est & urbi pepercit. Similis ferè historia legitur de Attila Hunno, qui Romam euertere parabat. Si Deus cor regis inclinat quocunq; uult, quantò magis consilia, actiones, apparatus bellicos, & alia huius generis? Faciunt hæc ad consolationem. Pressi dura tyrannide, cogitent Deum principum animos subitò mutare, ut qui hactenus truculenti fuerunt contra populum Dei, protinus clementes reddantur. Qui ueram religionem persequuti sunt, postea eam ament & prouehant. Si quid agendum sit apud principes, ne cogites frustraneos fore tuos labores, Dominus qui eorum corda quo uult impellit, potest dare bonum successum. Cur minis regum sineremus nos à cultu Dei auocari, cùm nulla potentia Deo possit resistere?

Deus corda regum inflectit quocũque uoluerit.

Vsus huius sententiæ.

Neq; regũ tantũ, sed aliorum etiam atq; infimæ conditionis hominum corda, in Dei manu posita sunt, quæ emollit uel indurat pro suo beneplacito: de hac re lege August. in libro

de gratia & libero arbitrio capite uigesimo & uigesimoprimo, tomo septimo: ubi multis docet Deum omnium hominum uoluntates & corda, interna sua, sed ineffabili actione flectere quocunque uult. De prædestinatione Sanctorum libro primo, capite decimo: Agit Deus, inquit, quod uult in cordibus hominum, uel adiuuando, uel iudicando, ut per ea impleatur, quod manus eius & consilium prædestinauit fieri, &c. Mox exemplis rem declarabimus. Esau irati cor flectit, ut placidus & benignus, fratrem redeuntem ex Mesopotamia beneuolentia complectatur. Pilatus erga Iosephum petentem corpus Christi ad sepulturam, placidus fuit. Paulus ex persequutore factus est Apostolus. In paruis etiam Rebuspub. sæpe experimur in negocio religionis, illos strenuos, quos ignauos putauimus: uicissim uerò illos ignauos esse, quos optimos credebamus. Non igitur de quoquam desperemus statim, ne'ue homines plus quàm par est metuamus: sed potius Deo nos committamus, qui omnium corda & animos in sua potestate tenet, eumque precemur ut nos dirigat. Plura repete ex 7. uersu cap. 16.

2 Omnis uia uiri, recta est in oculis suis.

Tam corrupti sumus, ut omnia nostra instituta nobis probentur. Si bona opera faciamus, statim nobis placemus, etsi manca sint & mutila. Quin si peccemus, conamur peccata excusare & tegere, nonnunquã etiã locis & exẽplis scripturæ, aut uitia sub uirtutũ titulo uenditare. In negocio religionis, illa nobis probãtur, quę ipsimet cõfinximus. Gẽtes uarios cultus ac ceremonias instituerũt, ac tametsi plurimum errarint à uera pietate, unaquæq; tamen suũ cultum dijs quàm maximè probari sibi persuasit. Quia uerò hoc malo laboramus, nostra instituta ad Lydium lapidem uerbi Dei exigenda sunt. Hæc sententia alibi etiam exposita est.

Dominus autem metitur (uel ponderat) *corda.*) An praua sint, an recta. Recto corde illi præditi sunt, qui fidẽ habẽt, & ex illa bona opera edũt. Deus cor expẽdit statera iustitiæ, & secudũ illud iudicat, nõ secundũ nostras bonas intẽtiones. Qui illa faciũt, quæ uerbo Dei præscripta sunt, rectè incedunt: qui uerò suæ mentis somnia sequuntur, non rectè incedunt, licet suam uiam Deo probari existiment. Suprà 16. quoq; dixit, spirituum ponderatorem Dominum.

3 Facere iudicium & iusticiam, magis electum Deo, quàm sacrificiũ.

Hoc morbo Iudæi laborarunt, quòd existimarunt sacrificia grata esse Deo, etsi absque fide & pœnitentia offerrentur. Hinc factum est, ut commissis magnis sceleribus, ad sacrificia tanquam sacram an choram confugerint. At Deus per prophetas, multis in locis uehementissimè eos taxat, & ostendit misericordiam & iusticiam sibi magis probari, quàm sacrificia etiam ritè oblata, quæ in seipsis Deo non placebant, sed solum ex offerentium fide. Hac de re pulcherrimus est locus Isaiæ primo, & Micheæ sexto capite. 1. Sam. 15. cap. Ecce obedire melius est quàm sacrificium, & auscultare est super adipem arietum. Hodie quoq; homines rebus externis Deum demereri uolunt, cereis, idolis, missis, peregrinationibus ad limina sanctorum, & id genus alijs, interim opprimunt pauperes, iura auro habent uenalia: at si Deus iudicium & iusticiam sacrificijs rectè oblatis prætulit, quid dicemus de illis operibus, quæ Deus non requirit, sed ex diametro pugnant cum uerbo Dei? Huc pertinet elegans sententia ex Platonis Alicibiade 2. qui liber περὶ προσευχῆς inscribitur, ubi Socrates Græcorum χρυσοκέρους βοῦς, & sumptuosa Troianorum sacrificia reprehendens tandem infert: καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας, ἀποβλέπουσι ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψύχην, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνει. πολλῷ μᾶλλον οἶμαι ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας ἃς οὐδὲν κωλύει πολλὰ μὲν εἰς θεοὺς, πολλὰ δ' εἰς ἀνθρώπους ἡμαρτηκότας, καὶ ἰδιωτῶν καὶ πόλιν ἔχειν ἂν ἐπαφερ' ἔτος τελεῖν. οἱ δὲ ἅτε οὐ δωροδόκοι ὄντες, καταφρονοῦσι ἁπάντων τούτων, ὥς φησιν ὁ θεὸς καὶ θεῶν προφήτης.

4 Exaltatio oculorum, & latitudo cordis lucerna impiorum, peccatum sunt.

Potest utrumque esse nomen Toar, inquit R. Dauid in radic. elatus oculis, & latus corde. Difficilis est hæc gnome. Tria tamen uidetur comprehendere quæ non modò peccata sint in conspectu Dei: sed & multorum peccatorum seminarium. Primum est exaltatio oculorum, hoc est, fastus & superbia: in oculis enim sedes est superbiæ. Quidam per exaltationem oculorum, intelligunt studium apprehendendi quæ sunt suprà humanam facultatem: sed & hoc ad superbiam pertinet. Alterum est latitudo cordis, hoc est, auaritia & rapacitas. Sic infrà capite uigesimooctauo uersu 25. dicit, latus animo mouet iurgie. Quanquam alij intelligant prophanum gaudium quod impij quærunt in rebus carnalibus. Gene. 26. Dilatauit nos Dominus, hoc est, post tot labores & pericula, nobis gaudium & pacem reddidit. Psal. 25. dicitur, Angustiæ cordis mei dilatatæ sunt. LætICIA enim cor dilatatur, mœrore

Exaltatio oculorum.

Latitudo cordis.

tore uerò constringitur. Dilatatio cordis etiam accipitur pro superbia, audacia, & contumacia, quæ omnia ex felici rerum successu oriuntur. Sic scriptura dicit, Ne dilatetur cor tuum. Deus adhæc latitudinem cordis, Solomoni dedisse scribitur, id est, amplissimam plurimarum rerum cognitionem : secundum hanc significationem sensus erit, Si impij multa sciunt, malè utuntur illa scientia. Hæc duo uitia, nempe superbiam & auaritiam, Deus inulta non sinit. Primum peccatum quod Deus puniuit, fuit superbia. Psalm. 101. legitur, Elatum oculis & latum corde, ipsum non feram. Tertium est lucerna impiorum: intelligo opera in speciem bona, quæ tametsi splendeant instar lucernæ, hoc est, coram hominibus *Lucerna* speciosa uideantur: tamen peccatum sunt: quicquid enim non fit ex fide, peccatum est. Ser- *impiorum.* uator noster Lucæ 16. dicit: Quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo. Immolare filios dijs, mundo præclarum opus uidebatur, sed Dei iudicio nequaquam, &c. Aliqui prudentiam intelligunt, Rom. 8, Prudentia carnis mors est.

נר ner, Hebræis est lucerna & nouale. Hæc noualis, hoc nouale, & noualis ager, Græcè *Nouale.* νεὸς, τὸ νέον, νεὼν, νέωμα, νεωμοσύνη, νέατος, νεατὴ & νέασις, dicitur ubi satum fuit, & antequam secunda satione renouetur, requiescit, uel unde recens sylua sublata est, solet autem copiosum fructũ proferre. Hinc Hesiodo dicitur νέος ἀλεξάρη, hoc est, pellens diras imprecationes. (Agricolæ enim non solent maledicere, quãdo fructus uotis respõdent: alij quoq; quib. ex prouetu frugũ agricolæ obærati satisfaciũt, non maledicunt eis.) παίδων σύνηλήτειρα filios demulcens: liberos enim copiosum fructum suppeditans, exhilarat. Videtur igitur hæc sententia ita esse reddenda, *Altitudo oculorum & latitudo cordis, nouale peccati impiorum.* Vt sit sensus: Quemadmodum noualia copiosum fructum proferunt: ita ex superbia & auaritia, multi mali fructus nascũtur. Hæc enim duo uitia, agmẽ aliorũ secum trahunt. Et quemadmodum noualia magnis laboribus repurgantur à spinis, truncis & lapidibus : ita his duobus uitijs obnoxij, durissimos labores sustinent. Nam cũ aliorum uitiorum, tum superbiæ & auaritiæ, maior quàm uirtutũ est difficultas. Breuiter, superbia & auaritia ager quidã sunt impiorũ, in quo peccatũ feliciter uel potius infeliciter prouenit. Eodẽ sensu Græcorũ quidã dixerũt, τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν εἶναι πάσης κακίας. i. auaritiã metropolim esse omnis malitię. Paulus radicẽ omniũ malorũ appellauit: ex ea enim nascũtur insidiæ, delationes, cædes, ueneficia, corruptelæ in iudicijs, periuria, crudelitas, cædes, innumeræ fraudes. Per nouale uel arationem Hebræi metaphoricè intelligunt cogitationem, *& hoc est* נר nir, *cogitatio impiorum, quæ est peccatum.*

5 Cogitationes seduli tantum, *uel profectò* ad abundantiam (*s. tendunt*) qui autem præceps est, tantum ad penuriam.

Multus est sermo inter homines, de parandis opibus. Multi quocunq; modo acquirendas putant. Opulentos enim in precio esse, pauperes uerò contemni. Huc pertinent multa uulgi prouerbia. Sed Deus corrigit cum in alijs, tum hoc in loco uulgi corruptum iudicium, & ueram colligendarum opum uiam ostendit. Qui sedulus est & strenuus in uocatione sua, & *Industria et* certa ratione omnia agit, consyderans, quomodo & quando & quid faciat, huic necessaria *diligentia* uitæ suppetunt: nisi Deus certis de causis aliquem esurire uelit. Qui uerò præceps & uelox *parantur* est, nulloq; ordine res suas agit: tantum abest ut aliquid acquirat, ut etiam quæ habet amissu- *opes.* rus sit. Idem ei accidit quod iter facientibus, qui cùm initio festinant, postea fatigati, minus *Præcipitã-* possunt iter conficere. Prouerbio dicitur, Qui nimium festinant, serius absoluunt. *tia & teme-*
ritas.

6 Opus *uel congregatio* thesaurorum in lingua dolosa, uanitas impulsa, quærentium mortem.

Dixit quomodo opes sedulitate & industria parandæ sint: nunc quæ mala ex opibus lingua mendaci collectis consequantur, pronunciat. Vbi principiò uidendum est, qui sint illi, qui mendaci lingua, opes comparant. Primùm sunt falsi doctores, qui uoce & scriptis, mendacia spargunt, ut magnos inde habeant redditus, & optima sacerdotia. Deinde Iscariotici illi homines, qui parte bonorum accepta, pios accusant & traducunt. Item falsi iudices & aduocati, qui acceptis muneribus, causas malas defendunt. Falsi testes, adulatores, mercatores, qui dicunt rem aliquam bonam, quæ mala est, addito nonnunquam iuramento: qui dicunt iustam esse mensuram, iustum pondus, cum tamen sciant se mentiri: breuiter, omnes illi lingua dolosa & mendaci thesauros congerunt, qui dolis & imposturis utuntur. Thesauri uerò *Thesauri* hoc modo collecti, nulla est utilitas: nam primum res est leuis & euanescens. חבל נדח hęuel *mendacijs* niddaph uanitas impulsa, id est, res nihili, ueluti stipula, quæ rapitur & impellitur à uento. *collecti non* קש נדח kasch niddaph, stipula proiecta & impulsa, Isa. 41. particip. passiuum. Bona fraude *sunt dura-* acquisita plerunq; dilabuntur. Huc pertinent illa prouerbia, Malè parta, malè dilabuntur. De *biles.* malè quæsitis, non gaudet tertius hæres. Euripides in Cyclope dicit:

» πολλοῖσι γὰρ
» Κέρδη πονηρὰ, ζημίαν ἠμείψατο.

Erasmus hos uersus Sophoclis citat in prouerbio, Malum lucrum æquale dispendio:

» Οὐκ ἐξ ἅπαντος δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν.
» Ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας.
» Ἀτυμένους ἴδοις ἂν, ἢ σεσωμένους.

Thales Milesius semper uetuit per fraudes & iniurias ditescere, quòd lucrum fraude partum, non lucrum sit, sed damnum. Chilon Lacedæmonius dicere solebat, Ideo damnum turpi lucro semper anteponẽdum esse, quòd illud semel doleret, hoc autem semper. Iacturam opum sarciri posse sedulitate & industria, famam autem malam ex turpi lucro profectam, nũquam apud honestos uiros dilui. Et sic lucrum scelere partum, damnum esse, non lucrum. Laert. lib. 1. ca. 4. Bona iustè parta multis casibus obnoxia sunt, direptioni hostili, incendijs, eluuionibus, tempestatibus, &c. quid igitur nobis de iniustè partis promitteremus? Etsi uerò stabiles essent, nec possessorem suum desererent: tamen nos sumus caduci, & opes uel nolentes relinquere cogimur. Mich. 6. cap. opes fraude & iniuria collectas, igni comparat, quia alias opes iustè partas absumant, & ipsos etiam possessores. Ideo etiam dici potest opes illas uanas esse & inconstantes, quia rebus aduersis, possessoribus nullam utilitatem afferre possunt. Diuites confidunt se suis diuitijs quiduis posse efficere, sed quemadmodum quisquiliæ uento resistere non possunt: ita opes mendacio partæ, iudicante Domino, subitò euanescent. Potentiæ enim Dei, nihil potest resistere.

Secundò mortem afferunt suis possessoribus, scilicet, temporariam & æternam. Nam si dicamus de earum collectione, nihil nisi peccatum inueniemus, quo Deum grauiter offenderunt. Si de usu, uel auari fuerunt uel decoctores. Si de amissione, impatienter tulerunt amissas opes, multi sibi manus intulerunt. Sin ipsis moriendum sit, & opes relinquendæ, qui gemitus, quæ lachrymæ? Raro ueram pœnitentiam agunt, impœnitentibus uerò quis meliorem uitam promitteret? Exemplum habes in diuite illo, Luc. 16. Propter opes multi naturalem uitam amiserunt. Pauperibus enim homines non ita insidiantur. His accedit, quòd diuites illi, non se tantum, sed etiam liberos perdunt, qui occasione & fiducia opum, impij redduntur: spem enim quam in Deum collocare debebant, in opes caducas & fluxas collocant. Discamus igitur ex hac sententia opes fraudibus non quærendas esse: præstat modicum, aut omnino nihil habere, quàm opes usuris & mendacijs partas. Putato ingentes diuitias esse, pietatem & animum modico contentum. Philosophus ille auro in mare proiecto, dicebat, Mergam te, ne mergar à te: uidebat enim diuitias multis esse exitio. Deus uictum pijs suppeditabit: aluit Heliam, aluit in desertis locis paucis panibus & pisciculis tantam hominum turbam, alit tam uasta corpora animalium, nihil igitur suis deesse patietur. Christus nos iubet petere panem quotidianum: si nos alere non uellet, nunquam iussisset petere, &c.

7 Direptio impiorum (*uel rapina, uastatio*) terrebit eos.

De rapinis. Dixit de opibus fraudibus & dolis partis, nunc agit de manifestis furtis & rapinis. Qui hac ratione opes colligunt, non impunè ferent. Rapina eorum terrebit eos, uel ut alij legunt, manebit cum illis, hoc est, metuent pœnas, de quibus sæpe cogitabunt. Deinde si uideant alios eorum opes diripere, ualde consternabuntur, nec scient quo'nam se uertant. גור gor, significat morari & habitare, peregrinari, item uereri & expauescere. Alij deducunt à גרר garar, quod significat excindere, serrare: ut sit sensus, rapina impiorum excindet eos. Isaiæ 33. dicit Dominus: Qui prædaris, non'ne & ipse prædaberis? Iustum hoc est, quia addit Solomon: *Nolunt enim facere iudicium*, hoc est, præscriptam à Deo parandi necessaria uiam, sequi, suumq; officium facere noluerunt. Deus honestum laborem nobis præscripsit. 1. Thess. 4. & alibi. Exempla huius dicti, non tantum priuatorum hominum: sed & gentium & regnorum possunt adduci. Posset etiam hæc sententia ad iudices astringi: qui si suas sententias & subditos uendant, tandem funestum habebunt exitum. Quidam ita intelligunt, *nolunt facere iudicium*, id est, iudicare quàm mali sint.

8 Peruersa est & aliena uia uiri, mundi autem rectum est opus.

Alij legunt, *Peruersa est uia uiri*, scilicet impij, & alieni, scilicet à Deo. Simplex sensus hic uidetur esse, impios sibi non constare, dicta, & facta eorum esse peruersa, non enim in conspectu habent regulam dicendorum & faciendorum, legem Dei. Pij autem opus rectum est: obseruat enim uerbum Dei. Si & ipse in peccata labatur, pœnitentiam agit. Alij uertunt, *peruersa est uia uiri alieni, sed synceri opus rectum est*: ut זר sar alienus, accipiatur pro eo qui habet quiddam alienum & admixtum, & opponatur זך sach, candido & syncero.

9 Melius

9 Melius est habitare *uel sedere* in pinna tecti, quàm cum muliere rixosa in domo societatis.

Docet quàm intolerabilis sit uiro uxor morosa. Coniuges se mutuò amare debent & iuuare. Vlysses apud Homerum Odysseæ. 3. Nausicaæ, filiæ regis Alcinoi, rem maximam precaturus, ὁμοφροσύνην in coniugio ei precatur, hoc est, ut uir unum idemque cum ea sentiat, eamq; diligat ex animo, &c. Sin uerò uxor ad quamlibet occasionem, rixas moueat, marito uitam insuauem reddit. Tectum ædibus imponitur, ut imbres & niues arceat, calorumq; molestias sedet: sed præstat in pinna tecti habitare, uel sedere, hoc est, in loco periculoso & uentis, niuibus atq; imbribus exposito, quàm cum rixosa muliere in domo societatis, id est, communi. Quidam intelligunt, quàm in domo, in multorum frequentia. פנה pinnah, angulus, flexus exterior ædificij, à פנה panah respicere, eò quòd fit in conspectu, uel quòd ad diuersa loca respiciat. Conuictorem morosum & contentiosum habere, ualde molestum est, quantò magis uxorem, quæ communem lectum tecum habet, & quam dimittere non potes? Quod de molesta uxore dicitur, maritis etiam accommodari debet: nam si & illi rixentur absq; causa, domum turbant. Inuenias autem non paucos, qui ex compotationibus domum redeuntes, leues ob causas non modò rixantur, sed uxores & liberos pulsant. Discant mulieres, quæ ualde gaudent rixis, ori frenum immittere, ne ex bonis maritis, mœchos & ebrios faciant, (fit enim ut mariti domo pulsi tempestate illa, peiores redeant,) & sibi multa & immedicabilia mala accersant. Possent sæpe coniuges suauem uitam ducere, modò uellent. Mariti etiam suo officio non desint, ne ex uxoribus bonis, malam efficiant. Caueant ducturi uxores, ne opum & ætatis maiorem, quàm pietatis & morum rationem habeant. Alioqui cogētur postea audire ab illis, quæ nollent, & habere imperatrices potiùs, quàm uxores. Caueant sibi, tam uxor quàm maritus à delatoribus, &c. Magna est molestia si coniuges rixis studeant: quisq; igitur det operam, ut hoc malum emendet: Deum oret ut leniat. Sin uerò malum sit deploratum & immedicabile, patienter ferat. Maritus qui uxorem habet superbam & molestam, suum nihilominus faciat officium. Vxor quæ uirum habet contentiosum, memor sit suarum quoque partium, Deoq; seruiat, qui eam, si utile sit, illo magno malo liberabit. Pulchrè dicit Tragœdia, teste Clemente Alexandrino, de coniugum concordia:

Vxor contentiosa intolerabilis.

Οὐ χρυσὸς, οὐ τύραννις, οὐ πλούτου χλιδὴ
Τοσοῦτον εἶχεν διαφόρους τὰς ἡδονὰς
Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
Γνώμη δίκαια, καὶ φρονοῦσα τ᾽ ἀνδρικά.
Οὐ μὲν γὰρ κρείσσων καὶ ἄρειων Et iterum:
Η ὅθ᾽ ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

De concordia coniugum, multa quoq; præclara inuenies apud Ludo. Viuem lib. 2. de Christiana fœmina.

10 Anima impij concupiscit malum, & non inuenit gratiam in oculis eius, amicus *uel proximus* eius.

Multa & in hoc, & in alijs libris sacræ scripturæ, proponuntur de natura & ingenio impiorum: non ut tantùm legamus, sed ut cognoscamus impios, & nobis ab ipsis caueamus, ne nos inficiant. Deinde ut, si quid commune cum eis habemus, ueniam à Deo precati, uitam emendemus. Sin uerò prorsus immunes sumus ab ipsarum opinionibus & uitijs, Deo gratias agamus, utq; nos deinceps conseruet, oremus. Hęc sententia ostendit, omnia impiorum studia, & omnes cogitationes huc tendere, hasq; ipsorum esse delicias, ut cursum puræ doctrinæ remorentur, pios affligant, opes per fas & nefas cōgerant, adulteria cōmittant, odia exerceant, & alia id genus scelera designent. Sunt autem quidam ad hæc, quidam ad illa magis procliues. Si amici eos ab odio religionis, auaritia, adulterijs, odijs, &c. uarijs argumentis reuocent, nullam apud eos ineunt gratiam. (Gratiam inuenire in oculis alicuius, est in gratia esse. Gen. 34. Inueniam gratiam in oculis uestris, id est, si sim uobis gratiosus, annuite precibus.) Quin amicos perditos uolunt, modò ipsi in impietate sua & sceleribus pergere posint. Adde naturalem affectum, non solùm erga amicos, sed & parentum erga liberos suos, præcipuè odio religionis dissolui. Illos interdum qui prolapsi sunt in scelus aliquod, liberare tētant, uicem aliorum dolent, si propter scelera ad supplicia trahuntur: filios aūt suos propter religionē synceriorē prodūt & interficiūt. Opib. inhiātes, clamores & gemitus pauperū obturatis auribus prætereūt, neq; amicis parcūt, tantū ut res suas cōficere posint, Libe-

Cur tā multa de ingenio impiorum in sacris literis tradantur.

Gratiam inuenire.

ros interfecisse matres leguntur, ut adulteris se approbarent. Odio quidam perciti, proprias ædes incenderunt, ut ignis ad aliorum quoq; domos spargeretur. Nec contenti sunt impij si ipsi mala patrent: sed alios quoq; concupiscunt facere malum, eos ad peccandum impellunt, iuuenes uarijs illecebris in suas partes trahunt. Vacui enim sunt fide & charitate. Pij è contra, pro uirili cauent malum, alios à malis auocant, dolet eis si uel alij imprudentes uel ex carnis imbecillitate, in peccata ruant.

11 **Dum mulctatur irrisor, imperitus sapientior euadet.**

Varia sunt, ut alibi quoq; in hoc libro annotauimus, hominum genera: quidam rationibus mouentur: si audiant Deo aliquid placere, student uita exprimere: sin uerò improbare, cauent sibi ab eo. Alij uerò, si uideant illos corrigi, qui officium non faciunt, alieno malo, prudentiores efficiuntur. Quidam non nisi suo malo quid facto opus sit, discunt. Pessimum uerò genus illorum est, qui neq; uerbis, neq; malis uel suis uel aliorum emendantur. Hoc loco de secundo genere agitur. Cùm simplices homines uident Dei & hominum contemptores, in pecunia uel corpore (utrunque enim comprehendit uox ענש anasch) multari, cautiores redduntur deterrenturq; à sceleribus. Porrò irrisores punit Deus, uel per seipsum, idq; uarijs modis ac rationibus: uel per alios, uia ordinaria per magistratus, qui proditores secat in partes, latrones rotis frangit, fures suspendit, &c. quosdam in carcerem conijcit, quosdam mulcta pecuniaria punit. Aliquando uia non ordinaria, per sicarios, &c. aliquando eos sibijpsis manus inferre permittit. Hæc omnia uidens simplex, contremiscit ad Dei iudicia, illisq; exemplis fit melior. Vtile autem est, si sumantur supplicia de facinorosis: & homines cogitent quare hoc fiat. Nisi enim scelera puniantur, homines leges contemnunt & impudenter peccant, existimantes scelera non esse scelera.

Simplex alienis malis cautior efficitur.

Et quando accurratè animaduertit ad sapientem, accipit scientiam.) Qui artificium aliquod discit, obseruat artifices, postea eos imitatur: ita qui sapientum uirorum dicta & facta obseruarit, & exprimere studuerit, prudens etiam euadet. Alius sensus esse potest, *cùm dederis intelligentiam sapienti, scientiam accipiet.* השכיל hiskil, significat intellectum dare, prudenter agere, item accuratè consyderare. Significat enim, prosperè agere, & tunc uidetur hic esse sensus: Simplex fit sapientior, si derisorem castigari & sapienti feliciter succedere uidet. Hinc enim uidemus constantiam uerbi Dei, qui malis mala comminatur, bonis uerò bona promittit.

12 **Prudenter consyderat iustus domum impij, & Deus subuertet impios propter malum.**

Fidelis homo perpendit, quid fiat cum domo, id est, familia & liberis impiorum: uidetq; impios, propter malum, tandem funditùs euerti. Multi præsentia tantùm intuentur, offenduntur splendore impiorum, multas uoces impias iactant: at pij præterita & futura respiciunt, ac certi sunt, impiorum domos non consistere. Impij, malis rebus interdum uolunt domos suas stabilire, ut quòd liberos suos in monasteria detrudunt, cædibus & sanguine opes parant, &c. sed his rebus suum exitium accelerant. Sinit Deus aliquando florere longo tempore impias familias: sed tandem subitò euertit. Vtile autem est huiusmodi exempla diligenter intueri, ne impiorum felicitate fracti, tentationibus succumbamus. Neq; uerò familiæ tantùm, sed etiam potentissima regna propter mala excinduntur. Tigurina editio habet: *Erudiat licet iustus impiam domum, impij tamen ad scelus deflectunt.* Nam particip. משכיל maskil, ut suprà, significat, facio intelligere, erudire. סלף salaf uerò, peruertere, deflectere. Vel, *erudit impios, sed deflectit eos in malum,* hoc est, quantò magis erudiuntur, tantò peruicaciores redduntur, & magis procliues ad malum.

Impiorum domus exciditur.

13 **Qui obturat aures suas ad clamorem pauperis, etiam ipse clamabit, & non exaudietur.**

Qui pauperes eleemosynis non iuuat, cùm posset, sed eorum clamorem surda aure præterit, etiam ipse à Deo non exaudietur. Exemplum habes in diuite purpurato, Luc. 16. Obijcis: An non Deus omnium preces exaudire dignatur, quantumuis fuerint scelerati, si eos scelerum pœniteat? Hæc quæstio primo capite explicata est. Deinde reges, principes & magistratus, qui subditos suos cibum animæ petentes, puram, inquam, prædicationem uerbi Dei, reijciunt, clamabunt etiam ipsi, sed non exaudientur. Itē, qui oppressorum clamores nō curant, sed eos magis magisq; instar Pharaonis uexant, & aliquando sub specie iuris, prorsus deglubunt, non exaudientur. Iacobus 2. capite. iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Tametsi uerò principes, magistratus & opulenti, pauperes interdum non dignentur audire, sed cum contumelia reijciant, Deus tamen eos clementer exaudiet.

14 Mu-

14 Munus in abſcondito *datum* ſedat furorem, & donũ in ſinu (*poſitum*) iram uehementem.

De ui & efficacia munerum, hæc ſententia pronunciat. Homines qui infeſto in nos ſunt animo, muneribus occultè datis, poſſunt placari. Dicunt uulgò, nulla corda tam eſſe aſpera, quæ auro rutilo non poſsint emolliri. Non autem ideo hæc dicuntur, ut pij in cauſis uel bonis uel malis, iudices corrumpant. Impiorum hæc eſt natura. Daniel de Antichriſto prædixit, quòd colentes Deum ſuum Mauzim, muneribus affecturus ſit, quorum tria genera recenſet: Primùm egregijs titulis ornabit eos, nam dicuntur obedientes filij, membra Eccleſiæ, &c. Deinde efficiet eos principes, illum Abbatem, illum Epiſcopum, illum Cardinalem, &c. unde annuos ſuos habent redditus. Tertiò diſtribuet regna, nam principes qui eius conatibus obſiſtit, deponit, & alios ſubſtituit, inuadit omnia imperia. Quot ſunt qui infeſto in Papam, propter genus doctrinæ & uitam ſceleratam eſſent animo, niſi ſperarent, & ſe & ſuos magnis dignitatibus ornandos eſſe? Quid in ueteri Rom. Imperio muneribus effectum ſit, colligitur ex Salluſtij bello Iugurthino. Romani proceres Iugurtham, quem prius oderant propter parricidia, poſtea pecunijs corrupti defendere incipiebant. Quid apud maiores noſtros Heluetios potuerit largitio, norunt omnes: multa fœdera inita ſunt, multa bella periculoſiſsima geſta, propter munera principum. Hinc inter ciues orta ſunt multa odia, diſsidia & bella quoque inteſtina. Prudentiſsimè igitur ab ampliſsimo Senatu Tigurino, lex muneralis lata eſt, qua capitis ſupplicio cauetur, ne quis ullum donum aut ſtipendium accipiat ab ullo principe, militandi cauſa. Cum autem uideamus quæ ſit uis munerum, ne dixerimus: Accipiã, munera & nihilominus faciam quod decet: ſed à corruptela munerũ nobis caueamus. Quidam hanc ſententiam ad eleemoſynam referunt, quam ſi quis in abſcondito præſtat, ſecundum Chriſti præceptum, placat Deum. Operibus enim ex fide profectis, Deus multum tribuit, præſertim quo ad flagella, & pœnas leniendas. Sed nos eleemoſynis æternam uitam mereri, falſiſsimum eſt.

Antichriſtus ſuis confert munera.

Lex muneralis.

15 Gaudium eſt iuſto facere iudicium, operantibus uerò iniquitatem, eſt horror *uel contritio.*

Homini pio non eſt graue facere iudicium, hoc eſt, id quod lex Dei poſtulat (latè patet uox Miſpat) ultrò enim facit & ſponte, nec ſolum ex illo percipit uoluptatem, ſi ipſe rectè faciat, ſed etiam ſi alios audiat rectè agere. Impio uiciſsim, res eſt acerba & moleſta, ſi quæ iuſta ſunt, eum facere oporteat, & ringitur ſi alios audiat rectè agere. Res exemplis fiet manifeſta. Pio non eſt graue, uxori ſuæ fidem ſeruare, adulterium eſt ei horrori: impius uerò ſeruare fidem non uult uxori, ſed aliarum pudicitiæ inſidiari. Si pius audiat aliquos recipere ueram doctrinam & deponere idololatriam, magno afficitur gaudio: impio uerò nihil triſtius poſſet accidere, fremit & ringitur. Chriſtus quoq; dicit, Iugum meum ſuaue eſt, onus meum leue. Carni quidem nihil eſt acerbius atq; grauius, ſpiritui uerò facilis & ſuauis. Orandus itaq; eſt Deus ut Spiritum ſuum nobis conferat, qui diſciplinam ſuauem reddat.

16 Homo qui errat à uia prudentiæ, in cœtu mortuorum manebit.

Via intellectus uel prudentiæ, eſt uia uitæ & ſalutis, ſumma enim eſt prudentia uiam ſalutis intelligere. Quæ autem ſit illa uia, oſtendit Chriſtus Ioannis 14. cap. Ego, dicit, ſum uia, ueritas & uita: nemo uenit ad patrem, niſi per me. Huc tendit tota ſcriptura: per hanc uiam incedunt, qui in Chriſtum credunt: ab hac errant, qui ſalutem non in ſolo Chriſto quærunt, ſed alias uias ſalutis comminiſcuntur. Multa autem multi habent, etiam ridicula, in quibus ſalutem oſtendunt. Quid futurum eſt de illis? *in cœtu Rephaim, gigantum uel mortuorum requieſcent,* hoc eſt, æternæ mortis ſupplicio afficientur. Iuſtum enim eſt, ut qui unicam uiam ſalutis ingredi noluerunt, ſed impios ſecuti ſunt, unà cum ipſis, æternùm pereant. Nulla autem lingua explicare poteſt, tormenta illa impiorum. Vel in diuerſorio cum tyrannis & impijs ſicarijs in eadem menſa ſedere, magna eſſet moleſtia. Etſi igitur multi, uiua uoce & ſcriptis, aliam uiam nobis monſtrare uelint, tamen ueræ uiæ inſiſtamus. Etſi uideamus multos & potentes, aliam uiam ingredi, cogitemus tamen plures ire uiam, quæ ducit ad interitum. Sin uerò homines ui abſtrahere ab illa uia nos conentur, demus pro uirili operam, ne illam deſeramus. Adhæc uidendum, ut ſi in uia doctrinæ uel morum aberremus, redeamus in eam. Satius eſt recurrere, ut prouerbio dicitur, quàm malè currere. Deo danda eſt gloria. Multi in tota religione ſentiunt ſe errare, uel in aliquot ſaltem capitibus, ſed ſuperbia & pertinacia retrahuntur, quò minus in uiam redeant.

Chriſtus eſt uia.

Colligendum etiam eſt hoc: Si Deus homini, qui in uera uia errat, nec alios ſeducit, ſupplicium ęternæ mortis minatur, quid illis fiet, qui cateruatim alios ſecũ ducunt? Nam multò

Qui alios à uia salutis abducunt punientur. grauius est, si quis non modò erret, sed alios quoq; seducat. Quales primum sunt falsi doctores, qui uel scientes uel ignorantes hoc faciunt. Si ignorantes hoc faciant, discere debebant, quæ esset uera uia. Extant Biblia in multis linguis, & multi utiles libri. Excusari certè nō possunt, multi enim tam crassi sunt errores in Papatu, ut etiam ab imperitis deprehendantur. Sin uerò scientes & uolentes hoc faciunt, quantum est peccatum, tot uiros & mulieres miserè seducere? Vitam ostendere ubi est mors, lucem ubi tenebræ? Si quis duceret te in syluas ubi latronibus & bestijs te obijceret, quid cogitares? Si quis errans naue in scopulum impingeret, quid diceres? At iactura non esset tam grauis. Hîc enim non de fortunis, aut uita corporali agitur, sed æterna. Deinde alios seducūt, Phalarides illi qui edictis sanguinarijs, ferro & flammis homines adigunt, ut uiam perditionis ingrediantur: iusto igitur iudicio ad Rephaim patriarchas suos colligentur.

17 Vir defectus (*uel egestatis*) amans gaudium: & qui diligit uinum & pinguedinem, non ditescet.

Quæ homines in paupertatē conijciunt. Tria complectitur, quæ pauperes non sinunt emergere, & diuites aliquando in extremam paupertatem conijciunt. Primum, si ament lætitiam. Quærūt autem homines uarijs in rebus sua gaudia, quidam in choreis, quidam in sumptuoso uestitu, quidam in splendidis ædificijs, quidam in illicitis amoribus, & id genus alijs. Sed qui his rebus uacant, nihil acquirent. *Læticia.* Etiam concessa gaudia & exercitia, homines impediunt quò minus possint aliquid lucrari. *Vinum.* Alterum est diligere uinum: qui dies noctesq; sunt cum iucundis sodalibus, & uino indulgent, nihil acquirent. Nam opes partas absument in conuiuijs: dum alias parare deberent, sedent ociosi, famuli interea sunt negligentes in opere: si redeant ad laborem, capitis sentiunt grauedinem. Post multos dies festos, ad labores minus sunt apti. Perdunt etiam corpora, ut postea labores tolerare nequeant. Omitto hoc, quòd bene poti ludunt, uendunt res suas, & plura preciosioris uini genera habere desiderant: sed de hoc uide cap. 23. uersu 21. Tertium *Pinguedo.* est diligere pinguedinem, hoc est, delicatos cibos appetere. Sunt multi gurgites, quorum palato nihil arridet, quod non sit exquisitum, lautum, opiparum & suaue: mensam habere uolunt uarijs ferculis instructam. Legimus Romæ mullum sex millibus emptum. Vnde Cato senior mirabatur, quomodo seruari ea ciuitas posset, in quā pluris ueniret piscis quàm bos. Vox שמן schæmæn, nomen est generale ad omnem pinguedinem: licet uertere oleum, un*Vnguenta.* guentum. Solebant autem orientales, preciosis oleis & unguentis uti, quemadmodū ex multis locis scripturæ colligitur. Iudas Iscariotes queritur Matth. 26. & Ioan. 12. Mariam in conuiuio Bethaniensi unguentum in caput, atq; adeò totum corpus saluatoris effudisse, quod pluris quàm trecentis denarijs uendi potuisset. Marcus 14. cap. dicit eam alabastrum unguenti nardi pisticæ preciosæ, in caput seruatoris effudisse. Græcè legitur πιστικῆς, id est, probatæ, spectatæ, nulla arte uitiatæ: multis enim modis, ut scribit Plinius, unguenta uitiabantur: interpres spicatæ uertit, quia nardi genus quoddam spica uocatur. Cæterùm unguenta nardina quę ex folijs & spicis nardi fiebant, preciosissima habebantur. Plinius, de folio nardi plura dicere par est, ut principali in unguentis, &c. Idem scribit, unguētum regale appellatum, quòd Parthorum regibus temperabatur, constitisse myrobalano, costo, amomo, cinamomo, comaco, cardamomo, nardi spica, maro, myrrha, &c. Hinc spicatum dictum fuit, quòd ex spicis fieret, &c. Talis ferè usus unguentorum apud orientales fuit, qualis apud nos balneorū & thermarum. Apud Rom. quoq; magnus unguētorum luxus fuit. Qui uerò his rebus subinde utitur, multa profundat necesse est. Non igitur mirandum in locis fertilibus, & oppidis, in quibus ciues ab exactionibus immunes sunt, tot pauperes reperiri: sua enim tributa pendunt œnopolis, aurifabris, cupediarijs, &c.

Preciosis reb. uti, per se non est peccatum. Nec solùm priuatos homines, luxuria illa ad paupertatem redigit, sed etiam principes, & totas Respub. Notandum autem est quod dicit, Qui amat letitiam, uinum, pinguedinem uel unguentum: nam usus harum rerum moderatus, concessus est: illi uerò taxantur, qui de illis rebus comparandis, dies noctesq; cogitant, neq; in loco & tempore pro qualitate rerum & personarum eis utuntur. Addendum etiā est, utile esse Rebuspub. ut ferantur leges sumptuariæ. Nulla enim ex re magis Reipub. corruptela nascitur, quàm ex luxuria. Romana Respub. sub Scipionibus, Fabricijs, Brutis, Publicolis & Cincinnatis, uoluptatis contemptoribus, florentissima fuit.

18 Pro redemptione iusti (*dabitur*) impius, & præuaricator pro rectis.

כפר kefær significat λύτρον precium, quo uita hominis redimitur. Non uult dicere, impios pœnas dare peccati piorum (quisq; enim suum onus portabit) uel impios nos redimere: sed sensus est, impios subire uicem piorum, & quasi permutatione facta, quæ alijs inferre cogitabant,

bant, ipsis inferri: impios parare foueam pijs, sed in eam incidere. Exemplo sunt Pharao, delatores Danielis & sociorum eius, Hamanus, Herodes senior, & Agrippa. Vide suprà capite undecimo, uersu octauo. Quin Deus tota regna & gentes perdit, ut pios asserat, Isaiæ 43. Apud hominum etiam tribunalia, non rarò accidit, ut dum impij pios accusant, pij euadant, & impij dent pœnas.

19 Melius est manere in terra deserta, quàm cum muliere contentiosa & iracunda.

Paulò antè dixit, præstare in culmine tecti sedere, quàm cum muliere contentiosa, in communi domo. Solomon non uult temere suggillare mulieres, sed eis officium præscribere. Videndum hoc loco quæ sit contentiosa & iracunda. Non certè quæ liberos, seruos & ancillas hortatur ut suum faciant officium, & peccantes castigat, aut quæ maritum decoctorem reprehendit: sed quæ nullas uel leuiculas ob causas, morbo quodam, aliud nihil potest quàm altercari: quæ quia sese ex meliore familia & opulentiorem esse putat, uel, quia meliore est forma, maritum contemnit, & tantum non conculcat, contentiosa & iracunda dici debet. De tali loquitur, & præstare dicit, ut quis in deserto degat. Eccles. 25. addit, cum leonibus & draconibus. Nam statim illi hominem occiderent, apud talem uerò plus millies quodammodo eum mori oportebat. Quæ igitur hoc morbo laborant, discant sibi temperare: nam si noluerunt uiris parére, cur eis nupserunt? Deinde multa mala sibi ultrò accersunt sua improbitate. Mariti quoq; suo officio non desint, nec statim propter mores uxoris, se perditis hominibus coniungant, cogitent quem in finem matrimonium institutum sit. Cogitent item aliàs plus satis ærumnarum esse in matrimonio, quæ eorum culpa non sint duplicanda. Iusto autem iudicio Dei, illi hoc modo puniuntur, qui inconsultis parentibus, matrimonia ineunt, qui non mores, sed formam, diuitias & alia tantum spectant. Crucem igitur hanc à Deo sibi impositam, patienter ferant.

Vxor mala quæ.

20 Thesaurus desiderabilis & oleum (*uel unguentum*) est in habitaculo sapientis.

Patrisfamiliàs officium est, familiæ suæ uictum quærere. Et sapiens uictum habebit reconditum. אוצר ozar, thesaurus, nomen est generale continens omnia quæcunq; reconduntur, non tantum aurum & argentum, sed etiam annonam, *ein vorradt.* נחמד nehamad expetibilis, est particip. uocis pasiuæ, hoc est, rerum quæ expeti possunt ab hominibus, quæ utiles, preciosæ, iucundæ & gratæ sunt. Oleum nominatim ponit, quia uarius eius apud Hebr. usus erat: in sacrificijs, in cibo, in lætitia. Sensus est, Sapiens paterfamiliàs, non tantum rebus necessarijs, sed etiam ad honestam uoluptatem pertinentibus abundabit. Sapiens enim sua non temere profundit, dat quibus, quando & quomodo oportet, cogitat quibus carere posit, reuerenter donis Dei utitur, intentus est labori, in emendo & uendendo, in fide iubendo, & rebus omnibus prudentia utitur, in œconomia non uiuit casu, sed omnia certa ratione agit. Præstantissima autem est illa œconomiæ ratio, ubi omnia descripta sunt, & quisq; scit quid ipsi sit agendum. Hinc regina Sabæa Solomonis prudentiam æstimare potuit. Non autem hæc ita accipienda sunt, quasi sola hominis prudentia, opes colligantur: nisi enim Deus dederit successum, omnes etiam prudentum conatus & labores irriti sunt.

Thesaurus quid.

At stultus homo deuorabit eum.) Stultus thesaurum à parentibus uel aliunde acceptum, temere & inconsultè profundet, crapula & ebrietate, sumptuoso uestitu, preciosa suppellectili, splendidis ædificijs, alea, & id genus rebus, nec labori incumbet, donec omnia absumpserit. Si uel uno die omnia deuorare posset, de crastino non esset solicitus. Si felix sit prouentus agri, si uites botris abundent, omnia putabit esse profundenda, de futura aliquando fame non cogitat: dicunt tales homines, uinum non infundi calceis, non siccari fumo, uacuanda esse dolia. Sin alij ad futuram familiæ necesitatem aliquid reponant, ab eis accusantur, quòd Deo parum fidant. At media uia incedendum erat, non declinandum erat ad auaritiam, neq; ad prodigalitatem. Apud Gentiles etiam celebratur Epigramma Luciani, quo docet ita partis rebus utendum esse, tanquam iam morituri, & uicissim parcendum tanquam perpetuò uicturi simus, hoc est, mediocritatem esse seruandam.

Stulti profundunt suas opes.

Oritur hîc quæstio, quomodo Solomon dicat, in domo sapientis thesaurum expetibilem reperiri, cum uerus Solomon Christus Iesus Seruator noster Matthæi sexto cap. disertè dicat: Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic erit & cor uestrum. Mox, Ne sitis soliciti uitæ uestræ, quid esuri sitis aut bibituri, &c. & scriptura

An reponēdi sint thesauri.

passim terrenarum diuitiarum contemptum docent. Cur igitur sapiens ille dicitur, qui thesaurum reponit? Respondeo, spectandam esse τὴν διάνοιαν, hoc est, mentem uerborum Christi, & non urgendum τὸ ῥητόν. Per se non est impium cōdere aliqua in usus opportunos & necessarios: sed cauendum ne ex diffidentia hoc fiat, quasi Deus, à cuius prouidentia pendendū est, si hæc relinquere oporteat, nos nō sit nutriturus. Cauendum est etiam, ne de acquirendo uictu ita curemus, ut interim uocationem nostram negligamus. Suprà 6. cap. remisit nos sapiens ad formicas, quæ æstate colligunt, quibus hyeme uescantur. Postea 10. cap. ait, Qui congregat in messe, filius prudens est. Ioseph etiam hoc nomine laudatur, quòd annonam ad futuram necessitatem reposuerit. Quod Exodi 16. legitur Israelitas non debuisse colligere mannam pro die sequenti, temporale & personale fuit præceptum.

21 Qui sectatur iustitiam & misericordiam, inueniet uitam, iustitiam & honorem.

Quanquam collectores huius libri, non curiosi fuerint in texenda sententiarum seriè (diuersas enim sententias subinde absq; ordine quidem, sed utili consilio, permiscent:) tamen hæc superioribus aptissimè cohæret. Dicat enim aliquis, Si sapientes illi dicuntur, qui thesauros domi reconditos habent, & ego per fas & nefas colligam, pauperes nullo modo subleuabo: subijcit igitur quæ bona maneāt illos, qui iustitiæ & misericordiæ student. *Iustitia & misericordia.* Iustitia est uirtus quæ suum cuiq; tribuit: misericordia est uirtus, qua pauperes subleuamus. Non autem simpliciter dicit, qui dat operam illis uirtutibus, sed qui sectatur. *Sectari.* רדף radaf (ut aliàs quoq; annotauimus) significat insequi & persequi. Duo autem uidetur hoc uerbum comprehendere: Primùm magnum studium, ueluti cum quis feram, aut in bello hostem insequitur, ut spolia ei detrahat. Deinde celeritatem: non enim oportet procrastinare, sed statim his uirtutibus studere, ad Gal. 6. Apostolus sæpe utitur uerbo διώκειν, & contrario uerbo φεύγειν, quod plus est quàm si dicat, cauendum esse ab aliqua re. Quæ uerò studiosos illarum pulcherrimarum uirtutum præmia manent? Primùm, uita. Promittit Deus passim obseruātibus legem suam longam uitam, quæ promissio uera est, nisi Deus præter ordinem morte alicuius sancti, uelit uti ad cōfirmandum fidem, & gloriam suam illustrandam. Sunt etiam aliæ causæ, ob quas Deus homines pios aliquādo citò hac uita euocat. Deinde iustitia: nam quemadmodum ipse alijs suum tribuit, ita alij etiam ipsi suum tribuent. Christus etiam dicit, qua mensura metimini, ea metientur uobis alij. Tertiò gloria. Tantum enim est bonum uirtutis, ut non solum boni, sed & mali, illos qui eam amplectuntur, in honore habeant. Sin uerò hæc de uita æterna, de iustitia quam Deus suis largitur, & de æterna gloria accipere uelimus, sciendum est, non esse effecta nostræ iustitiæ & misericordiæ: sed gratuita dona Dei, quibus nihil huiuscemodi meritos Deus afficit.

22 Ciuitatem fortium ascendit sapiens.

Sapientiæ usus in bello. Sapientia non tantum in œconomia suum habet usum, sed etiam in Repub. tempore pacis & belli. Confert autem sapiētiam & robur militum. Vel, Vnus sapiens, ciuitatem multorum fortium ascendet, hoc est, capiet, expugnabit, eiq; dominabitur. Multæ enim munitissimæ arces & urbes, astu ducum expugnatæ sunt. Possent hoc loco multa ex Polyæno, Frontino & alijs, qui de strategematis scripserunt afferri. Varijs rationibus obsessi, ad cibi & potus inopiā rediguntur. Flumina deriuantur. Oppidani aliquando eliciuntur simulata fuga, incendijs & alijs rebus. Hostes aliquando, tanquā amici in urbem recipiuntur. Oppidanis terror aliquando incutitur, quasi diu duratura sit obsidio. Duces efficere possunt, ut abundare uideantur rebus necessarijs, in magna rerum omnium penuria. Istis artibus urbes capiuntur. E diuerso autem urbes quoq; à prudente duce, contra potentissimos exercitus consilijs defenduntur.

Et deijcit robur fiduciæ eius.) Ea quibus fidunt, ueluti sunt arma & machinæ bellicæ, commeatus, pecunia, auxilia, fœdera & alia dissipat. *Allegoria.* Seruator noster Lucæ 11. cap. appellat se fortiorem illum, qui fortem armatum custodiētem atrium suum uicerit, uniuersa arma eius abstulerit, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit.

23 Qui custodit os suum & linguam suam, custodit animam suam ab angustijs.

Hæc sententia sæpe repetita est, qui ori suo frenum inijciunt, immunes sunt à multis periculis. Non tamen abutendum est hac sententia, ut quis dicat se nolle confiteri Christum, se pro concione in Senatu non uelle dicere quæ oportet, ne periculum incurrat, hac enim uia, pericula non uitabit. Lyranus primum membrum, *qui custodit os suum* ad temperātiam in cibo & potu restringit: nam qui crapulæ & ebrietati indulgent, incidunt in maxima discrimina.

24 Super-

24 Superbus arrogans derisor est nomen eius, qui facit *opera sua* in ira superbiæ.

Iram superbiæ, id est, superbam uocat, quæ modum excedit. Qui impulsu iræ opera sua perficit, non laudem assequetur quam sperat, sed superbus, arrogans, & derisor Dei atq; hominum appellabitur.

25 Desyderium pigri interficit eum, quia renuerunt manus eius facere *quicquam.*

Quia ex ocio & pigritia multa flagitia oriuntur, quemadmodum multa dicta & exempla ostendunt, Salomon multis sententijs laborem nobis commendat, & à pigritia reuocat. Hoc loco dicit, Desyderium pigri ipsum interficere, &c. Sensus est, ociosi & pigri multa optant habere, cibum, potum, uestitum splendidum, suppellectilē electā, &c. & tamen operari manibus suis nolunt, ut consequantur ea quæ desyderant, atq; ita moriuntur in desyderijs suis, quibus satisfacere non potuerunt. Frequenter etiam conuertunt se ad fraudes, dolos, furta & rapinas, & tandem deprehensi luunt pœnas. Quot perierunt, qui si laborare uoluissent, potuissent esse in precio? *Ociosi multa optant habere.*

26 Piger *uel impius* tota die concupiscit concupiscentiam.

Impius qui auaritiæ morbo laborat, est insatiabilis: quantò plus possidet, tantò plura appetit. Quemadmodum hydropici quanto plus aquæ biberint, tantò magis sitiunt: ita auari immensis opibus non satiantur. Ignis multis lignis non extinguitur, sed fit maior: ita opes auaritiam non restinguunt. Auari seipsos discruciant, metuunt ne fame eos cōtabescere oporteat, non cogitāt se tantū opū procuratores à Deo cōstitutos esse, & nudos in terrā redituros. *Iustus autem tribuit nec retinebit* (uel prohibebit.) Homo pius è diuerso paucis contentus, etiā modicas opes antefert potētissimorū regū thesauris, liberaliter suas opes in pauperes & alios elargitur. Scit nihil perire quod in eos confertur, nec impedit, scilicet, suos uel alios, si sint in pauperes benefici. Sunt enim quidā qui non modò nihil pauperib. cōferunt: sed alios qui cōferre eis aliquid uolunt, dehortantur, dicentes, Serua tibi, non bene locabis tua beneficia.

27 Sacrificium impiorum est abominatio.

Multi credebant in ueteri Testamento, se placare iram Dei, & mereri remissionem peccatorum, mactatione pecudum & alijs ceremonijs: & hac opinione cumulabant sacrificia. At à Deo nequaquam tradita erant, ut essent precia pro remissione peccatorum, sed ut Christum adumbrarent, & populum sui officij admonerent. Propter Christi unicum sacrificium placata est ira Dei, & nostra opera Deo grata sunt. Qui sine fide obtulissent, quamuis splendida sacrificia, Deo non probabantur. Quia Abel credidit, sacrificium eius Deo gratum, Caini uerò quia fide carebat, ingratum fuit. Vide suprà capite 15. uersu 8. Aristoteles etiam alicubi dicit, Deum non sumptibus sacrificiorum, sed pietate sacrificantium delectari. Huc pertinent pulcherrimi uersus Menandri Comici, qui à Iustino Martyre, & Clemente Alexandrino Stromatum lib. 5. citantur: *Sacrificia impiorum Deo non grata sunt.*

Εἴ τις δὲ θυσίαν προσφέρων ὦ Πάμφιλε
Ταύρων τι πλῆθος ἢ ῥίφων, ἢ νὴ Δία
ἑτέρων τοιούτων. ἢ κατασκευάσματα
Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας, ἤτοι πορφυρᾶς,
ἢ δι' ἐλέφαντος, ἢ σμαράγδου ζώδια
εὔνουν νομίζει τὸν θεὸν καθεστάναι,
Πεπλάνηται ἐκεῖνος, καὶ φρένας κούφας ἔχει.
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι
Μὴ παρθένους φθείροντα, καὶ μοιχώμενον,
Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν, &c.

Clemens 7. quoque libro ostendit quomodo Deus sacrificijs se deliniri non patiatur. Ouidius in Epistola:

Non boue mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide.

Quantò magis si praua mente (uel cum scelere) *obtulerit illud?*) Quod si sacrificium hac opinione offertur, ut res malæ ex animi nostri sententia succedant, aut si de rapinis & furtis, partē Deo offerimus, ut placatus nobis sit, quomodo gratum haberet? Deus enim non instar iudicis mali, donis corrumpitur. Mactationis illius pecudum apud Christianos quidem nullus est amplius usus (hæc enim omnia Christi aduentu sublata sunt) at nostra sacrificia, oratio &

eleemosyna, Deo, si uacui simus fide, & in sceleribus pergamus, erũt abominationi. Quid igitur dicemus, si ex rapto demus eleemosynã, si oremus ut mala desideria explere possimus?

Missæ sacrificium. Aduersarij nostri iactant fictitium suum missę sacrificium: multi qui fuderunt innocentem sanguinem, adulteria commiserunt, sententias uendiderunt, putant rem bene habere, si tot uel tot missas celebrent. At si sacrificia quæ Deus instituit, nõ prosunt impœnitentibus, quid dicemus de ficto illo sacrificio, quod uerbo Dei ex diametro repugnat?

28 *Testis mendax peribit.*

Testis mendax quis sit, alibi dictum est. Deprehensus ex legibus iubetur interfici. Sin uerò homines fallat, Deum tamen nequaquam potest fallere: is eum puniet, & in hoc seculo, & in futuro quoq; eum perdet, nisi pœnitentiam agat.

At uir audiens semper loquetur.) Qui testatur quod audiuit aut uidit perpetuò loquetur, id est, nõ adimetur ei uita. Qui falsum dixisse semel deprehensi sunt, legibus à dicendo testimonio repelluntur, at testis integer & incorruptus, nunquam reijcietur.

29 *Roborat uir impius faciem suam.*

Roborare faciem. Roborare uel obfirmare faciem pro eo uidetur accipi, quod Latini dicunt perfricare faciẽ uel frontem. Impius deterso pudore falsum dicit testimoniũ, & quicquid lubet facit. Ierem. obijcit populo, quòd frontem habeat meretricis. Ezech. dicit frontes æneas habere. Talis fuit Iudas qui impudenti uultu dicebat, Quid uultis mihi dare, & ego tradã eum uobis? In cœna cum Christus se prodendum esse uaticinaretur, interrogat, ipsum'ne putaret proditorem esse? Hodie multi reperiuntur, qui cùm aliquid patrarunt, statim negant ac pernegant se id fecisse. Aut si negare non possint, tamẽ excusare & defendere conantur. Roborare faciem, etiã significat obfirmare animum. Deut. 26. Excitabit Dominus contra te, גוי עז פנים goi as panim, gentem fortem facie, id est, impudentem uel pertinacem.

Rectus autem disponit uiam suam.) Iusti homines suos etiam næuos habent, deflectũt interdum à recto tramite: sed cum primum admonentur sui officij ex uerbo Dei aut aliàs, agnoscunt se errare, redeunt in uiam. Neq; hæc solum de externis moribus: sed etiam de opinionibus intelligenda sunt.

30 *Non est sapientia, neq; intelligentia, neq; cõsilium contra Dominũ.*

Dei decreta & consilia, sunt cõstantia atq; adamantina. Quemadmodum Solis cursus, impediri nequaquam potest: ita nec illa possunt impediri. Quicquid homines moliantur, firma erunt & immota. Dissipat sæpe Deus sapientiam illorum, qui duces sunt populi, ut consilia capere non possint, aut si consilia capiunt, non sinit procedere. Quod si ad tempus ita procedant, ut res piorum in summum discrimen adductæ esse uideantur: tamen subitò impiorum hominum conatus frangit. Ita quoq; freno prouidentię suæ, eos gubernat, ut suis consilijs & conatibus etsi aliud agant, tamen consilia Dei magis adiuuent quàm impediant. Prouerb. extat apud Latinos: Multa noris oportet quibus Deum fallas. Mardonius apud Herodotum dicit de cõcilio Dei, ὅτι δεῖ γενέσθαι ἐκ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι. Et Pind. Fatũ nec ignis nec æreus murus arcere potest: quod ille de fato perperam, nos rectè de Dei concilio pronunciare possumus. *Exempla de constantia decretorum Dei.* Huius rei exempla aliquot proferemus. Ioseph à fratribus suis uenditur Ægyptijs, ut eius uitent imperium: sed hac ratione consilium Dei adiuuant, ut ad summam dignitatem euehant. Pharao & Ægyptij, crudelitate sua perdere uolunt Israelitas: sed quanto magis eos affligunt, tanto magis crescunt & augentur. Deus enim Abraamo promiserat, tantam fore seminis sui multiplicationẽ, quanta est arenę maris, & multitudo stellarũ cœli. Moyses uindex Israelitarum adoptatur in filium à filia Pharaonis, educatur in eius aula, & instituitur in omni sapientia Ægyptiorum. Saul Dauidem opprimere uolebat, ne succederet ei in regno: sed frustra consilio Dei reluctabatur. Solomon frustra conatur Ieroboamum interficere, quem Deus regem creare cõstituerat. Achabus frustra habitum gregarij militis assumit, ne occumbat. Primores Iudæorum, Christum malo, quod ad ipsos attinet, consilio cruci suffixerunt: consilio tamen & decreto Dei seruierunt potius, quàm impediuerunt. Resurrectionem Christi impedire conabantur: sed suis consilijs eam illustriorem reddiderunt. Herodes Petrum educturus ad supplicium, frustratur sua spe, Act. 12. Tyranni tot cædibus piorum hominũ, puram doctrinam radicitus extirpare moliuntur, sed hac uia & ratione, magis magisq; eam promouent. Tertullianus dicit, sanguine martyrum, rigari hortum Dei, id est, Ecclesiam.

Quando Deus impios & impœnitentes punire instituit, etiam nemo est, qui eius consiliũ possit prohibere, Esa. 8. cap. Exemplo nobis sunt Babylonij, Romani & alij quos Deus euertit. Senarius est prouerbialis: θεοῦ γὰρ πληγὴν οὐχ' ὑπερπηδᾷ βροτός. Credamus igitur promissioni diuinæ,

uinæ,& perduremus in fide, etsi omnia alia nobis exitium minentur. Constans enim est ueritas uerbi Dei. Etsi impij res suas ita constituant, ut de Euangelio actum uideatur: tamen non despondeamus animum. Nam si Deus suos in pace conseruari uelit, frustra impij laborabunt: sin uerò suos certo consilio affligi permittit, poterit quandocunq; uisum fuerit, impetus impiorum rursus frenare. Impij quoq; ne sperent se humanis artificiolis, diuinæ prouidentiæ consilia eludere posse. Vide suprà 19. cap. uer. 21.

31 Equus paratus est ad diem belli, sed à Iehoua salus (*datur.*)

Sensus est, tametsi homines se instaurant ad bellum: Deum tamen, quibus uoluerit uictoriam concedere. Psalmo 126. dicitur: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra excubat custos: nihilominus tamen excubiæ habendæ sunt. Ita apparatus bellici nihil prosunt, nisi Deus nobis uictoriam conferat: tamen si bellum omnino gerendum sit, omnia necessaria sunt comparanda: pedites, equites, duces, exploratores, pecuniæ, arma, machinæ bellicæ, commeatus, & alia id genus. (Nisi enim hoc facias, tentas Dominum) salus uerò à Deo est expectanda. Ioabus 2. Sam. 10. cap. fatetur exitum belli, non fortuitum esse, sed à Deo gubernari. Græcus quoq; poeta dicit: *Victoria datur à Deo.*

νίκης ἀνθρώποισιν θεῶν ἐν πείρᾳ κεῖται. "

Si passeres non temere cadunt in terram, si ne pilus è capite nostro defluit, absque Dei prouidentia, etiam in acie miles non cadit, uictoria non huc uel illuc inclinat, absque Dei prouidentia. Non igitur fidamus nostris uiribus, sed petamus auxilium à Domino. Obijciunt multi, si in bellis fortuna non dominaretur, meliores uincerent, sed hoc semper non fit. Certè Deus interdum malos per peiores uult puniri, interdum etiam suos exercere, ut fides eorum se magis proferat. Quid igitur, inquiunt, promittit seruantibus legem suam, Leuit. 26. & Deuteronomio uigesimooctauo? Profectò pauci sunt, qui possint dicere se uel iuxta literam legem custodiuisse, non ergo mirentur si cladem interdum accipiant. At qui legis Dei magis sunt obseruantes, potius deberent uictoriosi esse, quàm alij. Respondeo corporales promissiones præstari quidem à Deo, si ad suam gloriam & nostram utilitatem id faciat. Sunt autem multæ causæ, ob quas utile sit suos interdum superari ab hostibus. Stulti autem sunt, qui suis uiribus, & consilijs uictoriam ascribunt. Victoria enim Dei donum est. Imperatores quidem & milites omnia parare & facere debent, quæ ad uictoriam pertinere uidebuntur, interim uerò euentum belli Deo committere, qui ut felix sit orandus est Dominus. Nec tantum belli, sed omnium euentuum causa existit prouidentia Dei, nō fortuna neq; casus. Conuertit igitur hac & similibus sententijs, hominum mentes ad conspectum prouidentiæ Dei. *Cur mali interdum uincant.*

CAPVT XXII.

ELigibilius est nomen (*bonum*) quàm diuitiæ multæ, & quàm aurum & argentum, gratia bona.



AEC sententia, famam & gratiam magnis opibus & thesauris anteponit. Nomen ponitur pro existimatione & fama. Inter externa illa & temporalia bona, gradus quidam sunt. Caput septimum Ecclesiastæ dicit, Melius est nomen bonum, quàm unguenta preciosa. Apud Græcos etiam senarius circumfertur:

καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε. "

Isocrates quoq; dicit: Plus tibi curæ sit ut δόξαν καλὴν, hoc est, honestam famam tuis liberis relinquas, quàm diuitias ingentes. Nam hæ mortales sunt, illa uerò immortalis. Et per famam comparari possunt opes, nunquam uerò pecunijs fama redimitur. Item, diuitiæ etiam improbis accedunt: at famæ gloria non potest nisi solis eximijs uiris contingere. *Studendum bonæ famæ.*

Docemur studendum esse bonæ famæ bonorum, quam Græci εὐδοξίαν appellant. Quid etiam bona fama illustrius? Opum causa, quot labores suscipimus? at bonum nomen longè præstantius est. Non igitur obiter curandum, ut nomen bonum paremus.

Quomodo paratur, inquis, nomen bonum seu gloria? Hoc etiam gentiles uiderunt. Agesilaus enim interrogatus, quo pacto quis apud homines famam optimam consequi posset? respondit: Si loquatur quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima. Socrates idem interroganti respondit: Si talis esse studeas, qualis haberi uis. Etenim fama, per largitionem, adulationem & hypocrisim parta, ut non est uera, ita nec diuturna. Expedita & compendiaria ad bonam famam uia est, credere in Christum, & fidem suam bonis actionibus *Quomodo comparandum sit bonum nomē.*

testari: deinde cauere sibi à sceleribus & flagitijs, item à suspicione scelerum, quibus bonam famam perdimus. Quædam flagitia, non tantum bonam famam, sed simul etiam fortunas lædunt, ueluti adulterium, ebrietas & alia id genus. Caue igitur ne liberis & posteris tuis, fœdum nomen relinquas. Discimus quantum peccent obtrectatores. Nam si fama auro & argento præferenda est, grauius peccant, qui famam, quàm qui argentum nobis eripiunt. Iactura rei familiaris facilè sarciri potest, fama uerò contaminata uix unquam recuperatur. Si quis hunc furem, illum adulterum esse spargat, semper erunt qui hoc credant. Quot sunt qui angerentur, si uel obolum proximo suo abstulissent, & rident cum abstulerunt famam, quam multis aureis læsus redimeret? Multi petulantes homines, ueræ religionis nomine, fidelibus crimina intentant.

Obtrectatores.

Fama est asserenda.

Quemadmodum autem illis quibus opes ablatæ sunt, sua repetere licet: ita licet conuitijs respondere quibus proscindimur, & nominis ac famæ nostræ integritatem, non tantum uiua uoce, sed & scriptis aliquando asserere. Sic Christum & Apostolos fecisse legimus, quando calumniæ non tam in ipsorum, quàm in Dei ignominiam redundabant. Sunt quidam qui omnia dissimulanda censent, & satis esse putant, quòd Deus innocentiæ ipsorum sit testis. Sed hoc non semper satis est, nec semper laudari præpostera illa patientia debet. Non parum enim refert, homines de nobis, maximè de doctoribus Ecclesiarum, rectè sentire. Hæc de bona fama.

Gratia bona.

Alterum est gratia bona. Sic uocat hominum fauorem, qui oritur ex fama bona, id est, opinione uirtutis. Hanc gratiam magnis thesauris præfert. Homini enim nullā uoluptatē opes afferunt, si omnes ei inuideant, omnes odio eum persequantur. Beneuolentia hominū, Dei donum est, non omnibus concessum. Cauendum tamen, ne dum studemus hanc acquirere, Dei Opt. Max. gratiam & beneuolentiam amittamus. Contenti simus, si apud pios & bonos bene audiamus & gratiosi simus. Virtutum enim & purioris religionis studio, apud impios famam nostram tueri, & beneuolentiam ipsorum retinere non possumus. At solari nos debet quod Christus dicit, Matth. 5. Beati estis, cùm probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes, propter me. Et Paul. ad Gal. 1. ca. Si hominibus placuissem, Christi seruus haudquaquam essem. Addendum etiā hoc est, non bene agendum ut famam & fauorem aucupemur, sed propter præceptum Dei.

2 Diues & pauper occurrerunt sibi.

Deus diuites & pauperes facit.

Hoc est, ut multi exponūt, mutuū subsidiū ferunt. Vnus enim alterius ope indiget. Diues sine paupere uiuere nō potest, nec pauper sine diuite. Castalio, *Diues & pauper contrarij sunt.* *Omnes ipsos faciens Deus.)* Hoc est, utriusq; conditor est Deus: non tantum personę eorum, sed quòd hic diues, ille pauper est. Hesiodus & alij etiam agnoscunt Iouem hominibus dare diuitias & paupertatem. Potuisset Deus, in cuius potestate sunt uniuersa, omnes diuites reddere: sed certo consilio rem ita temperauit, ut hic diues, ille pauper sit, quò illi materiam exercendæ suæ benignitatis, hi uerò occasionem patientiæ habeant.

Discant igitur pauperes, ne diuites contemnant, & uicissim diuites, ne pauperes aspernentur. Pauperes enim ferè ditiores contemnunt, eisq; inuident, & diris eos deuouent. Diuites è diuerso, ludibrio habent pauperes, magnosq; sibi spiritus sumunt propter opes: dicūt se aliorum ope non indigere, neminem prorsus curare. At cogitare debebant, se egere opera pauperum: pauperes item Dei esse creaturam, & facilè fieri posse, ut & ipsi ad paupertatem redigantur. Ad hæc diuites discant se non sua industria uel casu, sed Dei beneficio diuitijs abundare. Pauperes etiam cogitent, onus paupertatis à Deo patre, ipsis esse impositum, non temere & casu alios opibus affluere, alios uerò paupertate premi.

3 Callidus præuidet malum, & abscondit se.

Ingeniosus (de hac uoce alibi dictum est) naturali luce intelligit & experientia discit, præcipuè uerò ex sacris literis, quę mala maneant impios: scit enim atrocia peccata grauiter puniri, ideoq; cauet sibi à malis hominibus eorumq; studijs, ne periculum incurrat. Vitat loca, personas, &c. omnesq; peccandi occasiones.

Cautè agendum.

Simplices autem transeunt, & mulctantur.) Inconsultè agunt, non cogitant de præteritis nec futuris: sed tantum in præsentia aciem oculorum dirigunt, sequuntur exemplum multitudinis, leges transgrediuntur, temere prosiliunt, & in opibus ac uita damno afficiuntur. Discamus igitur in publicis rebus cautionem adhibere, in emendo, uendendo, fideiubendo, contrahendo matrimonio: multò magis in negocijs Ecclesiæ & Reipublicæ, ferendis legibus, ineundis fœderibus, suscipiendis bellis, & alijs huius generis. Vnicum tantum exemplum ex Rom. historijs proferam. Cum Scipio in amicorū agris haberet exercitū, nihilominus tamen

& ual-

& uallo & fossa muniret, cuidam dicenti, Quid metuimus? respondit, Pessimam esse ducis uocem, Non putaram. Itaq; aduersus inopinatos casus, suo exercitui prospexit, ne, si quid indigni accidisset, misera illa uoce uti cogeretur. Accepto damno quiuis stultus dicere potest, hac uel illa in re peccatum est. Abutuntur autem hoc loco & similibus, porci illi de grege Epicuri, qui in persequutione fidem suam confiteri nolunt, ne uita priuentur, & stultos illos esse dicunt, qui se propter ueritatis confessionem, periculis obijciunt.

4 Finis humilitatis & timoris Domini, sunt diuitiæ, gloria & uita.

עקב Ekef, propriè calcaneum uel plantam significat, & quia planta est finis, seu extrema pars hominis, pro fine accipitur, id est, mercede, fructu & compensatione, quemadmodum etiam τέλος apud Græcos. Sensus igitur est, humilitatem & timorem Dei remunerari his bonis. Aliquando significat, propterea, eò quòd: hinc quidam reddunt, *Propter humilitatem & timorem Dei (contingunt) diuitiæ, & gloria & uita.* Duo illa, suprà habuimus, hîc adduntur diuitiæ. Deus enim suis cultoribus, sæpe immensas opes concessit, ueluti Iobo, Abraamo, Isaaco, &c. Deinde hi diuites sunt, qui rebus suis sunt contenti. At pij paucis contenti sunt. ענוה enafah, non tantum mansuetudinem, sed etiam afflictionem significat. Afflictiones autem consequuntur diuitiæ cœlestes, gloria & uita æterna. Paulus enim dicit, Si cum Christo passi fuerimus, cum eo glorificabimur. Non quòd nostræ afflictiones sint causæ salutis: nam ad Roman. 8. cap. disertè scribitur, Reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Christi afflictionibus ascribendum est, quòd æternam gloriam consequimur. *Fructus humilitatis & timoris Domini.*

5 Spinæ & laquei sunt in uia peruersi (*uel peruersa.*)

Hoc est, uia impiorum multis periculis est plena: ipsi suauem putant & iucundam, cum multum habeat acerbitatis: tutam, cum omnia laqueis diaboli plena sint. Ipsi quoq; pios cruciant & insidias eis tendunt, in falsa dogmata & scelera eos pertrahere cupientes. צנה zinah, dicitur quicquid est peracutum & penetrat, ut gladius, contus, hasta. R. Dauid in libro radic. dicit etiam frigus significare. Vide num etiam hic sensus esse possit: si peruersus aliquid recti facere debeat, fingit spinas & laqueos in uia esse: quemadmodum alibi de pigris dicitur.

Qui custodit animam suam, elongabit se ab eis.) Non capietur successibus impiorum, non blanditijs, animi causa inter eos non uersabitur: sed in uera fide, & studio uirtutum sese continebit. Item qui animam suam præmunit, & non facit malum, longinquus est à spinis & laqueis. Discant omnes cauendum esse ab impiorum congressibus, utut florere uideantur.

6 Instrue puerum in ore uiæ suæ.

Hæc sententia pueros à tenera ætate, instruendos esse docet. Verbum חנך chanach, significat imbuere, erudire, prima elementa rerum, maximè religionis tradere. Deinde sæpius in scripturis significat dedicare, ut cum de domo, de altari, de tabernaculo, de templo, de utensilibus sacris est sermo. Hebræi exponunt, *Imbue puerum iuxta uiam aut modum eius*, id est, iuxta capacitatem ætatis, sensim instilla ei sapientiam, non expectando adultiorem ætatem. Simplicissimus sensus est, *Initia & doce puerum in ore*, id est, ingressu, *Viæ suæ* (sic suprà 8. cap. os ciuiuitatis, id est, ostium dicitur) in ipso principio pueritiæ. Pueris primùm tradenda sunt elementa religionis, postea plenior institutio debet succeddere, uirtutes eis instillandæ sunt, temperantia, modestia, moderatio linguæ, &c. ciuilitas quoq; morum, eis proponenda est. Exigendæ ab eis conciones sacræ, mittendi sunt ad scholas ubi hæc discant, nec res differenda donec adoleuerint. A' teneris unguiculis, & ab ipso propè nutricis lacte, religiosè instituendi sunt, ut statim honestis sermonibus & actionibus assuescere incipiant. Nisi enim in uirtutum uiam deducantur, in uitiorum uiam deflectent. Philosophi quoq; duas uias faciũt, per quas humana uita progrediatur, unam uirtutum, alteram uitiorum. Nota sunt quæ Prodicum de Hercule prodidisse, Cicero scribit. *Pueri à teneris annis formandi.*

Etiam cum senuerit, non recedit ab ea.) Causam præcepti subiungit. Nihil hæret firmius, quàm quod rudib. annis pcepimus, siue bonũ fuerit, siue malũ. Testa illũ odorem seruat, quo primũ fuerit imbuta. Plantę tenerę, facilè trãsferuntur & flectuntur ab agricolis. Vetus arbos, transplantari & inclinari non potest. Agyrtæ canes docent gesticulationes. Vetulus canis non assuescit loris: Ita si educatio pueris tenellis admoueatur, in senectute uires exeret. Quanquam interdum degenerant, plerunq; tamen ita fit. Ex aduerso, si parentes uerbis & factis tenellos offendant, uel ab alijs corrumpi patiantur, in animis eorum tenacissimè inhærebit: discunt peccare priusquam sciunt peccatum esse. Aristoteles quoq; in Ethicis docet, permultum referre, quib. exercitationib. & studijs à teneris annis utamur. Bonis. n. assuetos, euadere

bonos, malis uerò malos. Multi Dei singulari beneficio recedunt à uia mala, quam in adolescentia sequuti sunt, sed frequentius eam non deserunt.

7 Diues pauperibus dominatur.

Opulenti & diuites, plerunq; placent sibi propter opes, & pauperes præ se contemnunt, existimantes se aliorum opera non indigere, ideoq; omnibus insultant & imperiosè agunt cum pauperibus, ac si omnia in ipsorum potestate essent constituta. Fit etiam, ut diuites in rebuspublicis euehantur, pauperum uerò parua habeatur ratio, iuxta illud Satyrici:

„ Haud facilè emergunt, quorum uirtutibus obstat
„ Res angusta domi.

At in conferendis dignitatibus non diuitiarum, sed honestatis & prudentiæ ratio habenda erat. Non enim commemorantur hæc à sapiente, quòd probet, si diuites se insolenter gerant erga pauperes, aut si propter diuitias adhibeantur summę rerum, sed ut uideamus quod nam sit ingenium mundi, & nos officium nostrum facere discamus. At oritur quæstio, quomodo Psal. 49. dicatur, Recti manè dominabuntur diuitibus. Breuiter respondeo, prophetam præcipuè loqui de futuro seculo, quando recti illis dominabuntur.

Creditores sunt duri & acerbi. *Et seruus erit mutuum accipiens uiro mutuāti.*) Qui paupertate premuntur, se ad pedes illorū proijciunt qui eorum egestatem subleuare possunt: si mutuò pecuniam acceperunt, coguntur eis adulari & penè seruitutem deformem pati, alioqui creditores repetunt pecuniam, & beneficium eis exprobrant.

Discamus igitur ita administrare rem familiarem, ne æs alienum contrahamus, & libertatem, qua nihil est præstantius, amittamus. Scio multos honestos uiros impelli, ut accipiāt mutuò pecuniam: sunt tamen qui temere æs alienum conflant, quales sunt ebrij, aleatores, luxuriosi, libidinosi & ociosi homines, quos necesse est, sua oppignorare, cedere solo, & seruos fieri non hominum tantum auarorum, sed sæpe etiam cacodæmonis.

8 Qui seminat uanitatem, metet iniquitatem (*uel calamitatem.*)

Hæc Metaphora crebra est in scripturis, Qui parcè seminat, parcè metet: Qui seminant lachrymis, in exultatione metent. Iob. 4. capite, Vidi arantes uanitatem, & seminātes laborem, quod messuerunt illa. A' flatu Dei perierunt, & à spiritu iræ eius perierunt. Ad Galatas 6. capite, inquit Paulus, Quicquid seminauerit homo, & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet uitam æternam. Latini etiam dicunt, Vt sementem feceris, ita & metes: id est, reportabis præmium tuis factis dignum. Qui seminat lolium infelix, lolium metet, qui peccata peccatis cumulat, pœnam sentiet, cum in fatali hora, tum in ultimo iudicio. Quod etiam messi comparatur in scripturis. Christus enim zizania & triticum separabit, zizania comburet, triticum uerò in horrea cœlestia conuehet.

Et uirga iræ eius deficiet (uel cessabit.) Hoc est, Tyrannica eius potestas quam in alios exercet, tandem frangetur, *Vel uirgam iræ suæ consumabit*, scilicet, Deus. R. Dauid in libro radic. *Et uirga frugum eius*, id est, qua excutiuntur fruges, *deficiet*, *consumetur*, antequam educat de messe illius fruges. Nos dicimus, Er wirt ein lär strouw tröschen. Lutherus uertit, *Per uirgam suæ maliciæ peribit.*

9 Benignus oculo, ipse benedicetur.

Qui benignè respicit pauperes, uel bonus oculus, id est, benignus, liberalis, candidus, cui non dolet si quid alijs à Deo uel ab hominibus obueniat, incrementum bonorum suorum sentiet, & ab hominibus quoq; celebrabitur. Bono oculo opponitur malis & liuidus. Matth. 20. cap. Dominus uineæ dicit: An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sum? hoc est, an inuides illis, quòd in eos beneficus sum? In oculis inuidia, ira, odium, gaudium, & alij animi affectus apparent.

Panis quid. *Quia dedit de pane suo pauperi.*) Hebręi per panem omne ciborum genus intelligunt. Cum in oratione Dominica panem petimus quotidianum, omnia necessaria postulamus ad sustentationem, cum corporis tum animæ. Distinguunt etiam Eleemosynā in spiritualem & corporalem. D. Hierony. in ca. 58. Isaiæ ubi dicit, Frange esurienti panem tuum, annotat: Non dicit plures panes, ne de paupertate censeris, sed unum panem: nec ipsum totum, sed partem panis, quam si non ieiunares comesturus eras, &c.

Ex nostris opibus conferenda eleemosyna. Annotandum quod dicit, *De pane suo.* Cauendum enim est, ne rapinis, sacrilegijs & alijs iniustis modis opes paremus, deinde ex illis eleemosynam largiamur. Tobias suum filium instituens, Ex tua substantia, inquit, fac eleemosynam. Zachæus dicit, Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Suprà 3. capite,

Honora

Honora Dominum de tuis opibus. Dominus apud Isaiam 61. capite abominatur sacrificium præda partum. 1. Thessal. 4. capite Paulus uult ut laboremus manibus, quò opem ferre alijs possimus. Quando Christus dicit Lucæ 16. cap. Parate uobis amicos ex mammona iniusto. Non sentit ex opibus iniquis rationibus partis, faciendam eleemosynam (tales enim opes restituendæ sunt) sed iniquas uocat, quòd possessores ferè iniquos reddant.

Alij *De pane suo* ita interpretantur, fraudat genium suum, ut habeat quod conferat pauperibus. Dicit pauperibus dandum, quorum sunt noua genera. Quidam dant diuitibus, ut Monachis & alijs ociosis uentribus, illi suas eleemosynas non bene collocant. Contrarium potest inferri, malignus oculus, id est, homo inuidus maledicetur, quia de pane suo nihil pauperibus uoluit distribuere.

10 Eijce derisorē & egredietur contentio, cessabitq́; lis & ignominia.

Congressus cum irrisoribus uitandi sunt, nam suis sermonibus nos inficiunt. Leprosos arcemus propter contagium, illi potius à nostro conuictu arcendi erant, ne Deum iratum ac sauciam conscientiam haberemus. Si quis talem in ædes suas recipiat, pacem familiæ & uiciniæ turbabit, litibus & controuersijs se immiscebit, ac ignominia afficietur. קלון kalon, ignominia, leuipensio: à uerbo קלה kalah torrefecit, metaphora sumpta ab illis rebus quæ torrentur. Fiunt enim leues. Abigendæ itaq; sunt tales familiæ pestes, ne totam familiam euertant. Causa remota, remouebitur & effectus: uide capite 26. uersu 10 Ex Republica quoque & ecclesia, ueræ pacis turbatores eijciendi sunt. *Ab irrisorū cōgressu cauendum.*

11 Qui diligit mundiciem cordis (*&*) gratiam labiorum suorum, amicus (*eius*) erit rex.

Duæ uirtutes commemorantur, quæ nos regibus & principibus uiris commendant. Prima est mundicies cordis, id est, integritas & synceritas. Altera, gratia labiorum, id est, eloquentia, uel linguæ moderatus usus. Loquitur autem de sanctis, non de impijs principibus. Impij enim amant hypocritas, sycophantas, quadruplatores, adulatores. Quanquam autem synceri & ueraces, terrenis regibus sæpe displiceant, tamen regi regum, qui est ipsa ueritas, semper probatur. Is uult ut alieni simus ab hypocrisi, & lingua nostra ad proximi utilitatem, & gloriam suam utamur.

12 Oculi Domini conseruant scientiam.

Oculi Domini, id est, prouidentia, cura & inspectio, conseruat ueram scientiam, quæ est de salute animæ. Quòd sacri libri, quibus uera illa sapientia continetur, tot seculis & in tot persequutionibus non perierunt, sed nobis quasi per manus traditi sunt, ingens Dei est beneficium. Satan semper insidiatus est sacris literis, cumq; uidet se eas abolere nō posse, conatur saltem corrumpere. Ioachim rex impius, cultello conciones Ieremiæ scidit & in ignem coniecit, sed Deus iussit denuo conscribi. Antiochus libros sacros exussit. In persequutione Diocletiani idem factum esse legitur, ac nihilominus hodie etiam sacri libri extant, & semper extabunt. Multi præclari libri amissi sunt, puta Salustij, Ciceronis, Liuij & aliorum: at sacra biblia ad finem mundi inuitis omnibus impijs, prouidentia Dei conseruabuntur. *Deus conseruat doctrinā uerbi sui.*

Nec tantum sacros libros, sed & horum pios interpretes & auditores Deus conseruabit. Quidam enim per scientiam studiosos ueræ sapientiæ intelligunt, per metonymiam. Ac tametsi illi sæpenumerò uincantur & perimantur, ueritas tamen uerbi Dei firma erit. 2. ad Timoth. 2. capite dicit Paulus: Propter Euangelium malis affligor quasi facinorosus, usq; ad uincula, at sermo Dei non est uinctus. *Deus cōseruat sacrorū librorū lectores & interpretes.*

Et euertit uerba præuaricatoris.) Deus uerba & consilia illorum euertit, qui legem suam uiolant, edicta sanguinaria proponunt, libros sacros exurunt, & nullum non lapidem mouent, ut sanam doctrinam opprimant. Contra ueritatem & Deum, nihil omnium hominum consilia & uires proficient. Exemplo sunt tot tyranni, qui tragicos exitus habuerunt, ueritate interim semper triumphante. Aliàs quoq; Deus uerba uel res impiorum euertit, ut non semper assequantur quod uolunt.

13 Dicit piger, leo est foris, in medio platearum occidar.

Ne pigros & ignauos homines, honestum laborem suscipere, & officium facere oporteat, semper aliquid causantur, atq; sic nihil facientes, perpetuò cunctabundi sedent. Dicunt, leo est foris, in medio platearum occidar: hoc est, fingunt multa pericula, ubi reuera nulla sunt. Nam in media platea, inque hominum frequentia, neque à leonibus, neq; à latronibus metuendum est periculum. Quæ homini industrio & alacri ludus sunt, pigro uidentur ardua & difficilia. Si cohercendi sint homines nefarij, si defendendi boni, si abusus corrigendi, si religio instauranda, si Christus confitendus: multas afferunt excusationes, dicunt se paucos *Pigri friuola prætexētes laborem refugiunt.*

esse numero, se suffragijs non uincere, rem cum periculo manifesto esse coniunctam, adducunt exempla uetera & recentia. Quemadmodum homines morbis confecti, si in platea uel baculum transuersum uideant, metuunt eum uix ab eis superari posse. Ignauus miles, si uel crepitans folium audiat, aut picum arborem rostro tundentem, statim metuit ne hostis ceruicibus eius immineat: ita illi homines ad quemuis rumorem trepidant, præsertim si de propaganda gloria Dei agatur. At si non ignaui, sed strenui ac zelo Dei præditi essent, rem fortiter Deo duce aggrederentur, & sentirent rem feliciter procedere, ac res multas & magnas feliciter confici. Deus alios quoq; excitaret, qui suam operam eis præstarent. Adire pericula propter Christum, non esset eis graue & molestum, nisi ignaui essent. Quid agricola, miles, mercator non facit & patitur, ut pecuniam comparet? Quid qui uirginem honestè amat, eius causa non suscipit? Impij ut falsam religionem propagent, utq; cupiditates suas expleant, nihil non audent. Quid per paucos heroas in restauranda religione Deus fecerit, toti orbi notum est. Si igitur amore Dei præditi essemus, multa nobis facilia redderentur, quæ nunc uidentur ardua ac difficilia. Quia autem socordes & ignaui sumus, res honestas uel nunquam uolumus aggredi, uel tardè aggredimur, dicentes: Cras, cras: uel si aggredimur aliquando, in medio cursu deficimus: aut si pergamus, tamen oscitanter omnia peragimus. Quisq; igitur in sua uocatione torporem & ignauiam excutiat, & non leuiora, sed extrema potius pericula metuat: Matthæi decimo capite.

14 Vt fouea profunda (*est*) os alienarum (*mulierum*) is, contra quem iratus est Dominus, cadet illuc.

Blanditiæ scortorum perducunt homines ad extremum exitium.

Aliena mulier dicitur in hoc libro, quam non concessit Dominus, siue nupta sit, siue innupta. Os eius est ueluti fouea profunda, ex qua nemo facilè ascendit, hoc est, Qui meretricum blandicijs & illecebris, aut etiam forma capiuntur, plerunque corpus & animã perdunt, in profundam scelerum foueam cadunt, in furta, rapinas, & tandem in foueam inferni. Videmus hinc quantopere illi errent, qui concubitum soluti cum soluta, negant peccatum esse, & qui publica authoritate lupanaria defendenda esse existimant. Si uerò scortatores incidunt in foueam, ex qua non facilè emergunt, quid de adulteris & incestis est dicendum? Plerunque impuri illi homines ita dementantur, ut respuant omnes admonitiones, & ita excæcantur, ut pergant in sceleribus. Dicitur autem illos cadere in foueam illam, quibus Deus iratus est. זְעוּם seum, iratus Domini, passiuè, id est, cui irascitur Dominus. Psalmo 81, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Lyranus dicit, Deum ex ira contra aliquem, ei subtrahere gratiam suam, & sic hominem ruere de culpa in culpam, & frequenter in errores. Iustum autem est iudicium Dei, ut illi, qui contempto eius instituto, nempe matrimonio, se miscent cum prohibitis personis, sibi relinquantur. Deinde alienas intelligere possumus, quæ non sunt ueræ religionis. Quæ enim pericula ex illis matrimonijs emergant, non solum sacris literis, sed & experientia edocti, scire debemus.

15 Stulticia colligata est in corde pueri: uirga correctionis expellet eam ab ea.

Pueri castigandi.

Stulticia innata est pueris, sed per uirgam expellitur. Sunt quidam generoso animo præditi, qui uerbis ducuntur, quocuuq; uolueris: hi ferula non ita castigandi sunt. Sunt deinde quidam seruili ingenio, qui nonnisi plagis emendantur: his non est parcendum. Nisi enim metu uirgarum, eos in officio retineas, licentiam arripiunt pro libidine quiduis agendi. Peruersus est ille amor matrum erga filios, quando nec ipsæ filios castigant, nec ab alijs eos uolunt castigari. Sin uerò stulticiam non tantum non expellunt ex eorum animis, sed eis instillant, & stultè agentibus arrident, tantò grauius peccant. Celebre enim apud nos est prouerbium, In uestes pelliceas non inferendos pediculos, ex sese enim aptas esse, ad progignendos pediculos. Notandum autem quod appellat uirgam correctionis, non furoris. Ideo enim uirgis pueri cædendi sunt, ut discant quid faciendum, quid omittendum sit. Qui non in hunc finem, sed ex animi impotentia tantum liberos castigant, ipsi potius castigandi erãt. Quod autem de pueris dicitur, ad adultos quoque extendi debet, nam & illi castigandi sunt, si sanam doctrinam contemnant, & turpiter uiuant. Multi putant castigationem rem esse inutilem, sed experientia testatur, eam multis non parum profuisse. D. Augustinus in hac fuit sententia, quòd nemo adigendus sit, ut sacros cœtus accedat, sed suam illam sententiam, magnas & graues ob causas postea mutauit. Deus quoque stulticiam hominum, cruce & uarijs afflictionibus emendat & corrigit. Discant item pueri, ne castigationem, cuius tanta est utilitas, aspernentur, sed boni consulant. Tametsi enim usum eius iam non uideant, tamen olim intelligent.

16 Qui

16 Qui ui opprimit pauperem, ut augeat sua, is dabit diuiti, profectò ad egestatem (*ueniet.*)

Quæ pœna pauperũ oppressores maneat, ostendit. Magnum est peccatum, si quis pauperes sua ope non subleuat: maius autem, si quis eos prorsus opprimit & conculcat, ut opes cumulet. Itaq; hæ opes non sunt felices & diuturnæ, tales homines coguntur aliquando iudicibus multa dare, eosq; donis corrumpere, ne pœnas dent suæ crudelitatis, quam in pauperes exercuerunt. Principes aliquando usurarios & raptores illos spoliant, quemadmodum uulgò dicitur, Quod non accipit Christus, tollit fiscus. Veniunt sæpe peregrini principes & duces, qui iniustas opes bello auferunt. Nahum. 2. ca. Niniue comparatur piscinæ: nam quem admodum in piscinas, ex uarijs fluuijs, lacubus, torrentibus, pisces conduntur: ita Niniuitæ ex toto ferè orbe, opes in urbem suam congesserant. Futurum igitur dicit propheta, ut milites, aurum, argentum, suppellectilem preciosam, ablaturi sint.

Pœna oppressorum pauperum.

Alij legunt, *Qui calumniatur* (de uoce עשק aschak aliàs dictum est) *Pauperem, ut augeat sibi*, scilicet, opes, *Et qui dat diuiti, etiam uel tantum, ad egestatem.* Vt sit sensus, Duo esse quæ homines ad pauperiem redigant, primum si opprimant pauperes, alterum si dent diuitibus, scilicet, ut plus accipiant, uel si negocientur cum diuitibus. Sed prior interpretatio uidetur planior esse.

17 *Fili mi*, inclina aurem tuam & audi sermones sapientum, & cor tuum pone ad scientiam meam, &c.

Quinq; hi uersus 17. 18. 19. 20. & 21. cohærent, & nouam præfationem continent, qua lectores & auditores, ad studium & diligentiam excitantur. Mutatur genus orationis, & modus docendi. A` 10. capite usq; ad hunc locum, sententias habuimus, tanquam hominis secum loquentis, quæ ostendunt quid bonum, quid malum, quid faciendum, quid fugiendum, quid uerum, quid falsum sit: iam deinceps uerò, usq; ad 25. cap. modum loquendi imperatiuum habent, ac si pater cum filio loquatur. Non autem refert, siue dicamus patrem cœlestem loqui, siue Salomonem. Nam & Salomon instinctu Dei, protulit has parabolas. Discemus ex hac præfatione, quomodo audienda sint oracula diuina, & quæ utilitas ex eis percipiatur. Primùm hortatur filium, ut accommodet aurem suam, & audiat uerba sapientum. Primus enim ad sapientiam gradus est auscultare quid dicatur. Multi sunt qui uerbum Dei nolunt audire: cum eius fit mentio, non secus faciunt, quàm phrenetici. Sæpe iubemur in scripturis audire. Non autem quibuslibet aures accommodandæ sunt: sed prudentibus, hoc est, si de negocio fidei loquendum sit, Moysi, prophetis, Euangelistis & Apostolis. Quid uerò de doctoribus Ecclesiæ Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio & alijs dicemus? Etiam illi audiendi sunt, multa enim præclarè & sapienter scripserunt: sed si à sacris literis discrepent, standum est iudicio sacrarum literarum. In alijs etiam rebus, periti audiendi sunt: ex stultis enim nihil disces. Non autem satis est audire auribus, ideo addit, *Et appone cor tuum ad scientiam meam.* Idem intelligit per uerba sapientium, & scientiam suam. Sensus est, Cogita de his quæ dicuntur, da operam ut omnia rectè intelligas, & in animo recondas. Quemadmodum res charas & preciosas custodimus: ita uerbum Dei, in corde custodiendum est. Ponere ad cor, in corde, uel cor suum apponere ad aliquid, phrasi Hebraica significat, perpendere, cogitare de aliqua re, solicitum esse. Esa. 47. Exod. 7. 1. Reg. 25. ca. & alibi hæc loquutio habetur. Qualis sit scientia uel doctrina illa patris, ostendit.

Noua præfatio libri huius.

Audienda sunt uerba sapientum.

19 Quia iucunda est (*scientia patris*) si seruaueris eos (*sermones*) in uentre tuo, & dirigentur pariter in labijs tuis.

נעים Naim decor, pulchritudo: est enim nomen substantiuum, secundum R. Dauid in libro radicum. Potest etiam nomen esse Toar, inquit idem, à נוע nua, quod est mouere, demigrare: & sic est plurale à נע na, id est, uagus, quasi dicat, nisi custodieris illa in uentre tuo, citò erunt נעים naim, mobilia, id est, mouebuntur, effluent. Sed simplicius uidetur esse, ut dicamus, doctrinam amœnam esse, & iucundam, his qui eam in mentis penetralia recondunt, id est, qui eam intelligunt, & fide amplectuntur. In Psalmo dicitur, eloquia Dei dulciora esse melle. His enim qui non intelligunt, nec credunt, absynthio sunt acerbiora. Non autem satis est, in animo recondita habere, sed oportet proferre, non quidem ad ostentationem ex hypocrisi: sed quando necessitas postulat, & fidei edenda est confessio. Item alij instituendi sunt in religione, maximè uerò illi, quibus non datum est ueram religionem publicè audire. Dicunt multi, ego non sum concionator, tamen omnium Christianorum est, illos, qui postulant, in fide erudire. Hoc si faciamus, magis magisque in uera doctrina confirmabimur. כון kun significat confirmari, certificari, perfici.

19 Vt sit in Domino fiducia tua, scire te feci (*hæc*) hodie, etiam tu.

Scopus scripturæ. Quare tradita nobis sit hæc doctrina, ostenditur. Primùm ut in Deo, qui nos per Christum uult saluos facere, & non in nostris aut aliorum operibus uel meritis, aut ullis alijs rebus creatis, spem & fiduciam ponamus. *Etiam tu*, scilicet, audiuisti, uel custodi, aut cogites de illis. Hic est scopus totius scripturæ. Quomodo uerò hæc scripta sunt?

20 Non'ne scripsi tibi tripliciter in *uel de* consilijs & scientia?

Quomodo sacra scriptura tradita sit. Hic locus uariè ab interpretibus exponitur. שלישים schalischim triarij, uiri præstantissimi, nimirum qui tertium gradum habebant. Primo loco erat plebs, secundo proceres regni, tertio erant summi principes. Apud Romanos in exercitu primo loco erant uelites, altero hastati, tertio triarij. Per metaphoram pro præcipuis dogmatis capitur. Vt suprà in 8. cap. dixit, loquar negidim, principes, id est, insignia & præcipua quædam. Quidam referunt ad Deum authorem scripturæ, qui eam tripliciter scripserit, in Lege, Prophetis & Hagiographis. Quidã ad Salomonem, cuius tres libri extant, Prouerbia, Ecclesiastes & Cantica. Alij dicũt traditam esse tripliciter, iuxta triplicem statum hominum, scilicet, incipientium, proficientium & perfectorum. Alij exponunt, *scripsi tibi tripliciter*, id est, multipliciter (ternarius numerus perfectionis dicitur, etiam ab Aristotele in libello de cœlo & mundo.) Res enim eadem mutatis uerbis sæpe repetitur & inculcatur. Deinde multiuariam Deus nobis patefecit uerbum suum. Hebr. 1. cap. Deus olim multiuariam multisq; modis locutus patribus per prophetas, extremis diebus hisce loquutus est nobis per filium, &c.

In consilijs & scientia.) Ad modum refero, quomodo hæc scripta sint, non temerè sed consideratè atq; scitè. Alij referentes ad materiam, reddunt, unde discas consilia, quo ad eligenda, & scientiam, quo ad credenda.

21 Vt scire facerem te certitudinem uerborũ ueritatis, ad respondendum eloquia ueritatis mittentibus te.

Scriptura de reb. maximis nos erudit. Alius scripturæ usus ostenditur, Vt certus sis de rebus maximis, de quibus alia scripta nos certos reddere non possunt. Doctrina Ecclesiæ à Deo tradita, certa est & immota. Causa certitudinis, est reuelatio Dei, qui est uerax. Tertius sapientiæ Solomonis, atq; adeò totius scripturæ, usus est, qui hoc loco ostenditur, *ut respondeas mittentibus te*, hoc est, ut officium tibi ab eis iniunctum, ritè præstes, & eorum expectationem non fallas. Vel, *mittentibus ad te*, hoc est, ut illis, qui de negotio salutis & alijs rebus doceri cupiunt, aptè possis respondere, & fidei tuæ rationem reddere. Hæc de præfatione: iam redit ad suum institutum, & filium monet de his, quæ ad ueram sapientiam pertinent. Per filium intellige, non tantum iuniores, sed omnis ordinis homines. Statim enim subijcit doctrinam, de non opprimendis pauperibus in iudicio, quæ pueris non conuenit.

22 Ne diripias pauperẽ, quia pauper est, neq; conteras *uel contundas* egenum in porta.

Pauperes non opprimendi iniquis iudicijs. Sunt uaria genera pauperum, sunt uiduæ, pupilli, peregrini, senio confecti, qui nihil habẽt præter quod sudore suo comparant: his sua eripere, maximum quidem, sed uulgare inter homines est peccatum. Ideo sæpe de hac re Salomon agit. Hoc loco duos modos opprimendi pauperes, attingit: *Ne ui*, inquit, *diripias pauperem quia pauper est*, hoc est, quia nullos habet uindices, & facilè potest opprimi. Vel hoc uult dicere, alioqui satis miser est, non addere debes afflicto afflictionem. Peccatum est diuitem spoliare, quantò magis pauperem? Addit, *neq; conteras egenum sub porta*, id est, ne opprimas eum sub specie iuris. *In Portis exercebantur iudicia.* Antiquitùs enim in portis ciuitatum, coram uulgò egrediente & ingrediente, ius dicebatur. Deut. 16. Iob. 29. &c. Id autem fiebat ut commodius non tantum ciues, sed etiam agricolæ qui extra urbes agebãt, eò confluerent & citius expedirẽtur. Pauperes itaq; neq; ui, neq; iuris specie opprimẽdi sunt. Ratio subiũgitur:

23 Quia Dominus iudicabit, *uel litigabit*, causam illorum, & rapiet à rapientibus eos, animam.

קבע kaua conculcare, opprimere, supplantare. Pauperes iure suo aliquando depelluntur, sumptus ferre non ualent, appellare ad alios iudices non conceditur: attamen Deus iustus iudex, causam eorum iudicabit, asseret eos, & iniuriam eis illatam uindicabit, Luc. 18. Ab his qui deprædantur pauperes, animas auferet, hoc est, uitam hanc temporalem uel æternã. Implentur hæc sæpe in hac uita, sed nos non obseruamus hæc tristia exempla & iudicia Dei: quòd si hîc non implentur, tamen in futuro seculo à supremo iudice, implebuntur. *Deus uindex oppressorum.* Deus patronus & uindex est pauperum, filium suum non solum pro diuitibus, sed etiam pauperibus, in mortem tradidit, quos ubiq; nobis commendat. Ne igitur eos lædas uel opprimas. Si contra potentes

tentes homines uel loquendum sit, uix hiscere audemus, metuentes eorum potentiam: cur igitur nos potentissimo cœli & terræ monarchæ opponimus? Colligunt ex hoc loco tyranni, qui propter ueritatem pauperes opprimunt, & iniusti iudices, mercenarij milites, usurarij & alij pauperum oppressores, quid à Deo expectent.

24 Ne associes te illi, qui iram retinet, & cum uiro furibundo ne ingrediaris.

בעלאף baalaf dominus iræ, habens iram. Hæc sententia uetat consuetudinem cum iratis & furiosis hominibus. Reperiuntur enim non pauci, qui leues ob causas magnas tragœdias excitant: duplicem rationem subijcit, *Cõsuetudo cũ iracũdis prohibetur.*

25 Ne forte discas uias eius, & accipias laqueum in animam tuam.

Primùm si assiduè uiuas cum iracundo, fies ipse quoq; iracundus. Tales enim plerumque reddimur, quales illi sunt, quibus cum uiuimus: natura enim procliues sumus ad scelera, iuxta prouerbium, Si iuxta claudum habites, claudicare disces. Iuuenalis:

Vuaq; conspecta liuorem ducit ab uua.

Alterum periculum est, ne laqueum accipias in animam tuam, hoc est, ne uita tibi eripiatur, uel ab illo, uel ab alijs quos prouocaris: ne in mala te conijciat, ex quibus postea facilè emergere non possis. Solent enim iracundi in proximum quemq; irruere, & eos aliquando ferro transuerberare. Nominat homines iratos, sed ad alios quoque hæc sententia debet transferri. Si consuetudo iratorum est fugienda, multò magis Epicureorum, sicariorum, adulterorum, ebriorum, & aliorum id genus hominum. Expetenda est coniunctio cum pijs & honestis, quorum consuetudine meliores efficiamur. Potest hoc ad fœdera, coniugia & alias societates etiam extendi.

26 Ne sis inter percutientes manum, & inter fideiubentes pro debitis.

A' נשא nascha, deriuatur משאה masseah onus, hîc pro debito accipitur. Munsterus reddit, *ne sis inter illos qui fideiubent pro caussis onerosis.* Alij deducunt à נשה naschah, hinc משאה mascheath accommodatum seu mutuatũ ab oppressore: idem autem erit sensus, ne sis inter oppignoratores pignorum, uel inter illos qui fideiubent pro debitis. Non simpliciter uetat, ne pro alijs fideiubeamus. Fideiussiones quæ uariæ habentur, per se non sunt illicitæ, sed potius opus charitatis & misericordiæ. Multi negociationes & artificia sua exercere, prædia, agros, prata emere non possent, nisi alij pro ipsis fideiuberent. Cauendum autem docet, ne temere hoc faciamus: cogitandum quid fideiubeas, cui & pro quo, ne plura promittas quàm possis præstare, ne pro hominibus nihili, nam neq; ex ipsorum neq; tua re hoc esset. Deus non requirit, ut te & tuam familiam, temere in periculum conijcias. Si uerò quis incogitanter agit, conijcit se in certissimum discrimen. Sequitur enim: *Fideiußionis pericula.*

27 Si non sit tibi ad reddendum, quare (*alij reddunt, certè*) tollet *creditor* lectum tuum de subtus te?

Sensus est, si non possis satisfacere creditori, cùm alia ex domo tua, tum etiam lectum, supellectilem necessariã auferet. Nõ satisfiet ei, si dicas, Falsus sum, non putabam hanc pecuniam à me exigendam: sed dicet, Sponde, noxa præsto est. Hoc multi magno suo malo experti sunt: ideoq; multi iurant, se non fore fideiussores: quanquam in hoc non rectè faciant. Non autem hæc ideo à Solomone dicuntur, quòd probet creditorum rigorem in exigendis debitis. Multi enim citra suum incommodum, solutionem possent differre: sed statim in miseros sponsores irruunt, & etiam culcitram sub capite auferunt. Exod. 22. lex uetat, ne uestem aut stragulum pro pignore detineas, sed sub uesperam restituas. Christus Matth. 18. crudelem illum exactorem reprehendit, qui irruebat in conseruum suum. Misereri illorum oportebat, qui aliena fide decepti sunt. Illi etiam pro quibus fideiussiones fiunt, discant, ne ingrati sint suis benefactoribus, sed fidem suam liberent, alioqui grauiter peccant, & efficiunt ut boni etiam uiri, fideiussores non inueniant. Qui incautè fidem suam obstrinxerunt, uideant ut eam liberent, non cogitent nihil ab eis exigendum. Addendum est etiam hoc, si in fideiussionibus, quæ per se non sint illicitæ, prudenter agendum est, quanto minus promittere debemus res per se illicitas? quemadmodum illi faciunt qui data manu, suis scortis fidem promittunt, qui promittunt se Euangelium pro uirili oppressuros, qui promittunt se abituros in mercenariam militiam, &c.

28 Ne transferas terminum seculi, quem fecerunt patres tui.

חסג hissig in hiphil significat retrocedere fecit, transtulit, uel egit retrorsum. Limitem seculi uocat, qui longo tẽpore positus fuit. Secũdum literã, uetat ne termini aut limites agrorũ *Terminus seculi.*

cum iniuria proximi transferantur. Agrorum fines, signo quopiam discernuntur, ueluti saxo è terra prominente, palo, arbore, hisq; similibus. Idem præcipitur Deut. 19. & 27. cap. maledicitur qui transfert terminos proximi sui. Iobis 24. inter impiorum flagitia, ponitur translatio terminorum. Dionysius Halicarnasseus lib. 2. scribit, Numam Pompilium, secundum Romanorum regem, statuisse, ut si quis occuluisset aut transtulisset terminos, sacer esset, ita ut uolenti eum occidere tanquam sacrilegum, non solum securitas esset, sed & pollutionis expiatio. Addidit etiam superstitionem, quò homines magis à tollendi audacia auocarentur, quòd in saxo uiolaretur Deus, quem Terminũ uocabat, cui fanum & festũ dedicauit, Terminalia. Imperatoriæ quoq; leges, terminum ἀκίνητον esse iubent, & illos qui limites conuellunt, seueriter puniunt. Similia etiam cogitanda sunt, ne metendo, construendis sepibus, ædificando, uicinis nostris molesti simus: ne'ue alienas hæreditates occupemus, breuiter, ne opes cum alterius iniuria colligamus, & res alienas nobis usurpemus. Quæ de priuatis hominibus dicta sunt, ad principes etiam & magistratus pertinent. Non occupandi sunt aliorum agri, urbes, arces, ad proferendum fines regnorum. Graue enim hoc est peccatum, siue fiat aperta ui, siue sub specie iuris. Ierem. 49. bellum minatur Ammonitis, eò quòd occuparint hereditatẽ Israel in Gad & Gilead, quasi Israelitæ carerent hominibus, qui terram illam incolerẽt. Si obserues in historijs, inuenies illos qui occisis uel expulsis regibus, regna eorũ ui occuparunt, tandem aliorum quoq; perfidiam expertos esse. Hæc de literali sensu.

Termini non transferendi.

Terminalia.

Allegoria. Potest hæc sententia Allegoricè quoq; intelligi. Primùm quo ad politiam, non transferendi sunt termini antiqui, quos patres nostri posuerunt, hoc est, mores patrij, instituta & leges. Non sunt laudandi aut ferendi illi, qui bonas leges suo arbitratu figunt & refigunt: firmas enim esse oportet. Nulla res perinde labefactare solet publicam tranquillitatem, atq; crebra legum morumq; mutatio. Hæc sententia in Ecclesiaste, alijs uerbis effertur: Qui diruit sepem, mordebit eum coluber, qui transfert lapides, affligetur ab eis. Demosthenes contra Timocr. scribit, Locrenses constituisse, ut si quis uellet legem nouam ferre, in laqueũ collum inserens legem ferret, ut si non placeret, constricto laqueo periret. Idem Demosthenes, ciuitatis animam leges dicebat esse. Vt enim corpus anima carens concidit: sic ciuitas quoq;, quæ nullis administratur legibus, diu stare non potest. Heraclitus Ephesius, ut est apud Laertium, dicebat, ciues nõ minus oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus. Quòd absq; legibus ciuitas stare non possit, absq; mœnibus autem possit. Sin autem patrij mores & leges perniciosæ sunt, non debemus eas tueri & conseruare. Quoad religionem, antiqui termini etiam non sunt transferendi, hoc est non noua doctrina, nec noui ritus inducendi. Papistæ inter alia quibus inuisam nostram religionem reddere uolunt, hoc uehementissimè urgent, nos transferre antiquos limites, qui à patribus constituti sint, hoc est, contempta fide & religione maiorum, nouam salutis rationem comminisci. Suis autem illis clamoribus, multos perturbãt, & ueram religionem suspectam reddunt. In ciuilibus etiam controuersijs de iusta possessione locorum, præscriptio longi temporis proferri solet, eosq; iustè possidere leges ciuiles affirmant, qui multis annis possederunt. Infesti sumus illis, qui nouas religiones inducunt. Semper autem nouitas pijs obiecta est. Prophetæ, Apostoli, Christus ipse audiuit, quòd nouam afferret doctrinam. In ueteri Ecclesia idem factum esse, Tertullianus & Eusebius testantur: sed omnes suspicionem nouitatis, à se & doctrina depulerunt multis argumentis. Ego paucis ostendam nos non sustulisse terminos antiquos: quos patres constituerunt, sed potius defendere & retinere, pro falsis, quos nocturni tanquam fures alieno loco posuerunt, ueros & legitimos reponere ac restituere. Si per patres intelligant Prophetas & Apostolos, quemadmodum Hieronymus interpretatus est, eosdẽ cum ipsis terminos obseruamus. Docemus enim primum nos omnes esse peccatores, ideoq; æternæ mortis reos. Deinde Christum satisfecisse pro peccatis nostris: nos uerò fide per Christum, participes esse meritorum Christi. Addimus, sanctè & piè esse uiuendum, aduersa patienter esse ferenda. Illi uerò conuellunt hos terminos, qui hominis miseriam non agnoscunt, salutis præsidium non in solo Christo collocant: opera fidei non urgent, sed fictitia opera. Si per patres Origenem, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum & alios ueteres intelligant, dicimus nos meliorem eorum partem, quæ hodie à nobis traduntur, ipsorum suffragijs comprobare. Quoniam uerò in multis humanũ aliquid passi sunt, eorum iussu, ad sacras literas conuertimur, quibus per omnia sine exceptione credendum est. Illi uerò egregij filij, errores tantùm & lapsus eorum retinent, ex auro stercora legentes. Si per Patres intelligant Papas, multis coopertos sceleribus & putidulos monachos, de ijs prorsus non sumus solliciti. Non enim est obscurum, quo impulsore plerique ex illis loquuti sint. Si qui inter eos boni & simplices fuerunt, temporum iniuria, & crudelitate aliorum, ad ueritatem penetrare non potuerunt. Sin uerò intelligant patres, auos, proauos

Leges non mutandæ.

Religio nõ mutanda.

Euangelici non transferunt terminos.

Patres qui.

proauos & abauos nostros, dicimus semper repertos esse, qui lupis illis cōtradixerint, sed nō prorsus se ex tam crassis tenebris potuisse liberare. Si illa lux Euāgelij fulsisset, gratissimis animis eam fuissent amplexati. Nō igitur est quòd Patres nobis obijciant. Deinde quòd uetustate gloriantur, immeritò faciūt. Nam si dogmata & ritus Papistici, de quibus hodie tam acerbè cōtenditur, ad ipsorum liberos & tabulas reuocentur, manifestè patebit noua omnia illa ferè esse, quæ pro uetustissimis uenditant. Quod si uetusta essent, tamē oporteret probare uerbo Dei esse cōsentanea. Veritati, ut præclarè dixit Tertullianus, nemo præscribere potest, nō spacium temporum, nō patrocinia personarum, non priuilegium regionum: quia Dominus noster Christus qui manet in æternum, ueritatem se, non consuetudinem cognominauit.

Vetusta nō sunt, quæ pro uetustis habentur.

Longum esset sigillatim omnia capita doctrinæ referre, paucula duntaxat attingamus. Limitem antiquum esse aiunt, quòd Petrus ab ipso Christo, ob egregiam fidei confessionem spiritualis monarcha constitutus sit. Hæc omnia immodicè amplificant. Atqui sacra Euangeliorum scripta diuersum testantur. Ipse Petrus in priore Epistola 5. cap. instituens presbyteros, se συμπρεσβύτερον, non principem aliorum appellat. Gregorius Magnus (qui 570. annis post Christi ascensionem in cœlos, uixit) non'ne unus ex patribus fuit? Is disertè præcursorē Antichristi illum esse dicit, qui œcumenicus pastor & caput Ecclesiæ dici uelit. Historiæ testātur, hūc titulū à Phoca parricida demū cōcessum esse Bonifacio 3. Papæ Romano. Græcorū Ecclesiæ reclamarūt Papæ, usq; ad annū Christi 1400. donec Eugenius 4. dolis & largitionib. à proceribus Ecclesiæ & Imperij Græci, hanc appellationē emēdicauit. Quod nos dicimus Christū unicū esse caput suæ Ecclesiæ, scriptis Apostolorū probamus.

Caput ecclesiæ.

Limitē antiquū. i. ueterē doctrinā, esse dicūt, quòd idola habēda sint in tēplis. At Apostolicæ literæ simulachra fugienda docēt. An'nō pater fuit Epiphanius, qui dixit nō fas esse uidere depictā uel Christi uel sancti ullius imaginē in tēplis Christianorum? Nota est historia de cōscisso uelo in quo imago depicta erat. An'non pater fuit Lactantius, qui lib. Institut. 2. ca. 19. scripsit: nō esse dubiū, quin religio nulla sit, ubicunq; simulachrum est.

Idola in templis.

Missam clamāt antiquū esse limitē, ab ipsis Apostolis positum. At Paulus qui multis annis post ascensionem Christi, epistolā suā ad Corinthios scripsit, dicit se eis illa tradere, quæ à Christo acceperit. Nihil aūt dicit de histrionico uestitu, de gesticulationib. de transsubstātiatione, de unica tantū specie danda Laicis, de sacrificio pro uiuis ac mortuis. A' quib. hæc omnia inuenta sint, quando festū corporis Christi, ut uocant, institutum, historiæ loquūtur. Canon Missæ nō est ab Apostolis traditus, sed à multis Papis cōsarcinatus.

Missa.

Ordines Monachorū, dicūt ueterē esse limitē: at D. Paulus bonus ille pater, acriter in illos inuehitur, qui dicebant, Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo. Legantur historiæ & tabulæ Monasteriorū, ac liquidò apparebit, noui ne sint illi ordines, & ab hominibus excogitati, an uetusti & ab Apostolis traditi. In Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. congregato, cautū fuit ne ordines monachorū augerētur, sed interea tēporis quot hincinde exorti sunt? Nuper noua illa Iesuitarum secta emersit. Fraternitates, ut uocant, ante paucos annos suum ortū habuerūt.

Ordines monachorum.

Iesuitæ.

Si dicendū sit de cœlibatu clericorū, de hypocriticis ieiunijs, D. Paulus manifestè testatur, exorituros homines qui impulsu satanæ prohibituri sint usum matrimonij & ciborum. Non'ne Paphnutius, qui & ipse pater fuit, in Concilio Niceno se illis opposuit, qui Ecclesiæ ministris coniugij usum adimere conabantur? Apollonius de quo Euseb. eccles. hist. li. 5. ca. 12. Montano hæretico exprobrat, quòd primū ieiuniorū leges imposuerit. Proferte loca quib. ostendatis ueteres illos ita sæuijsse in illos, qui carnē dieb. Veneris uel per quadragesimā gustassent. Si ante paucos annos aliquis tantum pecuniæ Papæ emissarijs numerasset, quantam nunc numerare tyrannis illis oportet, omni tēpore carnib. uescendi licentiam impetrare potuisset. Possem multa huius generis addere: sed sapienti occasionem dedisse satis est.

Cœlibatus.

Hæc consyderate diligenter uos Papistæ, & desinite nos accusare, quasi terminos à patribus constitutos auellamus: Vos uos, terminos sustulistis, & totam possessionem cōturbastis, nos uerò contrà defendimus & retinemus. An'non homines reuocamus ad sacras scripturas, quibus nihil habemus uetustius, ut proprijs oculis cernant ubi positi sint limites? An'non uos totis uiribus obsistitis, ne plebeij homines scripturas, tabulas antiquas legant, & uideant ubi positi sint limites? Cur ita urgetis ἄγραφα, hoc est, fictas uestras traditiones, nisi quòd uestra ex scripturis non potestis probare? Videtis quis causæ suæ melius confidat? Desinite igitur fidem ueterem nouam, & nouam ueterem appellare. Negare non potestis in singulis ferè Concilijs uestris multa subinde noua & Apostolicis temporibus incognita, hominibus esse obtrusa, & tandem falsorum dogmatum & ceremoniarum numerum immensum creuisse. Si adhæc fixi esse debent termini, quos uos constituitis, hoc est, patrum uestrorum doctrina, decreta & Canones, cur adeò licenter, quoties libet, illa omnia transgredimini? Sed de his nunc satis.

29 Vidisti uirum uelocem in opere suo? coram regibus stabit, non coram obscuris.

Sedulitas. Vidisti uelocem, id est, si quis est talis, Hebraica phrasi. Hæc sententia commendat sedulitatem & industriam. Nam per uirum uelocem, intelligit strenuum & sedulum, in rebus agendis. Coram regibus stabit, uel statuet se, id est, ministrabit eis. *Stare in cõspectu regis.* Serui enim stant in cõspectu dominorum suorum, ut exequantur quæ in mandatis acceperint. Sic Lucæ 1. cap. Archangelus Gabriel dicit ad Zachariam patrem Ioannis, Ego sum Gabriel, qui astiti in conspectu Dei: id est, minister Dei, paratus ad omnia mandata. Qui periti rerum sunt, strenui, diligẽtes & fideles, magni fiunt ab hominibus, & aliquando ex infima fortuna ad maximas dignitates euehuntur. 1. Reg. cap. 11. cum Salomon obseruasset, Ieroboamum in rebus agendis diligentissimum esse, præfecit eum tributis & uectigalibus exigẽdis, à tribu Ephraim & Manasse. Discat igitur quisq; in sua uocatione, industriam & alacritatem: iuuenes imprimis hanc uirtutem sibi comparent. Immeritò queruntur se non promoueri ad dignitatem aliquam, qui neq; uirtuti neq; literis dant operam: sed desidia & ocio quodammodo marcescũt. Magnis enim rebus, homines industrij, non ignaui fuci adhibendi sunt. Cum uerò in exequendis hominum mandatis, nos tam industrios esse oporteat, multò magis in diuinis negocijs, summã diligentiam adhibere conuenit, ut Deo opt. Max. nos probemus.

CAPVT XXIII.

CVm sedebis ad comedendum cum principe, intelligendo intelliges, quæ sunt coram te.

Quid in mensa faciendum. PRIMI tres uersus cohærent, & quo pacto se homines ad mensam, in consessu magnorum uirorum gerere debeant, ostendunt. Si uel inuitatus, uel aliàs cum primarijs uiris comedas, diligenter considera, quæ ante te sint posita, qualis cibus aut potus, quæ eorum sit natura. Ne manum in patina ad omnia extendas: accipe quę coram te posita sunt: si sint delicatiora, ne instar canis solus comedas: caue etiam ne immodico cibo aut potu te oneres. Vnum hîc ponit, alia quoq; intelligenda sunt, de quibus Eccles. 31. aliquid habetur. *Cõsidera quæ sint coram te.* Luth. reddit, *Quid coram te geratur,* hoc est, uide quid agas.

2 Et pones *uel pone*, cultrũ *uel spinam*, in gutture tuo, si dominus animæ es tu.

Si dominus animæ es, id est, si crapulæ indulges, pones cultrum uel spinam in gutture, id est, magnum malum accipies. Crapula enim & ebrietas, multos perdidit. Multi loquuntur bene poti, quæ postea per iugulum redeunt. Vel, *si dominus es animæ*, id est, si nosti te animam habere gulæ deditam, si incitat te appetitus, ut etiam alia concupiscas, intenta cultrum gutturi, hoc est, cohibe teipsum, ueluti cultro gutturi immisso, ne immodicè edas uel bibas, & quæ tibi non sunt proposita concupiscas. Vel, quod magis placet, si בעל baal *dominus animæ tu*, id est, amator uitæ tuæ es, *ponas cultrum in gutture tuo*: Luth. reddit, *si uitam conseruare uis.*

3 Ne concupiscas cibos eius, cum sit panis mendaciorum.

Ad uerbum est, *Ne desideres à gustando*, accipit autem pro cibis delicatis. Periculosum est edere cum principibus, ideo mensam regiam non appetas. Panis est mendaciorum: fallit multos, non consequuntur quod sperant. *Es můß einer etwan döuwen.* Item uanus est cibus ille delicatus, & non prodest esus eius. Vel ideo sic dicitur, quòd illos sæpe mentiri oportet, qui regalibus mensis & dapibus adhibentur. *Ciuilitas morum in mensa.* Docet his uersibus, ciuilitatem morum in mensa seruandam esse. Res uidetur parui momenti: sed Christus quoq; pharisæos & scribas Luc. 14. de eadem re instituit. Rectè quoq; faciunt parentes, qui liberos suos non tantum docent, qui mores in mensa seruandi sint, sed etiam in cubiculo, foro, templo, & alijs in locis.

Potentum familiaritas periculosa. Altior sensus est, prudenter agendum esse, si cum principibus uersemur. Vide quę sint ante te, uide quid facias, quid dicas. Periculosa enim est eorum familiaritas, quæ per communem mensam intelligitur. Nam si quis uel dicit uel facit aliquid, quod eos offendit, statim ulciscuntur. Nemo autem tam circumspectus & cautus est, qui non inter scyphos aliquando liberius aliquid effutiat. Multi bene poti dicunt, quæ subiecti tormentis non dicerent. Solent autem potentes, per uini lene tormentum, aliquando hominum cogitationes & consilia expiscari. In fabulis olla lutea, aheni congressum uitat, ne incurrens in hoc, conteratur. Ouid. lib. 3. de tristibus.

Vsibus

Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,
Viue tibi:& longe nomina magna fuge, &c.

Horat.lib.1.epiſt.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet, &c.

Seneca quoq; præclarè ſcripſit:

Stet quicunq; uolet potens,
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar ocio,
Nullis nata Quiritibus,
Ætas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Pleriq; appetũt aulas principũ capti illecebris: ſed tutiſsima uita eſt,q̃ degitur cũ ęqualib. Sin uerò neceſsitas in aulã uocat, prudẽter eſt agẽdũ, ne temere principis offenſam incurramus. Socrates ſuadebat,ut eſt apud Stobæũ, ὡς ἥκιστα τοῖς δυνάσταις, ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. Prouerbio dicitur,Porrò à Ioue atq; à fulmine.Veteres Græci teſte Suida,pręceperũt, ἄλου ἀπὸ μείζονος ἀνδρὸς, maiorem uitate uirum. Syracides 13. multa habet, de lenonina illa ſocietate uitanda.

4 Ne labores ut diteris, ab intelligentia tua ceſſa.

Nõ reuocat nos à labore(ſuprà enim nõ ſemel nos ad laborẽ adhortatus eſt.Paulus quoq; ad Eph.4.ca.laborare nos manib.iubet,ut nõ tantũ nos neceſſaria habeamus,ſed egẽti quoq; poſsimus cõferre) ſed admonet, ne nimis ſimus ſolliciti , ſi noſtro labore non magnas opes colligamus:qn potius benedictionẽ à Deo expectãtes nihil agamus cõtra uocationẽ noſtrã. Sũt multi,qui quaſi inuito Deo,opes uolũt colligere,ideoq; ſe magnis malis implicãt,1.Tim. 6.Qui uolunt diteſcere,incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas,ſtultas, ac noxias,quæ demergunt homines in exitium & interitum. Si quidem radix omnium malorum, eſt ſtudium pecuniæ, &c. Si uidemus Deo placere, ut pauperes ſimus,paupertas æquo animo ferenda eſt:ſin opes nobis conferat,rectè ad ipſius gloriam illis utamur.

De labore multa extant præcepta.

Ab intelligentia tua deſine.) Scilicet,conquirendi opes, omitte illas artes, expecta benedictionem Domini.

5 Num conijcies oculos tuos in eas, cum nullæ ſint? quoniam faciẽdo faciunt ſibi alas ſicut aquila (*quæ*) uolabit in cœlos.

Cauſam rẽddit,cur opes nõ ſint cumulandæ,quia fluxæ ſunt & inſtabiles.Dum eas tenere nos putamus,momẽto effluunt.Rem ſimilitudine illuſtrat. Quẽadmodum aquila in altum uolat,ut conſpici amplius non poſsit:ita opes aliquãdo nobis inſpectantibus auolant & euaneſcunt, ſy zerſtüබend vnd zerflügend. Similiter dicit Euripides in Phœniſsis:

Opes fluxæ ſunt.

ὁ δ' ὄλβος ἀδίκως καὶ μετὰ σκαιῶν σινῶν
ἐξέπτατ' οἴκων βραχὺν ὁμιλήσας χρόνον.

Baſilius dicit,Fluxa diuitiarum natura,torrente celerius poſsidentes prætermeat. Et,aquam citius manu comprehenſam tenueris, quàm diuitias ſeruaueris,&c. Multa enim ſunt,quæ opes auferre poſſunt.Opes habemus uel in pecoribus, uel in agris,pratis & uineis,uel domibus,uel in negotiationibus,uel præſente pecunia, uel tritico & alijs frugibus:at quàm multis caſibus hæc omnia ſunt obnoxia? Frumenta cum malignè reponuntur,curculione infeſtantur,&c.Hæc ad iuſtas quoq; opes pertinent, quid de iniuſtis dicemus? Fingamus fixas eſſe & ſtabiles,tamen nos ſumus caduci. Hæc cogitãtes non locemus ſpem in diuitijs incertis,neq; excogitemus ſubinde nouas artes & dolos : non falſis ponderibus & menſuris utamur,non uitiemus merces,ne dicamus bonas eſſe, cum malas eſſe probè ſcimus : ne adulterinam monetam alijs demus,&c. Multi πολυτεκνίαν prætexunt. At nulla eſt hæc excuſatio. Non'ne multa dicis & facis,quæ dicenda & facienda non erant,ne hominum fauorem amittas,qui liberis tuis prodeſſe poſſunt? Quæ igitur(malũ) demẽtia eſt,quòd liberis tuis proſpectũ putas,ſi Deũ offenderis? homines 'ne plus prodeſſe,& obeſſe tuis liberis poſsũt,an Deus?

Quoad linguã, עוף of,ſignificat uolare. יעוף uf uolabit,ubi uaf p iod tertia futuri,litera dicũt poſitũ.In hiphil העיף heif,facio auolare. *Si auolare feceris oculos tuos ad illud.* Significat etiam, facio ſplẽdeſcere:hinc R.Dauid in li.radic. *Num ſplẽdeſcere facies, uel illuſtrabis oculos tuos, ut diuitias aſpicias? ſed nõ erũt,euaneſcẽt ſub aſpectu tuo.* Sunt qui exponũt, *Num geminabis oculos tuos:* quaſi diceret,cũ geminaueris,id eſt,clauſeris oculos tuos,nõ inuenies illas.Mũſterus reddit, *An'non cum admoueris oculos tuos ipſis,illæ diuitiæ non ſunt?* hoc eſt, uix poteris mouere oculos,& pereũt diuitię.

6 Ne comedas panem, malum oculum *habentis*, & ne concupiscas pulmenta eius.

Malus oculus. Conuiuia inuidorum, & auarorum, non appetenda esse docet. Malus oculo, Hebraica phrasi etiam in Euangelica historia, inuidum & sordidum significat. Nam quemadmodum illi, qui uitiosos oculos habent, solem intueri non possunt, ita inuidi, aliorum successus. Deinde inuidia ex oculis maximè relucet. Suprà capite uigesimosecundo uers. 9. hac phrasi etiam usus fuit.

7 Quoniam sicut quis mensuram ponit in anima sua, sic ipse. Comede & bibe, dicit tibi, cor autem eius non est tecum.

Rationem subiungit, quare inuidi & sordidi conuiuia non sint appetenda, quoniam præscribit apud se mensuram certam, quam si tu comedendo excesseris, indignè fert. Dicit quidem, Ede, bibe, esto læto animo, sed non ex animo loquitur, non gratus es hospes, mensurat & numerat quicquid comederis, quicquid facit, inuitus facit: nostri dicũt, Er werckt ein büß ab. Reperias non paucos, qui mercenarios, famulos, quin uxorem & liberos, auidè comedentes & bibentes, toruis oculis inspiciunt. שער schaar significat spectrum seu terriculamentum apparuit: hinc quidam reddunt, *Quia sicut spectrum fuit in anima, ita ipse est. Comede, &c.* mallet ipsum diabolum uidere, quàm auide comedentem. שער schaar uertunt etiam cogitare, existimare, *quia sicut cogitauit uel existimauit animo suo, sic fuit.* Significat item certam mensuram, quam interpretationem ego sequutus sum. Cum schin in sinistro cornu, horrorem significat, hinc quidam reddunt, *sicut horror in anima eius, sic ipse.*

8 Buccellam tuam, quã comedisti euomes, & perdes uerba tua dulcia.

Conuiuales sermones. Si te ingratum hospitem esse sentias, non grata sunt fercula: sed nauseam excitant. Si lepidum quid in mensa dixisti, optares te pisce magis mutum fuisse. Debent, ut obiter hoc annotemus, conuiuales sermones, non quidem de grauibus rebus institui: sed de iucundis & iocosis. De hac re uide Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 1. & lib. 7. cap. 7. Peccant qui inter pocula, de theologicis rebus subtiliter disputare uolunt, qui alios obtrectant, qui fœdis & obscœnis sermonibus utuntur. Cogitandum enim erat, nos Dei hospites esse. Per communem mensam, scriptura familiaritatem intelligit. Videndum igitur, ne inuidos in amicitiam nostram recipiamus, & ne nos hoc uitium, commune quidem & peruagatum, sed atrox, occupet. An non magnum est alijs inuidere illa, quæ liberalis & munificus Deus eis concessit? Hoc tamẽ

Inuidiæ malum. bonum in se habet inuidus, ut ueteres tradunt, quòd seipsum punit. Philosophus quidam, conspiciens inuidum demisso capite & tristi uultu, Nescio, inquit, an tibi aliquid acciderit mali, an alteri boni quidpiam. Nos gaudere potius debemus, si alijs bene succedat: mala aliorum propulsare, & Deo gratias agere, si uarijs bonis alios cumulet, &c.

9 In auribus stulti ne loquaris, quia contemnet intellectum eloquiorum tuorum.

Qui alios utiliter docere, exhortari & reprehendere uolunt, duo potissimum obseruare debent. Primum, tempus, ut idoneo & opportuno tempore hoc faciant, ne operam perdant. Deinde quæ & quales illæ sint personæ, quas docendas & corripiendas susceperunt. Multi enim doctrinæ & exhortationis non sunt capaces, sed subinde deteriores fiunt. Ideoque sapiens hoc loco monet, ne coram stulto, hoc est, stupido uel contemptore Dei loquamur: contemnit enim quæ sapienter & prudenter à nobis dicuntur, & sedulò inculcantur.

Qui stultũ erudire uult, perdit operam. Syracides duplici similitudine hanc sententiam capite uigesimosecundo, illustrat: primum dicit, illum qui stultum docet, non secus facere, quàm qui testam conglutinat. Hydria in multas partes confracta, non potest conglutinari: qui partes inter se committere conatus fuerit, inaniter laborat. Secundo loco, eum loqui cum dormiente, qui excitatus à somno, quid est? inquit. Possunt ad eandem rem declarandam, aliæ similitudines quoq; adhiberi. Qui surdo loquitur, aut homini non intelligenti linguam aliquam, item ebrio, frustra laborat: ita qui cum stulto aures suas præcludente ad ueritatem, & temulento perniciosis opinionibus multis agit. Qui sterili agro semina committit, non faciet sementem, sic qui stultum erudiendum susceperit. Christus quoque uerbis & exemplo suo idem docuit: nam Matth. 7. monet nos, ne sanctum proijciamus canibus, & ne margaritas spargamus ante porcos, ne fortè ab illis conculcentur, & conuersi lacerent nos. Hoc est, hominibus porcinis & caninis moribus præditis, non proponenda est cœlestis doctrina. Cum duceretur ad Herodem noluit ei respondere. Exemplis huius gnomæ hodie abundamus: Multi enim surdi sunt ad omnes conciones. Cauendum tamen, ne statim in stultorum numero illos habeamus, qui non per omnia nobiscum sentiunt, aut non statim se erudiri patiuntur. Sed qui agnitam

ueritatem priuati commodi studio uel recipere nolunt, uel deserunt, de his parum spei est habendum. Plerumq; enim à Deo in reprobum sensum dantur, ut non patiantur se erudiri: auro loquente, nil pollet quæuis oratio. Quod phrasim attinet, In auribus stulti loqui, est coram stulto loqui. Gen. 23. bis legitur hæc formula loquendi. Latinis in aurem loqui, clàm significat loqui. Clamare in aures, Ierem. 2. cap. disertè dicere, continuè inculcare.

10 Ne transferas terminum antiquum, & in agros pupillorum non introeas.

Primum membrum huius sententiæ, suprà expositum est: alterum, docet ne simus iniurij in pupillos. יתום iathom, Hebræis pupillus dicitur, à תמם thamam, quod inter alia significat consumere, quòd parentes eius consumpti sint. ὀρφανὸς Græcè. Nam quòd Laurentius Valla, inter pupillum & orphanum distinguit, friuolum uidetur. Non uult dicere, per se nefas esse in agros pupillorum ire: sed hoc animo, ut uastes uel occupes agrum. Agrum nominat & alia quoq; intelligit, prata, uineas, domos, ac quæcunq; pupillorum sunt. Si quis diuitum hortos, agros, uineas, prata ingreditur ad colligendũ fructus, peccat: quãtò magis qui agrum pupillorum ingreditur, qui præ alijs misericordiam merentur? *Pupilli.*

11 Quia redemptor illorum fortis est, ipse litigabit litem eorum tecum, *uel contra te.*

Stulti homines existimant nihil referre, si pupillos lædant, eò quòd se contra iniurias defendere non possint, nec habeant qui causam eorum agant: at longissimè falluntur. Etsi enim de iniurijs apud iudices non querantur, aut probare nihil possint, aut iudices eos asserere non uelint contra potentes: tamen Deus causam eorum defendendam suscipiet. Is se uindicem pupillorum profitetur. Vox גאל goel significat assertorem, uindicem, redemptorem, qui iure propinquitatis, sanguinem interfecti propinqui uindicare potest. Addit, illum uindicem fortem esse: id quod multis operibus declarauit. In eius manu & potestate omnia sunt posita, angeli, & homines, tam boni quàm mali, bruta animalia, elementa, tonitrua, fulmina ei inseruiunt. Omnipotens ille Dominus, pupillorum causam contra te litigabit: falli possunt terreni iudices, à lubricis & uersipellibus hominibus, corrumpi possunt muneribus, at Deus cui reddenda est ratio, non fallitur. Multa etiam alia de pupillis continentur in sacris literis. Deus se tutorem illorum profitetur: præcipit ut eis benefaciamus, uetat ne eos lædamus, promittit ingentia bona illis qui eis benefaciunt, comminatur atrocia supplicia illis, qui eos lædunt. Longum esset omnia loca sacra scripturæ proferre, insigniora tantum attingemus. Psal. 68. Deus orphanorum pater, & iudex uiduarum appellatur. Deuteronom. 10. cap. de Deo dicitur, quòd ipse faciat iudicium pupillo, uiduæ, atq; amet peregrinum, dans illi panem & uestimentum. Exod. 22. Nullam uiduam & pupillum opprimetis, &c. Deuteronom. 14. decimam tertij anni reponere iussit pro peregrino, uidua & pupillo, idque facientibus, suam benedictionem promisit. Deut. 24. uetuit ne manipulum in agro relictam auferrent: sed peregrino, pupillo & uiduæ relinquerent. Deu. 27. scribitur, maledictus qui peruertit iudicium peregrini, uiduæ & pupilli, & dicet omnis populus, Amen. Isa. 1. cap. inter alia grauissima peccata quæ Israelitis obijcit, hoc etiam commemorat, quòd principes pupillo non iudicent. Ierem. 5. cap. Causam nullam, inquit iudicant, etiam pupilli, & num quid hæc non uisitabo? dicit Dominus. Omitto quæ Psalm. 94. Isaiæ 10. Ierem 22. Iob 24. & 31. Iacobi 1. & alijs in locis de pupillis leguntur. Imperatoriæ quoq; leges multæ sunt, de tutoribus pupillorum. Eusebius in uita Constantini lib. 1. inter alia Imperatorem laudat, quòd superato Maxentio, orphanorum, patris instar curam gesserit, & uirgines orphanas uiris nuptum tradiderit. Veteres sua habuerunt ὀρφανοτροφεῖα. Ideo autem leges tum sacræ tum ciuiles, multa de pupillis continent, quòd multis iniurijs sunt expositi, siue pauperes, siue diuites sint: uiribus enim & consilio destituuntur. Hominum igitur perfidia & cupiditas frenanda fuit. Facit autem hoc ad consolationem pupillorum, quòd Deus tantam eorum rationem habet, ut eorum salutem legibus muniat. Discant igitur, in Deum patrem, omnem suam spem collocare, & tanto patre non indignè uiuere. Alij etiam discant, ope & consilio eos iuuare. Peccant grauiter qui pupillos lædunt. Quales sunt matres illæ quæ liberorum hæreditatem à patre relictam prodigunt: tutores, qui suis potius quàm pupillorum commodis student: iniqui iudices, monopolæ & usurarij, qui agrum agro, domum domui, cum iniuria pupillorum iungunt: impij milites, qui pupillos primum faciunt, deinde agros, uineas, prata & hortos pupillorum uastant, arbores fructiferas excindunt, domos exurunt, & miseros fame cogũt contabescere. Monachi item & sacrifici, qui purgatorij tormenta amplificantes, pupillos sua hæreditate spoliant: sentient profectò illi omnes uindicem. Si Deus non statim eos puniat, *Deus est uindex pupillorum.*

pœnam tamen non effugient. Quæ de pupillis dicta sunt, accommodanda sunt alijs quoq; pauperibus, presſis & afflictis, qui ope aliorum destituuntur, quales sunt peregrini & uiduæ. Plerunq; autem in scripturis, peregrini & uiduæ & pupilli coniunguntur.

Ecclesia pupillo comparatur. Ecclesia etiam in scripturis, ueluti Hoseæ 14. pupillo comparatur, eò quòd præsidijs huius mundi destituta sit, & omnes ei nocere cupiant. Valde autem peccatur ab illis, qui eam malè tractant: Deus eos puniet, & Ecclesiam suam conseruabit.

12 Fac ingredi ad eruditionē cor tuū, & aures tuas ad eloquia sciētiæ.

Hæc sententia non ad pueros tantum, sed & adultos pertinet. Pueri de correctione, siue uerbis siue uerberibus fiat, cogitare debent. Adultis etiam cordi sit, si uel ab amicis, uel à ministris Ecclesiæ ex uerbo Dei, uel magistratu, uel Deo ipso corrigantur. Deinde aures suas debent applicare uerbis scientiæ, quæ auditoribus scientiam reddere possunt, non spurcis aut inanibus, ut nunc sunt mores hominum. Quoniam uerò pauci sunt pueri, qui sua sponte hoc faciant, ad parentes sermonem conuertit.

13 Ne prohibeas à puero correctionem: si percusseris eum uirga, non morietur.

Castigatio liberorum. Castigatio puerorum non utilis tantum est, sed etiam necessaria, proinde eis adhibenda est. Qui liberis parcit & ad uitia eorum conniuet, is perdit eos: qui autem eos castigat, is salutem eis præbet. Non ergo rectè faciunt patres illi, qui à matribus nolunt petulantiam puerorum uirga coerceri: neq; matres quæ sua indulgentia filios corrumpunt, nec ferre possunt, si à patre liberos uideant flagellari. Puer est, inquiunt: at ideo est castigandus. Nam si adoleuerit, nihil plagis efficies. In chartam mundam potes scribere quæcunq; uolueris, postquam autem atramento perfusa est, non item. Nisi sponte faciant quod debent, plagis nihil efficies, inquiunt: at falluntur. Cur enim Deus castigari eos uellet? Sin autem non emendentur plagis, tu tuum fecisti officium, nec fraudaberis præmio tuo. Pulchram similitudinem affert nobilis ille Argentinensis ecclesiæ doctor Keyserspergius, de Æthiope, qui si balneum ingrediatur, etsi albus non fiat, tamen balneator mercedem suam recipit. Amisit patrem suum puer, inquiunt, alioqui satis est afflictus: at si eum suo more uiuere sinas, uitam insuper, famam & animam quoq;, tua culpa amittet. Multæ præpostero quodam amore, liberis parcunt, & castigatis condolent: has solatur sapiens, *non morietur*, inquiens, filius tuus. Quod non solum de temporali morte, sed etiam de æterna expono: non morietur æterna morte, si eum castiges, & ille castigationem nō auersetur. Quid per uitam & mortem scriptura intelligat, sæpe annotauimus.

14 Tu uirga percuties eum, & animam eius ab inferno eripies.

Disciplinæ cōmēdatio. Vsum castigationis puerorum ostendit, fiet melior, & supplicium effugiet. Notandum autem est quod dicit, *uirga percuties eum*, non pugnis, non fustibus, quemadmodum solent furiosi quidam, maximè cùm mero incaluerint. שְׁאוֹל scheol, sepulchrum & infernum, hoc est locum æterni supplicij significat. Si castigationem adhibueris filijs tuis, animam eorum à temporali & æterna morte erues. Si filios tuos, qui nunc se reperisse aliquid, nunc dono accepisse, nunc mutasse dicunt, non coerceas, paulatim discent aliena surripere, & tandem agentur in crucem. Si eos ad pugnandum cum alijs horteris & instiges, tandem pœnas dabunt. Alia etiam flagitia committentes, punientur. Si non doceas eos ueram religionem, sed falsam, tandem animam quoque perdent. Sin uerò religiosè instituas, & castiges, animam eorum eripies. Paulatim enim animi eorum, à uitijs ad timorem Dei traducentur. Mirum est matres tantopere commoueri, si in amnem uel ignem liberos uideant incidere, non tamen solicitas esse, ne in ignem æternum cadant. Finis igitur sit castigationis, ut eripias ex inferno. Magna est illorum cæcitas, qui huc spectant tantum, ut liberi ipsorum magni sint in hoc seculo, utq; eos prouehant, illicitas uias quærunt, detrudunt in monasteria, & alia facere iubēt, quæ æternum interitum eis adferunt. Quod si euentus diligentiæ & labori parentum non semper respondeat, nihilominus tamen suo officio deesse non debēt.

15 Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætabitur cor meum, etiam ego.

Fructus castigationis liberorum hic est, quòd filij sapientes redduntur. Sin autem uerè sapiant, maxima uoluptate parentes afficiunt. Post mortem enim superstites quodammodo sibi uidentur esse in liberis. Qui castigationem liberis adhibere noluerunt, molesteq; tulerunt, si alij eos castigarunt, carebunt illa læticia. *Etiam ego.*) Aposiopesis est, scilicet, lætabor: aut fortè uult dicere, exhilaraui parentes meos.

16 Exultabunt denique renes mei, cum labia tua loquentur recta.

Munsterus reddit, *Intra me.* Si filij non per se tantum sapiant, sed alijs etiam suo sermone prosint,

profint,& eloquentiæ donum habeant, maximum ſentiunt gaudium parentes. Per renes, interiores affectus & cogitationes intelligit. Poteſt etiam hęc ſententia ad patrem cœleſtem referri, qui ut obſcœnis & turpibus ſermonibus offenditur, ita gaudet, ſi filij eius, pia & honeſta loquantur.

17 Ne æmuletur cor tuum peccatores, imò potius in timore Dei (*eſto*) toto die.

Si omnia ex animi ſententia cedant impijs, homines pij magnopere commouentur, ſeipſos cruciant, erumpunt in uoces tantum non impias, parumq; abeſt, quin uitæ integritatem aliquando deteſtentur, & impios imitari incipiant. Deus itaq; multis ſcripturæ locis, pios munit & confirmat, contra impiorum felicitatem. קנא kinne ſignificat imitari & inuidere. Dicit igitur, ne tibi doleat, ne te cruciet, ſi uideris peccatores proſpere habere. Item, ne imiteris eorum mores, licet multi eorum ſint, & magni, ac diu uideantur triumphare. *Impiorum felicitas.*

Sed in timore Dei perſta toto die. Vel, *æmulare uirum timentem Deum.* Cogita Deum dixiſſe, ne facias homicidium, adulterium, ne fureris, ne ſceleratè uiuas, &c. Nec ſolum priuatis, ſed publicis exemplis oſtendit, quàm ſibi uita ſcelerata diſplıceat, ueluti diluuio, deletione Sodomorum, & alijs. Addit, *Toto die*, id eſt, perpetuò perſiſtendum eſſe: quidam enim aliquandiu Deum timent, & pios imitantur: ſed tandem cum pios cruci ſubiectos uident, impios uerò feliciter habere, labaſcere incipiunt. Conſtantia itaq; requiritur. Subiungit nunc cauſam, cur impij non ſint imitandi, & quare timendus ſit Deus.

18 Quia reuera eſt finis (*uel merces*) & expectatio tua non ſuccidetur.

Felicitas impiorum, non æternùm durabit, ſed finem habebit: nec præſens tantum eorum ſtatus cogitandus eſt, ſed finis reſpiciendus. Terminum eis Deus conſtituit, ad quem properant, quemq; ſtatim aſſequentur. Hoc facilè intelliges, etſi diuerſum nunc tibi uideatur, ſi cogites quàm anguſtis ſpacijs, uita noſtra circumſcripta ſit. Multa potentiſsima imperia corruerunt, quomodo igitur priuati illi homines conſiſterent? אחרית acharith, finis, poſtremum, reſiduum, item merces, eò quòd ſit finis operis. Impij poſt hanc uitam mercedem ſuam accipient, non enim, ut ipſi putant, homines moriuntur more pecudum, ut anima cum corpore intereat. 2. Cor. 5. cap. Omnes nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, ſecundum id quod fecit ſiue bonum, ſiue malum. Nec dubitandum eſt, quin uices futurę ſint, ut impij malè, pij uerò bene habeant: addit enim אם im, quod hoc loco ſignificat, uerè, certè, omnino. Totus hic uerſus, meo iudicio, de pijs quoq; commodè intelligi poteſt. Etſi ab impijs affligantur, tamen finis erit. In omnibus periculis cogitandum eſt Vergilianum illud:

Dabit Deus his quoq; finem.

Deinde ſi perſtent in timore Dei, non perdent mercedem ſuam, nec ſpe ſua fruſtrabuntur. Qui in rebus caducis ſpem ſuam ponunt, ſæpe falluntur, at qui ſpem ſuam in Deo figunt, nunquam. אחרית acharith, etiam ſignificat poſteritatem, ut Pſal. 109. Fiat poſteritas eorum in excidium: hinc Tigurina uerſio habet, *Quoniam ecce eſt tibi poſteritas*: ut ſit ſenſus, Deus poſteritatem tuam conſeruabit, ſi in uero eius cultu perſiſtas. Vel, uiues in multos annos.

19 Audi tu fili mi, & ſapiens eris (*uel eſto*) ac ambulare fac per uiam cor tuum.

Hoc uult dicere, Etſi uideas magnas hominum turbas ad inferos præcipites ruere, tu tamen mihi auſcultare ne dedigneris. (Multi enim bene monentibus ne aures quidem præbere uolunt) ut ſapiens fias, uel, & ſapiens eris. Primus enim gradus eſt ad ſapientiam, audire quæ nobis dicuntur.

Et dirige in uia cor tuum.) Hoc eſt, uide ut rectas opiniones de Deo habeas, & iuxta legem Dei uiuas, non ſequens cor tuum. אשר iſcher ſignificat, beatum reddere, & ambulare uel incedere. Eſt Piel uocis actiuæ, recto pede incedere, dirigere greſſum. Tigurina editio habet, *Vt beatum ſit in uia cor tuum.* Santes, *Beatificabit in uia*, ſ. ſapientiæ *Cor tuum*, uel intranſitiuè, *Et beatum erit, &c.* Forſterus reddit, *Gradere in uia cordis tui.*

20 Ne ſis cum potatoribus uini, neq; cum uoratoribus carnis ſibi.

Vetat conſuetudinem cum ebrioſis & liguritoribus. Vini & carnium uſus moderatus, homini conceſſus eſt, ſed luxus taxatur. Pronomen *ſibi*, interpretes omittunt, ſed ſenſus eſſe uidetur, ſibi comedunt & bibunt, hoc eſt, ipſi dabunt pœnas. Sic ſuprà dixit, qui illuſor eſt, ſibi eſt illuſor.

21 Quia potator & commeſſator, pauperes efficientur, & ueſtibus laceris induet (*hominem, uel induere faciet*) dormitatio.

Causam reddit, quare cauenda sit crapula & ebrietas, quia homines in paupertatem conijcit. Potuisset alias multas commemorare, sed hanc ponit, quia omnes paupertatem ualde exhorrescimus: quasi dicat, Si non mouet te amor uirtutis, moueat saltem te euitatio paupertatis. Quomodo autem luxuriæ in cibo & potu dediti, in paupertatem incidant, uidere non est difficile. Non enim contenti uulgari uino, uolunt habere preciosum, cibos etiam delicatos. Deinde uini non parum: urgent se inuicem ad bibendum, pueris, & aliquando brutis quoque animantibus, uina infundunt: multum etiam uini effundunt, in mensas, in terram: quotidie nouas occasiones aucupantur, nunc sunt nuptiæ, nunc festiuitates, nunc auctus est aliquis prole. Adhæc diu ad mensas desident, ientaculum excipit prandium, prandium merenda, merendam cœna, &c. Multi multis diebus in diuersorijs publicis morantur: ita plus consumunt, quàm lucrari potuerint. Dum laborandum erat, & honestum faciendum lucrum, tempus in hospitijs publicis teritur. Famuli interim negligentes sunt & remissi, nisi præsentia patrisfamiliàs, eos ad opus impellat. Vxor quoque de sua diligentia & industria aliquando remittit. Ebrij adhæc liberales sunt, nam pro alijs helluonibus, pro scortis, pro scurris & agyrtis numerant. Multi cùm mero incaluerint, emunt, uendunt, mutant sua, ludunt, armati in alios feruntur, & postea mulctantur à magistratu suo & chirurgis. Si redeundum sit ad intermissos labores, mane surgere non possunt, nondum enim crapulam edormiuerunt, in multam noctem certarunt poculis, caput eis dolet, languent & torpent in opere, aliquando corpus suum ita perdunt, ut prorsus sint inepti ad labores. Accedit ad hæc omnia, maledictio diuina. Quid igitur aliud restaret, quàm mendicitas? Rectè quidem uicinos aliquando ad patientiam hortantur clamantes, Mox fore finem. Opes enim quantumuis ingentes, hac uia mox consumuntur. Coguntur sua oppignorare, quędam uendere: tandem omnes accurrunt, & tanquam ex incendio, uestes, supellectilem, omnia efferunt. Illi ad summam paupertatem adiguntur, uestes amittunt, ut uix nates posśint contegere. Paupertatem illam turpem (est enim & honesta) sequitur contemptus. Volunt igitur illi homines se liberare, & magis magisq; se inuoluunt, & tandem etiam in animi paupertatem incidentes, miserè pereunt.

Ebrij in paupertatē incidunt.

Addit, *Vestibus laceris induet se dormitatio*, id est, assuetus dormitationi. Ebrij enim homines resoluuntur in somnum: uapores enim ascendunt in caput. Aliàs etiam, somniculosi, inertes & pigri homines, egestatem incurrunt, de quo alibi in hoc libro.

22 Obtempera patri tuo, ipsi qui genuit te, & ne contemnas cum senuerit mater tua.

Ebriosi, aleatores, scortatores & alij nefarij homines, iuuenes ad scelera hortantur, sed magistri illi, non audiendi sunt, cauere ab eis iubet scriptura, parére autem parentibus præcipit. Si patris consilium sequutus fueris, res tuæ bene habebunt. Pater enim tuus, quàm optimè consultum rebus tuis cupit: illi uerò dum pecunia abundas, amorem quidem erga te simulant, sed non te uerè amant. Plerunque etiam accidit, ut parentes, quantumuis scelerati, bona tamen præcepta liberis suis instillent. Matrem quoq; cùm senuerit, ne contempseris: uulgare enim hoc est liberorum uitium, ut matres tum cum maximè eorum ope & consilio indigent, indignè tractent, & delirare eas dicant, cùm optima consilia eis suggerunt: hæ nimirum ὀρεπτήρια eis referentes. Allegoricè per patrem doctor Ecclesiæ, per matrem Ecclesia intelligitur.

Parētib. ob tēperandū.

23 Veritatem acquire (*uel eme*) & ne uendas sapientiam, eruditionem & intelligentiam.

Num ueritas, sapientia & eruditio, inquis, opibus parantur? nequaquam: sed hoc uult dicere: Non parcendum ullis sumptibus, ut sapientiam nobis comparemus. Quidam tam auari sunt, ut nullos sumptus facere uelint, quò liberi rectè instituantur, uolunt eis magnas opes relinquere, quibus postea se & alios, cum usum earum ignorent, perdant. Matthæi decimotertio capite, laudatur ille, qui omnia sua dedit, ut preciosam illam margaritam sibi compararet. Si ueritatem magni faceremus, plus de ea comparanda essemus soliciti.

Ne uendas ueritatem, sapientiam, &c.) Hoc est, Caue ne amittas, ne uilem æstimes, aut reijcias, aut si uel opum aut ueritatis, ueræq; sapientiæ iactura facienda est, abijce opes tuas. Nam qui parentes, fratres, opes, Christo anteponit, non potest eius esse discipulus. Vendunt ueritatem, qui propter terrena commoda, migrant in ea loca ubi ueritatis nulla publica est professio, qui uina, scorta, & alia huius generis, æternæ ueritati præferunt.

24 Exultando exultabit pater iusti, & qui genuit sapientem, lætabitur (*uel de*) eo.

Similes sententiæ alibi in hoc libro ponuntur. Supra modum lætantur parentes, si uideant ex se pios liberos natos esse. Si decoctores liberos habeant, cruciantur: uident hæreditatem, quam eis relicturi sunt, iam antè esse dissipatam. Eandem rem bis uel ter dicit, ad exprimendum magnitudinem læticię quam parentes ex frugi filijs percipiunt, & ad excitandum pueros uti se morigeros parentibus præbeant.

25 Lætetur (*uel lætabitur*) pater tuus & mater tua, & exultet (*uel exultabit*) genitrix tua.

Conuertit sermonem ad filium, dicens, Cum parentes liberorum probitate gaudere soleant, fac ut gaudio, non mœrore eos afficias. Parentibus plurimum debemus, matres infinitos liberorum causa labores & dolores ac curas sustinent: uices igitur aliquo modo rependere conuenit. Per genitricem plerique intelligunt nutricem. Multæ enim pueros suos nutricibus alendos tradunt, quæ etiam gaudent, si illos quibus mammam præbuerunt, bonos euasisse conspiciant, ne malos mores quasi cum lacte suxisse uideantur. Maximi philosophi, ueteres & recentiores, consulunt matribus, ut si possint, infantes suo lacte nutriant. Sin minus, bonis nutricibus eos tradant. *Parētes gaudio afficiendi à filijs.*

26 Præbe mihi fili mi cor tuum, & oculi obseruent uias meas.

Quædam peccata tam uulgaria sunt inter homines, ut in numero peccatorum amplius non habeantur: nihilominus tamen hominem, nisi pœnitentiam agat, in extremum exitium demergunt, qualis est scortatio, adulterium, ebrietas & crapula. Muniendi itaque sunt animi illis sententijs, quæ nos ab his peccatis auocant. De scortatione & adulterio sæpe dixit in hoc libro, de ebrietate & crapula paulò antè: de utroq; iam plura dicentur. Coniungit hæc duo uitia, quia unum ex altero nascitur. Solet autem spiritus sanctus, instar boni patris uel ludimagistri, illa diligenter & crebro inculcare, quæ maximè sunt necessaria.

Priusquam uerò de his uitijs loqui incipiat, præfatiunculam præmittit, qua nos excitat ut diligenter perpendamus & meditemur, quæ proponuntur, hoc enim est ei cor præbere, & oculos nostros, in uias, hoc est, præcepta eius, intentos habere. Quemadmodum pictores & aurifabri quæ ad imitandum proposita sunt, diligenter intuentur, ut simile quid efficiant: ita præcepta Dei in conspectu sunt habenda: non nostro arbitrio uiuendum est. Per uias quidam intelligunt exempla uirtutum patris, imitanda à filio. Studere autem parentes debent, ut bono exemplo filijs præeant, & non uerbis tantum bona inculcent. Valet autem exemplum permultum, ut in alijs quoq; obseruare licet.

27 Quia (*uelut*) fouea profunda est meretrix, & ueluti puteus angustus (*est*) aliena.

Pericula quæ ex scortatione & adulterio oriuntur, proponit, meretricem comparans foueæ profundæ, uel puteo angusto, in quem qui cadunt, frangunt crura uel brachia, magna cum difficultate exeunt, pauci salui euadunt: ita qui in scortationem & adulterium labuntur. Amor enim meretricius, ita excæcat homines, ut illos qui ex illa fouea & sordibus eos extrahere uolunt (puta uxorem, cognatos, affines, amicos, concionatores) non modò non audiant, sed etiam implacabili odio prosequantur. Interim blanditijs meretricum fidem adhibentes, magis magisq; accenduntur, ex uno in aliud peccatum ruunt, ac tandem miserè pereunt. Ne quis igitur rem leuiculam ducat scortationem. Cadere in profundam foueam, certè non caret magno periculo. *Pericula scortatiōis & adulterij.*

28 Etiam ipsa tanquam prædator insidiabitur, & præuaricatores in hominibus addet.

חתף Chæteph, rapina, præda, *tanquam prædæ*, scilicet, uir, id est, prædo. Simplicior sensus est, tanquam prædæ insidiabitur, tanquam feris, uel quemadmodum uiatoribus latrones. Impudicæ mulieres non minus insidiantur opulentis, quàm latrones & prædones. Non uno & altero sunt contentæ, sed plures sibi adiungunt: uarijs autem artibus, opulentos & formosos iuuenes ad se pelliciunt. In Ecclesiaste 7. capite meretrix sagenæ comparatur.

Posterius membrum huius sententiæ, potest etiam hunc sensum habere: *Quod adiungat sibi præuaricatores*, Hoc est, lenones, quemadmodum fit in magnis urbibus, ubi scorta suos habēt lenones, qui sæpe iuuenibus insidiantur, eosq; non modo pecunijs, sed etiam uita spoliant. Adhæc per alienam, possumus accipere peregrinam, quæ non ueram religionem profitetur.

Allegoricè per meretricem falsam doctrinam intelligunt. Tritum est in sacris literis, ut per scortationem idololatria intelligatur: quæ ideo conferri potest puteo profundo, quod & ipsa homines ita fascinat, ut uix possint se ab illa extricare: nihil est tam absurdum, quod idololatriæ non mordicus retineant. Quàm multi loci scripturæ contra idola possunt *Allegoria.*

afferri,quorum alij prohibent,ne fiant & habeantur idola,alij irrident & contemnunt idola, alij laudant illos qui destruxerunt,alij minantur illis extrema quæq;, qui retinent & defendunt:quot rationes possunt produci:tamen his omnibus miseri idololatræ nihil mouentur. Idolis similes redditi,aures habent & non audiunt,oculos & non uident,&c.

29 Apud quem (*uel cui*) uæ? cui dolor? cui rixæ? cui querimonia? cui uulnera sine causa? cui rubedo oculorum erit?

30 Tardantibus ad uinum,uenientibus ad disquirendum diffusionem.

Quæ mala ex ebrietate oriãtur. Agmen malorum colligit,quę ebrietas secum trahit. Vtitur autem figura,quam Subiectionem uocant: interrogat enim unde tam multa mala nascantur, deinde subijcit, ex ebrietate. Numerat autem sex,quibus omnia alia includenda sunt.

1. Apud ebrios est Væ:hoc est,tanta mala eis contingunt,ut cogantur exclamare, Væ,ah,heu. Conijciuntur in uincula,paupertatem incurrunt,morbis uarijs sunt obnoxij,uulnerãtur,supplicium sumitur de ipsis,nisi resipiscant,æternùm pereunt.

2. Repetit *Cui uæ?* ad rei exaggerationem. Quanquam alij,ut annotat R. Dauid, paupertatem aut mendicitatem exponunt. Vulgata uersio habet, *Cuius patri uæ?* ut sit uox cõposita,ex אב af, pater,& אי asi, Væ Forsterus אבוי auoi,appetitũ seu desideriũ habendi aliquid,interpretatur,ab אבה auah uoluit,desiderauit. Ebrij enim aliena appetunt,ut posint indulgere genio.

3. Ebrietas etiam rixas parit מדון madon, contentio,rixa,lis,iudicium : in plurali scribitur cum uaf,aliquando cũ iod uice uaf. Rixæ oriuntur uel de lana caprina,inter coniunctissimos homines,postquam mero incaluerint. Nec loquitur tantum de illis, quæ fiunt in conuiuijs, sed etiam in foro. Si quis diligenter consideret,omnes ferè causæ,quæ iudicibus proponuntur,occasionem habẽt ebrietatem. Pleriq; utuntur hac excusatione, bene potus hoc dixi, uel feci. At Pittacus Mytilenæus legem tulerat, ut qui per temulentiam scelus commisisset, duplo plecteretur.

4. Addit querelas oriri ex uino immodicè sumpto. שיח siach disputationes,querelas,sermones significat:deriuatur à שוח suach, quod est loqui ore & corde,id est meditari aut narrare labores suos. שיחה schichah,foueam significat,hinc uulgatus uertit, *Cui foueæ?* Ebrij queruli sunt,nunc queruntur sibi dolere caput,nũc uentrem,&c. se in nullo esse precio. Quidam exponunt loquacitatem:nam uinum facit disertos. Multos inuenias qui postquam mero incaluerint,quicquid in buccam ueniat, effutiant:si nõ sint maledici, tamen adeò inepta & stulta dicunt,ut se omnium risui & contemptui exponant. Horatius Satyr. 4. lib. 1.

Condita cum uerax aperit præcordia liber,&c.

Prouerbio dicitur, Quod in animo sobrij,id in lingua ebrij.

5. Ex ebrietate fiunt uulnera sine causa. Multi natura placidi, postquam liberalius biberint, ferinos mores induunt,stringunt ferrũ,orbes,pocula,omnia deniq; uertunt in arma,ut alios uulnerent. Magnus Alexander fidelissimum suum amicum Clytum inter pocula ferro transfixit. Nec tantum alios uulnerant,sed uicissim uulnerantur. Vnde Horatius uidetur dixisse ebrietatem ad prælia uel inermem trudere. Et Ouidius:

„ Tunc pauper cornua sumit.

Bacchi simulachro cornua tribuuntur. Eamq; ob causam Bacchum taurinis cornibus ueteres insigniebãt. Nam ebrij ut cornuta animalia,ad feriendum parati sunt. Ob eandemq; rationem Bacchum,tauro & pardali similem fecerunt,ut scribit Atheneus lib. 2. Sunt prudentes homines,qui ebriorũ furori cedunt,quiq; blandis uerbis placare eos student,quemadmodum prouerbio dicitur nostrate, onusto plaustro,& ebrio de uia cedendum. At sæpe in sui similes incidunt,unde cruentæ oriũtur pugnæ, & cædes interdum. Inuenias qui domi pulsando uxorem & liberos, suam uirtutem ostentẽt. Decidunt etiam aliquando per scalas,ex editis locis,& sic uulnerantur. Addit, *Sine causa*: Nam nec uerbo uel facto læsi,temerè irruunt in alios. Si propter ueram religionem & patrię defensionem uulnera acciperent, gloriosum eis esset,at frustra ob res nihili uulnera accipiunt. Vltimo loco dicit,rubedinem oculorum esse apud ebrios. Oculos lippientes, & ex capite prominentes,nasos instar coctilis cancri,totã deniq; faciem rubentem habent, qui moram trahunt apud uinum. Concessum quidem est se aliquando uino exhilarare:at die noctuq; in œnopolijs desidere non decet,ut multi faciunt,qui non nisi exhaustis loculis domum suam reperũt.
6.

Quiq; eunt ad disquirendum mixtum. s. uinum,uel, *Infusionem*, qui quærunt ubi copiosè infundatur.

Hæc si non omnia omnibus ebrijs eueniant,tamen aliqua eis accidunt, nec sunt miserabiliores homines. Modò enim eis dolet caput,modò stomachus,modò paralytici fiunt,&c. breuiter,Ebrietas est Africa quædam infelix,quæ semper noui aliquid apportat. Quisquis est temulentus,ut dicit Tragœdia:

nasus

ὕδωρ μὲν ὀργῆς ἐστὶ, τοῦ δὲ νοῦ κενὸς
φιλεῖτε πολλὴν γλῶτταν ἐγχέας μάτην
ἄκων ἀκούειν, ἅπερ ἑκὼν εἶπεν κακῶς.

Citantur hi uersus à Clemente in pædagogo.

31 Ne igitur intuearis uinum quando rubescit, & quando dat in calice colorem suum, atq; rectè ingreditur.

Remedium ebrietatis præscribit, ne uinum intueamur cum rubescit, & in phiala colorem suum reddit. Multa sunt quæ uinum commendant, præcipuè uerò color: at obsistendum est initijs, cohibendi sunt sensus nostri, ne capti colore uel sapore uini, in temulentiam incidamus. Nec te decipiat quòd ingreditur rectà: blandum est uitium ebrietas, sed tantò magis cauendum. Cogitandum est de damnis, quæ ex ebrietate oriuntur. *Remedium ebrietatis.*

32 Extremũ eius (*uini*) uelut serpens mordebit, & uelut regulus (*uel aspis*) dolore afficiet (*uel punget.*)

Quemadmodum peritus medicus, non tantum de atrocitate morbi loquitur, sed etiam remedia contra morbum ostendit: ita Solomon non tantum exponit quàm periculosus & atrox morbus sit ebrietas, sed etiam antidota quædam contra ebrietatem proponit. Iam enim dixit, initijs obsistendum esse, cauendas occasiones, ebriosorum consuetudinem fugiendam, non uidendum quomodo uinum in poculo splendeat, & quod rectà ingreditur: sed cogitandum quantum mali uinum immodicè sumptum afferat hominibus. Id duplici similitudine explicat. Serpentum quorundam morsus enecat magnis cruciatibus. Aspis uerò serpens, clanculum citraq; dolorem infundit uenenum, ut nec uoluptas desit, si credimus Plinio: post morsum nullum apparet uulnus in corpore, tantum lethalis somnus obrepit, ut scribit Nicander. De Cleopatra regina Ægypti legitur, quòd aspides corpori suo adhibuerit, ut suauiter uitam finiret, & ab Augusto Romæ in triumpho ostendi non posset. Habent autem basiliscus & aspis præsentissimum uenenum. Sic ebrietas fortunarum corporis & animæ, certissimam perniciem affert, etsi initia eius blanda sint. Hæc est aliorum quoque peccatorum natura, ut ab initio suauia sint, tandem uerò funestum & tristem habeant exitum. Ebrietas, scortatio, adulterium, blanda sunt flagitia, sed tandem homines perdunt animo & corpore. Non igitur initia, quæ multum uidentur suauitatis habere: sed exitus semper spectandus est. יפרש iaphrisch, caret, ut annotant Grammatici, iod coniugationis formatiuo. פרש pharasch propriè significat diuidere, separare, sed quia coniuncta non sine dolore separantur, sicut in uulneribus accidit, accipitur pro dolore afficere. Significat etiam expandere, diffundere, ut sit sensus, diffundet, expandet. s. uenenum suum. *Aspidis morsus.*

33 Oculi tui uidebunt extraneas.

Specialius iam explicat, quid mali pariat ebrietas. Ebrios fallit uisus: res aliter uident quàm habeant. Videntur eis omnia circumferri: arbores ambulare, montes moueri. Obiecta item dupla uidentur, putant congeminari lucernas. Quemadmodum meticulosi fingunt se spectra interdum uidere: ita ebrij suas mirabiles habent uisiones. Et hoc est quod dicit Solomon, *Videbunt extraneas*. s. uisiones. Aristoteles in problematis sectione 3. causam ostendit, cur ebrij se bina pro singulis putent uidere. Clemens Alexandrinus pœdagogi libro 2. capite 2, Vino immodico, inquit, lingua præpeditur, labra soluuntur, oculi detorquentur, cum præ humiditatis multitudine uisus tanquam in piscina natitet, & mentiri coacti, existimant quidem omnia in orbem circumagi, numerare autem non possunt, quæ procul sunt, tanquam sint unica. Atqui duos soles uidere mihi uideor, ebrius dicebat Thebanus senex, &c. Vel, *Oculi tui uidebunt extraneas*, scilicet, mulieres, nimirum ad concupiscendum eas. Vinum enim immodicè sumptum, fomentum est impudentiæ, audaciæ atque libidinis. Vide Erasmum Roterodamum in prouerbio, Sine Cerere & Baccho friget Venus, ubi multa hac de re leguntur. Lampsacus ea de causa Priapo, salaci Deo, olim consecrata fuit, quòd generosissima uina proferret. Ouidius: *Ebrios fallit uisus.* *Ebrij ad libidinẽ procliues.*

Vina parant animos Veneri.

Aristophanes τὸν οἶνον ἀφροδίτης γάλα nuncupat. Ambrosius homines abundantiore usu uini, dicit equos fieri adhinnientes: alludens ad locum Ieremiæ 5. ca. Mulieres maximè ad libidinem incendit. Hinc Romani ueteres lege cauerunt, ne mulieres uinum biberent. Qui igitur sentiunt se titillari libidinibus, à crapula & ebrietate imprimis sibi cauere debent. Nam si ligna ab igne remoueas, ignis paulatim deficit.

Et cor tuum loquetur peruersa.) Cor loquetur, id est, cogitabit, uel seriò loquetur peruersa, uel cũ cor sit peruersum, os etiã peruersa loquetur. Ebrij balbutiũt, nec possunt ferè expeditè lo-

qui:sed hoc parum est, loquuntur spurca & obscœna. Heluetij dicunt, Sy ziehend die Süw-gloggen an: non parcunt teneræ ætati, nec tantum concupiscunt mulieres alienas, sed de stupro eas compellant. Maledicunt hominibus, & interdum, Deo quoque. Breuiter, non cogitant, quis rectus linguæ usus sit, sed turpiter dono sermonis abutuntur.

34 Et eris uelut dormiens (*uel iacens*) in corde (*id est medio*) maris, & sicut dormiens (*uel iacens*) in summitate mali.

Quanto in periculo uersentur, hac similitudine ostendit. Quemadmodum desperamus de uita illorum, qui in profundo maris iacent: nam præda fiunt beluis marinis, nec possunt enatare: ita de ebriosis exigua spes est. Vel sensus est, ebrij, ita usum rationis amittunt, ut cum iacent in lectis, putent se in medijs fluctibus iactari. Ludouicus Cœlius in lectionibus suis antiquis, lib. 27. cap. 2. ex Timeo, stupendam historiam narrat, de quibusdam iuuenibus ebrijs, qui se in triremi constitutos existimantes naufragium ueriti, uasa omnia ex domo, in quam cõuenerant, in uiam publicam, ceu in mare iactabant, &c. Qui in summo malo iacent, subinde hinc inde agitantur: sic ebrij quoq; uacillant & iactationes patiuntur. Basilius in sua homilia contra ebrietatem, dicit, ebriosos sibi maledictionem Caini sponte attrahere, trementes & incerto motu nutantes ac uagantes omni uita. Vel potius magnum periculum ostendit, quod ebrij incurrunt: nam illos qui in galea sunt, non securos esse oportet. חבל malum nauis significat, & appellatur sic, quòd circumquaq; in eius summitate alligentur funes, ut illis retineatur, in cuius summitate, gubernator sedens nauem gubernat. Vel est nauclerus, & hoc nomine uocatur, quia dormit in medio funium, & opus est, ut oculos & cor apponat super eos, ut sciat quando opus sit uelum erigere, aut deponere propter uentum. Hanc interpretationem sequitur uulgatus interpres: *Erit tanquam nauclerus, qui stertit dum per medium maris nauigatur.* Plato: Gubernator ebriosus omnia subuertit, siue nauigium, siue currum, siue exercitum, siue quamcunq; rem suæ fidei commissam. Clemens Alexandrinus hunc locum in pædagogi lib. 2. cap. 2. explicans dicit, ex hoc loco etiam adiuta poetica, inquit:

„ *οἶνος θ᾽ ὃς πυρὶ ἶσον ἔχει μένος εὖτ᾽ ἂν ἐς ἄνδρας*
„ *ἔλθῃ: κυμαίνει δ᾽ οἷα λίβυσσαν ἅλα. βορρῆς ἠὲ νότος*, &c.

Et rursus:

„ *πάντα κεκρυμμένα φαίνει*
„ *ἁμαρτοεπὴς οἶνος μεθύουσιν ὄλεθρος οἶνος ψυχαπάτης.*

Postea subiungit: Videte naufragij periculum. Cor quidem multo potu obruitur: temulentiã autem minis maris comparauit, in qua corpus tanquam nauis demersum, turpitudinis profundum subijt atq; dedecoris, decumanis uini fluctibus obrutum, gubernator autem mens, scilicet, humana supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari uersans caligat, & propter procellæ tenebras à portu ueritatis aberrat, donec in saxa mari latentia irruens, seipsum in uoluptates impactum perdiderit, &c.

35 Percusserunt me & non dolui, concusserunt (*uel contriuerunt*) me, nec sensi, quando euigilabo (*à uino*) addam quærere illud adhuc.

Mimesis est: imitatur uoces ebriorum. Multi ita sensum perdunt, ut nihil à truncis & stipitibus differant. Sibi restituti, queruntur se indignè esse tractatos, sed non norunt à quibus, uel quas ob causas, & quod maximè mirandum est, non fiunt cautiores, sed cum primum crapulam edormiuerint, denuò quærunt uinum & bonos sodales, ac canis instar ad uomitum redeunt. Asinus si lapsus sit in loco aliquo, redditur cautior: at miseri illi homines, peiores subinde efficiuntur, nec grauissimis quidem plagis emendantur: non cogitant, Deus hæc & hæc tibi euenire passus est, deinceps igitur sobriè uiues. Nihil aliud crepant quàm uinum, animus eorum subinde est in cantharis. Sed quid fit? tam cæci & amentes redduntur, ut non possint à temulentia reuocari, & tandem anima & corpore pereant. Deus per Isaiam 5. cap. clamat, Væ uobis qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad uesperam, ut uino æstuetis, &c. Quod temulenti faciunt, uidere etiam est in multis alijs sceleratis hominibus. Deum & homines se percutientes non curant, sed pergunt subinde in suis sceleribus, donec pœnas dignas persoluant.

CAPVT

CAPVT XXIIII.

1 Ne æmuleris uiros mali, neq; desideres esse cum eis.



SPIRITVS sanctus multas in hoc libro sententias ponit, quæ cauent ne impiorũ authoritate & successibus offendamur. Superiori capite unam habuimus, in hoc duæ ponuntur. Repetitiones autem illæ in sacris literis non sunt ociosæ: nam tametsi eadem de re agatur, tamen id fit alijs atque alijs uerbis, & quæ uno in loco obscurius dicta sunt, alijs in locis melius explicantur. Viros mali illos uocat, qui incumbunt & gaudet rebus malis, ueluti usuris, cædibus, ebrietate, idololatria, &c. Viros nominando non excludit mulieres, quales sunt meretrices lenæ & aliæ flagitiosæ. Etsi omnia uotis illorum hominum respondeant, tamen ne te excrucies, ne ue eorum mores imiteris: si te refugiant, non tibi sit graue & molestum: si te alliciant, refuge eorum consuetudinem. Ratio subijcitur: *Felicitas impiorum.*

2 Quia desolationem (*uel rapinam*) meditatur cor eorum.

Nihil aliud dies noctesq; cogitãt, quàm quomodo alios perdãt, ut luxuriæ uacare possint. *Et iniquitatem labia eorum loquuntur.*) עמל Amal, reddunt laborem, dolorem, iniquitaté, peruersitatem, transgressionem, mendacium. Homines illi indigna loquuntur contra Deum & proximum. Hęc admonitio, si unquam fuit utilis, nostro tempore est utilissima. Crescit enim quotidie impiorum numerus. Huc faciunt etiam alij loci scripturæ. Psal. 36. & 74. Quando igitur impios sine sudore, breui tempore, uides cumulare ingentes opes, illisq; luxuriosè abuti, ne imiteris eorum exemplum. Quid facerem, inquis, quis dabit mihi uictum, amictũ & opes necessarias? Salomon subijcit, sapientia, intelligentia & scientia, felices opes comparari, non rapinis & fraudibus: ut tribus illis membris, una res significetur. *Occupatio.*

3 In sapientia ædificabitur domus, & in intelligentia stabilietur.

4 Scientia interiora (*domus*) replebuntur, omnibus opibus preciosis & iucundis.

Ædificare domum in scripturis significat eam locupletare, conseruare. Sapientia, hoc est, timore Dei, non tantum necessaria, sed etiam uoluptatem honestam afferentia comparantur. Hæc enim promittuntur timẽtibus Deum. Deus nõ paucos ex patribus locupletauit: quamuis interim certas ob causas, suos interdũ esurire patiatur. Requiritur ad hæc prudentia œconomica, ut singula suo tempore & ordine fiant, ut patresfamiliâs nõ modò cogitent quibus rebus indigeant: sed etiam quibus carere possint, ut quisq; artem quam nouit diligenter exerceat. De matrefamiliâs cap. 14. dixit, quòd ædificet domum, si prudens sit: si stulta, eam euertat. Videmus ex hoc loco illos non peccare, qui domui de rebus necessarijs & delectabilibus prospiciunt. Quando uerò curam rei familiaris docemus, non docemus auaritiam, quemadmodum decoctores clamant. Quod sapientia ædificari domum dicit, etiam iuxta literam potest intelligi. Requiritur enim ad hoc prudentia, ut quis rectè ædificet. Primùm cogitare oportet de sumptibus an sit ferendo, Luc. 14. cap. Deinde cædenda & conuehenda materia, item de architectis. Postea cogitandum de situ, de bono fundamento, de interioribus partibus bene disponendis, &c. ne opera & sumptus pereat. *Sapientiæ utilitas.*

5 Vir sapiens (*est*) in fortitudine, & uir scientiæ roborans uires.

Sapientia non tantum usum habet in re domestica, sed etiam in re bellica. Vir enim sapiẽs & prudens, præstat uiribus pollente, uel uir sapiens uerè est robustus & fortis. Robur magnũ Dei donum est: sed quid prodest robur, si uti eo nescias? Sapientia multa efficit, quæ robore effici non possunt.

6 Quia cõsilijs facies tibi bellũ, & salus (*sita est*) in multitudine cõsiliariorũ.

Tibi, id est, ad utilitatem tuam. Bellum in quo fortuna dominari uidetur, consilium præcipuè requirit. Plus enim ualet prudens consilium, quàm magnum robur militum. Magnitudo exercitus, non semper multum prodest, nisi à prudentibus uiris & cordatis regatur. Temeritas & audacia multum in bellis officiunt. Agamemnon optabat ut Nestoris similes decem haberet: quod si accidisset, non dubitabat, quin Troia breui fuisset peritura. Isocrates dicit, robur in milite prudentiæ iunctum, conducere, sine ipsa uerò plus lædere possidentes. Quomodo consilium superet uires, pulchras sententias collegit Stobæus sermone 52. Vide suprà 20. cap. uersu 18. Timothæus cum rhetores Charetem quendam à robore corporis laudarẽt, suaderentq; Athieniensib. ut talem ducem belli quærerent, Nequaquam, respondit: nam talem quidem optarim, qui culcitras & stragulas exercitui portet, at imperatorẽ uelim *In bellis cõsiliũ est necessarium.*

z 3

qui à fronte simul atq; à tergo sit oculatus,& qui à iudicando quid facto opus sit, nullis affectibus impediatur. Deus à quo tota belli fortuna pendet,uictoriam concedit, cui ipse uult:sæpe facit ut boni cõsiliarij non audiantur,uel non uideant quid facto opus sit,& sæpe illis qui parum exercitati sunt,bona consilia suggerit. Quod autem dicitur in multitudine consiliariorum salutem consistere,nõ ita accipiendum est,quòd utile sit, si multi in bellis conscij sint arcanorum consiliorum:sed si multi in commune consultent,postea pauci potestatem habeant,ut ex omnibus consilijs hoc deligant,quod Reipub.utilissimũ uidetur. Celari enim debent ducum consilia,ne hostis rescïscat,hoc autem commodè fieri nõ potest,si multi sint conscij. Tutissimum creditur,ut ait Vegetius,in expeditionibus faciéda nesciri. Neq; satis est duces consilijs pollere,nisi milites eis obtemperēt. De hac re præclara extat Gregorij episcopi, apud Euagrium sententia: dicit enim,interprete Camerario,prudenti cõsilio ducum,& obedientia militũ bona ingentia effici solere. Quod si unũ ab altero destituatur,claudicare utrunque,& isto præstantissimo iugo dissoluto,omnia euerti atq; cõturbari. Gręca uerba sic habẽt: τῶν ἀγόντων εὐβουλίᾳ,καὶ τῶν ἀγομένων εὐπειθείᾳ,μεγάλα πεφύκασιν ἀγαθὰ κατεργάζεσθαι. θατέρου δὲ τοῦ ἑτέρου χηρεῦον,χωλεύεται καὶ περιτρέπεται καὶ σφάλλεται πάντα τῆς ἀρίστης ξυνωρίδος διαλυομένης,&c.

7 Excelsæ sunt stulto sapientiæ.

Sapientiam,cuius tanta est utilitas,stultus non assequetur,non enim uult operam dare sapientiæ. Dicit,in eminentiore est loco,non possum eam apprehendere,superat captum meũ: nimis subtilis est,nolo rumpere caput uel cerebrum meum. Veluti pecora quæ natura prona finxit,terrena tantum respicit,totusq; suis uoluptatibus immersus est. Intelligenti sapientia obuia est & exposita. ראמות ramoth,excelsa interpretantur,& genus lapidis preciosi,id est, corallium,ut quidam uolunt. Iob.28.cap. Ramoth, id est, Corallia & Gabis,nõ commemorabitur,&c. Hęc dictio etiam Ezechielis 27.habetur. Forsterus unicornu intelligit,quod magno in precio etiamnum habetur. Idem autem erit sensus cum superiore, stultus putat sapiẽtiam raram & inuentu difficilem esse,ideoq; eam non inuestigat. Quid autem fiet?

In porta nõ aperiet os suum.) Hoc est,non habebit locum in consessu iudicũ. Prudentes enim ad hoc munus deligédi sunt:aut si inter eos sit,cogetur turpiter obmutescere,nihil aliud erit, quàm ut in scena uocatur κωφὸν πρόσωπον. Immeritò queruntur se nullum gradum in Repub. uel ecclesia habere,qui sapientiæ præceptis se non instruunt.

Quæ de ciuili prudentia diximus,ad cœlestem quoq; transferri possunt. Qui ad sapientiã cœlestem animum suum nõ adiungit,sed queritur, rem esse obscuram & difficilem,se nõ uidere quid in tanta opinionum uarietate sequatur, tandem non sedebit inter Apostolos Dei, qui iudicaturi sunt mundum.

8 Cogitantem malefacere illum uirum, herum (*uel magistrum*) cogitationum malarum uocabunt.

Sententia hæc obscura est. Idem uidetur uelle dicere Solomon quod Germanico prouerbio dicitur: Qui malus est mala cogitat. Qui mala cogitat,etsi opus non patrauit, dignè scelerosus uocabitur. Lutherus reddit: *Qui seipsum damno afficit,meritò appellatur sceleratus.* Castalio, *Qui maleficia excogitat sceleratus uocandus est.* Caietan. sic interpretatur: Vir cogitans meditationib. multis adhibitis ad faciendum malum,laudatur à multitudine,quòd sit herus cogitationũ suarũ. Videns enim uulgus quòd machinantes malum assequuntur ad uotum cogitata, laudãt eos quòd sint heri cogitationum,quia cogitationes illis famulantur ad successus,&c.

9 Cogitatio stulti est peccatum.

Ad uerbum est: *Cogitatio stultitiæ*,id est,stulta,uel *Stultæ*, scilicet, mulieris. Stultorum,hoc est, infidelium cogitationes, quomodocunq; uulgus de eis iudicet,malæ sunt, ideoq; indignæ laudis. Quicquid enim nõ fit ex fide,inquit Apostolus,peccatum est:illi uerò fide uacui sunt, non itaque possunt non peccare etiam cogitando. Bonorum etiam hominum cogitationes malæ peccata sunt,licet concupiscentia non accedat. De quo aliàs.

Et abominatio hominum,est derisor.) Derisor,uulgatus interpres uertit detractor,hominibus,scilicet,pijs & honestis,est abominationi. Licet uerò homines interdum tales ament & foueãt, ac prudentes esse iudicent:tamen Deus,qui nec sui nec proximorum nostrorum contemptũ ferre potest,eos detestatur.

10 Si remissus fueris (*uel negligens*) in die angustiæ, angusta erit fortitudo (*uel potentia*) tua.

Vera fortitudo. Ad uerbum, *Si te remissum feceris*, est enim in hithpael. Hæc sententia ostendit illum nõ uerè fortem esse,qui rebus aduersis cedit. Non enim satis est, rebus secundis amare & prædicare uerbum

uerbum Dei:sed rebus quoque aduersis persistendum est & fidendum Deo. Vt cùm morbis, fame, bello, persequutione premimur. In pace & tranquillitate rerum, comparanda sunt præsidia, quibus in aduersis tegamur. Sunt multi qui dum res bene habent, non malè se gerunt, sed difficilibus temporibus remittunt. Qui uerè fortes sunt, sibi semper sunt similes. Talis erat Iobus, quem satan sperabat mutata fortuna defecturum à Deo. Sin autem illi non uerè fortes dicendi sunt, qui rebus asperis labascunt, quātò minus qui blanditijs frangūtur?

Alij ita exponunt, *Si remissus fueris in die angustiæ*, qua premitur frater tuus, & non succurris ei, quemadmodum debebas & poteras, *angusta erit fortitudo tua*, in tempore angustiæ, carebis & tu auxilio. Indigenti manum præbere debebas, sed non facis: fiet igitur ut postea etiam deseraris. Sic accidit diuiti purpurato, Luc. 16. Fœderatis tuis teneris auxilium ferre, sed non facis, angusta igitur erit fortitudo tua. Exemplo nobis sunt urbes Græciæ, quarum cùm una alteram desereret, tandem omnes à Philippo rege Macedoniæ oppressæ sunt. Lege Iustinum libro octauo. Apologus etiam ille docet, ut oppresis amicis subueniamus. Rusticus asinum sarcinis bene onustum & equum uacuum ducebat. Asinus defessus, equum orabat, ut partem oneris susciperet, quod cum equus se facturum esse negaret, asinus sub onere concidit ac moritur. Rusticus totum onus equi dorso imponit. Quo cum premeretur, me miserum, inquit, merito meo sic nunc exerceor, qui dudum laboranti asino opitulari nolui. Tertius sensus his addi potest: Si remissus & negligens fueris in acquirenda sapientia, infirma erit uirtus tua ad resistendum tentationi si ingruat.

Succurrendum est amicis, fœderatis, &c.

11 Erue eos qui rapiuntur ad mortem, & inclinantes ad necem, neque cesses.

לקחים lekuchim captos, raptos ad mortem, id est, pertractos ad supplicium, particip. præteritum à לקח lakah accepit, tulit. Fortitudinis etiam opus est, illos quibus fit iniuria, defendere & à morte eripere. Non de illis loquitur, qui iusto iudicio damnantur (tales enim liberandi non sunt) sed de illis, qui iniustè occiduntur, quiq; nihil dignum morte commiserunt. Qualis fuit cædes Naboti, Ioannis Baptistæ & aliorum, qualis illorum qui hodie propter puriorem doctrinam ducuntur ad supplicia. Deinde illi etiam qui nondum quidem in uinculis sunt, sed inclinati sunt ad hoc ut occidantur, hoc est, qui petuntur insidijs, sunt eripiendi. Additur, *ne cesses*, in Hebr. *num uel si prohibebis*, scilicet te uel etiam alios: subintellige, tibi idem eueniet in afflictione tua. Vel, *num prohibebis?* Quasi diceret, nequaquam. Alij coniungunt cum sequenti uersu, si prohibueris te dicendo, sanè non noui hunc, &c. Isa. 1. cap. Deus præcipit, ut oppresis subueniatur. Psalmo 8. dicitur, Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: idem alibi etiam inculcat. Ionathan Dauidem eripuit, Abdias prophetas in persequutione Achabica, obstetrices in Ægypto recens natos infantulos. Si potes aliquem liberare, fac etiam cum periculo uitæ tuæ: nisi enim hoc facias, reus eris mortis eius. Si uerò eripere non potes, ne consentias illis, qui eum occidunt, ostende tibi displicere. Sic Iosephus & Nicodemus non consenserunt in mortem Christi. Ne communices peccatis alienis, ne polluas te innocenti sanguine. Si palàm contradicere potentibus non audes, saltem clàm innocentes protege. Peccant contra hoc præceptum, qui cum in magna sint apud principes gratia, tamen sæuitiam eorum non impediunt, sed potius eos ad iracundiam contra pios inflammant. Item qui non quidem iubent eos sæuire: sed tamen se nullo modo, malis conatibus opponunt, quin potius silentio suo fideles produnt. Nec solum uita, sed etiam opes & fama innocentium defendi debent. Præcipuè hoc requiritur à magistratu, cui Deus gladium ad bonorum defensionem tradidit. Deinde quisq; in suo ordine hoc facere debet. Ministri uerbi, ostendant ex uerbo Dei, quantum peccatum sit, bonis uitam eripere, & parcere flagitiosis. Omnes pro pijs hominib. intercedāt, redimāt eos, paupertate presis opem ferant, ne fame, siti, & frigore pereant, atq; ita à morte eos eripiant. Ambrosius dicit, Tot homines occidis, quot succurrere potes, & negligis. Quod si homines innocentes à temporali morte, quæ omnes manet, eripiendi sunt, quanto magis à morte æterna? Obsistendum igitur falsis doctoribus, propaganda uera doctrina, flagitiosi in uiam reuocandi sunt, ne æternùm pereant. Cibum dare esurienti, sitienti potum, magni æstimat Christus, atqui potior est animæ salus, quàm uita corporis. Qui à diabolica tentatione, aut praua societate ad peccatum trahuntur, pro uirili reuocandi sunt. Si asinus uel bos in foueam cadunt, certatim accurrunt omnes, ut extrahāt, quāto magis studendū est, ut ab æterna morte homines eripiātur? Solent autem homines, multas excusationes afferre, quando periclitantibus desunt, & cum non uelint inuidiam subire, aut opum suarum iacturam facere: alia tamen prætexunt, nesciebam, inquiunt, quis ille esset, putaui imbutum esse malis opinionib. putaui

Homines scelerati nō sunt eripiēdi, &c.

z 4

commeruisse mortem, putaui eum omnibus rebus abundare, nesciebam pauperem esse, qualem causam haberet ignoraui, credidi aliorum uerbis, & alia huius generis. Addit igitur:

12 **Si dixeris, ecce (*uel profectò*) ignorauimus illud: non'ne ponderans corda, ipse intelliget, & qui custodit uitam (*uel animam*) tuam, ipse cognoscet, reddetq́ homini secundum opus suum?**

Deus corda examinat. Apud homines tua excusatio fortassis locum habebit, qui cor tuum introspicere non possunt, & cùm iisdem uitijs laborent, facilè tibi ignoscũt: at longè diuersa est apud Deum ratio. Si dicas, Ignoraui זה sæh hunc uel illud, aut non potui eum liberare, nihil efficies. Nam primo loco dicit, Deus expendit corda, nõ simpliciter dicit, nouit, sed ponderat uel numerat corda, id est, cogitationes cordis & uoluntates hominum. תכן thachan est ponderare, numerare. Similes loci plures sunt, suprà cap. 16. 21. & alibi. Deus scit quo animo & consilio quidq; fiat, an bona sit tua excusatio, an mala, an ignorantia tua sit affectata, necne. Hoc cogita quando sententia ferenda est, concio habenda ad populum, in emptionibus item & uenditionibus, breuiter, in tota uita. Cogita etiam hoc in ærumnis & tentationibus tuis, ut consolationem percipias, maximè uerò si propter confessionem ueræ fidei in uincula conijceris, & raperis ad supplicium. Nouit enim Deus qui illi sint qui te persequuntur, qui te deserant, in quibus mœroribus positus sis. Deinde dicit, Deum custodire uitam uel animam tuam: expositi sumus innumeris malis: ne momentum usura huius lucis frueremur, nisi Deus nos custodiret. Vitam quoq; æternam suis custodit, nec quisquam eam nobis potest eripere. Æquum igitur est, ut alios quoq; defendamus, & à morte eripiamus. Facit etiam ad hoc, ne metu hominum socordes simus, in liberandis proximis, cùm Deus is sit, qui nos conseruet & eruat è periculis, inuitis omnibus nostris aduersarijs. Matth. 10. cap. Tertio loco dicit, quòd cuiq; secundum opus suum redditurus sit. Idem dicit pater Solomonis Psal. 61. item uerus Salomon apud Matthæum. Repetitur à Paulo Rom. 2. cap. & in 2. ad Cor. 5. In Apocalypsi 2. 20. 22. capitibus. Papistæ hunc locum & similes contra nos urgent. Videtis, inquiunt, sententiam in extremo iudicio secundum opera, & non secundum fidem pronunciandam esse? At ratio est in promptu. Fides enim est res abstrusa, nec sub sensum aliquem cadit, profert autem se per bona opera: itaq; non immeritò secundum opera iudicabitur. Non igitur satis est, si te uerbis quidem excuses, cor uerò tuum te accuset. Idem de excusationibus in alijs causis est intelligendum.

Deus reddet unicuique secundum opera sua.

13 **Comede mel fili mi, quia bonum (*est*) & stillatio (*scilicet mellis aut aromatis*) dulcis est palato tuo.**

14 **Sic cognitio sapientiæ (*suauis erit*) animæ tuæ si inueneris, & erit tibi nouissimum, uel (*merces*) & expectatio (*uel spes*) tua non excindetur.**

Sapientia melle suauior. Exhortatur filium, hoc est, omnes pios, ad studium cœlestis sapientiæ, qua Deus cognoscitur, & similitudine ostendit, quàm suauis sit & iucunda. Quemadmodum mel dulce & suaue est (abundabat regio Israelitica melle, eiusq; in cibo quotidianus usus erat:) ita doctrina uera. Quin superat mel suauitate, Psal. 10. Tractat enim de Deo & Christo, &c. Hanc autem uoluptatem, illi duntaxat percipiunt, qui eam inueniunt. Qui sapientiam illam non inuenerunt, non sentiunt illam dulcedinem, imò absynthio amariorem putant, indignantur & fremunt, si quis sapientiæ illius uel mentionem faciat. Inueniendi uerbo ostendit solicitè quærendam esse. *Erit* אחרית acharith *nouißimum*, id est, præmium, uel posteritas studiosis ueræ sapientiæ, & quod maximum est, *spes eorum non peribit*. Etsi omnia sursum aut deorsum misceri uideantur, spes tamen piorum firma erit. Ædificarunt in petra, non igitur casus eis metuendus est. Sperant salutem per Christum, non uana est ipsorum spes. Stultè quidam sperant à Deo ingentes opes, potentiam, uictoriam & alia, cum tamen hæc à Deo non simpliciter, sed cum conditione promissa sint.

15 **Ne insidieris ô impie, habitaculo iusti, nec uastabis cubile eius.**

Iusto non tendendæ insidiæ. Luth. reddit, *ut impius*, Castalio, *impiè*, ut sit aduerbium. Cum pij non malum malo pensent, sed iniurias sibi illatas, Deo aperiant, nec tam prudentes sint, ut filij huius mundi, expositi sunt fraudibus & insidijs multorum, qui existimant neminem esse, qui eorum curam gerat: conuerso itaque per Apostrophen sermone ad impios, dicit Ne insidieris domui iusti impie, ne fraudibus eum domo eijcere coneris. Væ illis, inquit Isai. qui domum domui iungunt: scilicet, cum iniuria proximi sui. Abutuntur quidam ad eam rem, caritate annonæ & alijs rebus. Domum nominat, intelligit etiam prata, uineas, agros pauperum. Auxilio subleuandi sunt pij, non opprimendi, neq; aperta ui, neq; sub titulo iuris. Grauissimè peccant Cares illi, qui domos iustorum non tantum diripiunt, sed etiam exurunt.

Nec uastabis cubile eius.) Nec rumpas ei somnum, sed fac ut suauiter noctu dormire,& mane ad intermissos suos labores redire possit. שָׁדַד schadad significat rapere, spoliare, diripere, perdere, uastare. Ne auferas lectum eius, ut solent crudeles creditores & milites. Vel, pudicitiæ uxoris ne insidieris. רֵבֶץ refæz ouile etiam significat, & erit sensus, pecora pij non esse lædenda, & abigenda.

16 Quia septies cadit iustus & resurgit, impij autē corruent in malum.

Causa redditur, cur iusto non sint tendendæ insidiæ. Nam si cadat septies, hoc est, si sæpius periculis inuoluatur, non perit, sed adiutus manu Domini, resurgit. Psalm. 34. Multæ sunt afflictiones iustorum, & ex omnibus liberat eos Deus. Ne putes eum Domino non esse curę, curam eius suscipit. Qui uos tangit, dicit Dominus apud Zachar. de pijs, tangit pupillam oculi mei. Restituit pios, impios uerò euertit. D. Augustinus de Ciuit. Dei lib. 11. cap. 31. inquit: Totus impar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius, ex quibus duobus septenarius constat: ideo pro uniuerso sæpe ponitur. Sicuti est, *Septies cadet iustus & resurget*, id est, quotiescunq; ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus, intelligendum est, &c. Quanquam hunc uersum etiam de peccatis exponant: *Iustus septies cadit*, id est, multoties peccat. Etiam sancti homines, non tantum in quotidiana peccata, sed atrocia interdum ruunt. Exemplo nobis sunt Dauid, Petrus, Thomas & alij sancti, sed resurgunt, ac pœnitentiam agunt de peccatis. Posset Deus tantum gratiæ suis conferre, ut non peccarent: sed id non facit, idq; multas ob causas, partim ut sancti uideant, quàm sint infirmi, quamq; facilè cadant Deo subtrahente gratiam, non secus quàm pueri, si quis scamnum eis auferat, statim concidunt. Deinde ut ardentiores sint in precibus, orent cum Dauide, Ne auferas à me spiritum tuum: utq; alijs ignoscant, qui labuntur, nec statim de quoquam desperent. Facit etiam hęc Deus, ut alij eorum exemplo cautiores fiant. Dominus in Euangelio Matth. 17. nō septies, sed septuagies septies, proximo ignoscendum esse docet. Et quia iustus quoq; septies cadit, non statim in exemplum trahendum est, quod à sanctissimis factum esse legimus. Non enim exemplis, sed præceptis uiuendum est. Multi qui cōtra regulam uerbi Dei agunt, se exemplorum authoritate tuentur. Vulgò ita citatur hæc sententia, *Septies in die cadit iustus*: sed *in die*, non additur in Hebr. neq; in Græca uel Latina translatione. Multi quoque ex patribus addunt hanc particulam, in die: fortè respexerunt ad uerba Christi Lucæ 17. Si septies in die peccauerit in te frater tuus, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me: remittes illi, &c.

Deus iustos eripit ex periculis.

Cur Deus sanctos sinat labi.

Impij autem corruent in malum.) Scilicet, Culpæ & pœnæ. Impij non resurgunt, non conuertuntur, peccata eis non in bonum cedunt: peccāt enim ad mortē. 1. Samuelis 2. cap. cecinit Anna: Pedes sanctorum suorum seruabit, scilicet, à lapsibus: & impij in tenebris compescentur.

17 Cum ceciderit inimicus tuus, ne læteris, & cum ipse impegerit, ne exultet cor tuum.

18 Ne fortè uideat Deus, & displiceat in oculis eius, & auertat ab eo furorem suum.

Si cadat inimicus tuus, hoc est, si calamitas aliqua ei accidat, si faciat iacturā opum, si grandine lædatur, si uitam amittat, &c. uel si labatur in flagitium aliquod, ne læteris: lugendus enim est quisq; dum peccat. Nunquam licet gaudere de proximi ruina in culpam, quia hoc pugnat cum charitate Dei, qui peccato læditur, & proximi, qui peccando, spiritualiter moritur. Idem intelligendum est de tota aliqua familia, de Rebusp. & regnis, ut si affligantur, ne gaudeas. Causam addit, ne fortè Deum offendas, & is ab eo furorem auertat, & te puniat propter superbiam & crudelitatem, quòd te alijs pręfers, nec cogitas quorsum puniantur. Aduerbium illud פֶּן pæn, hoc loco, sicut alijs multis in locis, non est dubitantis seu hæsitantis, sed negationem simplicem notat, Ne uideat Deus. Nescis enim, ut est in prouerbio, quid serus uesper uehat. Cogita semper, hostibus tuis uel es similis, uel melior uel peior. Si similis es, an non idem tibi potest accidere? Si melior, unde quæso habes? an non ex eadem massa formati sumus? an non ijsdem orti parentibus? Si quid in nobis boni est, non debemus gloriari, Dei donū est. Lutū sumus in manu Dei, is ex nobis facere potest uas honoris uel dedecoris. Dona quæ in nos cōtulit, potest nobis eripere. Si sumus peiores, multò minus alijs debemus insultare. Seruator noster pręcipit, ut inimicos nostros diligamus. Natura quoq; docet, alienis malis nō esse gaudēdū. Pręclara enim exēpla hac de re etiā apud Ethnicos legūtur: Vnū & alterū dūtaxat ex Rom. historia ꝓferā. Polyb. scribit se Scipioni astitisse, spectāti Carthaginis incēdiū

Nō gaudendum malis aliorum.

cum lachrymis. Interroganti quid hi gemitus & lachrymæ sibi uellent, Scipionem respondisse, se cogitare uicissitudinem rerum humanarum, & futurum aliquando simile urbis Romæ excidium. Metellus Macedonius & Scipio Africanus æmuli erant, sæpe in curia, sæpe pro rostris mutuas inimicitias declarabant, cum autem Metellus interemptum Scipionem cognouisset, in publicum prodijt, mœstoq; uultu, Concurrite concurrite, inquit, ciues, mœnia nostræ urbis euersa sunt. Scipioni enim intra suos penates dormienti uis illata est. Filios quoq; suos iussit pheretro eius humeros subijcere, non fore, dicens, ut postea hoc officium præstantiori uiro exhiberent. Intelligebat uir prudentissimus, maiorem ad Rempublicam ex tanti uiri obitu calamitatem deriuari, quàm ut priuati hostis obitu gaudere deberet. Iulius quoque Cæsar, uiso capite Pompeij uberrimas lachrymas profudit. Meritò reprehenditur ille apud Tragicum qui dicit, iucundissimum esse, hostem uidere ex felici infelicissimum factum:

„ ἐν γὰρ εὐτυχοῦς
„ ἥδιστον ἐχθρὸν ἄνδρα δυστυχοῦνθ' ὁρᾶν.

Sancti hostibus pereuntibus quomodo lætati sint.

Obijci potest, Dei prouidentia hæc inimicis nostris accidere: gaudendum autem est si Dei uoluntas fiat. Respondemus, Verum quidem esse, quod citra Dei consilium nemini ærumnæ accidant. At quemadmodum parentes non ideo liberos castigant, ut alij liberi rideant & exultent, sed ut uices illorum doleant, sibi ab ijsdem uitijs caueant: ita pater noster cœlestis, non uult ut de aliorum malis gaudeamus. Deinde obijcitur exemplum Mosis & Israelitarum, qui Exod. 15. submerso Pharaone, non tantum lætati sunt, sed Epinicion cecinerunt & choreas duxerunt. Dauid audita morte Nabalis, gratias agit Deo, 1. Sam. 25. Adhæc Psal. 58. uates impijs pœnam denunciat, pulchris similitudinibus ostendens potentiam eorum durabilem non esse, postea subijcit, Lætabitur iustus cum uiderit uindictam, pedes suos lauabat in sanguine. Psal. 68. Orat dominum ut dissipet impios, tunc, inquit, gaudebũt iusti & coram Deo exultabunt. Ipse Salomon dixit, cap. 11. uers. 10. ciuitatem exultare, si impij intereant. Quin etiam in Apocalypsi 18. cap. angelus adhortatur omnes sanctos in cœlis, ut exultent ob deletam Babylonem. Quid igitur ad locos illos in speciem repugnantes dicemus? Sunt qui ita respondeant: Dum inimicus noster aliqua calamitate premitur, non licet nobis gaudere, quia de uoluntate Dei nondum nobis constat. Quando uerò uidemus Dei consilium, hoste nostro attrito & confecto, licet gaudere. Sed simplicius existimo responderi posse, nos diuersa ratione gaudere. Lætamur enim de hostium calamitatibus ex prauo affectu, ira, odio, cupiditate uindictæ, & tunc non possumus excusari à peccato. Lætamur deinde ex bono zelo propter gloriam Dei, quòd oppressis impijs, uerbum ueritatis possit propagari, & amplificari nomen Dei. Lætamur propter afflictos, quòd à tyrannide asserantur. Lætamur item propter ipsos impios, quòd casus ad eorum commoditatem spiritualem faciant, & peccata eorum impediantur: & sic non peccamus. Ipsis enim florentibus, non desinunt peccare, sed flagellis correpti interdum resipiscunt. At cauendum, ne zelum iusticiæ prætexentes, nostra quæramus, & impulsu odij de aliorum afflictionibus gaudeamus. Gaudendum est de pœna proximi, non in quantum est pœna, sed in quantum est medicina. Chrysostomus homil. 41. in 12. cap. Matthæi sic colligit: Si Deus illos, qui ob inimicorum commoda lætantur, non sinit esse impunitos, multò maioribus profecto eos, à quibus innocentes per inuidiam exagitantur, suppliciis tradet, de hac re repete 17. cap. uersu. 5.

19 Ne succenseas propter malignos, & ne æmuleris propter impios.

תחר thachar significat ardere, scilicet, zelo uel inuidia aut æmulatione. Alij deducunt à חרה charah excandescere, in hithpael reddunt, immiscere, ne immisceas te, ne commercium habeas. Sensus est: Si impijs omnia ex animi sententia succedant, & piorum status sit afflictus, ne irascaris Deo uel ipsis, & ne imiteris eos. Statim enim multi clamant, etiam illi homines sunt, etiam illi beatitudinem cœlestem appetunt, faciam quemadmodum alios facere conspicio. Rationem subiungit:

20 Quia non erit finis (*homini*) malo, lucerna impiorum extinguetur.

Impiorum gloria subitò perit.

Malus non habebit posteritatem. Exemplo nobis est Saul & Hieroboamus. Vel non consequetur præmium, sed supplicio afficietur: uel mali, id est, supplicij non erit finis. Lucerna pro successu, gaudio, felicitate, gloria, in scriptuis accipitur: tenebræ pro infelicitate & miserijs. Sensus est, gloria & prosperitas eorum euanescet, ultio ab ipsis sumetur. Vel posteritas, ut respondeat præcedenti membro. Lucerna etiam usurpatur pro uita, sic Germani quoq; sua lingua accipiunt. Sensus erit, peribunt ante tempus. Notandum aũt est impiorum uitam, gloriam, splendorem diuitiarũ, lucernã dici: nam quemadmodũ facile est lucernam

nam extinguere, sic Deus in cuius manu omnis fortuna impiorum sita est, si impleta fuerit eorum mensura, nullo negocio eos potest euertere. Si tam florentes & potentes monarchias, tot regna euertit, quis putet potentiæ Dei impios posse resistere? Quidam felicitatem impiorum uitro contulerunt.

21 Time Deum fili mi, & regem, cum mutantibus ne te admisceas.

Hæc sententia tria comprehendit. Primùm docet Deum ante omnia timere, hoc est, uera fide & religione reuereri, & ab eo unicè pendere. Sub timore comprehendit omnia officia, quæ Deo debemus. Deinde docet timere reges: Vnam speciem magistratus nominat, & sub ea reliquas comprehendit. Magistratus, sunt honorandi, non tantum quia gladium gerunt, & nobis obesse & prodesse possunt: sed quia Deus hunc ordinem sanxit, & nos parére iussit: propter Deum, non supra Deum timendi sunt. Christus Matth. 21. etiam dicit, Date quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo. 1. Pet. 2. cap. Subditi estote cuiusvis humanæ creaturæ uel ordinationi (id est, ab hominibus, uel propter homines constitutæ) propter Dominum, siue regi, &c. Mox, Deum timete, regem honorate. Per timorem autem omnia officia complectitur, reuerenter de eis sentiamus, honorem debitum eis deferamus, oremus & pugnemus pro eis, soluamus quæ debemus. Christiani non imitantur Antichristum, qui bonos principes de throno deturbat, & omnibus principibus formidolosus est. Tertio loco dicit, *cum alterantibus uel mutantibus ne miscearis.* שׁנה schanah enim significat mutare uel alterare: cum mutantibus, id est, seditiosis, qui mutare uolunt principes, leges, bonas consuetudines, ritus & statum regni. Alij exponunt, *cum iterantibus*, scilicet suas iniquitates, *ne misceas te*, hoc est, ne habeas commercium: & sunt qui exponunt, mutantibus Deum semper. Simplicior sensus esse uidetur, ne cum his qui rebus nouis student, familiaritatem contrahamus. Valde enim peccant seditiosi. Deum ipsum contemnũt. Deus enim Samueli dicit: Non te, sed me reiecerunt. Ideoq; grauia supplicia experiuntur, quemadmodum sequitur.

Magistratus honorādi sunt.

22 Quoniam repente consurgit calamitas eorum.

Quando seditiosi & rebelles putant se dominos fore, subitò opprimentur.

Et contritionem amborum ipsorum quis scit?) Qua scilicet, Deus & rex, seditiosos conteret. Alij de rege & mutatoribus intelligunt. Puniuntur mutatores & reges quoque, si mali sint, quando minimè putatur. Seditiones plerunque funestum exitum habuisse, omnium gentium historiæ testantur: nos paucula tantum exempla attingemus. Chore cum suis qui sese Mosi & Aaroni seditiosè opposuerant, igne absumpti, Dathan & Abiron à terra absorpti sunt. Absalomus cum aliquot millibus coniuratorum, miserè trucidatus est. Seba 2. Sam. 20. graues pœnas dedit. In nouo Testamento ex oratione Gamalielis intelligitur, quàm tristem exitum Iudas Galilæus & Theudas habuerint. Addam unum ex Germanicis historijs. Gregorius 7. Rodolphum Sueuiæ ducem impiè absoluit à iuramento, quod Heinrico 4. imperatori præstiterat. Cæterum uictus prœlio Rodolphus prope Merspurgum, & amissa manu dextra, in oppidum se recepit: cumq; decumbenti dextra esset oblata, ad Episcopos & alios principes, qui aderāt, conuersus, non sine suspirijs dixit: Ecce hæc est manus, qua domino meo Heinrico iusiurandum præstiti: uidete num rectè mihi authores fueritis, ut ab eo deficerem: & paulò post è uiuis excessit. Quid uerò faciendum est inquis, si magistratus suum officium non faciat, sed tyrannicè nobis illa imperet, quæ cum uerbo Dei manifestè pugnant? Deo magis est obediendum, quàm ullis principibus, ad exemplum sociorum Danielis, Apostolorum, Polycarpi & aliorum martyrum: non autem seditiosè est agendum. Ideo hîc coniunguntur hæc duo, Time Deum & regem: quia uera obedientia coniuncta est cum reuerentia numinis. Principes qui se Deo opponunt, ipse perdet. Quemadmodum autem à seditiosis, ita ab alijs etiam nefarijs hominibus, cauendum est, ne cum ipsis pereamus.

Seditionis pœna.

23 Etiam ista sapientes.

Scilicet præcipiunt, uel *sapientibus*, scilicet, dicuntur uel obseruanda sunt. Non solum subditis præscribitur officium: sed nunc ipsis etiam magistratibus. Solet enim Deus aliàs quoque, utramq; partem sui admonere officij.

Agnoscere faciem in iudicio non est bonum.) προσωποληψία cauenda est principi. Deut. 1. cap. iudicibus inter alia etiā præcipit Deus, ne recipiāt faciem uel personā in iudicio, sed tam paruum quàm magnum audiant. Persona est qualitas hominis, conditio uel status, quoad animum, corpus uel res externas. Personarum respectus, cũ iudex nō ipsas causas quales sunt, earumq; circumstantias: sed uel dignitatem, nationem, genus, clientelas, uel humilitatem & afflictam fortunam personarum respicit, & in eadem causa cōtrarias fert sententias, aliam fert si diues, aliam si pauper iure contendant. Iudices uicarij Dei sunt, nō ergo suo arbitratu debēt agere.

προσωποληψία.

Extra iudicium forense, persona respicitur, ut cum iudicandum est de religione, multi respiciunt ad multitudinem & potentiam aliter sentientium: quidam respiciunt qui nam sint uictoriosi, & illos putant rectas opiniones habere. Inter Euangelicos quoq; multi fœda προσωποληψίᾳ fascinati, multos & tetros errores defendunt.

24 **Dicenti impio, iustus es, maledicent populi, detestabuntur eum nationes.**

Iudex flagitiosos & impios punire debet, non absoluere & iustos pronunciare: illi qui hoc non fecerit, maledicent homines. Dicat aliquis, Qui nam hoc facient? boni non facient, nam præcipitur eis, ne pro malo malum reddant: impij uerò, gaudent se principes habere, quibus scelera & scelerati probantur, ut possint impunè peccare. Respondeo, Boni non immeritò illam iniusticiam detestantur. Execrantur iudices illos iniustos, aliquando ex quadam impatientia, & peccant, aliquando ex bono zelo, & non peccant. Mali etiam interdum iniustis illis iudicijs læduntur, ideoq; etiam ipsi iniustos illos execrantur. Nec rarò homines quantumuis scelerati, probant iustos iudices, iniustos detestantur. Magnum profectò scelus est, impium hominem iustum pronunciare: at hodie inter homines nihil tam uulgare. Sunt principes qui in aulis suis ferunt Turcas, Iudæos multis & magnis priuilegijs muniunt, sceleratissimos homines defendunt, aut saltem ferunt, solis Euangelicis nullus locus conceditur. Multi iudices acceptis muneribus, pessimos defendunt, causidici, & procuratores ex pessimis causis bonas facere nituntur. Quin & Theologi illos qui numerant, etiamsi omnibus sceleribus cooperti sunt, absoluunt. Multi adulatores, ferculis deliniti, pessimos homines tantum non adorant. Nec tantum malæ personæ, sed etiam res malæ, bonæ dicuntur. Vitia sub uirtutum titulo uenditantur. Isaiæ 5.

25 **Sed increpantibus** (*impium*) **suauis erit** (*Deus*) **& super eos ueniet benedictio boni.**

Iusti iudices qui sceleratos propter iniurias alijs illatas, & propter uaria maleficia, uerbis corripiunt & puniunt, grati & accepti sunt Deo, & hominibus: *super eos ueniet benedictio boni*, pro bonorum: id est, felices erunt, uel boni, scilicet uiri, bona eis precabuntur, eosq; collaudabunt. Benedicere Hebræi sæpe pro collaudare & gratias agere accipiunt, præsertim in Psalmis. Potest hæc sententia etiam in genere intelligi, quòd qui malis adulantur, malè audiant, qui uerò eos corripiunt, diligantur à Deo & hominibus. Illi quoq; qui corripiuntur, si ad mentem redeant, eos laudant: infrà 28. cap.

26 **Labia deosculabitur, qui respondet uerba recta.**

Ad officium boni iudicis etiam hoc pertinet, ut facilis sit ad eum accessus, ne quem repellat, sed omnes benignè & placidè audiat, recta omnibus respondeat, salutaria eis det consilia. Qui hoc facit, labia osculatur uenientium ad se, hoc est, subditis nihil potest gratius accidere. Osculum enim amicitiæ & beneuolentiæ est signum. Si principes amicè compellunt suos subditos, gratum eis est, nedum si eis dent osculum. Munsterus uertit, *Labia illius osculabitur omnis homo qui respondet sermones rectos*, scilicet præ amore. Affertur hic quoq; sensus, qui uerax est, non tantum ad oscula manus admittetur, sed labiorum, id est faciei, hoc est, in arctam amicitiam recipietur: prima interpretatio uidetur simplicissima. Hæc sententia etiam de proceribus Ecclesiæ accipi potest. Qui apta & salutaria loquitur, qui alios docet, hortatur, consolatur, illius oratio similis est suauissimo osculo, quod à filiolis uel alioqui charis hominibus accipimus. Colligenda nunc sunt officia boni principis, quorum hoc loco fit mentio: primum est, ut non respiciat personas: alterum, ut impios damnet: tertium ut bonos tueatur: quartum ut beneuolum se præbeat suis subditis. His rebus magnam gratiam, authoritatem, ac imperium firmum & stabile principes sibi comparabunt.

Officia boni principis.

27 **Præpara foris opus tuum, & præpara illud in agro tuo,** *uel cole agrum tuum*, **& postea ædificabis domum tuam.**

חָכִין hechin in hiphil significat rectè & perfectè curare, instruere, parare, certo consilio ordinare, decernere. Tam clemens & misericors est Deus, ut nobis uerbo suo non tantum ostendat, quomodo æternam salutem consequamur: sed etiam de rebus uulgaribus nos instituat. Multæ enim sententiæ continentur hoc libro, quæ uirtutem prudentiæ domesticæ tradunt, ad quorum numerum etiam hæc pertinet. Docet enim in re domestica ordinem seruandum, & opportunitatem temporis spectandam esse, ut quæ magis necessaria sunt, ante omnia fiant. Magis necessarium est colere agros, & uineta, curare pecora, quæ foris sunt, quàm nouam domum ædificare: postquàm hæc feceris, tum de domo extruenda cogitandum est. Sumptus enim magnos requirit noua domus, qui antè comparandi sunt. Plinius

quoq;

quoq; Secundus, naturalis historiæ lib. 18. cap. 5. ædificandum esse dicit, consito agro, & tunc quoq; cunctanter. Qui mechanicas artes exercent, etiam illa parare debent, quæ primò paranda sunt, non præpostero ordine res aggredi. Quin in omnibus rebus unumquodq; suo tempore peragendum quoq; est, alioqui frustra laborabimus: uuæ non colliguntur uere, flores non hyeme, &c. Ouid. lib. 1. de remed. amo.

Tempore congruo omnia facienda sunt.

Quis matrem nisi mentis inops, in funere nati,
Flere uetat? non hoc illa monenda loco est.
Cum dederit lachrymas, animumq; impleuerit ægrum,
Ille dolor uerbis emoderandus erit.
Temporibus medicina ualet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore uina nocent.
Quin etiam accendas uitia, irritesq; uetando,
Temporibus si non aggrediare suis, &c.

Apud Athenæum lib. 7. citatur hic uersus ex Timone, ὥρη ἐρᾶν, ὥρη δὲ γαμεῖν, ὥρη δὲ πεπαῦσθαι. Multi literarum studiosi priusquam fundamenta iecerint, alia superstruere uolunt, & quod Germani prouerbio dicunt, implumes uolare. Alij quoq; qui nō aggrediuntur rem aliquam in tempore, quod omnium primum est, non assequuntur quod uolunt, &c.

28 Ne sis testis sine causa, contra proximum tuum.

Cauet hac sententia, ne quis sine causa, hoc est, temere nemine iubente, & necessitate nō postulante, ad testimonium dicendum prosiliat: tum demum dicendum est, quando necessitas postularit & requisiti fuerimus, alioqui suspectos nos reddimus, quasi ex affectibus dicturi simus. Hinc imperatorijs legibus cautum est, ne tales audiantur: præsumitur enim non dicturos, quæ debent. In quotidianis quoq; sermonibus, temeritas est cauenda, multò magis in re magni momenti, quando hominis salus agitur. Si aūt illi peccant, qui se testimonium dicturos temere offerunt, quanto magis illi qui scientes & uolentes falsum dicunt testimoniū?

Et num quid allicies uel persuadebis *labijs tuis?*) Sensus est, simpliciter dicere debemus quæ dicenda sunt, nihil addendum, nihil detrahendum: non fallendus est iudex fuco uerborum. Vel, ne sis author proximo tuo, ut dicat falsum testimonium, grauis enim res est. A פתה pathah, fit in hiphil הפתה hiphtah persuasibile fecit: ut sit sensus, ne sis testis temere contra proximum tuum, neq; persuasibile facias labijs tuis, id est, plausibile: & est irregulare, ait Forsterus. Alij dicunt hiphil esse à uerbo פתת pathath, quod est frangere & in frusta secare: ut sit sensus, si fueris testis contra socium, id est, proximum tuum, sine causa, confringes & comminues illum labijs tuis. Vide Santis Lexicon. Simplicissima hæc uidetur sententia, ut dicamus esse piel, à uerbo פתה pathah, quod significat persuadere, inclinare. ה à fronte est interrogatiua litera, & erit sensus, *Num persuadebis*, blandis uerbis, scilicet iudici uel proximo tuo? Alij dicunt he esse uice אים im si, ne sis testis contra amicum tuum, et si declinare fecisti eum, ut falsum pro te testimonium dixerit, tu tamen hoc nō facias, quemadmodum sequitur, ne dicas, Quemadmodum fecit mihi, &c. Posset etiam generaliter accipi hæc sententia, neminem blandis uerbis inducendum esse ad scelera.

29 Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, sic faciam ei, reddam ei secundum factum suum.

Contra uindictam priuatam.

Reuocat nos hac sententia, ab ulciscendi cupiditate. Morbo hoc laborant homines, ut dicant, Par pari referam, illa mensura metiar alijs, qua mihi mensi sunt. Quidam odio illos habent, à quibus uel suspicantur se læsos, quidam ab alijs læsi, ultionem de proximis quibuscunque sumunt, Faciam, dicentes, eis quemadmodum alij mihi. At scriptura ne hoc faciamus præcipit. Peccant qui malum malo pensant, ut qui se de illis uindicant, qui eos uel in fama, fortunis uel corpore læserunt. Multò magis illi, qui odio habent illos, qui ex officio fecerunt quod debuerunt. Maximè uerò illi, qui benefactores suos odio capitali prosequuntur, Faciam dicunt, quemadmodum ipsi mihi: interim pro officio maleficium reponūt. Si reuera læsi sumus, uindictam Deo committere debemus, Leuit. 19. Rom. 12. 1. Pet. 3. Percutienti nos in unam maxillam, alteram obuertere, & mala bonis pensare. Cogitandum semper est, si bene fecit, imitari eum debes, si malè, cauere ne idem facias. Ne dicas, Hic mihi imposuit, igitur & ego dolis eum circumueniam: contra me dixit falsum testimonium, igitur & ego dicam contra eum falsum testimonium. Vxor non dicat, Maritus meus mœchus & ebrius est, itaq; & ego sectabor mœchos & indulgebo genio. Fœderati non dicant, Socij mei in periculis me deseruerūt, deserā igitur ipsos quoq;. Sin uerò necessitas postulat,

ut famam tuam asseras priuatim, cum proximis interdũ lenioribus, interdum uerò asperioribus uerbis agere possumus. Possumus etiam ad iudices ire, quorũ est iniurias uindicare. Sin uerò neutrum facere consultum fuerit, res omnis Deo committenda, qui suis partibus non deerit. Alioqui peccata peccatis cumulantes, offensam Dei incurremus.

30 Iuxta uel per agrum pigri transiui, & iuxta uineam carentis corde.
31 Et ecce ascenderant per totum ipsum spinæ, urticæ *uel rubi*, operuerant superficiem eius urticæ, & maceria eius destructa erat.
32 Et uidens ego, posui cor meum, uidi, accepi eruditionem.

Ostendit sapientes undiq; sapiendi occasionem accipere, etiam ex aliena stultitia. Sapiens transiuit agrum & uinetum stulti squalidum & horridum, omnia urticis & sentibus erant impleta, sepes uel maceria erat destructa. In confragosis agris, lapides congeruntur. כסו kasu operuerunt, texerunt: quædam exempla habent כסו kassu, ut sit pasiuum 2. coniugat. גדר gader, & secundum aliam formam גדר gædær (R. Dauid in regimine hoc pacto dicit mutari) paries, maceria, sepes, murus non fortis, & omnis clausura hoc nomine appellatur. Hinc fortè Germani habent suum gatter. Hæc omnia considerauit sapiens diligenter: bis enim uidendi uerbum repetitur: & posuit cor suum, pro, in corde suo, hoc est, diligenter perpendit illam rem, fructumq; non paruum ex ea percepit. Quem rogo? subijcit,

33 Pusillum somni, pusillum dormitationis, pusillum complicationis manuum ad dormiendum.
34 Et ueniet ambulans (*tanquam uiator*) paupertas tua, & defectus tui tanquam uir clypei.

Didicit quid ex pigritia & ocio sequatur. Primùm agri, uineæ, prata negliguntur, postea egestas paulatim succedit. Pigri ex somno nõ possunt excitari. Per mimesim imitatur eorum uoces. Adhuc parum, inquiunt, dormiendum mihi est: quando clarum mane, ut ille dicit, per fenestras intrat, adhuc multus, inquiunt, in oculis meis somnus est. Interim uerò ceu uiator uenit egestas, hoc est, citò & ex improuiso. (Viatores enim non diu hærent in itinere:) & inopia, ceu uir scuto munitus. Quemadmodum nudus & inermis, armato resistere non potest: ita pigri illi & desidiosi paupertatem non possunt effugere. Multis uijs & rationibus conantur emergere, sed frustra. Hæc suprà 6. cap. etiam sunt exposita. Discamus igitur, quæ mala pigritia secum afferat, nempe incultos agros & paupertatem. Nam si quis non modò nihil acquirat, sed genio indulgeat, mox sua alijs impignorat, & tandem ad extremam paupertatem redactus, solum uertit. Seneca quoq; pigritiam nutricem paupertatis appellat. Apud Romanos si quis agrum suum passus fuisset sordescere, aratione ac repurgatione prætermissa, à censoribus puniebatur, teste A. Gellio lib. 12. cap. 12. Ecclesia agro aut uineæ comparatur: si ministri dormiant & ignauiæ se tradant, uenit diabolus & seminat zizania inter triticum, Matth. 13. Vnde tot ordines monachorum in Ecclesia, tot φράτρειαι, tot festa, tot altaria: breuiter, tot abusus? Non'ne ex Episcoporum negligentia? Regna quoq; & Respub. comparari possunt agro & uineæ, si agricolæ sint negligentes, bonas leges (quæ quasi sepes sunt) non tueantur, sceleratos non puniant, paulatim corrumpuntur. Sic cum Græci dormirent, Philippus rex Macedonię uigilauit, & in seruitutem eos redegit. Singuli homines, nisi sentes, uepres & spinas uitiorum euellant, & agellum animi sui excolant, pessimi fiunt. Quisq; igitur in sua uocatione diligenter laboret.

Pigritia nutrix paupertatis.

Discamus item aliena insania frui, hoc est, ex aliorum erratis cautiores fieri. Plautus dicit,

» Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

Stulti & desidiosi homines, imitantur alios stultos: si uident alium nondum secuisse fœnum, nondum putasse uites, statim in exemplum arripiunt, ac temporis opportunitatem negligunt. Prudentes uerò bene aliorum stultitia utuntur. Sic si uideant scortationem, ebrietatem & alia flagitia puniri, ipsi cautiores efficiuntur.

CAPVT

CAPVT XXV.

ETiam hæ ſunt parabolæ Solomonis, quas tranſtulerunt uiri Ezechiæ regis Iehuda.



NOVA pars uel collectio libri prouerbiorum, hoc loco incipit. Non enim ab uno authore, nec uno tempore collectus eſt. 1. Reg. 4. cap. Solomon dicitur tria milia parabolarum dixiſſe, quæ non omnes in hoc libro congeſtæ ſunt, ſed inſigniores tantum. Quæ deinceps ſequuntur uſq; ad 30. caput, Ezechiæ pij & religioſi principis tempore, collectæ & ſuperioribus annexæ ſunt. Dicitur enim uiros, id eſt, aulicos, ſcribas, uel potius prophetas Ezechiæ, eas tranſtuliſſe, ſcilicet ex alijs libris, uel potius fragmentis, in unum librum, nimirum afflatu ſpiritus ſancti.

2 Gloria Dei eſt celare uerbum.

Ad gloriam Dei pertinet, quòd celat uerba ſua, hoc eſt, res, negocia, iudicia, conſilia, & opera. Quæ ad ſalutem noſtram & uitam rectè inſtituendam faciunt, uerbo Dei abunde comprehenſa, & nobis reuelata ſunt. Reuelauit autem ea Deus, & etiamnum reuelat paruulis, non prudentibus iuxta ſeculum, Matth. 17. Deinde iudiciorum ſuorum rationes ſæpe nobis declarat. De alijs quoq; multis rebus nos inſtituit. Artes nobis monſtrauit, ex quibus multæ res obſcuræ intelliguntur. Interim tamen multas res ſibi ſeruat, quas à nobis non uult intelligi. Veluti quando nobis ex hac uita migrandum ſit, quod Gregorius ideo alicubi fieri dicit, ut dum ſemper dies mortis ignoratus, proximus eſſe credatur, ſemperq; parati inueniamur. Item, quando uenturus ſit in iudicium. Teſtatur enim Chriſtus, angelos, quin ipſum filium hominis horam ignorare, &c. Quædam cauſæ iudiciorum Dei, nos ad tempus, quædam ſemper latent. Alias res innumeras ignoramus. Quin in rebus phyſicis, cæci quodammodo ſumus. Philoſophi enim in multarum rerum explicatione, coniecturis tantum utuntur, eminus & quaſi in ſpeculo uidentes, quæ uident. Notitia noſtra eſt ueluti obſcura quædam lucerna, in denſiſsimis tenebris: in futura demum uita, apertiſsimè uidebimus, quæ nunc nos latent. Quòd uerò Deus nos multa celat, hoc facit ad gloriam eius. Oportet enim nos, uelimus nolimus, ad ſapientiæ diuinæ ſublimitatem obſtupeſcere, noſtramq; ignorantiam fateri: è diuerſo autem Dei immenſam ſapientiam laudibus efferre, & cum Paulo exclamare, ô profunditatem, &c. & cum Socrate, Hoc unum ſcio, me nihil ſcire. Si plura nobis patefacta eſſent, caro gloriaretur. Quidam ſic uidentur accipere, *Gloria Dei eſt celare uerbum*, hoc eſt, ſi homines celent, &c. Sed prior ſenſus eſt ſimplex & apertus.

Quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt Deus patefacit.

Et gloria regum, ſcrutari uerba.) Reges decet uerbum, id eſt, res ſcrutari, non quidem illas, quas Deus ſibi ſeruauit (illa enim curioſitas damnanda eſt) ſed quæ eos ſcire oportet. Primum, quemadmodum Deut. 17. habetur, ut legem ſibi tranſcribi curent, & eam diurna ac nocturna manu uerſent. Perperam enim ſentiunt, qui negant principes ſacra debere tractare. Deinde quiſque leges & inſtituta ſui regni tenere debet, ut ſecundum illorum præſcriptum agat. Adhæc non temere in cauſis agere debet: ſed inquirere in negocia, de quibus iudicare debet, conſyderare quid agat, ſingula explorare, non unam tantum, ſed alteram quoq; partem audire, ne uel totum regnum, uel priuati homines in periculum ueniant. Iob. 29. dicit, Cauſam quam ignorabam, inueſtigabam. Debet item explorare & ſcrutari, qui nam in perniciem regni aliquid moliantur: quid domi & foris agatur, an omnia ex legibus fiant. Poſtremò inquirere debet in ſceleratos, ne impunè graſſentur, ſed afficiantur ſupplicijs, &c.

Quæ reges ſcire debeant.

3 Cœlorum altitudini & terræ profunditati, & cordi regum non eſt inueſtigatio.

Quantum altitudo cœli à terra & centrum terræ ab eius ſuperficie diſtet, exactè ſciri non poteſt, ita nec cor regis. Sæpe enim unum uultu & ſermone præ ſe fert, & alterum in corde habet reconditum. Aliorum quoque hominum corda perueſtigari ab alijs hominibus non poſſunt. Sunt quædam indicia, quibus aliquo modo colligimus, quid homines in corde gerant, ſed non rarò fallunt: poſſunt enim homines omnia ſimulare & diſsimulare. Deus uerò & regum & aliorum hominum corda inſpicit, neq; hoc ſolum, ſed corda eorum quocunque placuerit, inclinat & flectit. Quidam contrarium ſenſum eliciunt, ut ſit diſsimile: cœlorum altitudo & terræ profunditas, poſſunt aliquo modo colligi, à Mathematicorum artium peritis, at cor regis eſt imperueſtigabile. Terræ ambitum & circumferentiam 5400. maximorum milliarium eſſe, ex cœli dimenſione colligunt, &c.

4 Auferendo scorias de argento & prodibit argentario uas (*preciosum.*)
5 Auferendo impiũ à conspectu regis firmabitur in iustitia solium eius.

Impij ab aulis regum submouendi.

Similitudine declarat, quàm sit utile, si impij à principum conspectu submoueantur. Scoria repurgamentum est argenti, ut Plin. lib. 33. cap. 6. habet. Isaias propheta cap. 1. dicit, Excoquam ad purum putum scoriam tuam. Vbi septuaginta scoriam reddiderunt, ἀπειθοῦντες, id est, perfidos & immorigeros. Si scoria ab argento auferatur, formari potest uas preciosum & purum: ita si impij apud reges locum non habeant, regna florebunt iustitia, & alijs uirtutibus, atq; firma erunt. Vtinam omnes principes, uiros bonos à consilijs haberent: tales enim plerunq; sunt, quales illi quibus cum die noctuq; uersantur. Multi principes puriorem religionẽ non insectarentur, iustitiam defenderent, nisi impijs & iniustis consiliarijs essent stipati. Cardinales & Episcopi qui reges sepiunt, eos contra puram religionem accendunt, & cauent ne quis ad colloquium admittatur, qui eorum artes prodat. Hinc Zuinglius eos eleganter peruigili isti Draconi comparauit, qui iuxta poetarum fabulas, aureum uellus custodiebat. Non igitur mirum est, si multa perperam fiant. Quid mali uel unus Cardinalis aut Episcopus ad gentem aliquam à Rom. pontifice missus, dare posit, experientia docuit. In aulis principum hoc est admodum uulgare, ut consiliarij principibus uel adulentur, uel eos contra bonos acuant. Carneades dicere solebat, principum filios nihil rectè discere, preterquam equitare: eò quòd his omnes adulentur, solus equus non curans, nobilem ne gerat an rusticum, tergo excutit, quisquis equitandi fuerit imperitus. Dauid ut stabiliret regnum filij Solomonis, uiros sanguinum interfici curauit. Alexander Seuerus, adulatores, sycophantas, iudices corruptos, fumi uenditores, atq; id genus homines, tanquã pestes ab aula sua procul submouebat. Praeclara historia legitur apud Eusebium lib. 1. de uita Constantini magni, quo pacto Constantius Constantini pater, deprehenderit quomodo quisq; aulicorum suorum erga religionem affectus esset, & scoriam ab argento separauerit. Cum enim principes pasim pios ex edicto imperatorum aula pelleret, Constantius quoq; aulicis suis optionem dedit, ut uel dijs gentium sacrificantes, apud se manerent, & suis honoribus fruerentur: aut si hoc facere detrectarent, aditu à se prohibiti, aula submouerentur. His propositis, aulici in duas partes scindebantur: pars sacrificare uolebat, pars nolebat. Atq; hac ratione deprehendit princeps, quo quisq; animo esset preditus. Illorum igitur qui sacrificare uolebant, metum & adulationem damnauit: horum uerò qui detrectabant, pietatem & constantiam laudauit. Mox illos tanquam proditores Dei, indignos iudicauit, qui cum imperatore essent. Quomodo enim, dicebat, imperatori fidem seruarent hi, qui in Deũ deprehensi sunt perfidi? Simulq; ab aula procul arcendos esse statuit. Hos uerò, qui ueritatem Dei confesi fuerant, dignos iudicauit, qui circa imperatorem essent, eos insuper corporis & regni etiam sui custodes esse præcepit, dicens: Oportere tales inter primos ornari, ac magis in precio haberi, quàm magnorum thesaurorum æraria. Quod exemplum si nostri temporis principes imitarentur, thronus eorum iustitia firmus stabiliretur. Stabilitur etiam thronus regum, si impij & nefarij homines, nõ tantum ex aulis, sed à bonis, tanquam scoria ab argento, separentur, & supplicium de eis sumatur: si flagitiosis parcatur, salus regnorum & Rerumpublicarum perditur. Subinde enim crescit impiorum numerus. Quemadmodum agri à sentibus & urticis occupantur, nisi agricolæ repurgent: ita regna & Respublicæ. Quod de regibus & principibus dicitur, ad minores quoq; magistratus pertinet, ne se ab adulatoribus & impijs hominibus seduci sinant. Priuati quoq; homines, à consuetudine impiorum sibi cauere debent.

Constantius aulam suam repurgat.

6 Ne magnifices te coram rege, & in loco magnatum ne steteris.
7 Quia melius est, ut dicatur tibi, ascende huc, quàm ut deijciaris co-
ram principe, quem uiderunt oculi tui.

Hæc sententia duo complectitur: primum ne te ornes coram rege. הדר hadar propriè ornare significat, & refertur ad qualitatem & habitus ornatum & decorem: ne uelis uestitu precioso & splendido te commendare regi, uel certare cum magnis uiris. Hac enim ratione non placebis, & pauperum superbia, dicunt Germani, mox cessat: conijciunt enim se homines in paupertatem. Multi hac in re peccant: obliti enim suæ conditionis, sumptuosè uestiuntur, ac dum putant se ornari, ac in maiore precio fore, hac ratione regem regum offendunt, & omnes generis sui maculas in mentem hominibus reducunt, seq; contemptui & risui exponunt.

Deinde docet modestiam, ne locum procerum occupemus. Huc uerus Solomon respexisse uidetur, Lucæ 14. cap. Ciuilis iustitia & honestas etiam naturaliter nota suadet, ne quis suo

suo arbitrio in conuiuijs & hominum conuentibus,primum locum,non uocatus occupet,& scurriliter se ingerat,sed maiorib.natu cedat. Hoc enim qui faciunt,non tantũ parum ciuiles sunt:sed etiam cum dedecore,interdum ex superiore loco deturbantur. Qui uerò ciuilitatem hanc obseruant,præmio afficiuntur, nam ex inferiore loco,in superiorem ire iubentur. Docet etiam maiora,nempe humilitati studeamus, ostentationem uerò & ambitionem fugiamus. Item,ne quis se in munus politicum uel Ecclesiasticum temerè ingerat, sed legitimam uocationem expectet.Aduertat hoc pontifex Roma. qui Christi sedem occupauit:tempus enim ueniet,quo etiam cum lucifero deturbabitur.

8 Ne exeas ad litem celeriter,ne fortè facias aliquid in nouissimo eius (*litis*) cùm pudore suffuderit te amicus tuus.

Quemadmodum Salomon in Hebræa lingua à pace nomen habet,ita passim in hoc libro ad pacem nos hortatur,& à contentionibus reuocat. Hac gnome docet,ne statim leuiculis de causis,litibus & rixis indulgeamus. Causam subnectit,*Ne forte in fine litis facias aliquid*, scilicet,te indignum,cuius postea te pœniteat: cùm te prouocarit proximus , id est, aduersarius tuus,uel cum etiam amico tuo displicebis,propter rixandi libidinem. Solemus quando incalescimus, & maximè si alij nos prouocent & ignominia afficiant, euomere quicquid ad dedecus aduersarij nostri pertinere uidetur. Hinc capitale & implacabile odium sæpe inter homines,alioqui coniunctissimos,oritur. Proinde qui se ad rixas propensos esse norunt,sibi temperent,ne ex parua scintilla,magnum incendium oriatur. Forenses etiam lites cauendæ sunt:si causa parua est, uel alioqui potest disceptari. Cur propter paruam pecuniam,iudicibus molestus esses? Sumptus tibi aliquando magni faciendi sunt, ut idem accidat litigantibus in foro,quod ædificantibus.Sin uerò malam habes causam,multò minus in ius aduersarius uocandus est. Fit etiam,ut in fine litis dicas aut agas aliquid contra iudices, qui aliam quàm sperabas sententiam tulerunt,uel contra aduersarium tuum,cuius te postea ualde pœniteat.Si non prouolare ad litem debemus, multò minus ad manus ueniendum est.Reperias non paucos,qui leues iniurias statim manu ulcisci uolunt, & undiq; pugnandi causas arripiunt:sed plerunq; tales homines,iustas dant pœnas. *Rixis nõ indulgẽdum.*

Quod de priuatis personis dicitur, ad totos populos etiam pertinet: ne statim iure cum alijs decertare uelint, præsertim si res uel non tanti sit momenti,aut aliqua commoda ratione transigi possit. Nam stricto iure agere,non parit amicitiam & bonas uoluntates: multò minus armis contendere debemus.Facilè quidem suscipitur bellum, sed non tam facilè deponitur.Quemadmodum ad urendum & secandum rarò inuitiq; uenimus,nec unquam nisi necessariò, si nulla reperitur alia medicina: ita non statim nec sponte ad arma confugiendum est. Qui pacem oderunt, & bellum amant,plerunq; bellis atteruntur. *Quando ignominia affecerit te.*) Macor est in hiphil,à uerbo כלם kalam,quod significat ignominia afficere. Cùm ignominia affecerit te amicus tuus,uel cum tu affeceris eum ignominia. Quid igitur faciendum est,inquis,si rixari,non debeo,nec iure contendere?

9 Causam tuam age (*uel litem*) tuam litiga,cum proximo tuo, & secretum alteri (*uel alterius uel aliud*) ne reueles.

Si proximus aliquid tibi debet,aut uerbis uel factis te læsit,uide num amicè cõponi causa possit.Sic Matt.18. Christus etiam docuit. Vel si necessitas omnino postulat,ut iure agas cum aduersario tuo, moderatè agendum est: harum tantum rerum fac mentionem,quæ propriè ad causam pertinent, & secreta alia quæ sepulta sunt,ne proferas.Si nosti quid dixerit uel fecerit,si ipse secretò tibi quædam commisit,ne dicas. Aristides, authore Plutarcho,cum inter duos priuatos causam cognosceret, & alter, quo Aristidem contra aduersarium prouocaret, extra causam multa narraret,quibus ille læsisset eum,Aristides respondit, Sine nunc ista,& si quid te læsit commemora:tibi enim nunc,non mihi iudex sedeo. Aliàs etiam arcana nobis concredita,non sunt temere diuulganda.Nam si deposita sunt custodienda, etiã arcana quæ nobis commissa sunt. Alij ita intelligunt,Dum consilium petis ab amico,tuum aliquod peccatum non patefacies. Concionatores quoq; illa quæ eis committuntur ab afflictis hominibus,ne effutiant:hoc enim non est bonorum uirorum.Causam adijcit:

10 Ne fortè probris afficiat te audiens, & infamia tua non auertatur.

Iudices & alij qui hæc audiunt, te malũ uirũ esse dicent. Aduersarius quoq; tuus,si audiet, contumelia te afficiet. Nam qui quæ uult dicit, quæ non uult audiet:nec facilè nomen bonum poteris reparare. Quemadmodum uulnera nõ ita curari possunt,quin cicatrix appareat:ita non possumus nos ita purgare, quin semper aliquid suspicionis in hominum animis

hæreat. Valde itaq; peccant, qui innocentium hominum famam lædunt. *Infamia tua.*) Quidam actiuè accipiunt, qua alium affecisti.

11 *Sicut* mala aurea in cancellis (*uel celaturis*) argenteis, est uerbum dictum quibus modis dici debet.

Ad uerbum est, *Verbum dictum super rotas suas*, id est, ut par est. Castalio: *Oratio rotundè pronunciata.* משכיות maschkioth, opera ingeniosa, quæ homines ad contemplandum alliciunt. Verbum enim שכה sakah, significat contemplari. Quidam exponunt pro cancellis argenteis, quæ habent parua foramina, per quæ preciosa uidentur. In ædificijs uel poculis, uidere prominentia poma aurea, botros uel simile aliquid: in arbore quoq; matura poma conspicere, iucundum est & gratum: sic audire sermonem, locis, personis & temporibus accommodatū. Vt si quis errantem erudiat, uel consternatum aliquem consoletur, res est iucunda & grata. περὶ τοῦ συνκαίρως λέγειν, hoc est, de tempestiua oratione, Stobæus sermone 34.

12 Tanquam inauris aurea, & ornamentum auri puri, est increpans sapiens (*uel sapientem*) cui est auris obtemperans.

חלי Chali ornamentum uel monile. Oseæ 2. cap. dicit: Israelitas Baalim suffitum fecisse, & ornauisse inaure ac monili: deriuatur à חלה chalah quod significat ægrotare, & in piel orare, precari. Fortè ornamenta fuerunt, quibus superstitiosæ abusæ sunt in precibus, quemadmodum apud nos globulis illis, ut uocant, precatorijs, ex preciosa materia: uel amuleta, quæ cōtra uarios morbos de collo suspenderunt. Singulare decus urbis est, homo qui sapientem reprehendit. Videndum enim est quem reprehendas (stulti deteriores fiunt, si quis eos reprehendat.) Talis homo comparatur preciosis ornamentis. Seruat homines ab interitu. Correctio in scripturis sali comparatur. Caro statim putrescit, nisi sale cōdias: ita homines statim putrescunt in sceleribus, nisi reprehendantur. Non audiendi sunt, qui omnē reprehensionem tollunt. Sublata reprehensione, in pace nequaquam uiuere possemus. Docet hæc sententia, amicos castigandos, & castigationem bono animo recipiendam esse.

Castigationis utilitas.

13 Sicut frigus niuis in die messis (*sic*) legatus fidelis mittentibus illum, & animam domini sui requiescere facit (*uel reducit.*)

Legatus fidelis.

Quantam uoluptatem, nuncij fideles mittentibus eos afferāt, similitudine ostendit. Tempore messis, quando Solis maximi æstus sunt, frigida aura & gelida aqua, gratiss. est messoribus. צנה zinnah, propriè significat, quicquid est præacutum & perforat seu penetrat, per metaph. frigus hoc nomine dicitur, quòd instar gladij pungat ac penetrat. Alij cuspidem niuis interpretantur, Ein yßzapffen. Messores sæpe optant frigus niuis, uel glaciē, nihilq; eis est frigida aura gratius. Sic fidi nuncij illis qui eos miserunt, magnum gaudium afferunt. Quando mittis nuncium, qui exploret quomodo tui habeant, quid iucundius accidere potest, quàm si omnes rectè ualere nunciet? Mercaturā exerces, quid gratius tibi esse potest, quàm si nuncios quos mittis, fideles esse sentias? Talis nuncius restituit, id est, recreat animum heri sui. Sic mittuntur legati à principe aliquo, uel Repub. qui si periti sint rerum & fidi, quanta quæso bona ad principem & Rempub. redeunt? Homines sæpe bella metuunt & alia pericula, sed à fidelibus legatis magno curarum æstu liberantur. Vide cap. 25. uers. 25.

14 Vt nubes ac uentus & non pluuia (*sic est*) uir, qui se iactat de dono mendaci.

Hoc est, qui nō instituit dare. Venti pluuij & nubes, sæpe spem futuræ pluuiæ præbent, sed ne guttulam stillant, & hominum expectationem fallūt: ita liberi qui parentibus multa promittunt, nihil præstant: item alij, qui multa & magna pollicentur, quę ne in animum ducunt se facturos. Huc duo Apostoli, Petrus & Iudas, uidentur respexisse, quando in Epistolis suis falsos prophetas, comparant nubibus absque pluuia. Nam sitientes animas lactant, falsa spe condonationis peccatorum: habent præclaros titulos, infulas bicornes gerunt, quæ significant eos bene uersatos esse in utroq; testamento: habēt pedum pastorale, quod notat eos pascere oues: anterius incuruatur, quia attrahere ouiculas debent: dependet sudariolum, quia strenuè laborare debent: promittunt uerbis multa, sed nihil præstant, homines magis incertos dimittunt, quàm cum accederent, affligunt eos, non exhilarant, &c.

Nubes ἄνυδροι.

15 Longanimitate persuadebitur princeps.

ארך אפים Aerech apaim, ad uerbum, *In longitudine furorum*, id est, patientia. Si princeps non statim ex iræ impetu agat, sed expectet donec ira deflagret, placari poterit. Videbit sibi restitutus, quæ iratus uidere non potuisset. Ouidius quoq; dicit:

» Vt fragilis glacies, interit ira, mora.

Alexander

Alexander ira incitatus, Lysimachum leoni obiecit, Clytum hasta traiecit, & Callisthenem interfici iussit, postea frustra eum suæ crudelitatis pœnituit. Idem ille Alexander, post triduum æquior factus legitur illi, qui ab ipso irato prouocarat ad eundem placatum & tranquillum. Vtile igitur fuerit, moram aliquam interponere, ut ira abscedat. Athenodorus philosophus, cum ab Augusto impetrata missione patriam repeteret, rogatus, ut insigne aliquod prę- *Remedia iræ.* ceptum apud eum relinqueret, præclare admodum respondit: Antequam iræ indulgeas, & ad uindictam accedas, percurre tecum alphabetum Græcum, ut uel tantilla mora interposita, impetus animi sedari posit. Seneca in libro suo de ira, Maximum, inquit iræ remediũ est, dilatio, ut primum eius feruor relanguescat, & caligo quæ mentem premit, aut decidat, aut minus densa sit. Aristoteles quoq; libro 2. Rhetorico. dicit, tempus iram compescere & sedare. De Theodosio alibi diximus. Si hoc facit patientia in principe, quantò magis faciet in priuatis hominibus? Offensi igitur, impetum iræ suæ cohibeant. Plato iratus famulo suo, castigarem te aiebat, nisi succenserem. Quidam sic accipiunt, quod principis ira patientia nostra mitigari posit, si patienter feramus illius omnia, nisi prorsus inhumanus sit & crudelis, tunc enim placari non poterit.

Et lingua mollis, confringit os.) Lingua, id est, sermo (per Metonymiam) mollis & placidus frangit ossa, id est, duros homines, & uehementi ira concitos. Bonis uerbis sæpe ab iratis impetramus, quod nulla ui obtineri posset. Subditi placidè cum magistratu loqui debent, & sedare eorum iram, præsertim si uideant, eos mole negociorum & curis uarijs non parum turbari. Quanquam interdum uehementia suum quoque locum habet, quod exemplo prophetarum discimus. Sic debitores creditorum suorum, uxores maritorum, liberi parentum iram, non exasperent, sed leniant potius, agnoscantq; suam culpam. Similis sententia ponitur ab initio 15. cap. uersu 1.

16 Mel inuenisti, comede quantum tibi sufficit, ne fortè satiatus eo, euomas illud.

Mellis cibus suauis est & salubris, at si quis nimium comedat, nauseam parit: ne igitur nimium sumas. Pindarus in Nemeis dicit:

κόρον δ᾽ ἔχει καὶ μέλι, "
καὶ τὰ τέρπν᾽ ἄνθ᾽ ἀφροδίσια. "

Idem intelligendum de alijs cibi generibus. Quod de cibis dicimus, de potu quoq; intelligendum. Vinum bibe, sed non nimium, alioqui lædis ualetudinem. Theognis:

οἶνος πινόμενος πολὺς, κακός· "
ἢν δὲ τὶς αὐτὸν πίνῃ ἐπισταμένως οὐ κακὸς, ἀλλ᾽ ἀγαθός. "

Breuiter, omnibus in rebus mediocritatem seruandã docet: de qua re multæ pulchræ extant sententiæ. Circumfertur illud Epicteti uel Democriti: *εἴτις ὑπερβάλλοι τὸ μέτριον τὰ ἐπιτερπέστατα ἀτερπέστατα ἂν γίγνοιντο*: Si quis excedat modum, quæ suauissima sunt, ingratissima fient. Celebre est prouerbium, Ne quid nimis. Melli comparatur uerbum Dei, quod legẽdum quidem est, sed nõ curiosè scrutari debemus, quæ sunt supra captũ nostrũ. Vide infra uersum 27.

17 Prohibe pedem tuum à domo proximi tui, ne fortè satiatus te odio habeat.

Ad uerbum est, *Preciosum fac pedem tuum*, hoc est rarius accedas illum, ne desinas esse in precio. Quidam cum superiori uersu hunc iungunt, ut sit sensus: Quemadmodum is qui mel inuenit, non debet nimium comedere, sed quantum satis est: ita qui iucundum reperit amicum, non subinde eum accedat, ne tandem ædibus eijciatur. Opera amicorum modestè est utendum. Germani dicunt, equos uoluntariè incedentes, non nimium calcaribus urgendos esse. Cogitandum est, alios quoq; esse quos subleuare eum oporteat, eum numerosam habere familiam, noli ergo ei molestus esse, ne ex amico hostem facias. Reperiuntur homines nimis impudentes & importuni, qui beneuolentia aliorum abutuntur. Fieri etiam potest, ut alicui suspecti sint illi, qui ædes eius frequentant: cautio itaq; requiritur.

18 Malleus & gladius & sagitta acuta, uir qui respondet contra proximum suum falsum testimonium.

Comparat testẽ falsum, tribus instrumentis nocendi, malleo, gladio & sagittæ, פוץ potz, *Testis falsus.* significat cõfringere, conterere, dispergere. Hinc מפיץ mepitz, particip. in hiphil. dispergẽs, conterens: & nomen particip, dispersor, malleus quo petræ conteruntur, Ein schellhamer. Nihil perniciosius falso teste: hominum enim lædit fortunas, honorem, uitam. Pestilentissimi sunt illi falsi testes, qui non tantũ uitã hominibus, sed animã quoq; eripiunt: quales sunt falsi

doctores, qui pios homines & ueræ religionis amantes, dicunt contemnere diuos, & res sacras, uetare bona opera, hæreticos esse, ideoq; omni suppliciorum genere dignos. Deinde testantur uitam positam esse in rebus externis, cum in solo Christo posita sit, & quantum ipsos attinet, multos secum in tartara abducunt.

19 Dens malus (*uel fractus*) & pes labens, fiducia præuaricatoris in die angustiæ.

Qui spē in impijs ponunt, malè faciunt.

Spes בגד boged præuaricatoris, impij, infidelis, fœdifragi, quam habet in die afflictionis, peribit. Quia alios fefellit, ipse etiam falletur. Sperat in caducis rebus, proinde spe sua frustrabitur. Sperat item se Deum habiturum propitium: sed deseretur ab eo, non exaudietur, quia caret uera pœnitentia & fide. Sperat post hanc uitam, impios nullis tormentis torqueri, sed fallet eum spes. Sperat se uarijs officijs, quæ defunctis à superstitiosis exhibentur liberandum ex tormentis: sed hæc non magis ei proderunt, quàm dens putridus, si mordere aliquid, aut pes luxatus, si incedere uelit. Talis enim pes & dens, non modò suum officium non faciunt, sed ingentes dolores & cruciatus afferunt. Vel passiuè accipitur, fiducia quæ speratur ex impio, fallit hominem in die angustiæ. Multi sperant se liberandos ex periculis ab impijs, sed illi non modò opem eis non ferunt rebus aduersis, sed etiam malis afficiunt. Multi faciunt fœdera cum perfidis hominibus, postea sperant se iuuandos ab illis: sed nulla stabilis beneuolentiæ fiducia potest esse, omnia semper suspecta & solicita sunt, nec proderunt illi homines difficilibus temporibus. Israelitæ faciebant fœdus cum rege Ægypti, sed propheta arundini comparabat, qua quis pro baculo utitur. Hoc loco duplici similitudine ostenditur spe sua falli, qui auxilium ab impijs expectant. Peccant qui spem ponunt in pijs hominibus, multò magis qui in impijs & perfidis.

20 Remouens uestimentum in die frigoris, acetum super nitrum, & cantans in carminibus super cor malum.

Obscura & difficilis est hæc sententia. Videtur Solomon hoc uelle dicere: Musicæ honestum usum esse lætis temporibus, in luctu esse intempestiuum & molestum. Duplici id ostenditur similitudine. Vestes aut stragula alicui detrahere cum frigus est, & nitrum aceto perfundere, res absurda uidetur. Nitrum enim, ut quidam interpretes scribunt, si aceto perfundatur, fumat & crepitat, instar calcis infusa aqua, asperiusq; redditur: ita si illi qui animo est malo uel confracto, id est tristi, cantare carmen uelis, parum congruit: existimare enim posset, te lætari eius malis, mallet habere collachrymantem. Siracides quoq; dicit, Musica in luctu importuna narratio. Cui non absimile est illud Plutarchi de ει Delphico:

οὐ ναῦβλα κωκυτοῖσιν οὐ λύρα φίλη.

An Musica in funerib. adhibenda sit.

Hoc est, nabla & lyrā lugētib. ingratā esse. Docet hæc sentētia, suo tēpore omnia faciēda esse: est tēpus flēdi, est tēpus gaudēdi. Vide ca. 24. uer. 27. Quæstio ex hoc loco moueri posset, an in funeribus musicæ usus esse debeat. Certum est non solum Gentiles, sed Hebræos quoq;, in funeribus tibijs usos esse, Matth. 9. ca. Musica uidetur leniendi mœrorem uim habere. Christiani ad testandum fidem resurrectionis, sua funera cum cantu deducere uidentur. Hodie hæc res in quæstum conuersa est. Sed de hac re alios sinam copiosius disputare.

Gesneri sententia de nitro.

Posset hæc sententia etiam hoc modo exponi: illum ineptè facere, qui cum homine agit qui obstinato est corde. Quicquid enim uel dicas uel facias, magis indignatur. Sic Christus dicit: Tibia uobis cecinimus, & non saltastis, &c. Vocem נתר nether quidam nitrum interpretantur, alij alumen, alij terram quæ omnia reddat pura, si cum ea lauentur: alij saponem, & sic appellari scribunt, quòd remoueat uel transire faciat maculas è loco suo, descendit enim à נתר nathar, quod significat mouere de loco suo, saltare, subsilire. Lutherus cretam interpretatur. Alij salem Petræ, quidam tincar. Ieremiæ secundo capite dicitur, si laueris te בנתר benæther, nitro, alumine uel sapone, &c. Hac de re Conradus Gesnerus diligens rerum naturalium inuestigator, à me consultus pro sua facilitate ac humanitate, ad hunc modum respondit: Non dubito quin neter Hebræorum, sit nitrum à Græcis & Latinis dictum: non autem alumen, nec terræ genus, nec cineris, ut alij atque alij interpretantur. Nam & nomen ad nitrum accedit, & usus idem est, ad abluendum nempe & abstergendum: unde ego νίτρον, aliquando quasi νίπτρον, à uerbo νίπτειν, aut potius νίτρον ἀπὸ τοῦ νίζειν, ut à λούειν λουτρὸν, deriuatiuum conijciebam: quamuis non tam nitrum, quàm aphronitrum, in hunc usum olim adhibebatur, in quem scilicet eo obliterato, successit sapo. Factū autem Saponis nomen uidetur ab aphonitro per apocopem, ſ litera præposita: nam & aphonitrum sine rho in secunda syllaba aliqui scribunt. Porrò nitrū substantia sali cognatum esse, confessum est: quod

calore

calore siccescat dureturq; in lapidem: humore uerò resoluatur & liquescat, sicut & reliqua salis genera. Verisimile autem esteò citius liquescere, quò humor seu succus penetrans subtilior fuerit. Subtilissimus autem inter aquosos omnes acetum est. Itaq; eo imprimis corrumpi nitrum putarim, pinguibus uerò conseruari: nam ne sal quidem qui minus est durus, in oleo liquatur. Quamobrem boracis siue chrysocollæ aurifabrorum, species fossilis, siue natiua (quæ Venetias hodie affertur è Turcia, & ab eruditis nitrum, aut cognatissima nitro substantia existimatur) axungia inuolui solet, ut conseruetur. Nitrum quidem ipsum, ut Plinij iam temporibus, nonsolum Italiæ, sed medicis etiam parum fuit cognitum, ita minimè nostro tempore, imò à Plinij ætate hucusque in Europa. Res enim externa est, ex Asia aut Africa peti quondam solita, sed multis iam seculis desita. Longè aliud est quod uulgò Salem petræ uocant. Tincar Arabicum uocabulum, boracem uulgo dictam significat. Horum pleraque omnia, testimonijs authorum confirmare possem. Acetum uerò priuatim nitro aduersari, aut ipsum liquare, uix puto à quoquam proditum, etiamsi sit uerissimum. Sed desino, iustum enim libellum de hac re conscribere possem, &c. Hæc ille.

21 *Si esurierit odio habens te, ciba illum pane, et si sitiuerit, propina illi aquam.*

Docet non tantum abstinendum ab iniuria inferenda inimicis nostris: sed beneficia in eos conferenda, & ita uincendos esse. Inimici non tantum amicè uerbis compellandi, sed si possimus & necessitas postulet, pane cibandi & aqua potandi sunt. Per panem & aquam, intelligit omnia humanitatis officia, quæ ad uitam conseruandam necessaria sunt. Opibus tuis, consilio & opera, quantum tua fert facultas, quacunque in re. Postulante necessitate, iuuare debes inimicum tuum. Et nota quod dicitur, *si esurierit odio habens te*, non quem tu odio habes. Impij non modò par pari referunt, sed si quis eos uerbis lædat, illum ipsi factis lædunt, si quis eos uulneret, statim uita eum spoliare uellent. Sunt qui non lædunt suum aduersarium, interim tamen nullis beneficijs eum afficiant: sed pij pro malo bonum rependunt: nec cognatos tantum, sed hostes quoque, quouis genere beneficentiæ, Christi exemplo, prosequuntur, Matthæi quinto capite, Romanorum duodecimo capite. Miror Fratrem Dominicum Sotum in duodecimo capite epistolæ ad Romanos, ubi hæc uerba Solomonis ab Apostolo citantur, ausum esse scribere, huius præcepti uim & formam, solum ad tempus necessitatis extendi. Vbi enim, seu extrema seu graui necessitate inimicus perurgetur, teneri nos ei suppeditare necessaria ad uitam: extra illos autem casus, non esse nisi consilium: & idcirco tantum mentionem fieri cibi & potus, qui sint ad uitam necessaria. Solomon longè aliud sibi uult, non enim dissentit à uero Solomone, qui iubet ut proximum nostrum diligamus, quemadmodum ipse nos dilexit, &c. ac proximi nomine, hostes quoq; nostros comprehendit, ut alibi diximus. *Inimicis benefaciendũ.*

22 *Quia prunas tu accendis super caput eius, & Dominus reddet tibi.*

Rationẽ reddit cur beneficia in hostes nostros conferẽda. Quanquam hæc uerba nõ uno modo exponuntur. Quidã enim hũc sensum afferũt: Si pergas ei benefacere, & is non resipiscit, cumulatior erit ira Dei contra eum. Sic nos dicimus, Er tricht jhm selbs die glüt vff die füß/ hoc est, sibijpsi malum accersit. Non quòd pij, qui nihil aliud quàm malorũ hominum emendationem & salutem quærere debent, in hunc finem beneficia eis conferant, ut grauioribus tormentis afficiantur, sed quòd hæc dicantur, quasi per modum prophetiæ. Et hoc sensu per carbones ignitos ultio diuina significatur, atq; adeò æternum gehennæ suppliciũ. Ignis enim prunarũ uehemẽtius urit, quàm flamma, Psal. 18. & 140. Quidam per prunas ardorem charitatis intelligunt, ut sit sensus: accenduntur charitate mutua. Sunt qui Solo. putent largiri aliquid uelle affectibus hominũ, quasi dicat, Si uis te ulcisci de hoste, age, ulciscere hoc modo: beneficijs eum prosequere, & maiore pœna afficietur, ut hac concessione euellat affectũ hũc. Alia interpretatio est: adduces eum beneficijs tuis ad pœnitentiã mali, torquebitur animo & dolebit ei, quòd te læsit, accusabit seipsum, & incendetur ad mutuũ amorẽ, ac beneficijs tecum certabit. Vt per carbones ignitos, anxietas illa animi intelligatur, qua hostem mali commissi pœnitet. Vix enim aliquis tam est durus, qui beneficijs nõ mitescat, & agnoscat se peccasse, quanquam non omnes uera pœnitẽtia ducantur. Exemplũ habemus in Saule, qui plus semel fatetur Dauidẽ iustũ esse, se uerò iniustum. Addit, *Deus rependet tibi.*) Non peribit beneficium tuum, quod in hominem quantumuis ingratũ contulisti. חתה chatah, accepit ignem, sumpsit carbones, accendit. חתה chotær in particip. præs. sumens, id est, tu desumis. Paul. ad Rom. uerbo *σωρεύσεις* reddidit, id est, coaceruabis. שלם schillam significat reddere, שלם schalum uerò pacificum esse, pacificare. Hinc quidam reddunt, *Deus pacificabit tibi*, id est, con-

uertet cor aduersarij tui, ad habendum tecum pacem. Annotandum etiam est hoc: amandos quidem esse inimicos, sed non ita, ut non puniantur delicta eorum, præsertim à magistratu, cui disciplina Reipub. mandata est. Vtile ipsis est si castigentur. Expositio huius sententiæ habetur apud D. Augustinum lib. 3. de doctrina Christiana 16. cap. Exemplum uerò præclarum habemus lib. 2. Reg. 6. cap. in Helisæo, qui equites illos qui capere eam uolebant, non interfici, sed à rege honorificè tractari curauit.

23 **Ventus Aquilo fugat pluuias, & facies iracunda, linguam occultè** *(detrahentem.)*

Magni æstimant homines, si contra uarios morbos corporis, bona remedia habeant. Et qui aliquo morbo laborant, de remedijs loquentes libenter & diligenter audiunt. At animi morbi longè sunt periculosiores, ideoq; remedia quæ monstrantur in uerbo Dei, pluris facienda sunt. Hoc loco contra uulgarem quidem, sed perniciosissimum delationis morbum remedium ponitur. Si toruè delatorem aspicias, silentium ei impones, & abeo liberaberis. Simili hoc declarat. Quemadmodum Aquilo (qui Græcè Boreas dicitur) nubes dispellit, & imbres abigit. (Hom. αἰθρηγενέτην, hoc est, serenatorem, uocat: Hiero. scopam uiarum, quòd flando purget quicquid in uia obiacet.) ita uultus tristis, linguam absconsionis uel occultationis, hoc est, delatorem. Delatores enim absconditè loquuntur, ad nocendum alicui. Si uideant se non acceptos esse, diffugiunt, multò magis si uerbis apertè testeris, te odisse delationem. Sin uerò frontem non contrahas, sed blandè aspicias tales homines, eisq; fidem habeas, ad te attrahes eos, ut Cæcias nubes, dicent tibi multa, etiam falsa. Putabunt enim se tibi gratificari. Si hæc sententia omnium animis insculpta esset, melius omnes haberemus, nec quotidie cresceret calumniatorum numerus. Principes igitur & magistratus abijciant tales: parentes, liberis suis qui de præceptoribus & magistris suis, de uxoribus & maritis queruntur, aures non præbeant. Alij quoq; scelerati homines, uel rigido aspectu reprimuntur.

Remedium contra delationem.

Lyranus & alij sic exponunt, *Aquilo parturit pluuias, & faciem iracundam lingua occultè detrahens.* Nam uersus partes australes Aquilo generat pluuias, teste Aristotele 2. Meteororum. Sic lingua detrahens, uultum tristem, iram Dei & hominum prouocat in se. Vocem Hebræam deducunt à חיל, id est, parturire uel generare, alij à חלל cholel, quod prohibere significat uel creare & formare.

24 **Melius est sedere in angulo tecti, quàm cum muliere contentiosa & in domo communi.**

Nihil optabilius pace, maximè in coniugio: uxore igitur rixosa nihil molestius. Capite 21. hanc sententiam etiam exposui.

25 **Vt aquæ frigidæ super anima lassa** *(uel sitiente)* **sic nuncium bonum è terra longinqua.**

Aqua homini sitienti suauis est: ita nuncius bona afferens. Si liberos, cognatos, uel alioqui charos homines, habeas in peregrinis regionibus, sæpe animus tuus tristia tibi de illis præsagit, incerti etiam rumores de eorum casibus aduersis sparguntur: at si per homines uel literas, certior fias eos bene habere, uoluptatem tibi hoc maximam affert. Veluti cùm poculum aquæ frigidæ, in maximis caloribus sitienti affertur. Xerxi aqua manu hausta, à rustico, gratissima fuit. Artaxerxi iam siti deficienti, eunuchus à rustico quopiam sordidum utrem attulisse legitur, putris aquæ cotilas octo continentem: eam aquam cum rex ebibisset, confessus est, se nunquam uinum bibisse iucundius, nec ullam aquam quamuis purissimam uisam suauiorem. Diana apud Ouidium Metamorph. 6. ad agricolas dicit:

,, Haustus erit mihi nectar aquæ, uitamq; fatebor
,, Accepisse simul, uitam dederitis in undis.

Si tui egrediantur contra hostem, ut pro aris & focis pugnent, nihil optatius tibi accidere potest, quàm si intelligas eos uicisse hostes, & incolumes domum redire. Audiamus spiritualia quoque exempla. Si quis in animo suo æstuet, nescius quò se uertat, ut remissionem peccatorum consequatur: postea Euangelium, hoc est, lætum nuncium de remissione peccatorum per Christum audiat, recreatur ac reficitur. Si quis amans ueræ religionis, audiat ex fide dignis hominibus, regna & populos puriorem doctrinam recipere, ueluti hoc tempore florentissima Galliæ, Angliæ & Scotiæ, regna, nō minori uoluptate afficitur, quàm si messor aliquis in summis ardoribus in lympidissimum fontem incidat.

26 **Fons conculcatus & uena** *(aquarum)* **corrupta, iustus inclinans sese coram impio.**

Fontes

Fontes in pagis & oppidis necessarium usum habent. Aqua non tantum ad potum, cibos, mundandas uestes, sed etiam ad alias res innumerabiles utimur. Philosophi, eius utilitates igni præferunt, eò quòd multa animalia absque ignis usu degant, sine aqua uerò nullum. Plantas quoque & herbas citra aquæ humectationem certum est non florescere. Hanc ob causam Pinda. dixisse uolunt, ἄριστον μὲν ὕδωρ. Sæpe propter penuriam aquarum, sedes mutare oportet. Leges quoque ciuiles, fontes muniunt. Si quis fontem turbat uel pedibus, uel iniectis sordibus, homines lædit & pecora: ita si iustus deponatur ab officio, pellatur in exilium, uel occidatur ab impio, ciuitati amplius prodesse non potest. Nam quemadmodum fontes utiles sunt, ita uiri sapientes in Republica & in Ecclesia. Etiam Socrates, sapientem publicum bonum esse definiuit. Suprà capite decimo. Os sapientis, aquarum scatebræ comparatur. Deus quoque comminatus est suo populo ingrato, quòd præstantes uiros ab eis ablaturus sit. Isaiæ tertio capite. מָט moth significat declinare, cadere, nutare, amoueri de loco suo, & potest esse præteritum uel participium. Sunt qui ita intelligunt, *Declinās coram impio*, id est, dans locum impio, declinans à recto, metu pœnæ, aut alias ob causas, non purè amplius loquitur. Vel, *Cadens coram impio*. Scilicet in peccatum. Peccatum enim eorum exaggerat, & ob unum delictum, totam eius uitam damnat. *Aquarum infinitæ sunt utilitates.*

27 **Comedere mel multum, non est bonum, & inuestigatio gloriæ eorum (*non est*) gloria.**

Quemadmodum illis, qui nimium mellis comedunt, mel officit: ita qui gloriam eorum, id est, scientiam rerum sublimium, inuestigare contendunt. Scrutandæ quidem sunt res diuinæ. Christus enim hortatur nos, ut scripturas uel eloquia Dei, quæ melli comparantur & aquis profundis, scrutemur: sed qui curiosè illa inquirunt, quæ absconsa uoluit Deus, non rectè faciunt. Quæ ad nostrum officium pertinent, sunt inquirenda, non quæ Deus sibi soli seruauit. Confutantur hac sententia Astrologi illi, qui ex signis cœli, de totius anni bellis, morbis, caritate annonæ, & alijs rebus prædicunt, quæ à libera Dei prouidentia, non ab astris dependent. Gregor. Nazianzenus eos non secus ait facere, quàm si quis conspecto solio principis, conetur omnia eius consilia & animi cogitationes explicare. Deinde illi qui indicata natiuitatis hora, de totius uitæ cursu, de ingenio alicuius, uirtutibus, uitijs & mortis genere uaticinantur. Reprehenduntur etiam, qui horam, diem, mensem uel annum ultimi iudicij, quique æternæ prædestinationis & prouidentiæ Dei, aut sanctæ trinitatis arcana, curiosè inquirunt. Hoc non caret periculo: sed quemadmodum illi qui in summas arbores ascendunt, aliquando decidunt: ita illi qui se in sublime proripiunt, & arcana scrutantur, sæpe ad insaniam rediguntur. Hebræi relatiuum *eorum*, ad sanctos referunt, ut sit dissimile: quemadmodum non est bonum comedere nimium mellis, ita gloria est scrutari gloriam iustorum, hoc est, doctrinam siue uirtutes, quibus gloriam adepti sunt. *Nimia inuestigatio rerum.*

28 **Vrbs dirupta & absq; muro, uir cuius spiritui non est cohibitio.**

In oppidum quod muro & fossa non cingitur, etiam noctu homines & animalia ingrediuntur, oppidani hostem repellere facilè non possunt: sic uir qui cupiditates suas non frenat, facilè ab eis occupatur, in seruitutem redigitur, malumq; accipit. Vt per spiritum, non iram tantum, sed alios quoq; affectus intelligamus. Muniendæ sunt mentes, ut impulsibus istis possint resistere, & ab inuisibili hoste non capiantur. *Spiritus.*

CAPVT XXVI.

Sicut nix in æstate, & pluuia in messe, sic neq; conueniens est stulto gloria.

HONOR est præmium uirtutis, non igitur in stolidum uel impium hominem debet conferri. Nam quemadmodum nix in æstate, & pluuia in messe, res intempestiua est, quæ illi tempori minimè congruit: ita stultis non conuenit honor. Si magnis titulis ornantur, si promouentur ad munera ciuilia uel Ecclesiastica, sibi multum placere incipiunt. Deinde obsunt alijs: perdunt Rempublicam, non propagant ueram pietatem. Ideoq; pij imperatores, in constitutionibus suis cauerunt, ne hæretici in Republica honestum locum consequerentur. Pugnat cum iusticia, si honorem illis impendamus, quibus non debetur. Quia uerò pluuia messi non conuenit, orandus est Deus pro bona tempestate, &c. *Honor in benemeritos conferendus.*

2 Sicut passer ad uagandum, & hirundo ad uolandum, sic maledictio sine causa *prolata* non ueniet.

Diræ & execrationes.

Scilicet, super illum in quem profertur. Damnat hæc sententia superstitionem, hoc est, immodicum metum. Diris imprecationibus & maledictis impiorum hominum, non debemus moueri. Nam quemadmodum non curamus incertum uolatum passerum, uel hirundinum (peruagari enim & uolare idem significat) molestum enim hoc esset & inutile: ita non magnopere soliciti esse debemus, si furiosi homines, dira quæq; nobis imprecentur. Auiculæ quoque hæ, euntes & redeuntes nihil nocent, & quàm facilè auolant, tam facilè illa uitantur, quæ quis iniquè nobis imprecatur. Sunt quidam superstitiosi & pauidi, qui stultè metuunt, ne execrationes effectum aliquem habeant. Germani dicunt, felium preces non penetrare cœlum. Licet Papæ propter receptam Euangelij puram doctrinam, nos diris deuoueant, & bruto fulmine excommunicationis feriant, addantq; faces uel cereos ardentes, quos è sublimi magna solennitate iaculantur, non tamen magis curare debemus, quàm ueteuli canis latratus. Deus enim maledictiones eorum uertit in benedictionem. At si quis non temere, sed ex uerbo & præcepto Dei, maledictiones proferat, effectum suum habent. Leuit. uigesimosexto. Deuteronom. uigesimoseptimo, & uigesimooctauo, multæ ponuntur. Maledictus qui facit sculptile, qui non honorat parentes, qui transfert terminos proximi sui, qui errare facit cæcum in uia, qui euertit iudicium peregrini, uiduæ & pupilli, qui dormit cum matre uel nouerca sua, cum sorore sua, cum socru sua, cum omni iumento. Hæ execrationes siue maledictiones non sunt inanes: nam si homines absque pœnitentia decedunt, sentient Deum non esse uanum. Ita Helisæus iusta causa maledixit pueris. Noe maledixit nepoti suo Chanaan, eò quòd Cham pudenda ipsius cæteris fratribus ostenderat. Iosue execratus est illum qui restitueret Iericunta. In prophanis literis legitur, Oedipum in exilium pulsum, filios quòd patrem in calamitate nō defendissent, imprecationibus diris esse execratum, quæ quidem non irritæ fuerint: iuuenes enim illi mutuis uulneribus ceciderunt. Apud Homerum Iliad. 1. Phœnix narrat sibi dira illa, quæ pater illi imprecatus fuerat, contigisse. Quidam sic intelligunt: Quemadmodum passer huc & illuc uagatur, & demum ad suum reuertitur nidum: sic maledictio ad locum unde profecta est. Id est, ad maledicentem reuertetur, & ita homines maledicendo sibi, non alijs nocent.

3 Flagellum equo, capistrum *uel frenum* asino *conuenit*, sic uirga tergo stultorum.

Equus regendus est flagello, asinus freno, ita stultus uirga. Stulti seipsos regere nec uolunt nec possunt, cum primum sentiunt se non castigari, insolentes fiunt: uirgarum igitur metu coercendi sunt, ut suum faciant officium, aut si nolint, alij eorum terreantur exemplo. Deus quoque nos per afflictiones & aduersitates retinet in officio. Psaltes hortatur nos, ne fiamus sicut asini & equi.

4 Ne respondeas stulto, secundum stulticiam suam, ne adæqueris ei, etiam tu.

5 Responde stulto secundum stulticiam suam, ne fortè sit sapiens in oculis suis.

Respondere stulto secūdum stulticiam suā.

Hæ sentētiæ, prima specie uidētur pugnare, sed reuera nulla est pugna. Nā in priore sententia, aliter accipit respōdere secūdum stulticiā suā, aliter in posteriore. Alij distinguūt in stulto: quidā enim reduci possunt ad sanā mentē, quidam sunt incurabiles & pertinaces. Contradicentiū aūt hæc lex est, ut de eodem, ac eodem respectu nō dicatur. *Ne respondeas stulto secundum stulticiā suā*, hoc est simili stulticia: si cōuitijs & sannis tecū agat, tu memor modestię, nō par pari referas, alioqui similis eris ei, omnesq; dicēt, Nescio uter ex illis plus sapiat, cū Bittho Bacchius cōmissus est. An si aduersarius tuus in gurgitem se præcipitē dare uelit, tu idem facies? In scriptis quoq; hoc cogitandum est, si aduersarij nostri, innumerabilia conuitia contra nos congerant, abstinendum tamen nobis est à cōuitijs, ne eadem in re peccemus qua ipsi. Deinde, *responde stulto secundum stulticiam suam*, hoc est, quemadmodum stulticia eius exposcit: ostende ei stulticiam suam solidis argumentis, ne sibi sapere uideatur, & ut alijs stulticia eius manifesta fit. Exēplo rē declarabo: Papistæ mordicus retinēt Confessionem auricularē, utq; eam defendant ex sacris literis, inter alia proferūt locū ex Epistola Iacobi 5. ca. Cōfitemini inuicem alius alij delicta. At ostēdendum eis est, hunc locū nihil ad eorum institutum facere: loquitur enim de quotidianis offensis Christianorum inter se, quas statim uult cōciliari: nō præcipit, ut sacrificulo alicui peccata sigillatim recitemus, & absolutionem à peccatis ab illo petamus. Deinde si hic sensus esset, sacrificuli quoq; laicis debere peccata sua in aurem dicere. Ita alijs quoq;

quoq; ineptis eorum argumentis respondendum est. Aliquando clauum clauo retundere licet:sic Christus Matth.15.&23. Videndum tamen, ne quid ex prauis affectibus à nobis fiat. Clemens Alexandrinus, loqui secundum stulticiam stulti, intelligit, se demittere ad captum eius, ut per illa quæ ei sunt familiaria, perueniat ad fidem ueritatis.

6 Succidens pedes, & bibit iniquitatem, mittens uerbum per manum stulti.

Sæpe de nuncijs fit sermo in hoc libro, quantum commodi afferant industrij & fideles, econtrà quantum incommodi negligentes & perfidi. Per nuncios non tantum legatos intelligit, sed in genere omnes qui mittuntur, siue à priuatis hominibus, siue magistratibus, ad exequendum aliquid: quales sunt concionatores, prætores, milites, serui, &c. Iterum ostendit quàm malè faciat, qui magna negocia per stultos tractat. Similitudine res illustratur, præcidit pedes, scilicet suos: hoc est, sibi temere maximos cruciatus, quin ipsam mortem accersit, qui in negocijs arduis, ueluti bellis & alijs, legato aut imperatore utitur stulto. Vel pedes, scilicet eius quem aliquo mittit: hoc est, non minus ineptè facit, quàm si quis illum, cui pedes truncasset, iuberet ire. Nam ut mutilus ille, iter facere non potest, sic ille destitutus uirtutibus quibus legati instructi esse debent, imprimis prudentia & eloquentia, nihil efficiet. Accedit aliud damnum, quòd qui talem misit, bibet iniquitatem, id est, implebit se iniquitate, & patietur iniuriam, malorumq; particeps erit, quorum ineptus ille author est. Exēplum eiusmodi legatorum, sunt speculatores qui è terra Chanaan reuersi Israelitis inobedientiæ authores fuerunt, Num.13.&14.cap. Discamus itaq; ex hac sententia, res arduas dignis hominibus committere, &c. *Res magnæ non stultis cōmittēdæ.*

7 Eleuatæ sunt tibiæ à claudo, sic & parabola in ore stultorum.

Crura in claudis eleuata sunt, id est, inæqualia, unum uel maius est uel minus altero, aut etiam altius: sic si stultus uelit γνωμολογεῖν. Sententia enim uel parabola in ore stulti, non conuenit cum alijs eius sermonibus. Tametsi aliquando dicat sententiam, tamen illis quæ antè dixit, aut postea dicturus est, non est similis. Stultus enim stulta loquitur. Prudens sermo non minus alijs sermonibus respondet, quàm (ut alia similitudine utar) si quis serico lineum pannum assuat. Lutherus reddit, *quemadmodum claudum choreas ducere est absurdum, &c.* *Parabolam non conuenire stulto.*

8 Sicut qui ligat lapidem in funda, sic qui dat stulto gloriam.

מרגמה margemah, aliqui interpretantur fundam, aliqui aceruum lapidum, aliqui uerò purpuram. Hîc non una est huius loci expositio, idem tamen sensus. Quemadmodum ineptè facit, qui lapidem mox excutiendum, fundæ alligat: ita qui stultum honore afficit, idq; uerbis uel factis. Vt si meretricem ornes probę matronæ titulis, non decet. Si Antichristum, quem Zacharias stultum pastorem uocat, sanctissimum salutes, non minus competit, quàm si lapidem in fundam ligares. Sic si homines indignos & stultos, ecclesijs præficias, aut in senatorum ordinem deligas, ineptè agis. Vel, quemadmodum qui ligat, id est, ponit lapidem, scilicet preciosum in funda, ut eum eiaculetur, stultè facit: sic qui stulto honorem tribuit. Vel, quemadmodum ille ineptè & ridiculè facit, qui lapidem ex aceruo uulgarium lapidum acceptum, ligat, id est, auro includit, sic qui honorem defert stulto. Vel, quemadmodum ille ineptè & ridiculè facit, qui ligat, id est, auro includit lapidem, scilicet preciosum, & proijcit in aceruum aliorum lapidum: sic qui stulto dat gloriam. indignus enim est gloria. Item qui ligat lapidem platearum in purpura, sic qui stulto gloriam confert. Vulgata translatio habet, *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem.*) Quæ interpretatio sumpta uidetur à Græcis, qui, ut Erasmus Roterodamus annotat in prouerbio, Mercuriale, uariè hanc uocem transtulerunt. Quidam ἑρμαῖον, quod significat aceruum lapidum. In itineribus enim ambiguis, uiatores aceruos lapidum Mercurio sacros ponebant. Aliam interpretationem affert, Ioannes Saresberiensis in Policratico suo de nugis curialium: Ego, inquiens, sapientiorum uenia impetrata, aceruum credo Mercurij, in quo consistit ratio calculandi, quia Mercurius numen illorum est, qui negotiationem exercent, & ratiocinijs suis diligenter inuigilant. Mittere ergo lapidem in aceruum, quo regitur ratio calculandi, est totam turbare calculi rationem, & honorem conferre insipienti, est Reipub. subuertere uitam, &c. Quidam annotant Salomonem loqui de lapide precioso in funestum aceruum lapidum proiecto, qui ad hoc destinatus erat, ut eo damnati lapidarentur, atque ideo huic populo abominabilis erat. Omitto alias interpretationes, quæ minus ad rem facere, & ex inscitia linguæ Hebręæ natæ esse uidentur. *Stultum nō honore afficiendū esse.*

9 Spina quæ ascendit in manu ebrij, parabola in ore stultorum.

Ebrius non aliter incedit, quàm si in loco lubrico uersaretur, subinde casurum putamus.

Nec spinam ebrius, nec parabolam stultus tractare potest.

Si nunc spina ascendat in manu eius, id est, si gestet spinam in manu sua, ud aliud quidpiam simile, cultrum uel gladium, & se & alios lædit: sic stulti, si egregiam aliquam doctrinam uel sententiam habeant, uti ea non possunt: non enim consultant cum genere auditorũ, nec obseruant regulam Christi, ne quis sanctũ canibus proijciat, uel margaritas spargat ante porcos. Hinc fit ut mali hæc audientes, in rabiem uertantur, (non aliter quàm canes si cibos aromatis conditos gustauerint) & stulti illi in periculum ueniant. Scripturæ quoq; locis & exemplis, & sibi & alijs, stulti nocent, quando ijs ad scelerum defensionem abutuntur.

10 Magnus *uel Dominus* creat omnia, & mercedem dat stulto, & mercedem dat transgressoribus.

Deus Opt. Max. (qui *κατ' ἐξοχὴν* magnus dicitur) non tantum omnia condidit, sed etiam conseruat. Homines non tantum pios, sed impios quoq; alit ac nutrit, non secus quàm si deberet eis cibum. Vt eadem sit sententia, cum illa Matth. 6. cap. Solem suum exoriri finit Deus super bonos & malos. Deinde, dat mercedem impijs hominibus, hoc est pœnas eis debitas immittit, aliquando in hoc, aliquando in futuro seculo. Sunt qui hunc uersum sic intelligant, *Magister parat omnia*, id est, peritus artis suæ conficit omnia per se, *stultus autem mercede conducit.* עברים ofrim, *præteritores, transeuntes*, id est, qui obiter & transeunter aliquid faciunt. Vel *transgressores*, id est, perditos homines. Quidam reddit, *princeps uulnerat omnes*, hoc enim uerbum etiam uulnerare significat.

11 Vt canis reuertitur ad uomitum suum, sic stultus iterans stultitiam.

Locus ex 2. Pet. 2. cap. explicatur.

Stultus qui iterat stultitiam suam, hoc est, qui semel à falsa religione, ueluti Iudæorum, gẽtilium, Turcarum, Papæ & aliorum, quiq; à sceleribus liberatus est, sed postea in illa relabitur, similis est cani, qui quod euomuit resorbet. Fœda est similitudo, sed res cui applicatur multo est fœdior. Huc respexit D. Petrus in calce 2. epistolæ cap. 2. ubi de illis agit, qui uerbis & fercu lis falsorum doctorum deliniti, ad falsam religionem relabuntur. Si posteaquam refugerunt, inquit, ab inquinamentis mundi, per agnitionem Domini & seruatoris Iesu Christi, tamen his rursum inuoluti superantur: facta sunt illis postrema peiora primis. Satius enim fuisset illis, non cognouisse uiam iustitiæ, quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo quod illis traditum fuit, sancto præcepto. Verum accidit illis quod uero prouerbio dici solet: Canis reuersus ad suum ipsius uomitum: & sus lota reuersa ad uolutabrum cœni. Hæc uerba mirificè faciunt ad huius gnomæ explicationem. Per inquinamenta mundi, idem intelligit quod Salomon per stultitiam, nempe falsam religionem, & turpem uitam. Per cognitionem uerò Christi, non nudam notitiam, qualis etiam est in diabolis, Iacobi 2. cap. sed ueram fidem in Christum. Sic Esaiæ 53. dicitur, in sui cognitione seruus meus iustus, Christus scilicet, multitudinem iustificabit. Qui nunc superstitionibus & sceleribus rursus inuoluuntur, illorum pessima est conditio. Huc pertinent uerba Christi Matth. 12. & Luc. 11. de satana, qui si homines non inuigilent suæ saluti, ipse uigilat. Exempla multa huius rei, nõ tantum in priuatis hominibus, sed etiam urbibus habemus. Addit satius esse uiam iustitiæ, (id est, euangelium quod docet quomodo iustitiam & salutem consequamur, uel ipsum Christum, qui est uia, ueritas, uita & iustitia nostra) non cognouisse, quàm conuerti à sancto præcepto: hoc præceptum extat, in 1. Ioan. 3. cap. nempe ut credamus in Christum, & nos inuicem diligamus. Scientes autem uolũtatem Dei grauius punientur. Duas postea similitudines affert D. Petrus, sumptas ab immundis animalibus, quibus apostasiæ fœditatem demonstrat. Non dissimilis huic sententiæ, est illa Iesu Siracidis, Qui lauatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodest lotio illius? Docet itaq; hæc sententia, quàm necessaria sit constantia siue perseuerantia: de hac uide Matth. 10. 24. 2. Timoth. 3. 4.

12 Vidisti uirum sapientem in oculis suis, spes est de stulto magis quàm de ipso.

Phrasis est, Vidisti uirum, (quæ infrà cap. 29. quoq; habetur uersu 20.) pro, Si quispiam est talis. Si uir aliquis, uel etiam mulier aliqua, sibi uidetur sapere, uix ad sapientiam perueniet, etsi aliqua initia eius habeat: non enim uult erudiri à uerè sapiente, quia putat se sapientem. Accipe exemplum de rebus domesticis: ignaua aliqua uxor, quæ putat se rei domesticæ peritam esse, licet non sit, non audiet bene monentes, de rebus omnibus rectè constituendis. Qui sibi persuaserunt falsam religionem ueram esse & gratam Deo, non facilè ueram recipient. Delectantur stulti homines organorum strepitu, cantu, thure, auro, argento, serico: doctrina item quæ non omnem salutem soli Christo tribuit, item quæ liberationem ex purgatorio promittit, ijsdem igitur Deum quoq; gaudere, sibi persuadent. De illis hominibus, nisi Deus spiritu suo eos afflet, non magis sperandum est, quòd recepturi sint puram doctrinam,

quàm

quàm de stultis quòd sapientes euasuri sint. Christus dicebat, publicanos & meretrices pharisæos & scribas præcedere in regnum cœlorum. 1. Cor. 3, Si quis uidetur inter uos sapiens esse, in hoc seculo stultus fiat, ut sit sapiens. Ad Rom. 12. Nolite prudentes esse apud uosmetipsos. De hac sententia lege Chrysostomum homilia 30. ad populum Antiochenum. Repete plura ex cap. 3. uersu 7.

13 Dicit piger, Leo est in uia, leo est in medio platearum.

Suprà cap. 22. uers. 13. similis habetur sententia. In paruis & magnis rebus suas excusationes pigri homines afferunt, ut ociosi esse possint. Fingunt mille pericula, ubi nulla sunt, sub omni lapide, ut est in prouerbio, dicunt scorpium dormire. Si religio sit recipienda aut defendenda, si bonæ leges promulgandæ sint, mox animum despondent. Si pugnandum pro patria, ante tubam trepidant. Si fortiter res aggrederentur σὺν θεῷ, uiderent omnia feliciter succedere, & omnia impedimenta feliciter amoueri. Desidia interim sua in maxima pericula sese & alios coniiciunt. שחל schachal, Septuaginta nunc leænam, nunc pantheram uertunt. Psalmo 91. Chaldæus catulum leonis interpretatur. Hoc loco Septuaginta ἀποστελλόμενος legunt, tanquam Hebraicè legerint שלח schalach. Leo apud Hebræos plura habet nomina, secundum diuersos ætatis gradus, quemadmodum in lingua Germanica cerui. Vide Gesneri nostri historiam animalium. *Pigri habēt suas excusationes.*

14 Sicut fores uertuntur in cardine suo, sic & piger in lectulo suo.

15 Abscondit piger manum suam in sinum, fatigatur reducere eam ad os suum.

Illas sententias etiam habuimus suprà 19. & 22. ideo autem repetit, quòd plurimum refert illas animis nostris habere insculptas. Naturam pigrorum tanquam in speculo uidendam proponit, ut uidentes huius uitij deformitatem, nobis caueamus. Pigri in lectis suis circumaguntur: pigri manus suas remittunt, & in sinum immittunt, aliquando uix ori admouere possunt: esurire malunt quàm cibos parare, cuperent aliquem habere, qui nutricis instar, cibum in os insereret.

16 Sapientior est ignauus in oculis suis, septem respondentibus consilium.

Si ignauus pro stulto accipiatur, sensus erit: Quò quis minus nouit, eò plus sibi sapere uidetur. Stulti itaq; uix & ne uix quidem, ad frugem aliquam perueniunt. Alios non consulunt, sibi enim nihil putant deesse. Si alij consulant eis, consilia eorum respuunt, & mirantur illorum stulticiam, qui ligna in syluam portare uelint, & noctuas Athenas: putant se prudentiores septem, id est, multis consilio pollentibus, more Hebræorum, apud quos septenarius numerus uniuersitati est consecratus, eò quòd diebus septem mundus uniuersus absolutus est. Castalio interpretatur, *septies sapientior.* Septem sapientibus, quos antiquitas celebrat, sese anteponunt. Quin in negocio religionis, pastor stultus, hoc est, Papa Romanus se prophetis, Apostolis & ipsi Christo non modò æquat, sed etiam anteponit. Nisi enim res ita haberet, non sub capitalibus pœnis illa hodie Christiano orbi obtruderet, quibus primitiua Ecclesia feliciter caruit. Si quis morbum suum agnoscit, illi consuli potest: ita qui inscitiam suam fatetur, maiores subinde in sapientia progressus faciet.

Si pigrum secundum literam simpliciter accipias, sensus est: Piger sapientior sibi uidetur quàm sint multi sapientes. Dicit enim, illis bona uina non creuisse, sed sibi: illos cerebrum immodicis studijs corrumpere, & genium fraudare, insomnes noctes ducere, se uerò cum bonis socijs uersari, & rebus audere uti. Pigri qui nullum periculum adire uolunt propter ueritatem, iudicant stultos esse, si qui se periculo propter Euangelium exponant.

17 Apprehendit canem auribus transiens, qui irascitur in lite *uel causa* non sua.

Ostendit illos qui se alienis negocijs & litibus immiscent, sibiipsis malum accersere. Si duo uel plures uerbis contendunt, uel strictis gladijs rem gerunt, non debes te alteri ex illis temere coniungere, sed pugnam dirimere, quemadmodum charitas suadet & leges præcipiunt. Vel, duo habent forensem controuersiam, ne temere pronuncies, quis meliorem causam habeat, sed sine constitutos iudices hanc rem decidere. Principes bella gerunt, ne te immisceas, si ex officio facere non teneris, sed sequere tuam uocationem, alioqui non impunè feres. Idem de alijs publicis & priuatis negocijs intelligendum est. Periculum ostendit simili, qui canem apprehendit auribus, uel ut nos dicimus, cauda, læditur: hoc est, qui canem lacessit, ita qui se litibus ad se nihil pertinentibus immiscet. Castalio interpretatur, *prehendit auribus prætereuntem canem, qui se in certamen interponit alienum.* Huic, quod Solomon dicit, appre- *Rixis ne te immisceas.*

hendere canem auribus,respondent illa prouerbia Græcorum τὰς σφῆκας ἐρεθίζειν, irritare crabrones. τὸν λέοντα νύττειν, leonem pungere,seu uellicare. ὀκτώπουν ἀναγείρειν, octipedem, hoc est, scorpium excitare,&c.

18 Sicut abscondit se, qui emittit scintillas, *uel insaniam simulans* sagittas, & uasa mortis:

19 Sic qui fraudat amicum suum,& dicit,non'ne ludo ego?

Qui flammas inijcit in ædes alterius, ut eas exurat, & qui sagittis uel alijs instrumentis mortiferis,alterum conficit,uidet ne quis rescıscat.(Quanquam stultum hoc sit,Deum enim fallere nō potest,qui mirabili ratione atrocia scelera prodit.) Sic qui fraudat proximum suū, postea deprehensus dicit,se lusisse,ut nihilominus amicus esse iudicetur. להה lahah in hithpahel significat etiam simulare insaniam,& tunc,ut uidetur,hic erit sensus: Qui domum alterius incendit,& qui conficit proximum suum,deprehensus simulat insaniam,ut ei parcatur. (Leges enim furiosis hominibus parcunt.) Sic qui amico suo iniuriam intulit,postea se ioco fecisse dicit,ne hostis loco habeatur.

20 Cum non fuerint ligna,extinguitur ignis:sic cum non fuerit susurro,silebit contentio.

Susurro lignis comparatur:nam quemadmodum lignis ignis conseruatur: sic susurro alit iurgia & dissidia inter homines.Si ligna imponas igni,maior subinde fit,si extrahas ex igne, extinguitur:Ita si locum apud te habeāt susurrones,contentiones augescunt. Queruntur multi de iurgijs quæ inter ipsos sint,sed si susurronibus frenum imponerent,uel eos domo expellerent,altissima pace fruerentur. Vide cap.22.uersu 10.

21 (Vt) carbo (*est aptus*) ad prunas, & ligna ad ignem, (*sic*) & uir contentiosus ad succendendum lites.

Similis est hæc sententia superiori, nisi quòd hîc de alio hominum genere agitur, nempe de contentiosis,qui leues ob causas mouent certamina.Vt carbo facilè ignem concipit, si prunis,& ligna si igni admouentur:ita uir contentiosus discordiam facilè excitabit. Tales homines,non tantum familias,sed & Respub.atq; Ecclesias perturbant.

22 Verba susurronis (*sunt*) tanquam blandientia, (*uel sicut uerbera,*) & ipsa descendunt ad cubicula uentris.

Susurrones. Susurrones præ se ferunt blandis suis uerbis amorem,cum erga illum cui aliquid referunt, tum erga illum de quo aliquid dicunt.Hæc refero tibi,inquiunt,quia te amo,& dolet mihi illum,cuius alioqui mores mihi non displicent,hæc & hæc dixisse. Quid fit? uerba illa altius descendunt in animum,quàm quisquam putet.Indignè ferimus si quis nos uel uerbo lædat, statim de ultione cogitamus:malè itaq; faciunt delatores instigando homines contra aduersarios,quos ad amorem potius inflammare debebant.Vide cap.18.uersum 8.

23 Sicut argentum scoriarum obductum (*uel tectum*) super testam,labia ardentia & cor malum.

Gnome est ualde obscura,sensus tamen hic simplex esse uidetur. Quemadmodum de argento testæ imposito,iudicari potest,multum ne scoriæ habeat uel minus:ita ex labijs ardentibus,id est,succendentibus & inflammantibus alios ad malum,uel furentibus: de corde hominis,quale nam sit,facere iudiciū possumus.Nam quod testa,id est,uas fictile est sub argento non purgato,hoc cor malum sub labijs ardentibus.Luth.reddit, *maledicum os & cor malum,simile est testæ scoria obductæ.*

24 Labijs suis cognoscetur *uel alium præ se fert,* qui odio habet: at in interioribus suis ponet dolum.

25 Cum gratiosam fecerit uocem (*aut cum orauerit,*) ne credideris ei,quoniam septem abominationes sunt in corde eius.

נכר nachar significat agnoscere & alienare se. Hinc est quod quidam uertunt, *labijs suis agnoscetur hostis:* odium suum non poterit abscondere. Quæ expositio non bene quadrat mox sequentibus. Alij uerò reddunt, *alium præ se feret,uel alium se ostendet.* Simulant inimici nostri uultu amorem nostri,odium dissimulant,at interim insidias nobis parant: cumq; blandè nos alloquuntur,suamq; operam nobis promittunt, non est eis fidendum, præsertim hostibus fidei. Quando enim nobis blandiuntur,insidijs nos petunt.Septem,id est,multæ abominationes, hoc est,uafra consilia,latent in pectore ipsorum. Huc pertinet prouerbialis ille senarius, qui admonet ne de hostibus simus securi: ἐχθροῖς ἀπίστων μή ποτ' ἂν πάθοις βλάβην.

26 Operit

26 Operit se odium in deceptionem, manifesta erit malicia eius in congregatione.

נשא nascha, seducere significat & desolare. Sensus igitur est, Hostis odium suum celat, amorem prę se ferens, ut decipiat proximum suum, uel ut desolationem super eum adducat, at in congregatione, manifesta erit malicia eius. Quod bifariam potest intelligi. Primùm, in conuentibus hominum quando proximum laudant, eumq; ad dignitatem aliquam promouere uolunt, animum suum prodet. Vel in congregatione illa magna, quando omnes ante tribunal Christi sisti oportet, manifestum fiet, quid quisq; in corde reconditum habuerit, & in manifesto punientur, qui clàm proximis suis insidias struxerunt.

27 Qui fodit foueam (*alteri*) cadet in eam.

Idem dicitur in Ecclesiaste 10. cap. Psal. 7. 9. & 18. & 37. Sensus est, qui alteri malum parat, incidet in illud. Translatum est ab his, qui foueis effossis, lupis, uulpibus & alijs feris insidiantur. Vel ab illis qui oppida ingredi uolunt, effossis cuniculis, in quibus sæpe pereunt. Christus dicit, Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur uobis. Congruunt etiam gentilium dicta cum hoc:

Sibi parat malum, qui alteri parat.

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Item:

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Aristot. Rhet. 3. citat titulo Democriti Chij:

οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Hoc autem diuinæ benignitatis est (ut dicit Chrysostomus homil. in Psalm. 8.) & clementiæ, insidijs talem tribuere naturam, ut retia conuertantur in ipsos insidiatores, ut ideo desistant cum propinquis belligerari, & eis parare insidias, &c. Exemplis Pharaonis, Saulis item, qui Dauidem Palęstinis obijcere cogitabat, sub quibus cecidit, Achitophelis, Absalomi, Hamani, hæc sententia declarari potest: item Perilli, qui cùm Phalaridi Agrigentinorum tyranno æneum taurum dono dedisset, in quem si homines inclusi uiui exurerentur, mugitum editurum promittebat, tyrannus artificem in eo primum exussit, ut experiretur num res ita haberet. Hinc Ouidius:

Et Phalaris tauro uiolenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.

Et mox:

Neq; enim lex iustior ulla est,
Quàm necis artifices, arte perire sua, &c.

Euseb. lib. 1. in uita Constantini Magni scribit de Maxentio, quòd fluuium ponte strauerit, quo transeuntem Constantinum perderet, sed Deo uolente seipsum & suos perdidisse.

Et qui uoluit lapidem, ad eum reuertetur.) Siracides dicit 27. ca. Qui in altum mittit lapidem, decidet in caput illius. Sensus huius membri est, Qui lapidem magnum sursum uoluit, sæpe mole lapidis obruitur, ut deorsum tendendo, uoluentem opprimat. Exemplum huius dicti, egregium habemus in uita & gestis Hiltebrandi, qui Romanus Pontifex factus, Gregorius 7. dictus est, descripta per Benonem (uel Brunonem potius) Cardinalem, archipresbyterum Romanæ Ecclesiæ. Is scribit, Heinrychum 4. Imperatorem solitum fuisse frequenter ire ad orationem, in Ecclesiam S. Mariæ in Monte Auentino. Hiltebrandus autem cum per exploratores suos, omnia eius opera solicitè inquireret, locum in quo imperator frequenter orabat notari curauit, & quendam promissa pecunia ad hoc induxit, ut super trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocaret, quos super caput imperatoris demitteret, ipsumq; contereret. Cumq; minister tanti sceleris, lapidem magni ponderis super trabes aptare uellet, lapis pondere suo eum traxit, & fracta sub trabibus tabula, miser ille in pauimentum ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus est. Erasmus Roterodamus multa prouerbia huius sententiæ collegit, Chil. 1. cent. 1. prouerb. 51. & deinceps, nempe: Suo iumento sibi malum accersere, Suo gladio telo'ue iugulari, Suo ipsius laqueo capi, &c.

28 Lingua mendax, odio habet contritum.

Homo illum odio habet, quem lingua sua in magnum malum coniecit: metuit enim ne sibi restitutus, iniuriam illam ulciscatur. Si diligenter consyderes, uidebis illos qui aliquem læserunt, minus remittere de odio, quàm qui læsi sunt. Posset etiam legi, humilis uir, odit linguam mendacem.

Et os blandum facit impulsionem (uel ruinam.) Sensus est, homines blanditijs suis & adulatione, primùm ad uaria scelera homines impellunt, deinde uarijs quoq; pœnis eos obijciunt.

CAPVT XXVII.

1 Ne glorieris de die crastino, quia nescis quid paritura sit dies.

Ne laudes te de crastino opere uel successu.



RIMA sententia huius cap. admonemur, ne nimiũ nobis ipsis tribuamus, ne'ue securi simus. Gloriari de crastino, est iactare se de ijs quæ facturus est, siue paruis siue magnis. Subiungitur ratio quare non sit gloriandũ de futuro tempore, *Quia nescis quid dies*, scilicet in qua tu es, & multò minus postera, *paritura sit*, an uicturus sis nec ne: nescimus quem exitum habitura sint negocia, quæ aggredimur. Vita nostra multis obnoxia est periculis: Bos cornupeta, rabidus canis, equus sternax, tegula uel stiria gelu durata decidens de tecto, nos subito extinguere potest. Anacreon acini grano, Fabius senator hausto cum lacte pilo præfocatus legitur. Papæ Adriano musca exitium attulit. Quot repentina morte decesserunt? Nihil nunc dicam de tot morbis, de tot casibus & periculorum generibus, ruinis, terræmotibus, naufragijs, bellis, ueneficijs, latrocinijs. Et quamuis ista non semper, nec omnibus eueniant, tamen statuere non possumus, quid de nobis Deus decreuerit. Deinde alia multa incurrere possunt, quæ consilia nostra impediunt, ueluti morbi, &c. Metaphora utitur sumpta à parturientibus, qua uidetur subitam temporis mutationẽ significare. Dolor enim partus, repentè mulierem corripit. Similis doctrina in calce quarti capitis epistolæ Iacobi legitur: Age nunc qui dicitis, hodie & cras eamus in hanc ciuitatem, &c. Latini quoq; dicunt, Nescis quid serus uesper uehat: &,

Multa cadunt inter calicem supremaq; labra.

Inter os & offam multa interuenire possunt. Inter segetes & frumenta multum interest. Epinicion non canendum ante uictoriam. Hodie uulgò iactatur, ab exitu rem spectandam esse. Vide Prouerb. Eras. Vitæ finem specta: item omnium rerum uicissitudo est. Pleni sunt ueterũ scriptorum libri, sententijs de fragilitate uitæ humanæ, & de inconstantia fortunæ. Stob. multa collegit Serm. 103. Theognis dicit:

μή ποτε Κύρν᾽ ἀγοράασθαι ἔπος μέγα, οἶδε γὰρ οὐδεὶς
ἀνθρώπων, ὅ, τι νὺξ χ᾽ ἡμέρα ἀνδρὶ τελεῖ.

Horatius ode. 7. lib. 4.

Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dij superi?

Euripides in Alcestide,

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται
κοὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται
τὴν αὔριον μέλλουσαν, εἰ βιώσεται.
τὸ τῆς τύχης γὰρ ἀφανὲς οἷ προβήσεται.
κἄστ᾽ οὐ διδακτὸν, οὐδ᾽ ἁλίσκεται τέχνῃ.

Herodotus scribit de Sesostri Ægyptiorum rege, quòd uectus sit curru, quem quatuor reges ab eo uicti traxerint. Cum autem unus ex illis, subinde respiciens, rotam intuitus esset, interrogasse Sesostrim, Cur totius respiceret? Considerans ille respondit, ea quæ summa fuerunt in rota, mox ima fieri, cogito de mutatione fortunæ. Hac cogitatione Sesostrim mitiorem factum, reges liberasse. Pauli Æmylij præclaram sententiam repete ex cap. 17. uersu 5. Bellisarius Iustiniani dux, cum multa bella feliciter confecisset, tandem mendicasse stipem legitur. Possent alia etiam multa exempla afferri.

Peccant contra hanc sententiam qui fragilitatis & inconstantiæ humanæ uitæ immemores, non antè se morituros dicunt, quàm magnas opes collegerint: aut nescio quos honores fuerint consequuti. Qui elati successuum prosperitate, non cogitant, etiam repentinum casum eorum felicitatem interuertere posse. Qui dicunt se uitam emendaturos, si hunc uel illum annum ætatis attigerint: cum Christus nos in omne momentum, exemplo prudentium uirginum, paratos esse iubeat. Sic uiuendum est quasi quocunq; die morituri simus, quia ut ait Gregorius, qui tibi promisit de peccato, si pœniteas, ueniam, non tibi promisit crastinum diem. Rectè dicit Martialis:

Non est, crede mihi, sapientis dicere uiuam,
Sera nimis uita est crastina, uiue hodie, &c.

Peccant contra hanc sententiam, qui ex malis alienis uoluptatem capiũt, cum nesciant quid de eis futurum sit, de quibus alibi diximus in hoc libro. Item qui gloriantur ante uictoriam, quæ non in hominum arbitrio, sed solius Dei manu est posita. Putamus interdum nos uictoriam ambabus manibus tenere, cùm exitio nostro proximi simus. Exodi 15. cap. in cantico,

per prosopopœiam inducitur hostis, promittēs sibi certam uictoriam: Persequar eos, inquit, apprehendam, diuidiam spolia, implebo in eis animam meam, euaginabo gladium meum, perdam eos manu mea, sed quomodo subitò perierit, mox subijcitur, &c. Benhadadus cum Achabus imperata facere nollet 3. Regum. 20. cap. iurat se Israelitas capta urbe Samaria, malè tractaturum, cum tamen euentus non esset in manu eius. Achabus (quantumuis impius) præclaram sententiam dicit, non antè gloriandum ei de uictoria, quàm uicto hoste, discinctus arma posuerit. Pompeiani, ut Cæsar scribit in suis Comment. qui aliquot millibus superabant exercitum Iulij Cæsaris, antequam uincerent, diuidebant res Cæsaris, sed mox cladem accipiebant. Hoc est encomium ante uictoriam canere. Heluetij dicunt, Vrso nondum confosso, pellem eius distribuere. In memorabili illa pugna Heluetiorum, quæ ad Basileam cum Delphino commissa est (qui ut Tigurum obsidione liberaret, euocatus erat) Burchardo Monacho, uiro nobili & strenuo, cum de uictoria insolenter gloriaretur, utq; stragem uidere posset, galeam aperiret, quidam ex semimortuis Heluetijs in genua assurgens, lapidis iactu lethale uulnus inflixit. Iulio Cæsari, de quo paulò antè diximus, accusanti uaticinij uanitatem, responsum est: Venisse Calendas Martias, non autem præterijsse. Est magna rerum humanarum inconstantia: ex Deo igitur pendeamus: nihil futuri nobis sine Dei auxilio promittentes, sed ipsi soli omnia committentes, qui omnium rerum euentus gubernat. Quemadmodum uerò de futuro gloriari non debemus, ita nec cruciari, Matth. 6. Addendum est, illos abuti hac sententia qui dicunt, quando incertum est, an ad diem crastinum atq; adeo ad uesperam uicturi simus, indulgendum esse epulis & uoluptatibus, quemadmodum de Sardanapalo legitur apud Atheneum lib. 12. Horatius quoq; Ode. 9. & 11. lib. 1. Ode. 7. lib. 4. item alij poetæ hoc argumento, ad hilariter uiuendum amicos suos hortantur, &c.

2 Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.

Hæc sententia ambitionem & iactantiam damnat. Inciuile prorsus ac turpe habetur inter homines, si quis præco sit suarum laudum. Quisq; enim ita se gerere debet, ut alij uel inuiti cogantur eius non nisi cum laude mentionem facere. Nullæ leges permittunt, nobis ipsis testimonium perhibere, aut iudices esse in propria causa. Vulgò dicunt, proprias laudes sordere: & eum qui seipsum laudat, malos habere uicinos. Aristoteles quoq;, teste Laertio dicebat, quod semetipsum laudare uani, uituperare stulti esset. Stobæus ex Themistij libro de mediocritate affectuum hæc uerba ponit. τὸ ὑπερβάλλον βαρύ τε, καὶ ἐπαχθές, καὶ οὐδὲν οὕτως ἄκουσμα φορτικόν, ὡς ὁ καθ' αὑτοῦ ἔπαινος. Cicero dicit, deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum. Si uirtutibus ornati sumus, non nos ipsos, sed Deum, cuius dona sunt, laudare debemus. Peccamus si apud nosmetipsos nobis placeamus, nedum si apud alios tibicines simus nostrarum uirtutum. Quin erubescendum nobis erat, quando alij nostras laudes prædicant. Et meritò reprehenduntur, qui adulatorib. delectātur. August. in Psal. 144. Ecce, inquit, inuentum est, quomodo te laudes & arrogans nō sis: Deum in te lauda, non te, non quia tu es talis, sed quia fecit te, non quia tu aliquid potes, sed quia potest ille in te, & per te. Certum est ut quisq; sapientissimus fuerit, ita modeste de seipso loqui solet: & agnoscere suos næuos. Vides itaq;, quid sentiendum sit de illis hypocritis, qui suam iusticiam & merita, non tantum prædicant, sed etiam alijs precio uendunt.

Propria laus sordet.

Oritur quæstio, Quomodo sancti seipsos laudarint. Moses enim Num. 12. se mitissimum uocat omnium hominum. Samuel, Esdras, Paulus 2. Cor. 11. cap. & alij, multa & magna de seipsis prædicant. Respondendum est scriptores sacros impulsu spiritus sancti locutos esse, non suo arbitratu. Suas uirtutes non exponunt, ut carnalem gloriam ab hominibus uenentur: sed necessarias ob causas, nempe ut alij confirmentur, aduersarij confutentur, utq; Deus celebretur. Christus quoq; seruator noster Ioannis 5. prædicauit de seipso, quòd sit filius Dei, quòd potestatem acceperit excitandi mortuos, & iudicandi mundum, ac alia huius generis. Postea subiungit: Si ego testimonium perhiberem de me ipso, testimonium meum non esset uerum, scilicet uobis: loquitur enim de auditorum opinione, non de sua authoritate: subijcit igitur uaria testimonia, quibus probat se uera de seipso dicere. Postea octauo capite affirmanti se esse lucem mundi, & promittenti suis discipulis, uitam æternam, pharisæi dixerunt: Tu de teipso testificaris, testimonium tuum non est uerum. Christus respondens, dicens: Etsi ego testimonium perhibeam de me ipso, uerum est testimonium meum: quia scio unde ueni, & quo uado, &c. Ostendit discrimen esse inter se & alios homines. Mox in eodem capite. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, scilicet uestra opinione: Vel si humano more iactarem, me esse filium Dei, arrogans essem, & habeo cœleste testimonium de mea maiestate, &c.

Quæstio, quomodo sancti seipsos laudarint.

3 **Grauitas ex saxo, & pondus arenæ: sed ira stulti grauior est utroq;.**

Ira stulti intolerabilis. Confert iram stulti, lapidibus & arenæ, quæ quamuis ponderosa sint, tamen portari & duci possunt, quocunq; uoluerimus: at iram stulti ferre aut regere non possumus. Sapientes uiri si ira exarserint, multa inconsyderatè & ineptè faciunt. Iacobus dicit, Viri iram iusticiam non operari: quid igitur de stultis tibi promittas, qui cùm tranquillo sunt animo, modum seruare nesciunt, semperque alijs graues sunt & molesti? Irati instar equorum qui excusserunt frenum, non possunt cohiberi, nec dimoueri à sua sententia: siue blandè siue asperè eos appelles, ferociores redduntur, & pergunt facere, quæ ipsi instituerunt, ideoque magno sunt oneri hominibus. Experimur hodie quàm intolerabiles sint stulti illi, qui obstinatis animis Euangelium extirpare in animum induxerunt. Ira uerò sapientis sæpe utilis est, & necessaria.

4 **Crudelitas est in furore, & inundatio in ira: at quis consistet coram inuidia?**

Inuidia est peior iracundia. Vel zelotypia. Quantum malum inuidiæ sit, per collationem ostendit. Confert enim inuidiam cum ira & furore, quæ duæ uoces apud Hebræos, uel idem significant, uel differunt secundum plus & minus: (Aben Ezra enim חמה chemah, furorem uehementiorem esse dicit, quàm אף aph iram, ut etiam apud Latinos.) Iræ attribuitur crudelitas, furori uerò inundatio, quæ peior est: quanquam contrarium etiam dici possit. Furor uel excandescentia, habet coniunctam crudelitatem: nam qui excandescunt, statim se ulcisci cupiunt & exerere crudelitatem, non tantum in hostes, sed etiam coniunctissimos homines, quam cum expleuerint, placantur aduersarijs. Ira est uelut diluuium aut inundatio, quæ subitò magna dat mala, arbores radicitus euellit, & omnia occurrentia magno impetu secum trahit, sed statim remittit: Sic furore perciti, omnia promiscuè destruunt. Infra 29. cap. dicitur, uir iratus prouocat rixas, & furibundus multiplicat præuaricationem. Inuidi uerò captant locum & tempus nocendi, nec possunt caueri, & postquam malis aduersarium affecerint, non desinunt, sed pergunt, quemadmodum carniuoræ bestiæ. Quin nec mortuis parcunt: sed quemadmodum corui, uultures, lupi & uulpes, aliaq; fœda animalia, cadaueribus delectantur, ita illi insectatione mortuorum. Liberis etiam defunctorum aliquando nocere cupiunt: nam dolet eis si uideant eos bene habere. Furor etiam apertus, declinari potest, non autem latens inuidia. De uehementia zelotypiæ, alibi quædam annotauimus. Docet hæc sententia uitia non esse paria: uitia enim uitijs si comparentur, furor peior est ira, inuidia utroq;: ira enim citò transit, furor autem & inuidia diu durat.

5 **Melior est increpatio manifestata, quàm amor absconditus.**

Dilectio duplex. Duplex est dilectio, occulta & manifesta. Per occultam dilectionem illam intelligit, qua homo alterum quidem amat in corde suo, sed reipsa ei amorem non ostendit, nec illum increpat, quando necessitas postulat. Illa dilectio non multum prodest, nam talium ope & auxilio uti non possumus. Melior est amor, qui manifestatur correptione: nam qui corripiuntur, sæpe in se descendunt, & ab illis rebus sibi cauent, propter quas reprehenduntur. Quin etiam inimici increpatio manifesta, utilior esse uidetur, quàm amici dilectio abscondita. Ferit enim conscientiam nostram, ut uitam emendemus: ex amore autem abscondito, hoc est, qui effectu non ostenditur, nullum bonum prouenit amato. R. Ioseph Kimhi sic exponit: Increpatio bona est quomodocunq;, etiamsi manifestè fiat, sed quando increpatio est ex amore abscondito, id est, quando increpat amicum suum, increpat eum in abscondito inter sese & illum, & non increpat illum manifestè & publicè, ne illum pudore suffundat.

6 **Fidelia uulnera diligentis, & dura (*uel acerba*) oscula odio habentis.**

Confert inter se amici uulnera, & hostis oscula. Cato quoque dicit in dialogo Cic. de amicitia, Multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces uideantur: illos sæpe uerum dicere, hos nunquam. Nihil hominibus propter corruptam naturam nostram molestius, præsertim uerò iuuenibus, correptione: at qui amicum durissimis uerbis corripit, ita ut uulnus infligere ei uideatur, multò melius meretur de amico, quàm hostis qui blandis uerbis cum eo agit: omnia eius dicta & facta probat: illi enim amici salutem, hi suam utilitatem quærunt. Pythagoras etiam dixit, Gaude potius arguentibus te, quàm adulantibus, & tanquam deteriores inimicos adulatores auersare. Exemplum est huius sententiæ Micheas qui Achabum corrigebat, & Baalistæ qui eum decipiebant. Idem de alijs prophetis dici potest. Ne igitur statim illum hostem tuum existimes, qui asperis uerbis tecum agit, neque illum amicum, qui tibi blanditur. נעתר næethar, demulcitus est alicui, uel execrabilis factus est. נעתרות næethoroth, particip. pass. Kal, contrariam

contrariam habet significationem. Hanc sententiam explicat Chrysostomus in exordio homiliæ de ferendis reprehensionibus, & conuersione Pauli.

7 Anima saturata calcat fauũ, & animæ famelicæ, omne amarũ dulce.

Melle præsertim recente & distillante ex fauis, nihil est dulcius (per mel intellige omnes delicias:) at anima saturata, id est, homo saturatus, calcat, hoc est, fastidit & contemnit illud. Homines aliquando more beluarum saturarum, munera Dei reuera calcant pedibus. Famelico uerò, amara quoq; dulcia & suauia uidentur. Si cibi ei utiles apponantur, putat se Ambrosia uesci. Horatius Saty. 2. lib. 2. *Optimum condimentum fames.*

" Ieiunus stomachus raro uulgaria temnit.

Cum Artaxerxes cognomento Memor, in fuga quadam, direpto illius commeatu, aridis ficis & hordeaceo pane uesceretur, Dij boni, dixit, cuiusmodi uoluptatis hactenus inexpertus fui. Ptolemæo Lagi filio, Ægyptum peragranti, cum cibarius in casa panis datus esset, negauit ullum sibi cibum uisum suauiorem. Fames homines cogit illa etiam comedere, à quibus natura abhorremus: fame enim mori miserrimum est. Nostri dicunt, famem optimum esse coquum. Socrates quoq; dicebat, optimum condimentum esse famem: irridens hoc Apophthegmate, luxũ Atheniensium, qui uarijs condimentis conabantur efficere, ut cibus saperet palato, cum id optimè præstet fames. Si pauperes non habeant uarias cupedias, ut diuites, tamen quia esuriunt, suauius edunt quàm illi, & saniores sunt.

Quod fames facit in cibo, idem sitis facit in potu. Si satis bibimus, non curamus uina quantumuis preciosa (etsi reperiantur qui bene poti, plura uini genera appetunt) at si sitimus, austera nobis optima uidentur. נֹפֶת nophæth, deriuatur à נוּף nuph, (unde fortassis νέφος apud Græcos dicitur) quod est stillare, sufferre: significat stillationem & fluxum, scilicet, faui aut aromatis. Cum Darius rex in fuga aquam turbidam & cadaueribus pollutam hausisset, dicebat, se nunquam bibisse iucundius.

Quæ de fame & siti corporis diximus, ad famem & sitim animæ etiam possunt transferri. Qui saturi sunt, hoc est, qui diu Euangelium audierunt, uel qui non sentiunt peccatum, non multum afficiuntur, etiam doctissimis concionibus: qui uerò famelici sunt, hoc est, qui rarius uerbum audire possunt, uel qui sentiunt sua peccata, concionibus non perinde doctis, plurimum gaudent. Aliàs quoq;, caro saginata donis Dei, ferocire incipit. Iuuenalis:

" Voluptates commendat rarior usus.

8 Vt auis uagatur de nido suo, sic uir uagatur à loco suo.

צִפּוֹר Zippor alij auem, alij passerem reddunt: nam (ut obiter id annotemus) hoc nomen ad omnes minores aues extenditur, priuatim tamen certam speciem significat, quemadmodum apud Græcos στρουθὸς, & apud Latinos quoq; passer. Auis deserit nidum, ut cibum sibi & pullis suis paret: ita uiri discurrunt, ut sese & familiam suam alere possint. Alij sic intelligunt, quòd uagi & instabiles homines, qui instar auicularum subinde sedes mutant & genus uitæ, nihil acquirant. Lapis enim, ut habet prouerbium, qui subinde huc & illuc uoluitur, non obducitur musco. Sic qui in studijs temerè uolitant per uarios libros, non perueniunt ad solidam eruditionem. Satius est, inquit, Seneca, paucis se tradere authoribus, quàm errare per multos. Qui item quouis uento doctrinæ circumferuntur & distrahuntur, ut Paulus ad Ephesios quarto capite dicit: nunquam proficiunt. Docet igitur hæc sententia, ut homo maneat in loco suo, hoc est, uocatione, qua uocatus est. prima Corinthios septimo capite. Vt non relinquat familiam sibi commissam, ut auis quæ oua siue pullos in nido relinquit, sed eam curet.

9 Vnguentum & thymiama lætificat cor, sic dulcedo (*consilij*) amici sui, magis (*exhilarat cor*) quàm consilium animæ (*scilicet suæ.*)

Ostendit nihil iucundius esse, bono amici consilio. Sæpe casus incidunt, ut nesciamus quò nos uertere oporteat, consulere nobis ipsis non possumus, & cum putamus nos aliqua consilia habere, tamen non immeritò suspecta nobis sunt omnia. Si nunc amicus aliquis uobis consulat, ingentem læticiam & consolationem percipimus. Rem declarat duplici similitudine. Primùm, sicut unguentum cor recreat, ita amici consilium. Veteres aliquando ualetudinis, præcipuè tamen uoluptatis causa, unguentis utebantur. Spicata unguenta & foliata, inter Romanorum delicias numerantur. Vnguentorum etiam sæpe mentio est in sacris literis. Deinde suffimento quo multi utuntur, suauius est consilium. Suffitus ex rebus odoratis fiunt. In sancto parte tabernaculi & templi stabat aurea ara thymiamatis uel incensi, de qua Exodi 30. capite, in hac bis quotidie, manè & uesperi, *Amici bono consilio nihil suauius.*

incensum offerebatur. Qui sibi tale fecisset incensum, ut id olfaceret, occidi debuit, &c.

10 Amicum tuum, & amicum patris tui, ne deseras, & in domum fratris tui non uenies in die afflictionis tuæ: melior est uicinus propinquus, quàm frater longinquus.

Amici ueteres non deserendi. Hic uersus tria cōplectitur: Primùm, ne amicos ueteres deseramus, hoc est, ne illos qui de nobis, uel nostris bene meriti sunt, si in periculum ueniant, ope nostra destituamus. Item ne illis neglectis, alios quæramus. Magna enim est ingratitudo, & cum periculo coniuncta, amicos deserere. Vulgare hoc est, ut homines qui natura inconstantes sunt, ueteres amicos fastidiant & nouos quærant, aliquando leues ob causas, uel quia amici per iocum aliquid dixerunt, uel nos reprehenderunt, uel sententiam contra nos pronunciarunt. Magnus thesaurus est amicus bonus, præsertim quem fidum esse diuturno conuictu perspeximus. Nescis quid à nouo expectare debeas, qualis sit, an sit mensæ & ollæ amicus, an uerò fidus & constans. Vetus suis laborat uitijs, nouus ijsdem uel fortasſis maioribus laborat. Non ut uestis noua, aut nauis noua, sic nouus amicus melior. Imprimis uerò cauendum est, ne Christum, qui noster amicus atque adeò frater est, deseramus: quod non fit uno modo, &c.

Secundo loco dicit, *Ne ingrediaris domum fratris tui in die afflictionis.* Non uetat ne ad consanguineos confugiamus rebus afflictis, & opem atque consilium ab eis petamus. Vulgò dicunt, præstat ad amicum confugere, quàm ad hostem: sed hoc uult dicere, ne nimium fratribus nostris tribuamus: sæpe enim cum fortuna mutantur, & minus nostris rebus consulunt quàm peregrini. Vel ita intellige, tempore afflicto non nimis fratribus molesti esse debemus. Quidam hæc uerba, *Ne ingrediaris domum fratris tui*, iungunt cum sequentibus, melior enim est uicinus, &c. Caietanus uertit, *Domus fratris tui non ueniet, in die fractionis tuæ*, ut causam reddat cur amicus tuus & patris tui non deserendus sit, is enim ueniet in die contritionis tuæ, quamuis familia fratris tui non ueniat. Et sæpe accidit, ut uetus amicus afflictum inuisat, quem consanguinei deserunt. Non repugnat Grammatica, nam una & eadem dictio, est futuri secundæ personæ masculini generis, & tertiæ fœminini generis. Castalio etiam interpretatur, *Ne sint tibi adeundi longinqui fratres, habeto propinquos amicos.*

Vicinus fratre melior. Tertio loco dicit, uicinum propinquum, in negocijs obeundis & præstandis officijs, antecellere fratri qui procul absit. Ratio in promptu est, quia uicinus ad opportunitates & utilitates nostras, propinquis est paratior: si subitò & improuisò aliquid nobis accidat: si incendium oriatur, si clamorem insolitum, si fragorem exaudiat, statim (ut Hesiodus dicit) non cinctus & seminudus accurrit: fratres uerò induunt se antè, & deliberant utrum uelint opem ferre, nec ne. Magna est commoditas boni uicini, plurimum enim quotidie potest prodesse: defendit enim famam & opes nostras. Pindarus etiam dicit, Vicinum maximam utilitatem afferre, si idem etiam amicus sit. Themistocles apud Plutarchum, cum fundum uenderet, inter alia præconem dicere iussit, quòd uicinos haberet bonos, sperans uicini commendatione fore uendibiliorem. Malus uicinus, plurimum quotidie potest obesse, nunquam non litigabit, nunc de semita, nunc de terminis, nunc de stillicidio, nunc de prospectu, nunc de damno dato. Iudæi hostibus suis imprecantur malum uicinum. Latini dicunt, aliquid mali esse propter uicinum malum. Nabothus propter malum uicinum, uitam amisit. Nec de priuatis solum uicinis, sed etiam populis uicinis hæc intelligenda sunt. Si quis uicinum bonum nactus est, caueat ne malum sua improbitate reddat. Herodotus libro primo de moribus Persarum scribens, dicit: Inprimis uicinisſimos colunt, deinde proximos, & sic ordine suo procedendo colunt alios, &c. Sin uerò quis malum uicinum nactus est, det operam ut ex malo bonum faciat: nam etiam feræ possunt cicurari. De bonis & malis uicinis, uide Erasmi prouerbium, Ne bos quidem pereat.

11 Sapiens esto fili mi, & lætifica cor meum, & respondebo uerbum exprobranti mihi.

Stude ueræ sapientiæ, hoc est, cognitioni uoluntatis diuinæ, disce artem quam docent te parentes tui (sapientia enim de artibus quoq; dicitur.) Hinc duplex fructus orietur, primùm cor meum, inquit, exhilarabis: deinde respondere potero ijs, qui exprobrant mihi, te degenerem esse filium (sunt enim qui morbo quodam alios contumelia afficiant) aut me officio parentis in te erudiendo non functum esse. Opus enim testatur de artifice.

12 Callidus uidet malum, & abscondit se: simplices transeunt & mulctantur.

Hæc sententia exposita est capite 22. Etsi Deus non uult ut malitiosi simus, interim tamē non

non uult nos socordes & plumbeos esse: sed uult ut prospiciamus pericula, & si commoda ratione possumus, subterfugiamus. Matth. 10. cap. ad discipulos suos dicit: Estote simplices ut columbæ, & prudentes ut sepentes.

13 Tolle uestimentum eius, qui fideiussit pro extraneo, & (*qui spopondit*) pro aliena, accipe pignus ab eo.

Hanc sententiam habuimus ca. 20. sed quę conducunt ad uitæ felicitatem, iterum atq; iterum utile est inculcare, quo penitius insigantur animis.

14 Qui benedicit amico suo uoce magna, mane surgendo, maledictio reputabitur ei.

Contra immodicas & intempestiuas laudes.

Docet modum in laudandis amicis, non esse excedendum. Benedicere enim alicui magna uoce, est eum immodicis laudibus uehere. Nemo tam magnis uirtutibus est ornatus, quin etiam suos habeat næuos: non igitur nimium amicorum laudes prædicandæ sunt, ne affectu potius quàm iudicio duci uideamur, & nobis atq; amicis inuidiam conflemus. Talis enim commendatio habebitur loco maledictionis. Homines enim si audiunt aliquem publicè laudari, uitia eius solent reuelare. Bonis quoque uiris qui laudantur, immodicæ laudes ingratæ sunt. Multi etiam laudibus deteriores fiunt. Statim enim sibi placent, ac si perfecti essent. Deinde non manè laudandus, hoc est antequam tibi notus sit. Putamus sæpe aliquem grauem & probatum esse uirum, quem postea minimè talem esse reipsa experimur. Iuxta prouerbium fieri non potest, ut nos mutuò pernoscamus, nisi modium salis pariter absumpserimus. Homines item mutantur, & ex bonis moribus in malos degenerant, quemadmodum de Saule & Nerone legitur. Prouerbium Teutonicum huic uidetur respondere, Nimium honoris, dimidium esse dedecoris: &, Ita laudandum esse aliquem, ut postea uituperare eum possimus. Græci dicunt, ἄκαιρος εὔνοι' οὐδὲν ἐχθρᾶς διαφέρει, id est, intempestiua beneuolentia, nihil à simultate differt. Euripides in Heraclid.

καὶ γὰρ οὖν ἐπίφθονον
λίαν γ' ἐπαινεῖν ἐστί. In Oreste:
παύσομαι σ' αἰνῶν ἐπεὶ
βάρος τι κἀν τῷδ' ἐστὶν, αἰνεῖσθαι λίαν. In Iphigenia Aulid.
αἰνούμενοι γὰρ οἱ 'γαθοὶ, τρόπον τινὰ
μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν.

Theognis quoq; admonet:

μήποτ' ἐπαινέσῃς πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς.

Horatius in epistola dicit:

Qualem commendes etiam atq; etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem, &c.

Thyestes apud Senecam:

At qui fauoris gloriam ueri petit.
Animo laudari magis quàm uoce uelit.

Terentius in Adelphis:

Ah, uereor in os te laudare amplius,
Ne id assentari magis, quàm quod habeam gratum facere existimes.

D. Hieronymus ad uerba Isaiæ tertio capite, Populé meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt: & uiam gressuum tuorum dissipant, &c. Scribas & Pharisæos, inquit, exactores appellauerat, non magistros: & suprà illusores. Qui propter munera (quæ excæcant oculos etiam sapientum) non solùm peccatores in populo non corripiebant: sed pro diuitijs atq; cōpendijs efferebant laudibus: beatos uocantes, & columnas domus Dei: & cætera quæ solent adulatores dicere. Ille est ergo doctor ecclesiasticus, qui lachrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores: qui nullum beatum, nullum dicit felicem: nec præuenit sententiam iudicis sui: dicente scriptura sancta, Ne beatum dicas quenquam hominem ante mortem. Sed & in alio loco legimus: Qui benedicit amico mane grandi uoce, à maledicente nihil differt. Vnde spernentes hominum iudicia nec laudibus eorum extollamus, nec obtrectationibus contristemur: sed ingrediamur rectam uiam, & tritas à sanctis prophetis semitas, audiamusq; Hiere. prophetam dicentem 6. cap. State in uijs, &c.

15 Stillatio perseuerans (*id est assidua*) in die pluuiæ, & mulier contentiosa æquatur.

Mulier rixosa.

סגריר Sagerir pluuia uehemens, à סגר sagar, clausit, sic appellata, quòd tēpore pluuiæ homines in domibus se claudant. Alij reddunt, *In die frigoris*. Caietanus reddit: *In die siccitatis*, id

est, tempore quo desideratur siccitas: tunc cœlum claudatur. Hæc sententia exposita est 19. capite. Ostendit quantum molestiæ afferat incommoda uxor. Prima igitur cautio sit in deligenda uxore: proxima in corrigenda: postrema in ferenda, quæ corrigi non potest. Plerunq; uerò morosæ illæ uxores, emendari non possunt: Quare sequitur:

16 **Abscondens eam, abscondit uentum, & (*ut*) unguentum (*quod est*) in dextra sua clamabit.**

Illum qui rixosam uxorem compescere uelit, frustra laborare, ostendit duplici similitudine. Quemadmodum uẽtus abscondi & cohiberi non potest, sed liberè huc atq; illuc diuagatur: ita uxor rixosa, compesci non potest, quin clamet. Quemadmodum unguentum abscondi non potest, sed prodit se de manu, ita uxor litigiosa se clamore patefacit. Oleum in manu non contineri potest, destillat enim per digitos: si manu constringas, magis effluit: sic uxor improba, nulla ratione potest coerceri. *Clamabit oleum*, id est, fragrãtia sua, uelut clamore se prodet. Quæ de contentiosa muliere dicimus, de omnibus rixosis hominibus possunt exponi, & imprimis de falsis doctoribus.

17 **Ferrum ferro acuitur, ita uir exacuit faciem amici sui.**

Ferrum per Metonymiam, significat instrumenta quæ fiunt ex ferro. Sicut cultrum cultro acuimus: ita homo hominis faciem (id est, iram quæ ex hominis facie deprehenditur) acuit. Proinde dare operam conuenit, ne duris uerbis, homines ad iram prouocemus. Non enim docet sapiens quid nobis faciendum sit: sed admonet quid uulgo fiat. Aliqui in bonam partem accipiunt, per faciem externos mores & studia intelligentes, ut sit sensus, quòd homines inuicem disputando & conferendo, acuantur. Vtilis est sententiarum collatio: Euripides dicit ὁμιλία πάσας τὰς τέχνας ἔτεκεν, id est, communicatio sententiarum, omnes artes peperit. Cicero ait, magnam uim in dicendo habere συζήτησιν, hoc est, collationem iudiciorum. Ad hunc ordinem fortè pertinet quod Græci dicunt, τὸν ξύοντα ἀντιξύειν, fricantem refricare. χεὶρ χεῖρα νίζει, manus manum lauat. Apud Erasmum Chiliad. 1. cent. 1. Adag 33. & cent. 7. adag. 99. item Adag. 100. ponit hoc, Ferrum ferro acuitur, sed non explicat. Castalio reddit, *Vt ferrum ferro, sic homines alij alijs coniunguntur*, id est, arctissima amicitiæ coniunctione, à יחד iahad unire, adunare.

18 **Qui custodit ficum, comedit fructum eius: sic qui custodit dominum suum, honorabitur.**

Similitudine ostendit præmijs affici seruos, qui dominis suis fidem præstant: Qui defendit ficum contra pecora & homines furaces, fructum postea percipit. Ficuum enim usus non solum est in cibo, sed etiam in medicina. Gale. lib. 2. de alimentorum facultatibus, scribit, illos qui uinearum fructum custodiunt, siquidem duos menses solis uuis ac fructibus, quorum custodiæ præsunt, uescantur, obesos tamen ac pingues fieri. Dioscorides scribit eas utile alimentum præbere. Qui alias quoq; arbores uel plantat uel custodit, uesci postea fructibus potest, uel uendere: sic qui dominum custodit, id est, obseruat, colit & defendit, honore afficietur, scilicet, à domino & alijs cognoscentibus fidem eius. Contrarium etiam potest inferri. Seruorum apud ueteres durissima fuit conditio, sed qui bene se gerebant, ut qui se obijciebant periculis pro dominis suis, manu mittebantur. De multis seruis legitur in ueterum historijs, qui se morti obtulerunt pro dominis suis, quorum hodie quoque memoria celebris est. Hodie serui qui se rectè gerunt, præter constitutum præmium, à dominis suis uaria dona accipiunt. Nam honorare non tantum significat reuereri, sed præbere necessaria. Sic accipiendum est quòd Deus parentes honorari iubet à filijs: & Paul. uiduas seniores honorari præcipit, 1. Tim. 5. cap. Si subditi dominos, principes & magistratus suos colant, se pro eis in discrimen offerant, mandata eorum custodiant, sæpe ad magnas dignitates promouentur. אדון Adon dominus, hominibus & Deo tribuitur. Qui Deum custodit, id est, qui obseruat eius mandata, qui illis qui eum contumelia afficiunt, se opponit, seq; in mortem offert, à Deo honoratur. Qui uerò mandata eius non custodiunt, qui eum deserunt, ut apostatæ, magi qui cum diabolo fœdus iungunt, scelerati, &c. contumelia afficiuntur. 1. Sam. 2. cap. Honorantes me honorabo, & contemnentes me, ignominia afficientur.

Discant ex hac sententia, primùm serui quid faciant, nempe ut dominos suos colant, famulæ dominas: de quorum officijs plura in Apostolicis scriptis leguntur. Discant domini uicissim, quid faciant, seruis fidelibus non negent mercedem. Quin donis aliquando eorum

diligen-

diligentiam extimulare debent. Discunt utrique, tam domini quàm serui, atque adeò omnes homines, ut Dei præcepta obseruent.

19 Sicut aquarum facies ad facies, sic cor hominis ad hominem.

Hic uersus uariè exponitur. Vulgatus interpres hunc sensum reddit: *Sicut aqua faciem repræsentat, sic exterior habitus animum.* Verum est quod Ieremias dicit, cor hominis inscrutabile esse, & solum Deum cordis humani latebras excutere. Homines mirabiles sunt, in suis dictis & factis celandis & defendendis. Quemadmodum primi parentes ficulneis folijs turpitudinem suam tegebant: ita homines tegunt sua scelera. Sæpe putamus religiosum, qui est atheus: castum, qui est turpissimus: tamen si quis uultum, mores, dicta & facta hominum diligenter obseruet, intelliget aliquo modo, quomodo affecti sint. Chaldæus intelligit, quemadmodum uultus non sunt similes, ita nec homines. Alij hunc sensum reddunt: Vt in aquis cernimus quale sit corpus, sic in considerandа mente tua, intelliges qualis homo sis.

20 Sepulchrum & perditio, non saturantur, sic oculi hominum non saturantur.

Sepulchrum non impletur, consumuntur enim corpora in terra: perditio quoque, id est, gehenna, ut interpretantur, non impletur. Diaboli tanto ardent odio humani generis, ut subinde plures ad tartara rapere cupiant. Sic oculi, scilicet, cupidorum hominum, exatiari non possunt. De auaris certum est, quanto plus opum habent, tanto plus appetere. Iuuenalis Satyra 14. dicit: *Auaritia est inexplebilis.*

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. "

Horatius Ode. 16. libro 3.

Crescentem sequitur cura pecuniam, "
Maiorumq; fames. Et Ode 24. "
Scilicet improbæ "
Crescunt diuitiæ, tamen "
Curtæ nescio quid semper abest rei. "

Et epistola ad Iul. Florum libro 2.

Si tibi nulla sitim leuaret copia lymphæ, "
Narrares medicis: quod quanto plura parasti, "
Tanto plura cupis, nulli ne faterier audes? "

Quæcunque uidet oculus, ea omnia desiderat auarus, inquit Basilius. Inferis nunquam satis fit, nec unquam auarus sibi sufficere dicit. Malus hic uicinus est in urbe, malus ruri. Mare suis finibus continetur, & nox antiquos terminos non transcendit. Auarus autem tempus nullum reueretur, non agnoscit terminum, non cedit ordini successionis, sed ignis uiolentiam imitatur, omnia depascitur. Sed quid tandem fiet? non'ne tres omnino cubiti te manent? ad quid igitur laboras? quorsum iniquus esse pergis? quibus uerbis defendes te? &c. In ambitione idem accidit, qui nobiles sunt, uolunt esse comites, comites duces, duces reges, &c. Ebrij quoque quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt, &c. שאול scheol, ut alibi quoque diximus, infernum, id est, locum damnatorum, & sepulchrum significat, à שאל schaal petendo, eò quod semper petat, & nunquam satietur, secundum illud quod 30. capite habetur: Tria sunt quæ non satiantur, &c. Alij per infernum & perditionem, ipsam mortem intelligunt, cui omnes homines sunt obnoxij.

21 Conflatorium argento, & fornax auro, sic uiro os laudantis eum.

Sensus est, sicut aurum & argentum probantur certis instrumentis, ut uideri possint uera ne sint, an adulterina: ita homo ex ore laudantis eum. Si uirtute sit præditus, plerunq; laudibus non effertur, imò molestum est ei, si se ita prædicari audiat, Deum bonorum authorem agnoscit. Repete quæ suprà in hoc capite ad uersum 14. annotauimus. Stulti uerò placent sibi cum primum se laudari ab alijs intelligunt, non cogitant quantum absint ab illis laudibus, non dant operam ut rebus ipsis impleant. Si alij eos laudare nolint, ipsi laudes suas buccinare incipiunt.

22 Si contuderis stultum in mortario, in medio triticorum contusorum pistillo, non recedet ab eo stulticia eius.

De stultis nullam esse spem ostendit, quomodocunque cum eis agas. Non unum est genus stultorum, ut sæpe dictum est, sunt primùm fatui, in quibus instruendis frustra laborem suscipimus. Deinde sunt decoctores, qui neque uerbis parentum, amicorum, magistratuum, neque pœnis ac malis acceptis, emendantur. Quod si quando metu, pudore, uel alia *Stulti non resipiscunt.*

quauis causa, personam alienam sumunt, his sublatis statim ad ingenium redeunt. Tertio loco, impij idololatræ quoq; stulti dicuntur in scripturis, illi à sua stultitia submoueri non possunt, quicquid eis dicatur ex sacris literis, sui similes sunt: siue à Deo, siue ab hominibus corripiantur, pergunt. Esaiæ 9. cap. queritur Deus, populum post tot afflictiones, ad se non esse cõuersum. Ierem. 13. Si Æthyops mutare potest pellem suam, aut pardus maculas suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Tales erãt Pharao, Saul, Ieroboam, Ochosias, Pharisæi, Herodes. Hodie quoq; multi sunt tales, quos scriptura canes & porcos appellat. Sed quia nos exactè scire non possumus, qui'nam tales sint, officio nostro non deesse debemus, sed animarum medico tales committere. Quàm incurabiles sint stulti, ostendit hyperbolica quadam metaphora: si in mortario inter legumina cõtundas stultum, sibi tamen similis erit. עלי ali pistillum, pila, quo aliquid contunditur in mortario, seu mola tunsili, ab עלה alah ascendendo & descendẽdo, dum aliquid cõtunditur, sic appellatũ. כתש chatasch contundere, conterere: hinc מכתש machtesch mortariũ hoc loco reddunt: hoc est, instrumentũ in quo aliquid teritur. Hesiodus:

ὅλμον μὲν τριπόδην τάμνειν, ὕπερον δὲ τρίπηχυν.

Id est, mortarium quidem trium pedum seces, pistillum uerò trium cubitorum. Iudic. 15. cap. fouea in qua dens iacet, machtesch dicitur, quòd sit instar mortarioli. Zeph. 1. etiã legitur hæc uox, ubi uicum mercatorum interpretantur. Hinc fortè Septuag. reddunt, si uerberaueris stultum, *ἐν μέσῳ συνεδρίου*, &c. alij molam interpretantur, qua aliquid contunditur. Vulgò uocant, Ein Stampff/oder ein Plüwe, in quo milium, hordeum, aromata & alia tunduntur: ad sensum tamen nihil interest. Vulgatus interpres, *Si contuderis eum in pila*, id est, in uase concauo, in quo antiqui siccata frumenta pinsebant. Plin. 18. cap. tundatur granum eius in pila lignea. ריפות rifoth, contusiones, contritiones, grana seu legumina, quæ tunduntur ex siliquis. Ionathan 2. Samuelis 17. cap. dactylos uertit, alij tritica contusa, alij ptisanas, id est, hordea decorticata: alij far contusum. Vulg uertit ptisana. Ptisana autem dicitur pulmentum ex granis hordei, uel ipsa grana. Quidam superiorem uersum cum hoc connectunt, ut sit sensus, auro paratum est instrumentum quo purgetur, at stultum purgari non posse, &c.

23 Cognoscẽdo cognosces faciẽ pecoris tui, pone cor tuũ ad greges.

In calce huius capitis, quinq; uersus ponuntur, qui ad œconomiam pertinẽt. Rem pecuariam nominat, sed alias quoq; negociationes intelligit. Ideo autem rem pecuariam ab eo nominatim poni existimo, quòd non solum quæstuosissima, sed & honestissima sit. Patriarchæ in ueteri testamẽto pastores fuerũt. Apud Græcos celeberrimus quisq; pastor erat, hinc alios *πολυάρνας*, alios *πολυμήλους*, alios *πολυβούτας* appellant. Colligimus obiter, non tantum quàm clemens & misericors sit Deus, qui nos instruit quomodo res domestica curanda sit: sed etiam quàm perfectæ sint sacræ literæ, quæ etiam de minutissimis rebus nos erudiunt. *Diligenter*, inquit, *cognosce faciem pecoris tui*, hoc est, ipse curato quomodo pecus tuum habeat. Si quis rem omnem alienis hominibus committit, fieri nõ potest, quin interdum damnum incurrat. Tametsi serui fidi sint, tamen res eis non tam sunt curæ, atq; dominis. *Cor appone ad greges.*) Hoc est, perpende & considera quomodo habeant. Vide caput 22. uersu 17. de hac phrasi.

Res pecuaria.

24 Quia non in seculum diuitiæ (*durant*) & num corona in generationem & generationem?

Causam adijcit, cur ipsi res nostras curare debeamus. Quia diuitiæ fluxæ sint, non æternæ. Sit aliquis opulentus, habeat agros & uineas, tamen si sit negligens, & non laboret, paulatim omnia absumit. Vulgus quoq; dicit, aceruum quantumuis magnum, si subinde de eo detrahas, addas uerò nihil, tandem decrescere. Et corona uel gloria opum, ut mutatis uerbis idem dicat quod antè dixit, non perpetuò durat. Vel, quod magis placet, Corona, id est, etiam regnũ exhauritur, nisi rectè res administrentur. Non pauci principes propter immodicos sumptus quos fecerunt, ad paupertatem redacti sunt.

25 Prodit gramen, & apparet herba, & colliguntur herbæ montium.

Dixit opes esse curandas, quia fluxæ sint: hoc uidetur illustrare similitudine: quemadmodum gramina succiduntur & herbæ flaccescunt, ita opes fluxæ sunt, & instabiles. In scripturis diuitiæ, forma, potentia, & uitia hominis, fœno & herbis comparantur. Possumus hunc uersum etiam ita interpretari: Fœnum ex pratis & montibus congruo tempore colligendum ac reponendum esse, ne pabulum desit pecori, non enim inuenitur omni tempore. Idem etiam Hesiod. præcipit:

χόρτον δ' ἐσκομίσαι καὶ συφερτὸν, ὄφρα τοι εἴη "
βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ἐπηέτανον. "

26 Oues pro indumentis tuis, & precium agri sunt hirci.

Ostendit omnia rectè ordinanda esse, & illis quæ ex pecoribus colliguntur, rectè utendum. Oues uendendæ sunt, ut familia uestes habeat. Vel ex ouium lana, uestes conficiendæ sunt pro familia, & hirci uel hœdi uendendi sunt, pro precio agri, hoc est, ut agros emere possis, uel homines conducere, qui agrum colant, uel ut emere possis, quæ in agris nascuntur, uel etiam annuos redditus, pro agris possis persoluere.

27 Et sufficientia lactis caprarum in cibum tuum, & in cibum domus tuæ, & ad uictum puellarum tuarum.

Paterfamiliàs de alenda familia cogitare, & lacte caprarum cibare suos debet. Per lac caprinum intellige etiam lac bubulum & ouillum: nec solum lac, sed butyrum, caseos & alia, quibus partim retentis, partim diuenditis familia alitur. Lactis caprini ideo mentionem fieri existimo, quòd eius usus saluberrimus esse credatur. Docet etiam hic locus frugalitatem: contenti esse debemus uictu & amictu, qui ex pecoribus colligitur, non aliunde magis delicata quærere: paucis natura contenta est. Breuiter, cogitare boni patresfamiliàs debent, quomodo omnia rectè disponant & ordinent.

Quæ de re pecuaria dicuntur, ad alias quoque negotiationes pertinent, quæ uariæ sunt. Quisq; paterfamiliàs res suas curet, nec ab alijs tantum dependeat. Deinde suo tempore conficiat, emat, uendat, &c. Hæc cum docet scriptura, non docet auaritiam, aut nimiam solicitudinem. Distinguendum enim est inter solicitudinem quæ ex diffidentia, & solicitudinem quæ ex fide suum ortum habet.

Primum uersum ex illis quinq; allegoricè interpretantur, quòd pastores Ecclesiæ, oues suas cognoscere debeant. Cognoscere autem, non est tantum de facie nosse, sed earum curam suscipere, eas tueri ac defendere. Sic Christus seruator noster Ioannis 10. cap. dicit, Quòd cognoscat oues suas. Papistæ, hoc loco abutuntur ad probandum suam auricularem confessionem: dicunt enim, Pastorem faciem gregis sui debere cognoscere, hoc est, uitam & mores subditorum, sed hoc fieri per confessionem auricularem, si singulos examinet & exploret. *Confeßio auricularis.* Respondeo: Salomonem hoc loco de cura rei domesticæ, non de hac confessione agere. Vult enim ut homines curēt sua bona, nec sinant perire. Deinde si hic locus de cōfessione auriculari loquitur, oportet in ueteri Testamento confessio illa etiā fuerit, quod aduersarij nostri nō dicent. Adducunt alia quoq; loca scripturæ ad defendendam suam illam confessionem, quæ non minus deprauant, quàm hunc. Quod uerò confessionem auricularem attinet, quando & quibus authoribus cœperit, ab alijs abunde est explicatum, & paucula quædam in sequenti capite à nobis quoq; illa de re adferentur.

CAPVT XXVIII.



HOC caput uigesimumoctauum totidem elegantes & præclaras sententias continet, quibus Salomon, uel potius ipse Deus, nos de uarijs & utilissimis rebus instruit: quas ordine explicabimus.

1 Fugiunt impij, tametsi nemo persequatur.

Ad uerbum, *Fugerunt impius*: heterosis numeri, id est, unusquisq; ex impijs fugit. Qui non credunt Deum esse, aut Deum curare res mortalium, quiq; turpiter & scelerate uiuunt, sibi malè conscij, nesciunt quò se uertant, timent ubi non est timendum, etiam in media pace, hostes putant ceruicibus imminere, à sonitu folij trepidant: ac tametsi uultu fortitudinem simulent, tamen meticulosi sunt. Leuit. 26. Deuterono. 18. Iob. 15. cap. Amicos, hostes, seruos, conscios, ignaros, suspectos habent. Sophel ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ. Exemplo nobis est Cain, qui occiso Abele, uagus & desperabundus super terram, omnes formidat: unde & signū accepit à Deo, ne à quoquā interficeretur. Itē rex Balthasar Dan. 5. ca. Procopius scribit Theodorico regi Gotthorum post interfectum, ad perditorum hominum suggestionem, Symmachum & Boëtium, cœnanti cum esset caput piscis oblatum, horrendam in illo uisam Symmachi faciem, quæ toruis oculis sibi minaretur, eoq; consternatum in morbum incidisse. Sunt tamen impij aliqui ualde audaces. *Impij pauidi sunt, iusti cōfidentes.*

Iusti autem instar leunculi confidunt.) Pij sciūt se Deū habere propitium propter Christum, ideoque in medijs afflictionibus animis sunt erectis: sciunt credentibus omnia in bonum cedere: sine uoluntate Dei eis prorsus nihil accidere: si hanc uitam amittant, se meliorem adipisci:

ideoq; animo sunt tranquillo: orant, fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra. Psal. 22. Non timebo mala, quia tu mecum es. Eccles. 34. cap. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quia ipse est spes eius. Quia pius à magnis sceleribus immunis est, certus de sua innocentia, non trepidat ad carnificum conspectum.

Rem breui similitudine ostendit. Sicut leo nō trepidat ad occursum uel hominum uel bestiarum, sic iustus confidit. Hanc sententiam explicat D. Chrysostomus homil. 8. ad populum Antiochenum. Talis est, inquiens, peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quandoq; putant contra se uenire. Multos igitur conspicati sępe peccatores, ad aliud ministerium currentes, ad se uenire cogitauerunt, & alijs alia inter se differentibus, peccati sibijpsis conscij, putant illos de se loqui. Talis enim res peccatū est, nullo prodit arguente, nullo condemnat accusante, pauidum facit & timidum peccatorem, sicut iustitia contrarium. Audi igitur quomodo & huius pauorem, & illius libertatem, scriptura designauit: *Fugit impius persequente nemine*, inquit. Quem persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiæ accusatorem, & hunc ubiq; circumfert: & sicut seipsum nō potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem: sed quocunq; abeat, flagellatur, & uulnus habet immedicabile. At non talis iustus, sed qualis audi: *Iustus tanquam leo*, inquit, *confidit*. Talis erat Helias: uidit igitur regē ad se ueniente, & dicente illo: Tu'ne es ille qui conturbas Israel? Non ego turbaui Israel, inquit, sed tu & domus patris tui, &c. Lege reliqua.

2 Propter præuaricationem regionis, multi principes eius.

Si in regno aliquo multi simul sint reges, uel alioqui sibi inuicem multi succedant, & unus alium ui expellat, non fit sine magno malo populi, sine direptionibus & bellis. Xenophon scribit: πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι. Exempla habemus in libro Iudicum & Regum: itē in historia Romana, quando sublato Nerone, perpetua fuit laniena, succedente Galba, mox Othone, postea Vitellio. Solent etiam in imperiorum & magistratuum mutationibus, posteriora deteriora esse. Causa tanti mali indicatur, transgressio terræ, id est, populi terræ, per Metonymiam. Deus enim sic castigat scelera hominum. Iob. 34. legitur, Quòd Deus regnare faciat hypocritam, propter peccata populi. Isa. 3. minatur Deus, se daturum populo pueros, & effœminatos habituros imperium.

Et propter hominem intelligentem & scientem, sic prolongabitur (imperium.) Rex prudens & doctus, efficit ut uerbum Dei prædicetur, ecclesiastica disciplina seruetur, & sic populus in pace uiuit, ac diuturnum est imperium. Propter alios quoq; prudentes (quales prophetæ fuerunt apud Israelitas) qui & populum & principes in officio continent, durabilia sunt imperia. Nō autem satis est ut sint prudentes, qui studeant paci, nisi alij eis obtemperent. Discunt principes, & subditi, qui bonos principes habere uolunt & felix imperium, ne à Deo deficiant. Causa enim publicarum calamitatum & mutationis imperiorum, est ἀποστασία à Deo.

3 Vir pauper ui spolians pauperes, est pluuia inundans (*uel uerrens*) ut non sit panis.

עשק Aschak, ut alibi quoq; annotauimus, uiolentiam & oppresionem significat: calumniam ferè reddunt. Pauperes qui alios opprimūt ut ditescāt, comparat pluuiæ copiosæ & intempestiuę. Quemadmodum enim talis pluuia segetes lædit: ita pauperes illi, alios pauperes uehementer lædunt. Vulgò dicunt, macilentos pediculos acrius mordere.

Et non est panis. Hoc est, pluuia uehemens corrumpit fruges, & penuriam inducit. Vel oppressores illi pauperum, multos damno afficiunt, quemadmodum pluuia, ipsi tamen nō efficiuntur diuites. Bona enim quæ per rapinam acquiruntur, non prosperantur. Discamus pauperes non opprimere, maximè si nos quoq; pauperes sumus uel fuimus. Dolere potius illorum uices debemus, qui ijsdem nobiscum malis afficiuntur. Dido Vergiliana dicit:

» Non ignara mali, miseris succurrere disco.

סחף sachaf, est ducere, trahere, uerrere: inundatio enim pluuiæ, trahit, uerrit ducitq; ligna, lapides ac semina.

4 Derelinquentes legem, laudant impium.

Pares cum paribus facilè congregantur: homines impij laudant sibi similes impios, libenterq; cum eis die noctuq; uersantur. Qui oderunt puriorem doctrinā, laudibus efferunt illos, qui ferro & flammis, puræ doctrinæ studiosos delent. Ebrij ebrios, adulteri adulteros amant & laudant. Illos uerò qui alieni sunt ab his sceleribus, cane & angue peius oderūt: stultos clamant esse, quotquot Dei præceptis student, interim genium suū fraudantes. Antisthenes philosophus, cum audisset se ab improbis laudatum esse, Vereor, dicebat, ne quid imprudens fecerim mali. Neq; solum personas, sed & res impias laudibus efferunt.

At custo-

At custodientes legem, contendunt cum ipsis.) Scilicet impijs, uel legem deserentibus. Studiosi legum diuinarum ad blasphemias impiorum non tacent. Si impij scripturarum authoritatem conuellant, scelera extenuent, ipsi sese opponunt. Et quemadmodum ille qui honestè uirginem amat, eam uituperantes ferre non potest: quemadmodum filij si parentes contumelia affici audiant, tacere nequeunt: Ita filij Dei contemptum patris sui cœlestis ferre nequaquam possunt. Qui uerò nihil afficiuntur, non sunt ueri filij. Cum Dauid Goliathum audiret Deo insultantem, statim cum eo pugnare uoluit. גרה garah significat contendere, miscere litem, &c. Forsterus annotat quod התגרה hithgarah, in hithpael significet attrahere, scilicet currus, ut in bellis fiebat: & hunc locum nescio quàm rectè, ad huc modum exponit: *Desertores legis laudant improbitatem seu seditionem, sed custodes legis contrahunt se contra illos*, id est, instruunt currus in seditiosos: prior sensus bonus est & simplex.

5 Viri mali non intelligunt iudicium: quærentes autem Deum, intelligunt omnia.

Vocabulum Mispat quemadmodum apud Græcos δίκη, multa significat, ideo non uno modo hæc sententia potest exponi. Aliquando significat, Verbum Dei: & tunc erit sensus, Impij nō intelligunt uerbum Dei: etsi sæpe audiant, tamen sibi semper similes sunt, semper discentes, nec unquam ad cognitionem ueritatis uenire ualentes. Pij uerò omnia intelligunt, nempe quæ eos scire interest, quæ ad salutem eorum pertinent. Aliquando significat officium hominis: hoc impij non intelligunt, pij uerò sciunt ex uerbo Dei, quo pacto sese gerere debeant, quid requiratur à magistratu, à subditis, ab uxore, à marito, à domino, à seruo, &c. Potest etiam intelligi de forensi iudicio. Impij magistratus iudicium non intelligunt, nam alijs rebus intenti, parum sunt soliciti, quid iustum quid iniustum sit. Hoc Micheas cap. 3. prauis magistratibus obijcit. Deinde accipientes munera, ita excæcantur, ut omnia habeant uenalia. Pij uerò sapientiam à Deo postulant, iura euoluunt, & sibi à corruptorijs muneribus cauent. Addendum est, impios non intelligere iudicium Christi, quod in fine seculi exercebit: putant enim nugas & deliramenta esse. At pij ex sacris literis norunt Christum certò ad iudicium uenturum esse: norunt etiam quæ signa præcessura sint: norunt item quomodo uenturus, ubi, quos, propter quid, quomodo iudicaturus sit. Nec tantum hæc sciunt, sed sæpe meditantur, id quod eos in officio continet, & in afflictionibus reficit ac cōsolatur.

δίκη significat iusticiam, ius, iudicium, uindictam.

6 Melior est pauper, qui ambulat in perfectione *uel integritate* sua, quàm peruersus uijs, & ipse diues.

Spiritus sanctus corrigit hac sententia peruersum iudicium uulgi, de diuitibus & pauperibus. Vulgò iudicant diuites, quantumuis impios felices esse, pauperes uerò quantumuis pios, infelices: at scriptura nos longè aliter iudicare docet. Pauper, dicit, qui ambulat in perfectione sua, hoc est, qui studet probitati & integritati, præstantior est, quàm diues peruertens uias, hoc est qui in religione non est syncerus, & uiuēdi rationem non rectè instituit, uarijsq; dolis utitur. Similis sententiæ uersus apud Græcos feruntur:

Comparatio pauperis & diuitis.

κρέσσων πενία μὴ δικαίας κτίσεως, „

καὶ γὰρ νόσος γε τῆς κακῆς συνεξίας. „

Disce ex hac sententia, modicas opes piorum, longè præferendas magnis opibus impiorum, scelere partis. Quin si pij prorsus nihil habeant, interim uirtute præditi sint, potior est eorum, quàm diuitum impiorum conditio. A' peruersis igitur hominum iudicijs non est pendendum. Similes sententiæ alibi in hoc libro explicantur.

7 Qui custodit legem, filius est intelligens.

Qui uiuit secundum legem, scilicet Dei uel parentum. Parentes enim liberis adultis præscribunt, quomodo res domestica administranda sit: hortantur eos ad laborem, temperantiam, cauendos iubent decoctores, &c. his qui obtemperat, prudens est. Ipse enim maximam utilitatem percipit.

Qui autem pascit commessatores, pudore afficit patrem suum.) Quidā uertunt, *qui autem socius est helluonum.* רעה roeh, enim socium & pascentem significat. Qui non contenti diu noctuq; in œnopolijs sedere, domum quoq; helluones & decoctores ducunt, & sua turpiter prodigunt, sæpe cogunt parentes suos erubescere: mortuos quoq; ignominia afficiunt. Nam quemadmodum uirtutes liberorum, sic etiam uitia, in parentes redundant. Quin totius familiæ sunt maculæ. Discunt iuuenes quid faciant ut honori sint parentibus, custodiant eorum mandata, & cum ebrijs hominibus & meretricibus, sua non prodigant.

8 **Qui multiplicat diuitias suas cum usura & fœnore, ad largiendum pauperibus congregabit eas.**

Vsura. Quod proprietatem uocum attinet, Hebræi usuram נשך næschæch, id est, morsum uel corrosionem appellāt, à נשך naschach, quod est mordere, arrodere, ut serpens dentibus mordet & arrodit: eò quòd usura, hominis opes tectè mordeat ac corrodat. Chrysostomus etiam dicit: Similis est pecunia usurarij, morsui aspidis, quia per ipsam usurarius seipsum occidit, & sicut percussus ab aspide, quasi delectatus cadit in somnum, ac per suauitatem soporis moritur, quia tunc uenenū per omnia membra latenter decurrit: Sic qui sub usura accipit, ad tempus quasi beneficium sentit: sed usura per omnes eius facultates decurrit, & totum conuertit in debitum, &c. תרבית tharbith multiplicatio: sic quoq; Hebræi uocant usurā, quæ est quando quis pro uno modio, aut una ulna seu mensura, plures accipit. Vel si mutando uiginti, scribitur debitum uigintiquinq;. Non dicit usura parandas esse opes, ut postea eleemosynam facias, sed sæpe accidere, ut qui illicitis modis opes cumulant, eas relinquant homini liberali, qui eas pauperibus distribuat. Ipsi enim opes pauperibus non largiuntur. Docet hæc sententia, quòd usurarij non diu fruantur opibus malè partis, sed mox alijs relinquant. Si capere ex opibus uoluptatem uelis, da operam ut iusto labore & legitimis modis colligas. Sæpe hæc sententia repetita est.

Impiorum opes sæpe ad pios deuoluuntur.

9 **Qui facit declinare aurem suam, ne audiat legem, etiam oratio eius erit abominatio.**

Oratio impiorum nō exauditur. Qui legem Dei audire non uult, quamcunq; ob causam id faciat, illius oratio non modò non exaudietur à Deo, sed quod plus est, erit abominatio. Non tantum mala impiorum opera, sed etiam in speciem bona, sunt Deo abominationi. Nam impœnitentium Israelitarum sacrificia, multis in locis reijcit & abominatur. Æquum autem est, ut qui Deum per ministros & scripturam loquentem audire dedignati sunt, etiam non audiantur quando per orationem cum Deo colloqui uoluerint. Non ualebit impiorū illa excusatio, aures meas à lege non auerti, sed à ministro quem odi. Quin neq; pios pro impijs orantes Deus exaudit. Ieremiæ enim 7. cap. ostendit, uanam esse spem impœnitentium in sanctorum intercessiones. Deum prohibuisse, ne intercedat pro populo hoc. Ierem. 15. dicit Dominus: Si starent Moses & Samuel coram me, non esset tamen animus meus ad populum istum. Et Ezech. 14. Si peccauerit terra, & fuerint tres uiri illi in medio eius, Noe, Daniel & Iob, ipsi in iustitia sua liberabunt animam, &c. Samuelem quoque pro Saule orantem reiecit. Si uerò Deus illos non exaudit, qui aures suas amouent à lege, quid de illis futurum est, qui legem Dei non modò non audire uolunt, sed etiam cauent ne alij audiant: ad hæc uerbum Dei pestilentissimam hæresim uocant, & sacros libros cum lectoribus eorū exurunt? Discamus igitur, ut si uolumus preces nostras exaudiri, non auertamus aures à uerbo Dei, nec pergamus in sceleribus.

10 **Qui errare facit rectos per uiam malam,** *uel in uia mali,* **in foueam suam ipse corruet.**

Qui bonos & simplices homines à uia recta, uerbis uel factis, in uiam malam abducunt, hoc est, à uera religione ad falsam, & ab honesta uiuendi ratione ad turpem, cadent in foueā. Hoc autem in primis faciunt falsi doctores, qui homines à Christo unica uia uitæ æternæ, ad alias abducunt. Deinde tyranni, nec non impij homines, ut decoctores, lenones, &c. qui non hoc contenti sunt, quòd ipsi peccent, alios quoq; in peccatum pertrahere moliuntur. Hi omnes cadent in propriam foueam, id est, in malum ad quod rectos duxerunt. Pœnas enim atroces dabunt, uel in hoc uel in futuro seculo, uel in utroq;. Pseudoprophetæ sæpe in hac uita supplicio affecti sunt. 1. Reg. 18. Helias 150. occidisse legitur. 2. Reg. 10. Iehu collectos ex toto Israele iugulauit. Multi tyranni & scelerati homines, horribiles pœnas in hac uita dederunt. Exempla nota sunt. Nō autem putandum est, illos solos pœnas dare, sed & illi qui ab ore eorum pendent, ijsdem potius erunt obnoxij. Christus enim Matth. 15. dicit: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueam. 2. Pet. 3. de pseudoprophetis dicens, Accersentes sibi celerem interitum, addit: Et plerique sequentur illorum exitium. Quod cum illis pugnat qui dicunt, Totus pendeo à ministris, si illi me non rectam uiam duxerint, ipsi dabunt pœnas. Dabunt quidem, & grauissimas, tu tamen qui te eis regendum dedisti, nō liberaberis. Electi quidem ab eis non seducentur, aut si seducti fuerint, tamen in uiam salutis redibunt. Iustum autem est, ut falsi doctores puniantur. Graue enim peccatum est homines seducere. Deuter. 27. cap. maledictus esse dicitur, qui cæcum errare facit in uia. Si scientes & uolentes hoc faciant, crescit eorum peccatum.

Pseudoprophetæ sæpe in hac uita puniuntur.

At perse-

At perfecti hæreditate accipient bonum.) Qui integri sunt in fide & moribus, quiq; alios ex erroribus liberare student, hæreditabunt bonum. Heterosis est numeri, pro omnia bona & felicia experientur, & tandem hæreditatem cœlestem consequentur.

11 Sapiens in oculis suis, est uir diues: pauper autem intelligens, scrutatur eum.

Diuites plerumq; sibi placent, quasi sua industria & sapientia opes collegerint & conseruent: pauperes tanquam stultos aspernantur. Pauperes autem prudentes, de diuitibus illis uerè iudicare possunt, an sapientes, an stulti sint, an felicitatem in illis opibus positam esse sentiant, necne. Deus alijs diuitias, alijs sapientiam largitur. Si dicendum sit de uera & cœlesti sapientia, non multi potentes & diuites, eam consequuti sunt: præferunt enim ferè suas diuitias Christo: quemadmodum de diuite adolescente, Matth. 19. legitur.

12 Cum exultant iusti, multa est gloria.

Pulchrum est si boni exultant, id autem tunc faciunt, quando boni & pij euehuntur ad honores. Gloria non parua est Reipub. si boni præsint: tunc enim homines in pace uiuunt, quisq; suis rebus utitur, gloria Dei propagatur. August. de Ciuit. Dei inquit: Illi qui uera pietate præditi bene uiuunt, si habent scientiam regendi populos, nil est felicius rebus humanis, quàm si Deo miserante, habeant potestatem. Plato dicit: Cum Deus ciuitati beneficium præstare uult, bonos uiros ei producit: cum uerò ciuitati calamitatem immissurus est, aufert ab ea uiros bonos.

Et cum euehuntur impij, inquiretur homo.) חפש chapas, cum puncto sinistro, significat nudare, per Metaphoram scrutari & inuestigare: nam scrutando, res denudantur, seu deteguntur. Quidam uertunt, mutare & occultare. Hinc non est una huius loci interpretatio. Quidam reddūt, *Cum surrexerint impij, homo nudabitur*: alij, *inquiretur*: alij, *abscondetur*: alij, *mutabitur*. Vt sit sensus, Tyrannis regnantibus nudantur homines, id est, expilantur, bona ciuium uoci præconis subijciuntur: aut homines uestibus preciosis depositis, lugubres induunt. Vel homo inquiretur, hoc est, impij principes explorant & inuestigant, quid quisq; habeat, nihil tutum est, omnia diripiuntur. Vel homo abscondetur, id est, latebras quæret, scilicet ne interficiatur, uel propter luctum non prodibit in publicum. Sic Cicero & alij, oppressa libertate Reipub. à Cæsare, fugientes conspectum sceleratorum, abdiderunt se. Vel mutabitur, id est, mutabit uestē ne agnoscatur, uel ne diues uideatur. Ego de moribus intelligo, mutabitur scilicet cum principe: hoc est, qui antè bonis erant moribus, paulatim in malos degenerabunt, ut principi suo placeant, iuxta hunc uersum:

Mobile mutatur semper cum principe uulgus. Et,
Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Qualis princeps, talis populus. Multum ergo interest, quales sint principes, & quales in liberis Rebusp. magistratū gerant. Vide cap. 19. uersu 12. Quod de gubernatorib. Rerumpub. dicitur, ad doctores Ecclesiæ etiam pertinet: nam quando ecclesijs præsunt boni, homines exultant, quando uerò impij euehuntur, disciplina Ecclesiæ corruit. חפש chapasch, cum puncto dextro, significat libertate donare, quod etiam conueniret huic loco, nam impij principes, concedunt licentiam hominibus, laxant frenos disciplinæ. Hunc sensum sequutus est Philippus Melanchthon.

13 Operiens transgresiones suas, nunquam prospere aget.

Multi sunt homines qui tametsi grauiter peccent, tamen negant se peccare, ut sunt Epicurei, Anabaptistæ, Pontifices Romani, &c. Sunt qui pauca tantum in peccatorum numero habent: Dicant alij, inquiunt, quicquid uelint, hæc aut illa peccata esse, nemo mihi persuaserit. Sunt qui peccata uirtutum nomine donant, ut qui opera hypocritica, bona esse dicunt. Sunt item qui peccata eleuant, & cum in alijs atrocitatem eorum uideant, tamen in seipsis non uident. Multi sententijs & exemplis sacrarum literarum, & sua & aliorum peccata defendunt. Hi omnes nisi pœnitentiam agant, non prospere habebunt, hoc est, non consequentur remissionem peccatorum. Vt enim medicum non admittunt, qui ægroti esse nolunt, & morbos dissimulant: ita ad Christum non confugient, qui animi morbos non agnoscunt. Quemadmodum lauari non uult, qui faciem sordibus pollutam non credit: ita qui se immunem putat esse à peccato: non erit solicitus, quomodo à peccatis abluatur. Deinde in alijs quoq;, quæ agent, non habebunt felicem successum. Deus quoq; crimina non semper latere patitur. Quomodo uerò homo peccata sua potest cognoscere? Si speculum legis diuinæ, quod non adulatur, diligenter inspiciat: grauitatem uerò peccati, ex pœnis, & præcipuè ex morte Christi colligat.

Multi peccata sua nō agnoscunt.

Confeßio peccatorũ priuata, quæ Deo fit. *Qui uerò confitetur & relinquit, misericordiam consequetur.*) Deo confitenda peccata, idq; & priuatim & publicè. Priuatim exploranda sunt corda nostra coram ipso, agnoscenda quæ in nobis sunt peccata, & orandum ut nostri misereatur. Exempla huius rei, multa leguntur in scripturis. Dauid Psal. 32, Peccatum meum notum feci tibi, & iniquitatem meam non celaui: cumq; cogitarem, fatebor contra me transgresionem meam Domino, protinus remisisti iniquitatem peccati mei, &c. Psal. 51, Miserere mei Deus, secundum magnã misericordiam tuã. *Confeßio publica.* Publicè quoq; cum tota Ecclesia, peccata confiteri debemus. Leuit. 10. cap. Deus instituit, ut in festo purificationis, præeunte sacerdote, totus populus conceptis uerbis, peccata sua confiteretur. Esdras quoque & Nehemias, tales confesiones fecerunt. Ephesij Act. 14. publicè exurentes libros magicos, se peccasse confitentur. Non autem ideo peccata Deo confitenda sunt, ut illum moneamus (nouit enim secreta cordis nostri, antequam ea confiteamur) sed ut nos ipsos cognoscamus, nostramq; uideamus miseriam, qua animaduersa, uehementius misericordiam Dei imploremus. Porrò non satis est peccata confiteri, sed à peccatis oportet recedere: hoc qui fecerit, misericordiam consequetur, scilicet à Deo. Sic 1. Ioan. 1. legitur: Si confitemur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni peccato. Sed quomodo, inquis, recedimus à peccato? Quando in hoc incumbimus, ut quando in uniuersum liberari à peccato non possumus, saltem non regnet illud in mortali nostro corpore, Rom. 6. Falsò igitur colligit quidam Papista, ex hoc loco refutari errorem illorum, qui asserant peccata non imputari electis, cum necessum sit peccata relinquere, si remisionem habere uoluerimus. Peccata enim multa commisimus, & quotidie alia committimus, quæ Deus suis non imputat. *Confeßio quæ fit hominibus.* Est etiam alia confesio à Deo præscripta, qua hominibus peccata confitenda sunt. Si enim læsisti proximum tuum, uel is te læsit, cogitandũ est de reconciliatione. Hanc confesionem postulat à nobis Christus, 5. cap. Matth. & Iacobus 5. ca. Qui ita fatentur sua peccata hominibus, & dolorem testantur, & deinceps se meliores fore promittunt, misericordiam ab eis impetrant: nam si pij sint, ignoscunt eis. *Confeßio auricularis.* Papistæ ex hoc loco confirmant confesionem auricularem: quæ nullum scripturæ præceptum nec exemplum habet. Hæc enim sententia intelligitur de confesione quæ soli Deo fit: aut si de illa quæ hominibus fit, intelligis, is sensus est, quem paulo antè recitauimus. Alia loca quę ad defensionem suæ illius confesionis proferunt, tam sunt friuola & putida, ut confutatione indigna uideantur. Obijciunt nobis doctores Ecclesiasticos, qui dicant confesionem, quæ ministro Dei tanquam Deo præsenti fiat, necessariam esse ad salutem. At Chrysostomus in Epist. ad Heb. homi. 31. disertè scribit: Non dico tibi ut te prodas in publicum, neq; ut te apud alios accuses: sed obedire te uolo prophetę dicenti, Reuela Domino uiam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem, cum oratione delicta pro iniuria: non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria. Et nunc demum crede te misericordiam posse consequi, si habueris in mente tua continuè, &c. In Psal. 51. homil. 2. scribit, se non inquirere ut dicamus peccata cuipiam homini, sed Deo in cordibus nostris. Idem alibi quoq; docet. Hæc manifestè ostendunt, soli Deo confitendum esse, nec sunt hæretici, qui hoc docent. At Papistæ tale figmentũ afferunt: Et nos fatemur eos qui sacerdoti cõfitentur, soli Deo cõfiteri, quemadmodũ solus Christus est qui baptisat, secundum D. August. super illum locum Ioannis: Ecce hic est qui baptisat. Christus solus est qui baptisat, & tamen discipulis dixit, Ite, prædicate baptisantes. Ecce homines tanquam ministri baptisant, & tamẽ solus Christus baptisat. Sic confitentes sacerdoti ministro Dei, soli Deo confitentur, &c. Tunc hanc confutationẽ ualere dicemus, quando illi probarint Christum instituisse confesionem auricularẽ. Vbi nam dixit, Ite, prædicate, confesionem aliorũ audientes? Ipse quoq; Gratianus Decretorum consarcinator, propositis in utramq; partem sententijs, & quòd necessariũ sit peccata confiteri sacerdoti, & quòd non sit necessarium, nihil certi definit, sed lectoribus liberum permittit. Tandẽ anno 1215. in Concilio Lateranensi ab Innocentio 3. hominibus obtrusa est: & etiam hodie à parasitis Papæ, licet uideant eam nullis scripturæ locis niti, magnis clamoribus defenditur. Putant enim labefactari authoritatem suam, confesione erroris.

An peccata iudici aperienda sint. Quæri etiam obiter posset occasione huius loci, an homines teneantur coram iudicibus fateri scelera quæ cõmiserunt, præsertim si ab aliquo accusentur, & à iudice requirantur? Breuiter respondeo, mihi quidem uideri quòd Charitas hoc postulet, ne alius quispiã innocẽs, tormẽtis subijciatur. Facit etiã ad gloriã Dei. Cum enim Iosue Achã adigere uellet ad sceleris confesionem, dicebat, Da gloriam Deo. Nec uidẽtur uerè pœnitentiã agere, qui peccata sua celant. Adhæc est genus falsi testimonij, si quis requisitus, negat se fecisse, quod fecit, & alios innocentes in periculum conijciat. Plato quoq; in Gorgia dialogo, hoc faciendum censet.

14 Beatus homo, qui pauet semper.

Pij non dubitant de gratia Dei,sed firmiter credunt,quòd Deo licet indigni,propter Christum accepti sint:nihilominus tamen sibi metuunt, partim propter peccata, quæ iam admiserunt,partim propter quotidiana peccata. Sciunt enim Deo peccata displicere,& ab eo puniri. Quemadmodum filius metuit,ne patrē,quem diligit, offendat,ita pij. Apostolus quoq; ad Philip.2.nos monet,ut cum timore ac tremore,salutem nostram operemur. Papistæ negant homini ad remissionem peccatorum assequendam , necessarium esse ut certò credat & statuat,sibi remissa esse peccata:docent semper dubitandum esse, an Deus nobis peccata remiserit,& receperit nos.Locum afferunt ex Ecclesiaste Salomonis cap.9.Nescit homo utrum odio an amore Dei dignus sit,sed omnia in futurum seruantur.Quæ uersio Hebraicæ ueritati minimè congruit,longè enim aliud agitur,ut à Musculo in suis locis communibus copiosè demonstratur.Eccles.5.dicitur,De peccato propitiato noli esse sine metu. Hinc inferunt Papistæ,ergo non possumus certò statuere,nobis peccata remissa esse. Sed hic locus monet impœnitentes, ne peccata cumulent,eò quòd Deus non statim puniat peccata.

Sed qui indurat cor suum, corruet in malum.) Cor suum indurat, qui non credit uerbo Dei:qui neque iudicijs Dei, quæ olim exercuit priuatim & publicè, neque pœnis, quas de impijs quotidie sumit,neque comminationibus æterni supplicij mouetur,is corruet in malum culpæ,ut uocant,& pœnæ.

15 Leo rugiens & ursus esuriens, est princeps impius super populum pauperem.

שקק schakak,significat excurrere ad grassandum seu diripiendum. Sensus est, Vrsus excurrens,scilicet ad prædam,alij deducunt à שוק quod significat appetere, concupiscere, ut sit sensus,appetens,id est,esuriens. Impium principem, hoc est, tyrannum, comparat leoni rugienti & urso famelico. Nam quemadmodum ad leonis rugitum animalia tremunt,ita homines ad tyranni conspectum.Occidit enim illos etiam,qui non meruerunt. Vrsi famelici omnia laniant,ita tyranni.Princeps pater populi sui esse debet,fortunas suorum debet defendere,pastor gregis sui esse,non lupus: quin à grege arcere debet lupos, quales sunt fœneratores,falsi doctores,præcones indulgentiarum & alij.Plato quoq;,reges & principes similes esse dicit pastoribus, præfectos eorum canibus, qui gregem contra lupos defendunt,& ἐπικούρους,id est,adiutores uocat. Tyberius Cæsar,cum amici eum monerent ut augeret uectigalia,respondit,boni pastoris esse tondere pecus,non deglubere.Alexander magnus in simili causa dicebat,Odi olitorem qui radicitus herbas euellit.Vespasianus uerò ex lotio uectigal fecit,superq; eo facto à filio Tito admonitus, ne è re tam putida pecuniam colligeret, postea collecta filij naribus admouens rogabat,num odore offenderetur,&c. Possunt quidem principes iure diuino tributa & uectigalia imperare suis subditis, modus tamen est adhibendus: minuendus est luxus aulæ.Mich.3.cap.reprehenduntur praui magistratus,qui populum immodicis exactionibus onerabant. Grati sint Deo,qui bonos principes & magistratus habēt. *Exactiones immodicæ*

16 Dux deficiens intelligentijs,multiplicat rapinas.

Causam ostendit,cur quidam ex principibus populum suum opprimant, & bona eorum occupent : Quia destituuntur prudentia. Si euoluissent legem Dei,intelligerent quàm hæc Deo displicerent,qui respectum personarum non habet. Si euoluissent historias,uidissent, quem exitum tyranni habuissent.Sed quia rerum imperiti sunt,subditos suos & alios quoq; expilant. Quidam ita intelligunt hoc membrum, *Princeps destitutus prudentia & multus in iniurijs*, scilicet non prorogabit dies suos, ut sit Ellipsis. Plures interpretationes huius sententiæ, affert Santes in magno suo lexico in radice נגד nagad.

Qui odio habet auariciam,prolongabit dies.) Vicini enim reges,non insidiabuntur uitæ eius, neque bellum ei inferent. Cogitabūt enim,utilitas nulla,damna manifesta sunt.Subditi quoq; nullis presi iniquis oneribus , contra principē suū non cōspirabunt,sed sese pro defensione eius,in certissima pericula offerent. Auaritia in omnibus quidē turpis,in principe uerò turpissima est. Iethro Exod. 18. inter alia à magistratibus non simpliciter requirit,ne sint auari, sed ut odio habeant auaritiam. Auari enim uenalem habent iusticiam,libertatem & ipsam quoq; religionem. בצע bæza significat auaritiam, turpe lucrum,à בצע baza quod propriè uulnerare significat , per metaphoram auaritiam exercere, eò quòd instar gladij,hominem uulneret,& sanguinem ipsius hauriat. Sententia hæc generaliter quoq; accipienda est.

17 Homo qui opprimit in sanguine animæ,usq; ad foueam fugiet,nec retinebunt eum, (*uel ne teneant eum.*)

Homo עשק aschuk,id est,oppressor, aut alienorū bonorū occupator,in sanguine animæ,

ut sit nomen Toar secundum R. Dauid in lib. radic. Alij pasiuè accipiunt, homo oppressus, scilicet à cogitatione mala aut concupiscentia, occidit animam. Alij dicunt participium passiuum esse, loco participij actiui, homo opprimens: plura habet Santes in suo lexico in radice *Homicidæ profugi.* עשק aschak. Sensus est, qui aliena bona occupat, fundendo innocentem sanguinem, quæret latebras, fugiet in sepulchra & foueas, ne inueniat eum propinquus sanguinis, uel alioqui comprehensus det pœnas. Vel usq; ad sepulchrum fugiet, hoc est, ad mortem usq;, omnibus diebus uitæ suæ profugus erit, trepidabit, & quo se uertat, nesciet, nec retinebunt, sed dimittent eum, hoc est, nemo erit qui opem ei ferat, neque amici eius iuuabunt eum, ut pœnæ subtrahatur. Grauissimè enim antiquitus in homicidas animaduersum est. Multa de hac re extant in lege Dei. Gen. 9. Deut. 27. Iustinianus legibus cauit, ne ius asyli homicidis seruaretur, mandauitq; præsidibus prouinciarum, ne securitatem ex sacris locis illis concederent. Gentiles quoq; sanguinis humani effusionem ualde horruerunt.

18 Qui ambulat integrè (*uel simpliciter,*) euadet, peruersus autem duabus uijs, in una aliqua corruet.

Qui in fide syncerus est, & piè ac innocenter uiuit, seruabitur: qui uerò ab unica salutis uia aberrans, modò hanc, modò illam ingreditur, hoc est, qui duobus uolunt dominis seruire, calidi esset & frigidi, Euangelici & Papistæ, tandem corruent. Forsterus colligit ex nomine dualis numeri נעקש naekesch, significare hominem qui decipiendi gratia dilemma seu quæstionem ancipitem captiosè proponit: sicut Pharisæi Matth. 22. Christo proponebant, Num liceret Cæsari censum dare, nec ne. Discimus à uia regia neq; ad dextram neq; ad sinistram deflectendum esse, sed medium, hoc est, rectum iter tenendum. Medio, ait ille, tutissimus ibis.

19 Qui colit terram suam, saturabit pane, sed qui sectabitur inanes (*uel ociosos,*) saturabitur egestate.

Agriculturæ utilitas. Ad uerbum, *qui facit sectari,* scilicet, cor suum. Vt aliàs sæpe, ita hac sententia honestum laborem, & imprimis agriculturam commendat. Qui agros suos colit, inquit, rebus necessarijs non carebit. Ita qui alias honestas artes exercet. At qui ociosos homines, & uirtutibus uacuos, sectabitur, in extremam paupertatem incidet. Vide suprà capite duodecimo uersu 11. Hesiodus etiam dicit:

,, λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί.

Saturari egestate, est Hebraismus, pro satis uel ualde egenum esse. Allegoricè qui agrum cordis sui excolit repurgando à uitijs, seminans illum semine uerbi Dei, reficietur.

20 Vir fidelis, multus est in benedictionibus.

Vir fidei. Vir fidelitatum, qui spem suam in Deum collocat, & in sua uocatione bona fide omnia agit, qui uerax est, neminem fallit, neque propter opes ab honestate deflectit, multus est in benedictionibus, hoc est, à Deo benedictiones consequetur, nam prosperabit eius labores. Homines quoq; benedicunt tales homines, hoc est, collaudant eos, uel multus est in benedictionibus, hoc est, sua liberaliter in pauperes profundit.

Qui repẽte diuites fieri uolũt, obnoxij sunt magnis sceleribus. *At qui festinat ditari, non erit innocens.*) נקה nakah significat immunem esse à quocunq; malo, à peccato, à morbis, à pœnis, à publicis oneribus. Sensus igitur est: Qui repentè uult diues fieri, quo iure, qua iniuria, non expectando benedictionem Dei, non erit innocens, sed multis sceleribus erit obnoxius. Magnæ enim opes non statim absq; iniuria proximi & scelere colliguntur. Notus est uersus ille ex Menandri comœdijs:

,, οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.

Id est, nunquam uir æquus, diues euasit citò. Iuuenalis Satyra 14. scribit:

,, Inde ferè scelerum causæ, nec plura uenena
,, Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
,, Humanæ mentis uitium, quàm sæua cupido
,, Indomiti census: nam diues qui fieri uult,
,, Et citò uult fieri, sed quæ reuerentia legum?
,, Quis metus aut pudor est unquam properantis auari?

Hinc νεόπλουτοι, apud ueteres tam malè audierunt. Quidam Syllæ sese insolenter iactanti, dixit, Quomodo uir bonus esse potes, qui tantas posideas opes, cum à patre tuo nihil tibi sit relictum? Vel sensus est, non erit innocens, hoc est, Deus non sinet impunitum. Sic *Locus ex 1. Timot. 6. cap. explicatur.* in tertio præcepto dicitur, Deus enim non innocentem habebit eum, qui uanè nomen eius usurpauerit, id est, puniet eũ. Hunc locum illustrat D. Paulus in prima ad Tim. sexto cap. Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum: uetus translatio addit, diaboli:

non ait diuites, sed qui uolunt ditescere. Opes enim sunt donum Dei, qui non uult, ut eas abijciamus. Qui semel sibi proposuerunt opes colligere, quacunq; tandem hoc ratione fiat, incidunt in tentationem & laqueum: Satan eos ad multa nefaria pellicit, ex quibus quæstum faciant: addit, eos incidere in cupiditates multas, stultas, noxias, demergentes hominem in exitium & interitum. Concupiscunt enim omnia quę proximi sunt: sed tandem pręsentibus & æternis bonis spoliantur. Nam auaritia radix est omnium malorum. Explicat per species: Quidam aberrant à fide. Si per fidem intelligas religionem & ueram doctrinã, multi agnitam deserunt, imò persequuntur. Si intelligas fiduciam in Deum, auari in opes spem suam collocant, desperant de misericordia Dei: si ueritatem in dictis & factis, concionatores auari, obticent ueritatem, manifestos errores defendunt: magistratus subditos uendunt, subditi magistratus produnt: in commercijs nulla fides. Addit quòd se implicent magnis doloribus: magna enim molestia comparant, magno cruciatu custodiunt, magno mœrore amittunt, conscientia eorum non dormit. Discamus igitur, nostra sorte contenti esse.

21 Agnoscere faciem non est bonum, & ob buccellam panis præuaricatur uir.

Hæc sententia comprehendit duas præcipuas pestes magistratuum: prima est personarum acceptio, altera acceptio munerum. Accipere munus ab amicis, uicinis & alijs honoris causa, non damnatur: sed ab illis qui non honoris causa nobis conferunt, sed ut aciem oculorũ nobis perstringãt. Per buccellã panis, parua munuscula intelligit. Effectũ horum munerum ostendit, transgrediuntur metas sui officij, qui ea accipiunt. Proinde cauendum est, ne iudex uel porcum, uel uesté pelliceam, uel parua uel magna munera accipiat. Tametsi enim muneribus non corrumperetur, tamen res esset mali exempli. Amos 3. cap. minatur propheta Israelitis, quòd iustum pro argento, & pauperem pro calciamentis uendiderint. Nec solum iudices, sed alij quoq; à corruptorijs muneribus sibi cauere debent. Nam potest hæc sententia *καθολικῶς* accipi, Homo ob frustũ panis, hoc est, rem uilem & pusillam, peccat. M. Cato de M. Cælio in quadam oratione, ut est apud Gellium, exprobrat, quòd frusto panis conduci posit, uel uti taceat, uel uti loquatur. Deus apud Ezech. 13. pseudoprophetis obijcit, quòd frusto panis conducti, quiduis dicere parati sint. Hodie quoq; falsi doctores propter munera, ueritatem impugnant, & omnia habent uenalia.

22 Festinans ad diuitias, uir malo oculo, nec cognoscit quòd inopia eueniet ei.

Qui repentè diuites fieri uolunt, sunt plerunq; inuidi: quod per malum oculum Hebræi significant. Quemadmodum enim lippientes, radios solis aspicere nequeunt: ita illi æquis oculis aliorum successus intueri non possunt: soli cupiunt omnia occupare. At non cogitãt se tandé iusto Dei iudicio, inopia laboraturos esse, saltem in altero seculo. Opes fluxæ sunt & instabiles, malè partæ, malè dilabentur. חסר chæsær, inopiã & egestaté significat: alij legunt חסד chæsæd, quod nõ tantũ misericordiã, sed etiã ignominiã & inopiã significat. Forsterus in suo lexico Hebræo annotat, חסד chæsæd contrarias habere significationes, sicut apud Latinos sacer & nobilis, & accipi pro misericordia & immisericordia, uel crudelitate, ut sit sensus: *Qui festinat ditescere, & alijs inuidet, ignorat quòd immisericordia eueniet ei*, hoc est, quòd atrox & crudele exitium incurret. Posset etiam dici, quòd coniungat auaros & inuidos, qui semper sunt ingrati: non enim agnoscere benedictionem Dei, ut חסד chæsæd, in bonam partem accipiatur. Sic autem legendum esset, *Qui festinat ad diuitias & alijs inuidet, &c.*

23 Qui increpat hominem, postea gratiam inueniet magis, quàm is qui blanditur.

Increpationes ingratæ sunt hominibus, præsertim uerò iunioribus, & quemadmodum ægroti potiones salubres fastidiunt, ita homines correctionem. Conuitijs illos incessunt & odio prosequuntur, qui eos corripiunt, at tandem usu rerum edocti, intelligunt illos optimos amicos fuisse, qui eos acriter corripuerunt: è diuerso adulatores illos, qui scelera extenuarũt, eosq; ad ea patranda instigarunt, maximos fuisse hostes. Illos etiã sepultos laudant, ac gratias eis agunt, hos uerò uituperant. Si ille è medio cursu, inquiunt, me non retraxisset, miserè perijssem. Qui furiosum ligat, & lethargicum excitat, molestus eis est, quandiu sunt ægri, indignãtur: sed sanitati pristinæ restituti, ei gratias agũt. Etiam illi qui ad nullã frugem perueniunt, fatentur illos amicorum officium fecisse, qui eos reprehenderunt. Discimus aliorum scelera non dissimulanda esse, sed corripienda, tametsi enim illi qui reprehenduntur nunc malam gratiam referant, tamen si sapere incipiant, & æstus affectuum deferbuerit, gratias tibi agent. Discunt deinde qui reprehendũtur, æquo animo correctionem suscipere:

Vsus huius sententiæ.

suprà dixit, Meliora sunt uulnera diligentis,&c. Discimus quoque peccantibus non adulandum esse, tametsi enim homines ad tempus te ament, tamen in odium tandem hic amor uertitur. Quod linguam attinet: quidam putant in uoce אחרי acherai iod esse affixum, ut sit sensus, Qui increpat homines, post me, hoc est, quemadmodum ego feci: uel præcipio ut facias. Alij dicunt iod esse πάρελκον, & non affixum, & tunc sensus est, Arguens hominem, postea gratior erit adulatore.

24 Qui diripit (*bona*) patris sui & matris suæ, & dicit non esse præuaricationem, is socius est uiri uastatoris.

Păreti surripere aliquid, non caret peccato.

שחת schachat, significat funditus perdere, quocunq; id modo fiat. Hinc particip. præsens משחית maschith, perdens: uel nominaliter, perditor. Castalio uertit, *homo est perditus.* Filij qui parentes spoliant, dicunt se non peccare, nam se hæredes esse paternorum bonorum: at iudicio Dei peccant. Dicit enim quòd sint socij uel similes raptoribus, ut eodem loco statuere uideatur, qui res parentum & alienas rapiunt. Hæreditatem ante obitum parentum inuadere non debemus. Peccant & illi qui liberos instigant, ut frumenta, uina uel alia inscijs parentibus, efferant & diuendant. Christus pharisæos taxat, qui liberis authores erant, ut sua offerrent Deo, esurientibus interim parentibus. Qui inscijs parentibus æs alienum conflant, quod eos postea dissoluere oportet, nisi liberos infamia notari uoluerint, ad hunc quoque ordinem pertinent. Quod si parentes pauperes sint, & filij nihilominus hoc faciant, aggrauatur peccatum: parentes suos reuereri & alere debent, non iniuria afficere. Hoc ethnici quoq; uiderunt. Plautus in Pseud.

„ Ego'ne patri surripere possim quicquam cauto seni?
„ Atq; adeò si facere possem, pietas prohibet. Terent. in Adelph.

Qui mentiri aut fallere insuêrit patrem, audebit tantò magis cæteros.

25 Latus animo miscet litem.

Cupidi opũ & gloriæ sunt contentiosi. Ambitio.

Latus animo, à Septuaginta redditur ἄπληστος insatiabilis. Quidam intelligunt ambitiosum, qui suo gradu non contentus est, is excitat lites. Auarus nunc de finibus, nunc de damno dato, nunc de semita actu'ue, nunc de alijs rebus rixatur. Sua importunitate cogit contendere, natura placidos & mites. Ambitiosi quoq; & superbi fremunt, si alios promoueri uideant: reliquis enim non solum excellere, sed eos tollere uolunt: obtrectant eis, sese prædicant, hinc amplissima materia altercandi nascitur. Exempla habemus in Caino, Saule, Chore, Dathane & Abiron. Quin etiam Aaron & Maria soror Mosis inuidebant Mosi.

Sed qui Deo fidit, impinguabitur.) Pius sua sorte contentus est, Dei benedictionem expectans, paupertatem & diuitias æquo animo fert, priuatam uitam boni consulit: si alijs opes affluere uideat: si ad honores eos promoueri, gaudet, modò digni sint: ideo impinguabitur, hoc est, læto animo erit, uel abundabit delicijs: mœrore homines contabescunt: qui nihil habent quod eos angat, pingues efficiuntur.

26 Qui fidit cordi suo est stultus, qui uerò ambulat in sapientia ipse euadet.

Hoc est, qui sapientia sua & consilijs suis nititur, stultus est: nostra enim omnia, nobis suspecta esse debent, & quemadmodum medici, quando ęgrotant, alios medicos accersunt, ita aliorum, in rebus nostris, consilio uti debemus. Sed qui in sapientia ambulat, hoc est, qui sapientia aliorum consilia audit, præcipuè uerò qui iuxta præcepta diuinæ sapientiæ, res suas instituit, euadet pericula cum præsentis tum futuri seculi. Maximè uerò in cultu Dei hæc regula ualere debet, ne nostro cordi confidamus, hoc est, ne cultibus à nobis excogitatis Deo seruire uelimus, sed ex uerbo Dei petamus, quibus rebus coli uelit, alioqui offensam Dei, & periculum incurremus.

27 Ei qui dat pauperi, non erit inopia, qui autem abscondit oculos, erit multitudo maledictionum, *uel multus maledictionibus.*)

Liberalitatis præmiũ.

Primum membrum huius sententiæ, amplissimam promissionem continet, quales multæ passim extant in propheticis & Apostolicis scriptis, de illis qui pro sua uocatione & facultate, præstant eleemosynam: non deerunt eis necessaria. Deus enim benedicit opibus eorum. Hoc autem de cursu communi, ut loquuntur, intelligendum est: interdum enim diuites qui liberales fuerunt, certis de causis in paupertatem conijcit. Promissiones bonorum corporalium, semper intelligendæ sunt cum exceptione castigationis & crucis. Alterum membrum comminationem continet, aduersus contemptores pauperum: *auertens oculos suos* (à pau-

(à paupere) inquit, *multus maledictionum*, hoc est, multorum hominum criminationibus erit ob noxius, multi malè de eo loquetur. Vel maledicetur à Deo, erit infortunatus. מארה meerah, egestatem, penuriam uertunt, ut sit sensus, multa egestas ei imminebit. Kimhi exponit maledictionem, à radice ארר arar maledixit. Forsterus interpretatur corrosionem, ablationem boni, infortunium, à themate מאר maar, quod reddit, corrodere. Discamus igitur liberaliter nostra in pauperes erogare. Sin opes nobis non suppetant, benigno saltem aspectu eos consolemur.

28 Dum consurgunt impij, absconditur homo.

Quando impij euehuntur ad imperium, boni uiri delitescunt, ne ad supplicium trahantur, & sæpe uoluntarium exilium suscipiunt. Exemplum habemus de Achabo & Iezabella 3. Reg. 18. cap. quæ prophetas occidebat. De Abdia legitur, quòd centum absconderit in speluncis. Sub Romanis imperatoribus, qui persecutionem mouerunt contra Ecclesiam, multi timentes ne grauitate tormentorum Christum abnegarent, se in ualles & syluas contulerunt, & in speluncis habitarunt. Sublatis autem tyrannis ad homines reuersi sunt: multi in desertis locis manserunt, multi postea quoq; sub Christianis principibus uoluntariè in deserta loca abierunt. Vnde paulatim (ut Hieron. in uita Pauli heremitæ testatur) monachatus originem traxit. Nostro quoq; tempore multi propter sæuitiem tyrannorum & præcipuè monachorum, uel latitare uel solum uertere coguntur.

Cum uerò pereunt, multiplicantur iusti.) Quando tyranni & alij impij homines pereunt, crescit bonorum numerus: multi enim miserabili tyrannorum exitu, sapere incipiunt, & quando maior est libertas, & bonorum sors melior euadit, religioni incumbunt. Qui antè latebant, postea in publicum prodeunt. Et hanc ob causam gaudent pij, si tyranni de quibus nulla melioris uitæ spes est, intereat.

CAPVT XXIX.

VIr increpationum, qui indurat ceruicem, repentè conteretur, & non sanitas (*uel remedium.*)



SINGVLA uerba expendenda sunt. Vir increpationū dicitur, qui freqūeter increpatur, siue à Deo siue ab hominib. propter errores & flagitia. Indurās ceruicē. i. ceruicosus, pertinax: hæc metaphora sumpta à bob. frequēs est in scripturis. Deu. 10. Ceruicē uestrā ne induretis amplius: id est, posthac ne sitis immorigeri Domino. Israelitæ sæpe dicuntur populus duræ ceruicis. Sunt qui negant se malè fecisse, nec uolunt reprehendi. Sunt etiam qui fatentur suos errores & flagitia, nihilominus tamen mordicus retinent, & pergunt obstinato animo, nullisq; mouentur rationibus. *Indurare ceruicem.*

Repentè conteretur.) Subitò peribit animo & corpore, quando minimè expectat. Subitis autem casibus plus consternantur homines. Conteretur quemadmodum uas testaceum conteritur, hoc enim significat שבר schafar. Emphasim habet, ita frangetur ut restitui omnino non possit. Addit enim, *Et non erit sanitas.*) Non poterit sanari. Nam in altero seculo, non est locus pœnitentiæ. In hac uita agenda est pœnitentia. Pharao fuit uir correptionum, nam sæpe reprehensus populum noluit dimittere. Hoc non modò de paucis, sed etiam de populis intelligi debet: nam si omnes admonitiones contemnant, tandem subitò intereunt. Exēplum habemus in Iudæis. Vide Iere. 5. cap. Discamus igitur singuli & uniuersi, correptiones nō cōtemnere, ne in mala corporis & rerum incidamus, ex quibus postea emergere nō possimus. Potest hęc sentētia etiā ita intelligi. Vir increpationū. i. qui alios frequēter increpat, & tamen indurat animum suum in his propter quæ alios increpat, subitò frangetur. Quia enim in illis pergit, quæ in alijs reprehendit, ostendit se non ex inscitia peccare.

2 Quando dominantur iusti, lætatur populus.

ברבות birefoth in multiplicando, id est, cum multiplicantur: quidam reddunt, cum dominantur: quia magis quadret secundo membro. At prior lectio optimè congruit. Si in Rep. multi boni sint uiri, lætatur populus. Boni magistratus opem ferunt patriæ, succurrunt saluti fortunisq; ciuium, suam salutem posteriorem salute communi ducunt, conseruant bonas leges, sceleratos homines coercent, uident ut earum rerum sit copia, quæ sunt necessarię. Xenophon ait: ἄρχοντας ἀγαθοὺς, οὐδὲν διαφέρειν πατέρων ἀγαθῶν. Talis princeps fuit Samuel, qui in totius regni comitijs non potuit accusari, quòd quenquam læsisset. De Constantino apud Eusebium legitur in uita Constantini Magni lib. 1. pulchra historia: Cum de ipso rumor sparge- *Boni magistratus officium.*

retur, quòd mitis esset, & subditis parcens nihil in thesauris conditum haberet. Diocletianus missa legatione, eum ignauiæ accusabat & neglectæ Reipublicæ. Constantinus uerò expectare iubens legatos, ab omnibus imperij sui gentibus pecunias petit: illi ut suum erga eum animum & beneuolentiam declararent, statim thesauros illius, auro & argento impleuerũt. Legati cum hæc uidissent, mirati sunt. Constantinus post discessum legatorum, singulis suas pecunias restituit. Aliorum quoq; principum meminerunt historiæ, qui patres patriæ fuerũt. Meritò ergo homines lætantur, si tales regnant. Reperiuntur tamen multi, quibus dolet, si tales sedeant ad gubernacula Reipublicæ: nolunt enim redigi in ordinem.

At cum dominatur impius, suspirabit populus.) Impij principes non cogitant se populi causa constitutos esse, ideo multa contra officium suum designant, ueram religionem euertunt, bonas leges abrogant, iustitiam conculcant, bonos opprimunt, populum crebris & immoderatis exactionibus expilant, bella non necessaria mouent: gemit igitur populus & aliquando contra principes suos insurgit. Cum Roboamus supra uires grauare uellet populum, aliũ regem creabant. Videant igitur qui magistratus deligunt, ne impios deligant, sed religiosos, quibus curæ sint subditi.

3 Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum, sed pastor (*uel socius*) scortorum, perdit substantiam.

Vir qui amat sapientiam cœlestem & ciuilem, quiq; in arte aliqua excellit (nam illi quoq; in scripturis sapientia præditi dicuntur) exhilarat parentes suos: gaudent enim si uideant, se tales post se liberos relinquere. At qui scorta alit, non tantum mœrore suos afficit, sed egestatem incurrit. Vix aliud flagitium ita opes minuit atque scortatio: nam ut de hoc nihil dicam, quòd scortatores maledictionem Dei contra se prouocant, ipsi negligunt curam rei domesticæ, & magnis sumptibus scorta alunt, cumq; aliàs sordidi sint, liberaliter tamen suas opes in scorta profundunt. Diogenes dicebat scorta regũ reginas esse, quòd ab eis impetrarent quicquid libuisset, & quòd in ipsos reges imperium haberent, nec scortis quicquam, ut populo, negaretur. Vide suprà cap. 5. Non autem opes solum, sed etiam animam perdunt, qui scorta alunt. Discunt filij illis rebus studere, quibus recreare senio confectos parentes possint, quo nihil honestius: & uicissim sibi cauere ab illis, quæ eos possunt offendere.

Scortatio lædit facultates.

4 Rex per iudicium stare faciet terram.

Quomodo regna & Respub. conseruari possint, melius ex hac sententia quàm ex prolixis philosophorum disputationibus, cognosci potest. Si rex operam dabit ut uera religio floreat, utq; iuris & iudiciorum æquitate suum quisq; teneat, fulciet solium suum. Per terram intelligit regnum, dominium, uel populum qui est in terra.

Vir autem donorum, diruet eam.) Si regum cõsiliarij, uel gubernatores Rerumpub. munera accipiant, euertent regnum & Remp. nam ubi corruptela munerum locum habet, uera religio & iusticia concidit. Vir munerum est, qui suscipit dona uel ab illis qui litem habet, uel à sceleratis hominibus, quos omnes leges occidere præcipiunt, & eos impunitos dimittit: uel ab illis, qui regnorum & Rerumpub. arcana, datis muneribus inquirũt. Clemens Alexandrinus ex Teio adducit hunc uersum:

Qui conferunt & qui accipiunt munera corruptoria, euertũt Respub.

» ἐκ γὰρ δώρων πολλὰ κακ' ἀνθρώποισι πέλονται. Et ex Augia:
» δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νοῦν ἤπαφεν ἠδὲ καὶ ἔργα.

Alij intelligunt per uirum munerum, qui nouis subinde uectigalibus & tributis, subditos expilat & deglubit. תרומה therumah est leuatio, id est, oblatio, quã quis de bonis suis Deo dicabat, sic dicta quòd cum offerretur, in altum eleuabatur, aut sursum & deorsum mouebatur. Chaldæus paraphrastes uertit separationẽ, eò quòd à prophano usu ad sacrum separabatur. Hinc quidam ita intelligit, uir qui uendicat sibi, & in usus prophanos uertit, ea quæ Deo oblata sunt, quales sunt opes Ecclesię, Rempub. euertet. Per uirum munerũ etiam illum intelligere possumus, qui iudices corrumpit muneribus. Non enim illi duntaxat qui accipiũt, sed etiam qui conferunt munera, pestes sunt regni & Reipub.

5 Vir qui blanditur amico (*uel proximo*) suo, rete expandit ante gressus suos (*uel eius.*)

Assentator laudat illa in hominibus, ob quæ uehementer reprehendendi erant, seq; hominum affectibus per omnia accõmodat, quemadmodum de Gnathone Terent. legitur: cumq; amicus uideatur, hoste tamen est deterior: nam illorum quibus adulatur, pedibus rete obijcit, ut progredi non possint, & tandem capiantur & pereant. Vel gressibus suis exponi potest, quòd sibijpsis laqueos parent, quibus tandem irretiti pereant. Inter omnes uerò adulatores, pessimi sunt doctores illi, qui homines in falsa religione & turpi uita confirmant. Hos Ezechiel

Adulatores sibi & alijs laqueũ parant.

Ezechiel grauiter reprehendit, dicens: Væ illis qui dicunt populo pax pax, cũ non sit pax, qui liniunt maceriam absq; temperamento, qui consuunt blandos puluillos sub omni axilla aut cubito, ceruicalia blanda sub omni capite ad capiendas animas. Esa.3.cap. Qui te beatum dicunt, te decipiunt. Cauendum igitur est, ut Cic. ait in Lælio, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus, in quo falli facile est: tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur. Assentatio autem quamuis perniciosa sit, nemini tamen nocere potest, nisi ei qui eam recipit, atq; ea delectatur. Deinde discimus, ne nos hominibus adulemur: sed potius corripiamus eos si peccent. Nulla in amicitijs pestis est maior, quàm assentatio, blanditia, adulatio. Plutarch. elegantem libellum scripsit, de discrimine adulatoris & inimici. *Adulatores fugiendi.*

Posset etiam hæc gnome ita intelligi, quòd illi qui lædere aliquem uolunt, amorem eius simulant, quemadmodum pharisæorum discipuli & Herodiani, quando Christo insidiabantur interrogando, liceret'ne Cæsari tributum dare, nec ne, &c.

6 Propter præuaricationem uiri, malus laqueus ueniet ei.

Hæc sententia non uno modo redditur ab interpretibus. Santes uertit, *In præuaricatione uiri mali est laqueus.* Caieta. *In scelere hominis malus laqueus.* Munsterus, *Propter iniquitatem quispiam incidit in laqueum malum.* Sed causa uariationis manifesta est. Sensus est, qui contra legem Dei peccat, punietur. Cap.12. dixit, in transgresione labiorum, laqueus malo. Sumitur Metaphora ab aucupibus, qui auibus laqueos tendunt, ut inuoluantur. Satan infinitos habet laqueos, quibus hominibus insidiatur, ut opes, famam, uitam & animam quoq;, eis eripiat. Notum autem est quomodo peccatores capiantur, puta ebrij, scortatores, auari, &c. Quamprimum peccarint, statim conscientia eos cruciat. Sic Iuuenalis Satyra 13.

> Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi "
> Displicet authori, prima hæc est ultio, quòd se "
> Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis "
> Gratia fallacis prætoris uicerit urnam. "

Deinde seipsos transgresione legum quas norunt, etiam multis periculis implicant. Adhæc magistratus multos propter flagitia in carceres detrudunt, & uinctos ad supplicium ducunt. Etsi uerò scelerati in hoc seculo laqueos deuitare possent, tamen nisi pœnitentiam agant, diaboli laqueos non effugient.

Iustus autem cantabit & lætabitur.) רנן Ranan, significat canere, lætari, exultare, gratulari, & lugere. In futuro ירון iarun, exultabit, cantabit. Surec est loco holem, dicit. R. Dauid. Prouerb. 11. Quando auferuntur improbi, gratulatio. Iusti qui Deo seruiunt, & iuxta eius præcepta, proximum non lædunt, sine ullo metu uiuunt: non enim metuunt, ne propter hæc uel illa scelera, à pijs principibus puniantur. Gaudent quòd cum impijs illis societatem non habuerunt, & Dei beneficium agnoscunt: gaudent etiam propter gloriam Dei, & iusticiam publicam, si flagitiosos de quibus nulla spes est melioris uitæ, è medio tolli conspiciant. Si quando ipsi quoq; capiantur, non fit propter scelera. 1. Pet.4. capite, Ne quis uestrum affligatur, ut homicida, aut fur, aut facinorosus, &c. Si רנן ranan significet clamare ex mœrore, sensus erit, iustos si uideant improbos puniri, partim dolere, partim lætari.

7 Cognoscit iustus causam (*uel litem*) pauperum.

Hæc sententia discrimen ponit inter iustum & iniustum iudicem. Iustus iudex dat operã, ut cognoscat causam pauperum: iniusto causa eius nihil est curæ. Docet bonum iudicem, causam pauperis cognoscere, ne iniuria ei fiat: ut si de opibus, uel fama, & maximè si de capite eius agatur: nec antè ferre sententiam, quàm causam exploratam & bene perspectam habeat: idem enim uellet alios in sua causa facere. Quanquam autem in diuitum quoque causis id faciendum sit, ideo tamen hoc loco pauperis fit mentio, quòd sæpe negligantur à iudicibus, eò quòd nulla ab eis beneficia expectant. Deinde pauperes uel una lite ad mendicitatem rediguntur. Cum Iob.29. capite, improbitate suorum aduersariorum, percensere cogeretur, quo pacto publicis muneribus functus esset, inter alia dicit: Oculus eram cæco, & pes claudicanti ego: pater ego pupillis, & causam quam nesciebam inuestigabam. Etsi accusatores desint, tamen iudex si oppressos audiat pauperes, inquirere debet, & curare ne pauperes à potentibus conculcentur. *Pauperis causa cur commendetur iudicibus.*

Impius non intelligit scientiam.) Scilicet, iuris & iusticiæ: hoc est, nõ est solicitus de paupere, nõ multum curat, uincat an uincatur, bonam an malam causam habeat. Sæpe pedibus it in alterius sententiam, cum ignoret qualem tulerit. Dum pauper exponit suam causam, ipse alia cogitat, uel dormit. Si per scientiam intelligamus uerbum Domini, regulam iusticiæ & æquitatis, impij quoque non curant. Talis iudex describitur Luc.18. qui uiduam asserebat,

non quia bonam causam habebat, sed ut à molestia liberaretur. Præcipuè autem in causa religionis non temerè iudicandum est, sed ex uerbo Dei omnia sunt cognoscenda.

8 Homines derisionis illaqueant ciuitatem.

Hoc est in multa & magna pericula eam conijciunt, seditiones concitant, &c. יָפִיחוּ puach, est flare, sufflare, spirare, & in hiphil הֵפִיחַ facio sufflare, uel sufflare, id est inflammare: quemadmodum coqui uel alij, sufflant folle ignem. Illusores conspirant contra magistratus, & alios ad seditionẽ impellunt, lites & odia inter ciues accendunt, suum ad hæc uenenum alijs afflant: crescente autem eorum numero, Deus ciuitates perdit. Pauci illusores, flabella diaboli, magnis malis urbes possunt afficere. Talis illusor fuit Absalon, qui contra patrem suum subditos incitauit. 2. Sam. 15. Demetrius faber argentarius, Acto. 19. capite. Iudæi capite 17. qui Paulum accusabant seditionis.

Sapientes uerò auertunt furorem.) Quando uident populum tumultuari, blandis uerbis eos ad obedientiam hortantur. Talem describit Vergilius in Aeneid. 1

„ Ac ueluti magno in populo cum sæpe coorta est
„ Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus:
„ Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.
„ Tum pietate grauem ac meritis si fortè uirum quem
„ Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.
„ Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Sic in Romana historia Menenius Agrippa conficto Apologo de corporis humani membris aduersus uentrem conspirantibus, periculosissimam seditionem plebis legitur sedasse. Themistocles Atheniensibus fabula de uulpecula muscis plena, persuasit ne magistratus mutarent. Discimus sapientes adhibendos in periculosis negocijs, non stultos & impios. Varijs autem argumentis homines à seditione reuocari possunt. Vir sapiens & pius, etiam auertit iram Dei: precatur enim ut Deus ciuitati parcat, alios quoq; ad ueram pietatem hortatur. Sic Moyses, Aaron, Helias, & alij sæpe auerterunt iram Dei à populo.

9 Vir sapiens si contendat cum stulto, siue irascatur siue rideat, non erit requies (*uel remissio.*)

Ad uerbum legitur, *Vir sapiens iudicatur cum stulto*, id est, uocatus in iudicium. נִשְׁפָּט nispatin uoce passiua significat in ius uocari, contendere iudicio. Quemadmodum extra iudicium, sic in iudicio quoq; stultus est incurabilis, siue serio siue ioco cum eo agas, semper sui similis est. Sunt qui iram & risum ad stultũ referant, ut sit sensus: Si sapiens in iudicio suam causam proponat, stultus aut irascitur aut iocabitur: & non quiescet, scilicet, stultus. Alij ad sapientem referunt. Hieronymus & Beda sic interpretantur: Doctor sapiens, si cum infideli & contumace contenderit, siue reproborum tormenta, siue gaudia narret bonorum, frustra erga insensatũ laborat: siue lamenta pœnitentiæ suadeat, siue bonæ operationis quæ sint præmia dicat, nõ auditur à stulto & hæretico.

10 Viri sanguinum, oderunt integrum.

Viri sanguinum, non tantum illi sunt, qui innocentem sanguinem effundunt, quiq; bonorum sanguine & sudoribus pascũtur: sed alij etiam scelerati & flagitiosi homines. Sanguines enim in plurali numero apud Hebræos significant atrocia scelera: nimirum quòd illorũ sanguis, qui illis sceleribus obnoxij sunt, effundi debeat. Psal. 25. Sanguinarij innocentibus opponuntur. Tales uiri, iustos & integros odio prosequuntur: idq; propter contraria studia. Pij enim si non uerbis, tamen uita sua ostendunt sibi impiorum mores displicere. Non autem inter illos firma constare potest amicitia, qui sunt dissimilib. studijs. Pij amant honestatem, scelerati uerò eam detestantur: cumque ipsi scelera patrare amplius non possunt, alios ad ea impellunt. Pij colunt pacem: illi omnibus rebus bellum anteferunt, pacem, quæ eorum institutis aduersatur, odio habent. Oppressos itaq; omnes illos cupiunt, qui eorum conatibus obsistunt. 1. Petri 4. capite. Id absurdum illis uidetur, quòd non accurratis unà cum ipsis in eandem luxus refusionem, qui de uobis malè loquuntur, &c. Similis ferè sententia sequitur 27. capite.

Recti autem quærunt animam eius.) Illos quos uiri sanguinarij perditos uolũt, pij omnib. modis studẽt cõseruare. Animã quærere hoc loco significat, defendere, cõseruare & tueri. Sic Psal. 142. In uia qua ambulabã absconderẽt laqueũ mihi, & respiciẽs ad dextrã uidebã nõ esse qui me agnosceret, perijt refugiũ à me, nõ erat qui quæreret animã meam. Exemplũ huius sententiæ habemus Ieremię 40. & 41. cap. de Iohanna filio Careę qui eripere Godoliam uoluit, & in Ismaele qui eũ interfecit. In principe est egregia uirtus subditos defendere. Antoninus

Animã quærere.

Pius

Pius ſæpe repetiuiſſe ſcribitur egregiam hanc uocē Scipionis, Malle ſe unum ciuem ſeruare, quàm centum hoſtes occidere. Nec tantum uitam eorum, ſed res omnes defendunt. Ipſos etiam impios ſi à morte temporali & æterna reuocare poſſunt, nullis parcant laboribus.

11 Totum ſpiritum profert ſtultus.

Stultus cum aliàs, tum in iudicio quoq; quando cauſæ tractandæ ſunt, ſuum ſpiritum, hoc eſt, uoluntatem, deſiderium, uel iram, & alios affectus, effundit, nihil ſibi ſeruans. Quemadmodum mare commotum, ſpumam & algam, ita ſtultus commotus ira, quicquid in corde habet, ſemel euomit. Sæpe hac ratione ſe excuſat, quòd non ſit hypocrita, ſed illa quæ in animo habet liberè proferat: at non omnia quæ ſcimus, nec apud quoſuis temere effutienda ſunt. Hoc enim certum eſt indicium, animi leuis & incogitantis.

Sapiens in poſterum quieſcere faciet eum.) אחור Achor retro, retrorſum, & cum beth, באחור beachor, *Sapiens in poſtremo*, id eſt, tandem compeſcit eum, ſcilicet, ſpiritum: eſt enim generis fœminini, ſicut & ſpiritus. Quidam ad ſpiritum ſtulti referunt, quòd ſapiens eum compeſcat. Cum enim ſtultus omnia effutiat, quæ in animo habet, ſapiens facilius poteſt eum conuincere, ſi uel in foro uel aliàs cum eo contendat. Alij ad ſapientem referunt, quòd ſuum ſpiritum, hoc eſt, iram uel appetitum cohibeat retrorſum & refrenet, nihilq; incōſideratè loquatur, ſed intra modeſtię fines ſeſe contineat. שבח ſignificat primò laudibus uehere, commendare apud alios: deinde ſignificatione contraria, cohibere. Hinc Caietanus uertit, *Et ſapiens in poſterum laudabit eum.* Vt ſit ſenſus, ſapiens laudat ſpiritum reſeruantem uerba in poſterum, partim dicentem & partim reticentem, ut opportuno tempore proferat.

12 *Principis auſcultantis uerbo mendacij, omnes miniſtri ſunt impij.*

Plerumq; fit ut tales ſint miniſtri & ſubditi regis, qualis eſt ipſe rex. Si bonus ſit, ipſi quoq; boni ſunt. De hac re Socrates etiam apud Xenophontem diſputat. Plutarchus in uita Lycurgi dicit, Vt populus dicto ſit audiens, hoc diſcit à principe: nam bonus dux bonum reddit comitem, &c. Sin malus, ipſi quoq; mali ſunt: nam oculos conuertunt in principem, & cum intelligunt eum uerbis & rebus uanis delectari, ſtatim ſe ei accommodant, & ei ſe approbare ſtudent. Hinc fit, ut qui mendacia falſorum doctorum non probat, quiq; mentiri neſcit, aula pellatur: locum autem habeant adulatores, calumniatores, mendaces, & perfidi. Exemplum habemus in Herode Matth. decimoquarto capite, qui cum celebraret natalem ſuum, principes ſuos inuitauit, qui ſe non opponunt cum audiunt Ioannem Baptiſtam occidendum eſſe. Claudia. ſcribit de 4. Honorij conſul.

Qualis princeps, tales ſubditi.

Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta ualent, quàm uita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe uulgus.

Ibidem ſcribit:

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm, nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum uitijs, &c.

Idem in Stilliconis laudibus:

Scilicet in uulgus manant exempla regentum
Vtq; ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Ouidius in epiſtola conſol. ad Liuiam de morte filij:

Impoſuit te alto fortuna, locumq; tenere
Iuſsit honoratum, Liuia perfer onus.
Ad te oculos aureſq; trahis, tua facta notamus,
Nec uox miſſa poteſt principis ore tegi, &c.

Iuuenalis quoq; oſtendens, quantam uim habeat exemplum, ſcribit:

Sic natura iubet uelocius & citius nos
Corrumpunt uitiorum exempla domeſtica, magnis
Quum ſubeant animos authoribus, &c.

Quæ exemplo magni alicuius authoris fiunt, ea iure quodammodo fieri putantur. Hinc Chærea apud Terentium: Hæc inquit non facerem, quæ Iuppiter fecit? Concionatores quoque ſi mali ſint, auditores erunt ſimiles eorum. Si paterfamiliàs mendacijs delectetur, familiam habebit impiam. Quid tandem fit? Deus & magiſtratus & ſubditos puniet. Oſeę 4.

cap.Erit populus qualis est sacerdos:ut in uitijs,ita in supplicijs,pares erunt. Meliores sacerdotes ferre non poterát. Principes igitur ex hac sententia discant,rectè uiuere, ueritaté amare,sibi cauere à mendacib.hominibus, adulatoribus,sycophantis, & in primis à falsis doctoribus.Omnes discant,quantum sit Dei beneficiũ,si populo princeps bonus contingat.

13 Pauper & uir usurarũ,occurrerũt sibi,Deus oculos amborũ illustrat.

תכך Thachach significat fraudem & dolum: hinc,quidam reddũt,uir fraudum, & uel actiuè accipiunt,qui fraudat alios,uel passiuè,qui fraudes passus est Alij contritionum aut fractionum uertunt,& etiam accipiunt,uel pro illo qui conterit hominem fidentem sibi,et non cauentem ab eo:uel pro eo,qui cõteritur inopia ac paupertate. Sensus est:Pauper & qui fraudem passus est,uel oppressus concurrũt,ut unus alteri miserias suas exponat,multamq; consolationem accipiat,& quanquam sæpe unus alterum consolari satis non possit, Deus tamẽ oculos eorum illuminat,id est,eos in tenebris ærumnarum consolatur & erigit,ut patienter ferant mala. Alij sic intelligunt,Deus miseretur cuius uult, nec respicit personas:eligit usurarios,diuites & pauperes. Exemplo nobis sunt Matthæus,Zachæus & alij publicani, de quibus in Euangelio legitur.Sunt qui ita intelligant:pauperem & usurarium,uariè à Domino illuminari,unum ad patientiam,uel petendum humiliter,alterum ad beneficentiam.Castalio reddit,*Pauper & creditor contrarij sunt.*

14 Regis q̃ iudicat in ueritate pauperes,thron⁹ in perpetuũ firmabit.

Iudicare pauperes in ueritate,est ueram & iustam sententiã ferre,nõ habito respectu personarum.Math.22.cap.similis phrasis legitur,docere uiam Dei in ueritate,id est,religionẽ,uerè, simpliciter,integrè & rectè tradere.Per thronũ uel solium,intelligit regnum & imperiũ.Symbolum enim est imperij.Sensus igitur est,qui iustitiã colit,regnũ habebit diuturnũ ac stabile. Ius reddendum est diuiti et pauperi,sed hoc hoc loco pauperis fit mentio,quòd ille ferè negligitur.Principes rarò admittũt eos in suum conspectũ,sed remittunt eos ad iudices à se constitutos:illi uerò metu potentũ & diuitum,non semper liberè sententiã ferunt.Deinde munera aliquando accipiũt à diuitibus,& pauperẽ opprimunt.Diuites uerò facilem habent aditũ ad principes,& apud omnes sunt in precio,ut nõ periculum sit,ne iusta cadant causa.Qui igitur pauperes rectè iudicat,multo magis diuites rectè iudicat. Discunt principes si diu regnare uolunt & feliciter,ne omnes causas à se reijciant,sed pauperes audiant: quemadmodũ sanctos reges fecisse legimus,& suis mandent,ne quenquã fallant. Vulgò iudicant ad conseruationẽ regnorũ hoc pertinere, si cõtemptis pauperibus, potentes & diuites colantur, quin religionem etiam potius uiolandã multi putãt,quàm ut homines potẽtes & audaces offendamus: at iudicio spiritus sancti,toto cœlo errant. Consolatio etiam pauperibus proponitur, quorũ tantam rationẽ habet Deus,ut propter eos regna uel salua sint,uel pereant. Deus qui defensor est & pater pauperum uult principes quoq; eorum patres esse. Multis in locis scripturæ, præcipit ne quis pauperes suos lædat, præsertim in iudicio. Exod. 22.23. Deut.15. Apud Isa.3. cap.queritur pauperis rapinam,in domo principum reperiri. Et cap. 10. pauperes in iudicio uim pati.Sic Amos 5.& 8.cap.Zeph.3.cap. iudices uespertinis lupis comparãtur.Discant pauperes spem suam in Deo ponere.

Iustitia conseruat regna.

15 Virga & increpatio,tribuunt sapientiam.

Pueri stolidi sunt,aliorum uitia imitantur, priusquam norint esse uitia:etiam bonę indolis pueri,conuictu malorum corrumpuntur. Corrigere igitur eos oportet,idq; nõ solum uerbis, sed uirga quoq;.Si uerbis meliores fiant,bene est:sin minus,uerbera sunt adhibenda, ut metus eis incutiatur.Et quemadmodum tineę ex ueste pellibus subducta,uirgis expelluntur:sic uitia puerorum uirgis emendanda sunt.

Castigationis liberorũ utilitas.

Puer autem dimissus,pudore afficit matrem suam.) משלח Meschullach particip. præterit. in piel, puer dimissus,scilicet,suæ uoluntati, cui nulla adhibetur correctio, & cui liberè uagari licet per plateas,à quo nunquam ratio petitur,ubi,cum quibus fuerit,quid fecerit, matri erit probro.Nihil enim discet,& quod grauius est,corruptissimos induet mores, ideoq; mater sæpe cogetur erubescere.Matrem autem imprimis nominat,eò quòd sæpe sua indulgentia filios corrumpunt,præpostera quadã misericordia conniuentes ad eorum peccata: obstant etiam, ne patres,pædagogi & alij,eos,ut merẽtur,castigent. Dignæ igitur sunt, quæ postea à filijs uexentur:quanquam filij grauiter peccent,qui hoc faciunt.

16 Cum multiplicati fuerint impij,multiplicabitur præuaricatio.

Si numerus impiorũ in regno aliquo aut Repub. crescat, augentur scelera. Vbicunq; enim Dei uerbum suam nõ habet authoritatẽ,sæpe peccatur. At apud impios, in nullo est precio.

Vbi

Vbi impunitas est scelerum, augescunt peccata: at impij alios non puniunt, qui ijsdem sceleribus sunt obnoxij, quibus ipsi. Vellent omnes eorum mores corruptissimos imitari, ut in maiore essent precio, inuitant etiam alios ad peccatum. Tanta est hominum prauitas, ut etiam ubi seuerissimæ sunt pœnæ, multa tamen scelera patrentur. Multi quoq; præterito uerbo Dei, multitudinis exemplum sequuntur.

Iusti autem ruinam ipsorum uidebunt.) Quando impij putabunt se omnibus superiores esse, seq; pactum cum diabolo fecisse, subitò peribunt, & iusti, quos ipsi contempserunt, tanquam stultos, & afflixerunt, casum eorum uidebunt. Exempla illustria habemus in Noe & Loto. Facit hoc ad nostram consolationem. Valde percelluntur animi nostri, si uideant impijs uel paucis uel multis, omnia succedere, sed expecta ad breue tempus, & uidebis uices rerum: ne imiteris eorum exemplum. Nam si fuerit impleta eorum mensura, dabunt grauissimas pœnas, uidebis eorum interitum, & gratias agēs Deo, quòd te à cōtagione impietatis seruauerit. Etiãsi autem pœnas in hoc seculo euadant, non tamen æternum supplicium subterfugiēt. Iusti in nouissimo iudicio, non tantum uidebunt eorum casum, sed ipsi magna constantia accusabunt eos. Psal. 90. Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatoris uidebis. *Impij subitò peribūt.*

17 Corripe filium tuum, & quiescere faciet te, dabitq; delicias animæ tuæ.

Multæ extant in hoc libro insignes sententiæ de castigatione liberorum. Non enim ignarus fuit sapiens, quòd plerique parentum in alterutram partem peccent, aut nimis sunt uehementes & rigidi erga liberos, aut nimis indulgentes & remissi. Sed hoc altero malo plus laborant, nempe ut liberis castigationem non adhibeant, sine qua pauci ad frugem perueniunt. Sæpe igitur repetitur, quòd liberi castigandi sint, & quomodo. Hac autem sententia, non modò hortatur parentes, ut liberos castigent: sed & duplicem fructum ostendit, qui ex institutione & correctione liberorum percipiatur. יסר iasar, significat non solùm uerbis, sed magis facto cohibere aliquem, ne arbitratu suo uiuat. Admonet parentes, & qui eorum loco sunt, ut liberos castigent uerbis & uerberibus, idq; maturè, ut alijs locis habetur, ac certa ratione. Prima utilitas quę inde sequitur est, quòd hoc quietē afferet parentibus. Nam si liberos dum teneri sunt, rectè instituent, postea non erit eis laborandum: sponte enim suum facient officium. Parentes quoque senio confectos leuabunt laboribus, ac quietem eis præstabunt. Si migrandum sit ex hac uita, parentes qui uident se bene institutos liberos relinquere, minus turbabuntur. Cogitabunt enim eos ad dignitates promoueri posse, eosq; artibus quas didicerunt, sibi comparare posse necessaria, non timebunt ne alijs sint oneri, & committant propter quæ pœnas dent. Si malè institutos relinquant, quieti & pacati esse non possunt: cogitabunt enim, si eorum culpa tales sint, Deo iustissimam rationem esse reddendam. Alter fructus est, quòd dicit, Voluptatem afferet parētibus. Magna enim uoluptate eos liberi honesti afficiunt, de quo alibi quoq; dictum est: uidentur sibi parentes quodammodo in illis liberis uiuere. Opem & consolationē expectant à talibus, senio confecti. Cauendū tamen, ne nimium liberis tribuamus: Deus enim sæpe tollit illos, quibus nimium confisi sumus. Discant igitur parentes liberos rectè castigare, si & quieti suæ consulere & uoluptatem ex liberorum felicitate capere uelint. Liberi discant castigationem ferre: quando enim Deus præcipit parentibus, ut castigent filios suos, simul filijs mandat, ne castigationem auersentur. *Fructus castigationis puerorum.*

18 In non uisione dissipatur populus.

Per uisionem uel prophetiam, intelligit doctrinam cœlestem & ministerium Ecclesiæ. Prophetæ enim in scripturis, non illi tantum sunt, qui instinctu Dei de rebus futuris uaticinantur: sed etiam illi, quos hodie concionatores uocamus. 1. Cor. 14. capite, Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationem & exhortationem & consolationem. Tunc autem deficit prophetia, quando homines desunt rerum diuinarum periti, aut si illi officium suum non faciunt, sed ocio & genio indulgent: uel quod grauius est, si falsam doctrinam proponunt. Item, si scholarum, quæ seminaria sunt Ecclesiæ, nulla ratio habetur: si præscribitur ecclesiæ ministris, quid & quomodo docendum sit: sicut ab Israelitis fiebat, Isaiæ 30. ca. Deniq; quando homines Euangelium prorsus non uolunt doceri aut tractari. Quid inde sequitur? populus dissipatur. פרע para significat deficere, rebellare, cessare uel ociosum esse, retrocedere & nutare: quę significationes omnes, pulchrè huic loco cōgruunt. Si purior doctrina cōcidit, populus deficit à Deo, & sequitur alienos Deos: magistratui quoq; legitimam obedientiam non præstat: cessat à bonis actionibus, tametsi rectè cœperit, tamen relabitur in impietatem & scelera, uacuus est timore Dei, & bonis operibus. Breuiter, magna sequitur uitę *Quando prophetia deficiat.*

dissolutio. Nec mirum, nam si boni doctores subinde instent & urgeant, tamen parum promouent, quid igitur fieret, si nemo hoc faciat, aut doctores sint qui ad mala homines impellant? Deinde uerbum Dei est lucerna, qua sublata aut modio intecta, non possunt nisi tenebræ subsequi. Exemplo nobis est ipse Salomon, cum in eius regno prophetia uigeret, abundabat omnibus bonis, postquam uerò prophetia locum non habebat, statim secuta est apostasia in fide & politia. Quid superioribus seculis acciderit, notum est: postquam prophetia paulatim amissa est, uariæ sectæ exortæ sunt, infinitæ superstitiones & abusus emerserunt: homines tandem, regnante prodigiosa scholasticorum & monachorum sophistica, panem, ossa, lapides & ligna adorarunt, & in mille rebus salutis suæ præsidium constituerunt. Quàm tetri errores apud gẽtes, obliterata patrum doctrina, exorti & cumulati sint, piget me minisse. Quot philosophi fuerũt, tot fuerunt opiniones de beatitudine, quot oppida, tot dij, &c. Discamus ergo ex hac sententia quantum beneficium sit, si Deus idoneos homines excitat, qui commodè & dextrè tradunt doctrinam pietatis. E' diuersò, discamus quanta sit calamitas si prophetia deficiat. Amos 7. cap. minatur populo famem uerbi Dei tanquam maximum malum. Putant quidam bene secum agi, si prophetæ tollantur, ut posint liberè in suis sceleribus exultare, at non minus stultè agunt, quàm pueri qui omnes ferulas, parentes quoque sublatos cupiunt, ut impunè posint peccare. Christus Matthæi nono, similitudine explicat, quæ conditio sit populi pijs doctoribus destituti: similes enim dicit esse gregi ouium, qui absque pastore oberret in deserto. Singuli igitur quanto possumus studio, lucem doctrinæ cœlestis retinere, & propagare ad pastores conemur. Imprimis uerò qui præsunt rebuspublicis & ecclesijs dent operam, ut floreat uera religio, sine qua respub. & ecclesia incolumis stare non potest.

Custodiens autem legem, beatus est.) Legem, hoc est, uerbum Dei. Sic Christus quoque loquitur Luc. 11. capite. Cum enim se defenderet contra aduersarios, qui dicebant eum dæmonia pellere ope principis dæmoniorum, quædam muliercula (indubiè bono zelo) de turba exclamabat: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Ille respondit, Quinimò beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Non enim satis est semel & iterum audiuisse uerbum, sed custodire oportet, hoc est, credere uerbo prædicato, & iuxta illud uitæ rationem instituere. Res per species potest explicari.

19 Verbis non erudietur seruus, quia intelliget, & non responsio.

Seruorum conditio.

Septuaginta addunt σκληρὸς durus: hanc uersionem sequitur August. sed epist. 105. dicit seruus dolosus. Seruorum dura erat apud ueteres conditio, premebantur multis oneribus, hinc fiebat ut animum despondentes, nihil sponte facerent. August. ad Bonifa. comitem, de hæreticis moderatè coercendis epist. 50. Cum dixit uerbis eum non emendari, inquit, non eum iussit deseri, sed tacitè admonuit, unde debeat emendari: alioqui non diceret, Verbis nõ emẽdabitur: sed tantũmodo diceret, Non emendabitur. Alio quoq; loco dicit, non solum seruum, sed etiam filium inobedientem, plagis esse coercendum, & magno fructu: Nam tu quidem percutis eum uirga, animam uerò eius liberabis à morte. Et alibi dicit, Qui parcit baculo, odit filium suum, &c. Multi homines sunt tam seruili ingenio, ut neq; uerbis, neq; pudore, neque amore uirtutis, moueantur, ut suum officium faciant, sed plagis duntaxat incitentur ad uirtutes, & submoueantur à flagitijs: tametsi rem aliquam intelligant, tamen non respondeant, non obtemperent, sed suorum affectuum imperium sequantur. Tales erant Hebræi, qui cùm prophetarum admonitionibus & comminationibus, non meliores redderentur, à Nabuchodonozore afflicti, & funditus euersi sunt. Metuendum ne idem nobis eueniat, qui partim admonitiones ex uerbo Dei depromptas prorsus audire nolumus, partim audimus quidem, sed interim in omnibus sceleribus pergimus.

20 Vidisti uirum uelocem (*uel præcipitem*) in uerbis uel negocijs suis? spes est de stulto maior, quàm de illo.

Præcipitãtia cauẽda.

De hac phrasi dixi cap. 20. uers. 12. Docet non solùm in uerbis, sed & negocijs omnibus, præcipitem celeritatem cauendam esse. D. Iac. 1. cap. dicit, Omnis homo uelox sit ad audiendum, tardus autem ad loquendum, tardus ad iram. Quidam philosophus ideo dixit naturam homini binas aures, os unum tribuisse, ut plus audiat quàm loquatur. Philosophi quoq; dixerunt, linguæ à natura ideo ἕρκος ὀδόντων, gingiuas, dentes & labia obiecta esse, ne facilè erumpat. Prudenter igitur & circumspectè agendum est, ne lingua mentem præcurrat. Deinde in omni quoq; negocio uitanda est præcipitantia, cuius comites perpetui esse solent error & pœnitentia, iuxta illum uersum apud Græcos:

Προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Malum

Malum est quod non facilè curatur. De stulto meliorem spem esse dicit sapiens, quàm de homine præcipiti. Stultus enim tametsi aliquid dicat, non mox uenit in periculum: illi autem & sibi & alijs ingentia pericula accersunt. Deinde stulti libentius se admoneri sustinent, quàm illi. Præcipuè uerò iudices tardi sint in iudicando, deliberare enim diu debent. Post deliberationem uelocitas requiritur.

21 Delicatè tractās à pueritia seruum suum, in nouissimo suo erit filius.

Hinc inde instituit patresfamiliàs, quo pacto sibi commissos regere debeant, inprimis uerò seruos. Seruorum autem longè alia conditio apud ueteres fuit, quàm hodie apud nos. Non enim quoties placuisset, mutare dominum potuerunt, sed mancipia erant, quemadmodum hodie in Turcia. Durissima erat ipsorum conditio: perpetuò enim seruiebant, nisi manu mitterentur (alia tamen ratio erat Israelitarum) ad sordida ministeria non aliter ac pecoribus eorum opera utebantur, ius etiam necis in eos habebant, quæ dominorum potestas, postquam imperatores fidem Christianam receperunt, restricta est: nihil suum ac proprium, sed uictum tantum & amictum habebant. Liberi quoque qui eis nascebantur, dominorum erant. Ostendit quid sequatur si quis talem seruum indulgenter tractet, tandem erit filius: id est, imperiosus erit, perinde ac filius, seruilia officia obire detrectabit, non aliter tractari uolet, quàm filij fumiliàs. מנון manon filius, alij dicunt dominus, & sic appellatum uolunt filium, quòd loco patris sui dominetur, omnibus bonis illius. *Conditio seruorum.* *Serui non indulgēter tractandi.*

Docet hæc sententia, ut seruos tractemus, quemadmodum seruos tractare conuenit, ne insolescant, & dominis suis insultent. Nemo autem inde occasionem arripiat, seruos indignè tractandi. Cogitandum est non minus homines esse, quàm nos, eodem baptismo tinctos quo nos, eundem habere Christum, eandem expectare hæreditatem, ad Colossen. tertio. Siracides trigesimotertio capite, dicit, Seruo deberi panem, hoc est, uictum & res necessarias, uirgam & laborem, ne scilicet sui officij oblitus, imperium in heriles filios usurpare incipiat. Phocylides etiam dicit:

Γαστρὸς ὀφειλόμενον δασμὸν παρέχου θεράπουσι "
Δούλῳ τακτὰ νέμοις, ἵνα τοι κατάθυμιος εἴη. "

Multi ex subditis, si principes & magistratus multum eis ex gratia concedant, statim iure quodam hoc sibi fieri existimant, contumaces fiunt, quibus non nimium est concedendum, ut sciant se subditos esse, non dominos. Quanquam hac admonitione apud nostri seculi principes & nobiles, non admodum opus sit. Aliàs quoque multi sunt illo ingenio, ut si de iure tuo aliquid concedas, mox maiora appetant. Idem iudicium est de ancillis quoq;, quas si quis indulgenter tractat, tandem instar filiarum haberi uolunt.

22 Vir iracundus miscet litem, & furibundus multiplicat præuaricationem.

Vel, multis peccato. Quantum mali iracundi homines excitent, ostendit. Vir iræ, hoc est, qui facilè irascitur, miscet litem, phrasis est Hebr. mouet contentiones. Pace & concordia in familia, politia, ecclesia & communi uita, nihil est pulchrius, nihil optabilius, sed per iracundos turbatur. Dominus furoris, sic est ad uerbum, qui est obnoxius furori. Non tantum iurgia excitat, sed multa alia mala contra legem Dei facit. Nostri prouerbio dicunt, iracundos non orare. Nunquam mediocritatem illam tenent, quæ est inter nimium & parum. Reprimamus igitur iram, mansuetudini studeamus, Ephes. 4. cap. Iusta tamen ira, suum etiam habet locum. *Iracundi multum mali excitant.*

23 Superbia hominis humiliabit (*uel deijciet*) eum, & humilem spiritu, sustentabit gloria (*uel humilis spiritu tenebit, apprehendet gloriam.*)

Idem dicit quod Christus in Euangelio Lucæ 14. & 18. capite dixit: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Multa exempla illorum ostendi possunt, qui propter superbiam deiecti sunt: primorum parentum, Adoniæ & fratris ipsius Absalomi, Herodis Agrippæ, & persequutorū ecclesiæ, qui cōsiliū Dei impedire quodam modo uoluerūt, ac deiecti sunt: quo genere mortis quisq; interierit, ex historijs potest ostendi: unum tantum annotabo. Valerianus imp. à Sapore Persarum rege captus, ut scribit Euseb. in uita Constan. libro quinto, tandem excoriatus est, saleq; conditus. Hæc exempla sunt singulorum hominum, in totis oppidis, regionibus & regnis, hoc quoque dictum impletur. Roman. regnum superbia euertit. Lucifericam superbiam Antichristi, sese collocantis in Christi sedem, Christus punit & puniet. Econtrariò, *Humiles spiritu subleuabit gloria*, id est, potientur gloria, si non in hac uita, saltem in futura. In nouissimo die, multos qui nunc ab Antichristo damnantur & *Superbi puniuntur à Deo.*

conculcantur pro hæreticis, constabit esse filios Dei. Quidam per tropum interpretantur, humilem spiritu sustentabit gloria, id est, Deus gloriosus.

24 Qui partitur cum fure, odio habet animam suam.

Odio habere animam suam.

Quomodo quis se furti participem reddat.

Etiamsi quis furtum ipsum non admittat, tamen aliquo modo se participē furti reddat, odio habet uitam uel animam suam. Paul. ad Ephes. 5. cap. dicit, Nemo odio habet carnem suam. Omnes homines seipsos ardenter diligunt. Qui cum furibus participat facit in hunc finem, ut rebus suis consulat. Verùm si quis diligenter consideret, non uerè amat animam & uitam suam, quia agit propter quæ uitam & sæpe animam quoque amittit. Odio habentes eum, non possent maiore damno eum afficere. Similes locutiones 8. & 13. capite habuimus. Vulgò nouem modos enumerant, quibus aliquis se furti participem constituit. Primò, cooperatione, ut cum quis opem præstat furi, parat instrumenta, scalas, claues, cum signa dat furibus, eosq; defendit. Secundò, iussione, cum quis illos in quos potestatem habet, iubet furtum facere, pater filium, maritus uxorem, dominus seruum. Tertiò, consilio, cum quis illis, in quos nullum ius habet, suadet ut furtum faciant, cum uias & modos furandi ostendit, & occasiones indicat. Quartò, consensu, quando quis consentit in furtum, idq; uel ante factum, uel in facto, uel post factum. Quintò, adulatione, cum furis laudatur industria & sagacitas. Sextò, occultatione & conseruatione, quando quis illa quæ ab alijs furto ablata sunt, custodit. Germani dicunt, Talis est occultator, qualis est fur. Phocylides etiam dicit:

„ *φωρῶν μὴ δέξῃ κλοπίμην ἀνδρῶν παραθήκην.*
„ *ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.*

Septimò, participatione, ut cum quis partem usurpat rei furto sublatæ, uel comedendo, uel emendo uili precio, uel accipiendo ut furem absoluat. Sic Esaias 1. capite queritur, quòd principes socij sint furum. Psalmo 50. principibus populi dicitur, Si uidebas furem, currebas cum eo. Hodie multi sacrificuli, partem rerum furto sublatarum acceptantes, eos absoluunt. Octauò, permissione, cum quis repellere fures posset uel clamore uel alijs modis, & non facit. Nonò, si quis in iudicio requisitus, non indicat ubi sit res furto sublata uel ipse fur. Lyranus nouem illos modos, quanquam non hoc ordine, illis uersibus complexus est:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Maledictionem audiet (seu iusiurandum) *& non iudicabit.*) Sensus est: Malè audit inter homines, furti accusatur, tamen non audet de hac re conqueri, sibi enim malè conscius est. Quidam hunc sensum colligunt, non modò illos animæ suæ malè consulere, qui cum fure diuidunt: sed etiam qui blasphemias audientes, non indicant ut puniantur. Sic Leuit. 5. ca. Si peccauerit anima, & audierit uocem iuramenti, testisq; ipse fuerit aut uiderit, aut cognouerit, si non indicauerit, portabit iniquitatem suam. Quæ uerba quidam ita intelligunt, si quis iudicis adiurantis ipsum, uocem audierit, ut rem aliquem indicet (puta à quo factum sit furtū) id si non fecerit, reus erit. Alij uerò ita intelligunt, si quis audierit aliquem deierantem, maledicentem, & abutentem nomine Dei, nec indicat iudicibus, illum reum fieri. Addendum est, si illi odio habent animam, qui diuidunt cum furibus, multò magis, qui cum prædonibus & latronibus. Breuiter, cum sceleratis non est communicandum.

25 Timor hominis ponit laqueum (*seu offendiculum*) & qui fidit Iehouæ, exaltabitur.

Timor hominis.

Quanquam omnes sententiæ hoc libro comprehensæ, præclaræ sunt & insignes, ut quæ à spiritu sancto profectæ sunt, tamen ueluti una stella altera est clarior, ita aliæ sententiæ alijs sunt insigniores, inter quas hæc quoque collocari debet. Quæ ut melius intelligi possit, principiò annotandum est, timorem hominis generaliter dici, quem quisque in se habet: uel specialiter, quo quis hominem timet: qui timor iterum distinguēdus est. Est enim bonus & malus. Bonus est, quando inferiores superiores timent. Leuit. decimonono capite dicitur, Vnusquisq; patrem suum, & matrem suam timeat. Eph. 6. Serui obedite in omni timore dominis. Sic uxor maritum, subditi magistratum, timere debent. Rom. 13. Si male agis, time: nō enim frustra gladium portat. Est timor instar freni, quo equus regitur. Hic metus si tolleretur, omnia conciderent. Peruersus uerò metus est, quando instar cæcorum, non timenda timemus, & quæ uerè timenda sunt, non timemus, aut non recta ratione timemus. Famē, morbos, mortem timere non est malum, sed modum in his tenere oportet. Vox חרד chered non simpliciter timorem, sed tremorem significat, metum concutientem: immoderatus enim timor nō probatur. Nā hic metus multa mala parit, reuocat nos ab his, quæ ex nostra uocatiōe facienda,

facienda,uel perferenda sunt.Ecclesiastes enim,si homines plus metuat, quàm Deum,sceleratos non corripiet,nec errores deteget: iudex non defendet pauperes, non puniet sceleratos. Multi à Christo deficient, ne opes & uoluptates amittant. Recte ergo dicitur,pauorem hominum,ponere laqueum uel offendiculum:multos enim impedit,ne in uia Domini progrediantur.Facit ut ruant in multa peccata, deinde in magna quoq; pericula homines conijcit.Exemplis uarijs res potest declarari. Quid igitur faciendum est? Hic locus & alij in conspectu habendi sunt,quibus nos contra inanem metum fulciamus.Deus sępe prophetas admonet,ne sibi metuant,iudicibus quoq; timorem eximit. Christus Matth.10.suis Apostolis, postquam eos de futuris periculis instruxit, metum multis argumētis eximit.Pulcher etiam hac de re locus extat,Isaiæ.51.cap.Nolite timere,&c.

Qui confidit Domino,exaltabitur.) בטח bacach,fiduciam habere, securum esse, opponitur dubitationi seu trepidationi.Qui spem suam collocat in Deo,tutus erit.Ad uerbum est, *exaltabitur*,id est,seruabitur quasi in loco sublimi. Sumpta metaphora à militibus, qui se recipiunt in locum excelsum & munitum,puta arcem uel turrim,aut collem: uel ab illis qui in aquis petræ insident. Deus suos uel in hoc seculo contra insidias impiorum mirabiliter defendit,uel per mortem in arcem cœlestem euocat. Ringantur tyranni,tamen non poterunt ultrà quicquam mali pijs inferre, postquam corpus Deo permittente occiderint. Arcem illam cœlestem expugnare non poterunt. Posset Deus suos semper in hac quoque uita,contra malos defendere,quemadmodum Dauidem, Danielem & eius collegas defendit:sed multas habet causas,ob quas eos interdum sinit ab impijs interfici. Discamus nos ex hac sententia,illa facere quæ Deus præcipit, & euentum ei committere: si utile sit,seruabit nos in hac uita,sin minus,ad se nos transferet.

26 *Multi quærunt faciem dominantis,& à Deo est iudicium cuiusq;.*

Multi ambiunt fauorem potentum, partim ne ab eis lædantur,partim ut bona ab eis accipiant.Bene actum existimantes, si illis probentur:at Deus utrumq; iudicat. Damnat hæc sententia cæcitatem illam hominum, quòd plus student hominibus placere quàm Deo, quasi uerò homines plus obesse & prodesse nobis possint,quàm Deus.Benefaciendi & lædendi potestatem accipiunt homines, quando, quomodo,contra quos,& quousq; uult Deus:nullum iudicium fert princeps,citra Dei prouidentiam:Deo iudicante nos in agone mortis,& in nouissimo iudicio,nemo nos contra eum potest asserere: uidendum igitur,ut ipsi omnes nostras actiones approbemus. Vix autem alia res ita nos continet in officio,atque crebra meditatio iudicij diuini. Non est improbandum si quis placere cupiat principi, ex bono proposito:sed si faciat propter priuatum commodum,ut liberius possit peccare, & supplicia euadere,malum est.

27 *Abominatio iustorum,est uir iniquus:abominatio autem impij,est rectus uia.*

Pij horrent conspectum impiorum, secundum quod tales sunt. Impij uerò rectos uia,id est,sinceros in fide & moribus,qui arctam uiam salutis ingressi sunt, oderunt. Inter homines qui dissimilibus sunt studijs, firma amicitia non potest coalescere. Christus Ioan.15.cap. dicit,Si mundus uos odit,scitis quòd me prius quàm uos odio habuerit.Si de mundo fuissetis,mundus quod suum est diligeret. Quia uerò de mundo non estis, sed ego selegi uos de mundo,propterea odit uos mundus. Nec sunt grauiora odia,quàm quæ ex dissimilitudine religionis oriuntur.Ne igitur expectes ab illis opem,qui tuæ religionis non sunt. Quemadmodum enim ouiculæ à lupis opem expectare non debent,ita ueræ fidei cultores, ab incredulis.Discamus commercium cum impijs non esse habendum. Contrarium inferri potest, pio acceptum & gratum esse uirum bonum, impio uerò malum. Aristot.inter similitudinis adagia refert,κακὸς κακῷ γὰρ συντέτηκεν ἡδονῇ,id est,malus cum malo colliquescit uoluptate.

Pij impios abominantur.

CAPVT XXX.

VErba Agur filij Iaræh. Prophetia quam dixit uir ad Ithiel,ad Ithiel inquam & Vchal.


HIC ponitur nouus titulus huius libri,qui tria cōplectitur.Primū,quis hęc sequētia scripserit:alterum, quid scripserit:tertium,ad quos scripserit.Author illorum quæ sequuntur est Agur: de quo alibi in sacris literis nihil legitur. Fuit indubiè uir prudens & celebris,quales in isto populo multi fuerunt omnibus ferè tem-

Titulus tria continet.
Agur.

poribus. Probabile autem est, eum uixisse tempore Ezechiæ regis, quando superiores quoq; sententiæ, quæ à uigesimoquinto cap. ad hoc usq; caput habetur, collectę sunt. Quòd quidam eum tempore Solomonis uixisse putant, ideo mihi non probatur, quòd 1. Reg. 4. cap. non nominatur inter illos, qui sapientia celebres tunc erant. Sunt qui putant hunc Agurum fuisse ipsum Solomonem, sic dictum propter magnitudinem sapientiæ in eo congregatæ. אגר agar, enim significat colligere & congregare. Sed quisquis fuerit, parum interest. Credendum uirum fuisse à Deo præstanti sapientia ornatum.

Onus uel prophetia. Scripsit משא mascha onus, prophetiam uel oraculum, id est, doctrinam & institutionem de rebus magnis. Prophetia enim non tantum de facultate prædicendi futura accipitur. *Ithiel & Vchal.* Scripsit autem ad Ithielem, nec illum solum, sed etiam ad Vchalum discipulos suos, uel alios uiros prudentia insignes, qui eum de rebus magnis consuluerunt. Vtitur hoc ordine. *Ordo prophetiæ.* Primùm ostendit, quanta sit cæcitas hominum, præsertim in rebus diuinis. Deinde à Deo petendam esse sapientiam ostendit. Tertio loco, patefactam esse uerbo Dei. Quarto, uerbo Dei nihil addendum, nihil detrahendum esse. Mox subijcit graues sententias, de uarijs rebus, quas ordine explicabimus. Caput est obscurum & difficile, ideoq; ero paulò prolixior.

2 **Stupidus ego supra uirum, & non intelligentia hominis plebei mihi.**
3 **Neq; didici sapientiam, nec scientiam sanctorum noui.**

בער baar pecuinus, qui instar pecudis oberrat. Fatetur suam inscitiam: dicit enim se stolidiorem esse alijs, & illa quoq; quæ uulgares homines norunt, ignorare: uel acumine ingenij non esse præditum, neque didicisse sapientiam, scilicet politicam, qua Respub. & regna sustinentur, & humanæ res gubernantur, & scientia sanctorum uel sanctarum rerum, destitui. Remouet igitur à se tria, primùm naturalem perspicaciam, deinde prudentiam usu & experientia collectam, tertiò cœlestem sapientiam. Quomodo igitur has sententias pronunciare potuit? Ad uires proprias respexit, ex se hæc non habuit, neq; aliorum magisterio, sed ex reuelatione spiritus sancti. Hoc postremum membrum septuaginta affirmatiuè legunt, *at sanctorum scientiam noui*: quam lectionem sequutus D. Augustinus ad Deo gratias, Lyranus & alij: Vt sit sensus, imperitus sum humanarum rerum, at diuinarum gnarus. Sæpe autem fit ut ex- *Cæcitas humana.* cellentes uiri, & bene uersati in scripturis, rerum ciuilium ualde sint imperiti. Discamus exẽplo Aguri cæcitatem & ignorantiam nostram, quæ nobis per peccatum inflicta est, agnoscere & confiteri, idq; non ut quidam faciunt, fictis uerbis, sed uerè & ex animo. Nam si de rebus etiam uulgaribus dicendum sit, magna est nostra inscitia: nemo est qui uel instrumentorum, quæ in opificum officinis sunt, nomina omnia teneat. De rebus altioribus, quales sunt politicæ, physicæ, mathematicæ, pauca cognoscimus, & illa quæ cognoscimus, imperfectè cognoscimus. Sapientissimi, peritissimi & diligentissimi scriptores naturalis historiæ, coguntur adhuc plura & maiora mirari, quàm sua industria & labore sint assecuti. Basilius cristas superbi illius, qui magnarum rerum scientiam sibi uendicabat, uarijs de formica, minimo animalculo, quæstionibus propositis contundit. Si uerò de rebus cœlestibus dicendum sit, nemo est qui eas possit intelligere. Homo absq; illustratione spiritus sancti, cum toto suo acumine, tam ineptus est ad intelligenda per se Dei mysteria, atq; asinus ad symphoniam. 1. Cor. 2. capite, ψυχικὸς ἄνθρωπος non accipit ea quæ sunt spiritus Dei: stulticia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, quòd spiritualiter dijudicantur. Exemplo nobis sunt philosophi, qui indagantes quibus in rebus uera felicitas posita sit, uarias afferunt sententias. Nicodemus Ioannis 3. cap. tametsi Christum diu de regeneratione loquentem audiuisset, tamen quid diceret non intelligebat. Cognoscamus igitur calamitatem humani generis, humiliemur, nihil uiribus nostris tribuamus, precemurq; feruentius pro dono spiritus sancti. Quo quis est doctior, tanto se gerat submissius. Socrates dicebat, Hoc unum scio, me nihil scire. Redarguuntur qui freti sui ingenij acumine, in cœlum euolare conantur. Quemadmodum uerò scientiam rerum nobis non arrogare, ita neque propter bona opera nobis placere debemus. Nihil enim boni ex nobis ipsis possumus facere. 1. Cor. cap. 1, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Grauiter accusandi sunt, qui precio, sua merita alijs quoq; uendere non uerentur. Postquam Agur ad hunc modum suam ignorantiam professus est, remittit nos ad Deum, qui sapientissimè omnia condidit & gubernat, à quo uera petenda est sapientia. Sic etiam Iacobus nos 1. cap. hortatur, ut sapientiam à Deo postulemus.

4 **Quis ascendit in cœlos & descendit?**

Opera Dei. Quasi dicat, Nemo hominum ascendit cœlos, ut ea quæ in illis sunt cognosceret, & rursus descen-

sus descendens nobis declararet: solus Deus hoc potest. Is ubiq; præsens est, omnia implet: descendere autem & ascendere dicitur, non quòd locum mutet, sed propter procurationem rerum uniuersarum. Psalmo 113. canit psaltes, Quis est sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat ad sedendum, qui se dimittit ad inspiciendum cum in cœlo tum in terra? Instar boni patrisfamiliàs, superiora & infima curat ac gubernat. Psalmo 18. De Christo certum est quod descenderit de cœlo & in cœlos ascenderit, Ioan. 3. Ephe. 4. Nobis autem quid in cœlis sit, ostendit dicens, In domo patris mei, sunt multæ mansiones, &c. Ioan. 1. Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, &c. *Cœlum.*

Quis collegit uentum, in pugillis suis?) חפן chopan, significat partem interiorem manus, alij uolam, alij palmam reddunt: per synechdochen pro tota manu accipitur. Nulla membra habet Deus, humano tamen more, hæc ei tribuuntur. Ioannis 3. dicit Christus, Ventus ubi uult spirat, & uocem eius audis, nescis unde ueniat, & quo uadat. Ab hominibus uentus coerceri non potest. At Deus in sua potestate eum habet, & ueluti palmis concludit, quoties uult emittit eum. Psal. 135. habetur, quod educat uentos de thesauris suis. Hi euertunt arbores, turres, &c. Quando uult sedat uentos. Sic de Christo quoq; in Euangelio legitur, Matt. 8. Marc. 4. Psalmo 88. Tu Domine dominaris mari procelloso, cum attollit fluctus suos, tu compescis eos. Quia uerò רוח ruach, non modò uentum, sed spiritum & animum quoq; significat, quidam, inter quos etiam est D. Augustinus, exponunt, quòd Deus in potestate sua conseruet omnem angelicum & humanum spiritum, seu animas hominum, imò & spiritum iumentorum, Psal. 147. *Aer.*

Quis congregauit (uel conclusit) *aquas, in uestimento?*) Aquæ duplicis sunt generis, sunt supernę & infernæ. Aquæ supernæ sunt nubes, quæ ueluti uestimentum expanduntur super capita nostra: & quemadmodum aqua, quæ uestimento continetur, effluit, ita pluuiæ ex nubibus guttatim decidunt. Aquæ terrestres ex montibus effluunt, & tanquam colantur. Oceanum Deus intra terminos arctauit. Psal. 32. congregans sicut in utre aquas maris. Iob 38. Quis conclusit ostijs mare? *Aquæ cœlestes & terrestres.*

Quis stabiliuit omnes terminos terræ?) קום kum est erigere, statuere, firmare, stabilire, eleuare: in hiphil הקים hekim erexit, cõstituit. In principio creationis, terra & aqua permixta erant, terra quasi spongia in aquis latebat: sed tertio die Deus terram produxit, & ab aquis separauit. Gene. 1. cap. Aqua non operit terram, limitem enim suum excedere non potest. (Iob 26. & 28. & Psalm. 104.) nisi postulantibus peccatis hominum. Fluctus ingentes instar uastissimorum montium excitantur, & ad littus magno impetu uoluuntur, sed præfixum sibi terminum nõ egrediuntur. Ierem. 5. Posui arenam terminum maris. Plato in Timæo etiam scribit, quòd opifex Deus, in exordio iusserit terram tanquam matrem & altricem cunctorum animalium, ex parte esse ab aquis nudatam, ut habitationi ac necessitatibus hominum & cæterorum animantium, deseruiret. *Terra.*

Quod nomẽ eius, & quod nomẽ filij eius, si nosti?) Nomẽ est cuiusq; rei definitio, & nomina ad hoc inuẽta sunt, ut unũquodq; quid sit cognoscatur, nec genera tãtũ, sed & species inter se distinguãtur. Quia uerò Deus immẽsus & infinitus est, ideo propriũ nomẽ nullũ habet, quod substãtiã siue naturã eius exprimat. Quia unus & solus est, nõ eget proprio nomine, quò à reliqs uel similib. uel uarijs distinguatur. Hãc ob causam Iacobo patriarchæ Gen. 32. interrogãti, dic mihi quod est nomen tuũ? respõdit, Quid q̃ris de nomine meo, q̃d est mirabile? Similis locus est Iudicũ 13. ca. Ostẽdit Deus nõ esse curiosè inuestigãdũm, quod sit nomẽ eius, hoc est qs nã sit. Nomina tamẽ Dei patris, multa in scripturis legũtur, quib. eius ꝓprietates utcũq; adũbrãtur. Exo. 34. ponũtur tredecim selecta & insignia Dei nomina. Hieronymus in quadã Epistola ad Marcellã, scribit decẽ nomina Dei maximè esse illustria in scripturis. Christus quoq; secunda persona trinitatis, alijs atq; alijs subinde nominibus appellatur, Isaiæ 9. & passim in scripturis, quæ omnia superuacaneum esset hoc loco afferre. Paulus dicit ad Philip. 2. Deus dedit illi nomen quod est super omne nomen. Vide Lactantium Diuinarum instit. li. 4. cap. 7. Augustinus ad Deo gratias presbyterum Epist. 49. respondens ad quæstiones à quodam pagano ipsi propositas, ostendit hoc loco fieri mentionem Dei patris & filij. Habemus igitur, Deum imperare omnibus elementis omnibusq; creaturis. Quæ autem de eius potentia dicuntur, huc faciunt, ne aduersariorum potentiam metuamus, & ut sanctè ac purè uiuamus. Habemus etiam apertum & perspicuum testimonium distinctionis personarum, & quòd filius Deo patri æqualis, & consubstantialis sit. Omnis enim pura creatura nominabilis est, ut loquuntur, & comprehensibilis, &c. *Nomẽ Dei.* *Nomina Christi.* *Distinctio personarũ.*

5 Omnis sermo Dei purgatus.

Postquam propheta Agur ostendit, homines sua industria, ad cognitionem rerum cœle-

stium & diuinarum non pertingere: remittit nos ad Deum, qui solus sapiens est, & sapientiã ueram & cœlestem patefecit uerbo suo, de quo nunc agit, & duo ostendit. Primùm, quale sit uerbum Dei, nempe uerum, purum & sanctũ. Deinde, quomodo sit tractandum. Verba quidem pauca sunt, sed amplissimam doctrinam continent. Omne uerbum Dei, quod continetur libris ueteris & noui testamenti, est ueluti igne purgatũ. Septuaginta habent πεπυρωμένον. In Apocalyp. 3. cap. Verbum Dei appellatur χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρός, Erasmus uertit ignitum ex igni. Theodorus Beza reddit elegantius, igne exploratũ & purgatum. Nam uerbum צרף zaraf de illis dicitur, qui aurum & argentum igne urunt, excoquunt, examinant, & à scoria repurgant. Quemadmodum metalla in fornace à scorijs purgantur: sic uerbum Dei ab omni fallacia, errore, mendacio & sordibus repurgatum est. Refert enim Deum, à quo proficiscitur, qui alienus est ab omni dolo & mendacio, nullisque affectibus obnoxius est. Res per singula capita posset declarari. Psalmo 12. Eloquia Domini, eloquia munda, quasi argentum examinatum in exquisito loco terræ, defecatum septempliciter: & Psalmo 19. legem Dei uocat immaculatam: testimonium Domini firmum: præceptum Domini purum. Augustinus in libro de sancta uirginitate, Non, inquit, est aliquo prætextu mendacium inducendum in sacras literas: quoniam tunc nihil solidum aut firmum reliquum esset. Quicquid enim adduxeris à Deo præceptum, è uestigio dici poterit, non ita res habet, &c. In epistola 8. ad Hieronymum etiam hac de re scribit: Omnia uerba, dicit, sunt pura, non quædam tantum. Errant igitur, qui uel in numeris uel proprijs nominibus, erratum putant, &c. Sancti homines tam certi fuerunt de scripturarum ueritate, ut pro eis non ueriti sint, quamlibet atrocem mortem oppetere. In hoc differunt à reliquis scriptis. Ethnici scriptores multa habent quæ nos in bonis moribus & uirtutibus erudiunt, historiæ plenæ sunt exemplis uirtutum & uitiorum, sed admiscent magnos errores. Ambrosius, Augustinus & alij patres, eruditi fuerunt interpretes sacrarum literarum, sed sæpe lapsi sunt: nec tantæ authoritatis eorum scripta sunt, quantæ sunt sacræ literæ, quæ cœlestem doctrinam continent. Quæ cum ita sint, his tutò assentiri possumus & debemus. Veraci homini fidem adhibemus, multò magis Deo fides habenda est: cœlum & terra præteribit, non autem iota cadet de uerbo Dei, Matthæi 24. Proinde non sinamus nobis fidem uerbi Dei excutere, dubitationi nullum locum permittamus. Præter hoc nullum habemus fidei fundamentum. Impij sunt illi homines, qui dicunt, An non tam bene mendacia, quàm uera potuerint describi? Videmus quoq; stultè illos agere, qui authoritatem uerbo Dei uolunt conciliare, cum ex se suam authoritatem habeat. Adhæc illos errare uidemus, qui dicunt, laicos errores & uenena haurire ex sacris literis. Quomodo ex uerbo Dei quod purum est, impuri aliquid hauritur? ex fonte uitæ, mors? Videmus etiam illos malè agere, qui omnem ætatem consumunt in mundana philosophia, & à lectione sacrarum literarum abhorrent. Summa gratitudine hic thesaurus accipiendus erat. Et multò magis illi malè agunt, qui ex idolis uel simulachris mutis illis magistris discere uolunt, quos scriptura mendaces uocat.

Proprietas uerbi Dei.

Nullum mẽdaciũ in sacris literis.

Discrimen sacræ scripturæ et aliorum scriptorum.

Clypeus est sperantibus in se.) Ad Deum refertur, non ad eloquium. הוא hu enim est generis masculei. אמרת imrath uerò fœminei. Sensus est, qui audito uerbo Deum cognoscit, ac spem & fiduciam in eum collocat, ipsum habet protectoré. Clypeis ueteres corpus muniebant, contra ictus & tela. Sunt autem clypei, ut Seruius annotat in 2. & 7. li. Æneidos, scuta maiora quibus latemus, dicti ἀπὸ τοῦ κλέπτειν τὸ σῶμα, ab eo quòd celent corpus. Require plura ex capite 2. uers. 7. Crebra est hæc Metaphora in scripturis. Genes. 15. Ne timeas Abraham, dicit Deus, ego sum clypeus tuus. Psalmo 3. Tu Domine es scutum ante me. Psalm. 18. Deum uocat arcem, petram, confugium, clypeum suum. Psalm. 33. Auxilium nostrum & scutum nostrum. Item Psalmo 119. Defendit autem suos priuatim & publicè contra insidias satanæ & hostes ueritatis. Quot consilia mala Deus à restaurata doctrina perturbauit? Vnius hominis morte, sæpe magnas rerum molitiones interturbat. Notandum autem est, quòd dicitur esse clypeus sperantibus in ipsum. Suos enim defendit & conseruat. Omnes quidem homines ab ineunte ætate mirabiliter protegit: at suorum peculiariter curam gerit, eos in hac & futura uita conseruat. Alij ad uerbum Dei referunt (non enim semper apud Hebræos, genus respondet generi) ut sit sensus, Verbum Dei est clypeus sperantibus in se. Hoc clypeo excutienda sunt iacula diaboli. Hoc clypeo Christus satanam repressit. Si tentat te idololatria, uarijs sceleribus, obijce scutum uerbi Dei. Vnica historia supplicij Christi, clypeus est contra innumera scelera. Si odio, inuidia tentaris, cogita quid nostri causa Christus perpessus sit, &c. Vbi obiter uidemus, quàm malè faciant, qui plebeis hominibus codicem sacrum è manibus excutiunt, & eos quasi detracto clypeo, hostibus objciunt. Alter locus ostendit, quàm religiosè tractandum sit uerbum Dei.

Deus piorũ protector.

Verbũ Dei est scutum.

6 Ne

6 Ne addas uerbis eius.

Idem præcipitur Deut.4.ca.ab initio, Ne addetis super uerbum, quod ego præcipio uobis, neq; minuetis ab eo, ut seruetis præcepta Domini uestri quæ ego præcipio uobis. Deut.12.in fine capitis, Quicquid ego præcipio uobis, id obseruabitis ut faciatis, non addes quicquam super ipsum, nec minues ab eo. Iosue 25.ca. N timini obseruare quod in libro legis scriptũ est, neq; uel ad dextrã uel ad sinistrã deflectite. Videndum est qui addant aliquid uerbo Dei, qui detrahant. Non certè illi qui uerbũ Dei clarioribus uerbis exponunt (scripturas enim exponendas esse Christus ipse, ut alia omittam, suo exemplo nos docuit) sed qui uerbo contrarias interpretationes afferunt & uarios errores propugnant: qui hominibus sub necessitate salutis, multa credenda obtrudunt, quiq; dictant bona opera, quæ in sacris literis fundamentum non habent. Detrahunt uerbo Dei, qui illa quæ ipse expressit, negant expressa esse, quæ uetuit, eleuant, quæ præcepit, negant eum præcepisse. Seruator noster Matth. 15. ca. Iudæos accusat, quòd propter traditiones suas, irrita fecerint mandata Dei. Hodie pontificij traditiones nobis obtrudunt, & non minus authoritatis habere uolunt, quàm ipsum uerbum Dei. Obijciunt inter alia, Christum dixisse, Multa habeo quæ uobis dicam, sed modò non potestis portare. At idem mox subiecit, Cum auté uenerit spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Sed de traditionibus humanis, alij copiosè scripserunt.

Quomodo tractãdum sit uerbum Dei.

Qui addãt & qui detrahãt uerbo Dei.

Discimus ex his uerbis, sacras literas esse perfectas omnibusq; suis muneribus constare. Nam doctrina cui nihil addi potest & debet, nihil adimi, perfecta est. (Res declarari potest similitudine de instrumentis publicis.) Talis autem est doctrina tradita uerbo Dei, ut hic locus abunde testatur, perfecta itaq; est & plena. Idem D. Paulus 2. ad Tim. ca.3. disertè testatur.

Perfectio sacræ scripturæ.

Peccant itaq; grauissimè qui aliquid sacris literis adijciunt. Contumelia enim afficiunt spiritum sanctum, quasi non perfectè tradiderit, quæ ad salutem nostram pertinent. Apostolos quoq; suspectos faciunt, quasi malè & imperitè ecclesias suas gubernarint, illa enim eis non tradiderunt, quæ hodie ecclesijs obtruduntur. Ecclesijs certè graue onus imponitur, neque uni aut alteri, sed omnibus fidelibus magna fit iniuria. Grauissimè ille puniretur, qui instrumentis publicis obsignatis, aliquid adderet uel adimeret, an non igitur nefas esset, ueteri uel nouo Testamento aliquid addere aut adimere? Si quis nomine principis, à se cõfictum edictum promulgaret, grauissimè diceretur peccasse. Et non dicemus illos peccare qui sub Dei nomine, Ecclesiam tot traditionibus onerant? Monetæ si quis aliud metallum adderet, pœnas daret, & illi impune uerbo Dei addent quæcunq; placuerit? Omnes indignissimè factum clamarent, si quis imagini à peritissimo artifice expressæ, aliquid adderet uel adimeret: quid igitur dicendum, si homines uerbo Dei sua figmenta assuant? Concludo ex his, nullis pontificum aliorum'ue legibus teneri nos ad constitutiones humanas, quæ uerbo Dei aduersantur. Colligitur etiam hinc, quàm grauiter peccent pontificij, qui illos cremant, apud quos tanta est uerbi diuini authoritas, ut prorsus nihil quod illi adijciatur, recipere uelint, tanquam ad salutem necessarium, &c. Sed quæ pœna illos maneat, hoc loco expressum est. Dicit enim:

Peccãt qui sacris literis aliquid assuunt.

Ne te increpet.

Deus non uerbis tantum, sed reipsa illos homines castigabit, seq; eis opponet. Id enim ualet Heb. uerbum יוכח iokiach in hiphil, quod hoc loco ponitur. Addit:

Ne mentiaris.

Id est, mendax inueniaris. Illis, quæ in Concilijs uel à patribus perperam constituta fuerunt, pij uiri semper reclamarunt, & semper Deus curauit ut in Ecclesia corruptelæ scripturæ detegerentur. In calce Apocalypsis dicit Dominus, Si quis adiecerit ad hunc librum, adijciet Dominus super illum plagas scriptas in hoc libro. Et si quis diminuerit de uerbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro uitæ, &c. Quæ non de hoc tantum, sed de alijs quoq; libris sacris debent intelligi.

Addendum est etiam hoc, quòd cùm uerbo Dei nihil addendum nihil adimendum sit, Sacramentis quoque, quæ, ut Augustinus dicit, uisibilia sunt uerba, nihil addendum, nihil adimendum esse. Peccant itaque aduersarij nostri, qui primùm auxerunt numerum sacramentorum: quinque enim adijciunt, quæ Apostolica Ecclesia ignorauit, deinde duo illa à Christo instituta, sacramentum scilicet baptismi & eucharistiæ, ita deprauarunt, & corruperunt, ut uix possint agnosci.

Sacramẽtis nihil addendum uel adimendum.

7 Duo postulaui à te, ne prohibeas à me antequam moriar.

8 Vanitatem & uerbum mendax remoue à me, paupertatem & diuitias non dederis mihi, ale me cibo statuto mihi.

9 Ne fortè satier & abnegem dicamq́; quis est Deus? & ne fortè pau-
per factus, furtum committam, & assumam (*in uanum*) nomen Dei mei.

Sapiens his uersibus ostendit, quid à Deo precatus sit. Dicit se duo postulasse. Primùm petijt à se auferri ea quæ simpliciter sunt mala, nempe uanitatem & mendacium. Deinde quæ plerunq; sunt occasio uitiorum, quamuis nō sint mala in se, scilicet mendicitatem & opulentiam: causamq́; subijcit, cur duo hæc postulet sibi non dari. Nec tantum postulauit ad diem, mensem aut etiam annum unum aut alterum, sed toto tempore uitæ suæ, hoc enim significat quod dicit, Non prohibebis à me priusquàm moriar, id est, quo ad uixero. Primo loco petijt, ut à uanitate & mendacio eum defendat. שוא schafa mendacium reddunt. R. Kimhi, aleph dicit loco he poni, nam descendit à שוה schafah, quod propriè significat æqualem esse, & per Metaph. conuenire aut conducere. Hinc שוא schaue per antiphrasim inane, uanum, quod frustra fit, inutile, quod non respondet ueritati. Forsterus temeritatem & præcipitantiam interpretatur. כזב casaf quoque mendacium significat. Nomen mendacij multa comprehendit, ut cum affirmamus quæ non sunt, aut negamus quæ sunt, cumq́; illa quæ promisimus, non præstamus. Vulgare hoc uitium est apud homines, sed etiam gentilium iudicio turpissimum. Ideo sapiens Deum precatur, ut longè à se remoueat. Omnium uerò turpissimum est mendacium falsæ doctrinæ. Psalm. 5. dicitur, Perdes loquentes mendacium. Alterum quod postulat est, ne Deus ei uel immodicas opes largiatur, uel in extremam paupertatem eum conijciat: sed ut alat eum pane uel cibo, qui congruat ei, hoc est, ut necessaria ad uitæ usum, ei suppeditet. Sic Paulus quoque dicit in 1. ad Timoth. 6. cap. Habentes alimenta & quibus cōtegamur, his contenti simus: nihil enim intulimus in hunc mundum, neque aliquid auferemus. Seruator quoq; noster iussit nos petere panem quotidianum, non ingentes opum cumulos.

Vanitas & mendaciū.

Causam subiungit quare hæc duo à Deo postularit, & primum cur diuitias ingentes deprecetur, nempe, ne satur Deum neget, & erumpat in impiam illam uocem cum Pharaone, Exod. 5. cap. Quis est ille Deus? Quasi dicat, non est Deus, aut si est, tamen res mortalium non curat. Psalm. 73. Ezech. 8. Quamuis autem non multi expressè hoc dicant, tamen ipsis factis hoc dicunt. Non quod omnes, quibus ingentes opes affluunt, statim à Deo deficiant, eumq́; abnegent, (Legitur enim de multis pijs, quòd ingentes opes possederint, ijsq́; rectè usi sint) sed quòd tanta hominum imbecillitas sit, ut nisi bene uerbo Dei communiti fuerint, opibus suis abutantur. Ferè enim fit ut elati, in rebus diuinis fiant negligentiores, deinde frigeant, tandem Deum prorsus abnegent. Aliquando apertis uerbis, frequentissimè autem in cordibus. Neque uerbis solum, sed factis quoque partim superstitiosis, partim flagitiosis Deus abnegatur. Christus diuitias spinis comparat, quæ semen uerbi Dei obruunt. Matthæi 19. habemus de diuite adolescente exemplum, qui ne diuitias amitteret, Christum abnegauit. Deuteronomij 8. capite Moses uaticinatur, Israelitas qui ditati erant à Deo, defecturos ab ipso, & alienos deos adoraturos esse, id quod non semel factum in Iudicum libro legitur. Philosophi etiam disputant, an secundæ, an uerò aduersæ res melius ferri possint. Hodie abundamus exemplis diuitum, qui si propter auaritiam uel luxuriam, ex uerbo Dei taxentur, uerbum contemnunt. Quot malunt quamlibet potius religionem suscipere, quàm opum iacturam facere? quot faciunt quicquid libet, opum fiducia? Illi Dei loco opes suas collocant, & ueri sunt idololatræ: tales quia multi diuites euadunt, sapiens opes ingentes non petijt. Lege præcipitur Deuteronomij 8. Attende ne comedens & bibens & saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oues & boues, argentum & aurum, obliuiscaris Domini Dei tui, &c. Causam uerò, ob quam paupertatem extremam deprecatur, duplicem assignat. Prima est, ne impatientia fractus, furtum faciat: non quòd furti causa perfecta & integra sit paupertas, alioqui omnes pauperes fures esse oporteret, id quod absurdissimum est (sunt enim multi pij pauperes, Christus ipse pauper fuit) sed quòd tam corrupto sumus ingenio, ut statim latrante stomacho, putemus non esse furtum, si esculenta saltem alijs auferamus. Pauci paupertate rectè utuntur, ut cum Paulo ad Philippenses 2. capite dicant: Scio abundare, scio & penuriam pati, &c. Aliquando hanc excusationem afferunt fures, Pauper sum, tot alendi sunt mihi liberi. Quæ excusatio aliquantulum eleuat crimen, sed non prorsus tollit. Paulus ad Ephesios 6. capite laborare nos iubet ut necessaria habeamus, & damnat furtum. Si laborare non possis, alia ratio præscribitur à Deo, qua te alas, quàm ut fureris. Scriptura autem per furtum non intelligit tantùm furtum uulgò sic dictum, sed omnes fraudes ac dolos. Plato quoque libro quarto de Republica, magistratibus prouidendum esse monet, ne ipsis inscijs, opulentia & inopia in ciuitatem

Causæ cur hæc petierit à Deo.

Abnegatio Dei.

ciuitatẽ irrepant: diuites enim delitias & inertiam consectari, pauperes uerò res nouas moliri, & sordida studia quærere. Libro octauo: Perspicuum est, inquit, in qua ciuitate mendicos uideris, in ea fures saccularios, sacrilegos & omnium huiusmodi malorum opifices latere. Horatius paupertatem audacem uocat, eò quòd homines ad facinus iniuriamque alteri inferendam stimulat. Quemadmodum uerò ignauos & improbos ad maleficium: sic bonos uiros ad inuentionem artium incitat. Hinc prouerbio dicitur, πενία τὴν σοφίαν ἔλαχε. Altera ratio est, ne assumat, scilicet in uanum, nomen Dei (תפש thafasch significat capere, apprehendere, tenere.) Quod fit multis modis. Qui ditescere uolunt, sæpe abutuntur nomine Dei, ad confirmationem suorum mendaciorum. Aliquando etiam peierant. Consulunt magos de rebus amissis. Non est ociosum quòd Deum suum appellat, communis quidem omnium Deus existit: sed pro nostris eos solemus agnoscere, quorum in nos singularia beneficia experimur, & quibus bene confidimus. Paulus quoque in suis epistolis subinde Deum, Deum suum appellat. At queri posset, cur non alia postularit, ueluti ueram fidem, &c. Hæc uidetur in prima petitione contineri: petit enim, ut falsam doctrinam, & impias opiniones, à se remoueat. De hac petitione Chrysostomus quædam habet in homil. 18. in epistolam ad Hebræos.

Deus meus.

Quæstio cur nõ meliora petierit.

Ex his uerbis quædam ad eruditionem nostram elicienda sunt. Primum colligimus quid optandum & postulandum sit à Deo: sæpe enim hac in re peccamus, illa potius optantes, quæ perniciosa nobis sunt, quàm utilia. Quemadmodum fabulæ de Mida loquuntur, qui optauit, ut quicquid contigisset corpore, protinus in aurum uerteretur, quæ res ei exitium attulit. Petimus ingentes opes, potentiam, longam uitam, & alia, quæ si nobis concedantur, nullam sæpe utilitatem afferunt. Iuuenalis Satyra 10. contra stulta illa hominum uota, eleganter scripsit. Petamus igitur spiritualia bona à Deo, confirmationem fidei, patientiam, uires resistendi diabolo. Non quòd temporaria petenda non sint, sed cum certa conditione petenda sunt. Hæc uerò omnia à Deo petenda sunt, fonte omnis boni, non ab alijs dijs uel deabus. Augustinus in Epist. 121. ad Probam uiduam, quomodo sit orandus Deus, ex hoc & alijs locis, ostendit, quòd orare liceat sufficientiam rerum.

Vsus huius loci.

Deinde uidemus quanta sit nostra miseria, nam ex nobis cauere mendacium, furtum, periurium, & alia scelera non possumus. Rectè enim hoc loco dicit Pellicanus noster, si tueri se posset à peccatis etiam sapiens, suo libero arbitrio, non tam seriò gratiam Dei imploraret, &c. Neque prosperis neque aduersis, fortuna rectè uti possumus. Illas res quibus ad Dei gloriam & proximi commodum uti debebamus, in exitium nostrum conuertimus. Opibus ad propagandam Dei gloriam & subleuandam proximi egestatem uti conueniebat, sed statim ad superbiam nostram abutimur. Rebus florentibus, neq; Deus neq; diui nobis ueniunt in mentem, nos ipsos non agnoscimus, proximum, quin ipsum quoq; Deum, contemnimus. Paupertate uti debebamus ad agnitionem nostri, ad seriam inuocationem Dei à quo dependemus, sed ad impias artes ea abutimur.

Tertio loco, discunt diuites, item pauperes & mediocres homines, quid faciant. Diuites cogitent se à Deo accepisse diuitias in certum aliquem finem, & rationem aliquando de opibus esse reddendam: & quandoquidem satan eis ualde insidiatur, ut in impietatem pertrahat, se contra insidias eius muniant. Cogitent quàm periculosa sit magnarum opum possessio. Dominus non temere spinis eas comparat. Pauperes uerò etiam prouideant, ne ad furta & alia scelera se abduci patiantur, paupertatem suam æquo ferentes animo. Deus eam immittit, quemadmodum ex hoc loco colligitur, eamq; aufert quando suis est utile. Cogitent satis diuitem esse, qui bonam habet conscientiam. Orent Deum, ut det eis patientiam, & in scelera prolabi non sinat. Qui mediocres opes habent, contenti sint, Deo gratias agant, non impatienter ferant, si non assequantur ingentes thesauros. Stultum enim, imò impium esset, irasci Deo, ob id quod nobis sponte dedit, quod cum sapiente illo summis ab eo petendum erat precibus. Moderatæ opes, non coniunctæ sunt cum magnis periculis.

10 Ne deferas seruum apud dominum suum, ne fortè maledicat tibi & delinquas.

לשון laschon, lingua dicitur, hinc deriuatur uerbum in hiphil הלשין hilschin, quod est lingua deferre, detrahere, accusare. Vetat ne quis sit delator uerborum uel factorum serui, ne ex inuidia aut crudelitate eum accuset. Ferocia enim dominorum, non irritanda est, sed potius reprimenda. Non quòd uitia seruorum prorsus sint dissimulanda: nam uel ipsi priuatim, uel domini admonendi sunt: hoc enim non est aliquem deferre. Hinc sumptum uidetur, quod Phocylides dicit.

Seruus non deferendus apud herũ suum.

Δοῦλον μὴ βλάψης κατηγορέων πρὸς ἄνακτα.

Rationem reddit, cur ſeruus non ſit deferendus apud herum ſuum: *ne fortè maledicat tibi*, dicat te talem eſſe, hæc uel illa feciſſe, & diris te deuoueat. Peccat quidem ſeruus ſi hæc faciat, ſed tu author quodammodo es illius peccati. Poſſet etiam de hero intelligi, ne tibi maledicat. Addit, *& delinquas*. Peccat enim qui alios traducit. Deinde de nouo peccat, ſi audiat ſeruum indignè tuliſſe calumniam. Si ſerui non ſunt deferendi, ergo nec uxores, liberi, amici, &c. grauiſsimum enim hoc eſt peccatum. Pſalm. 101, Qui lingua defert ſodalem ſuum, iſtum perdam. Quidam putant Salomonem reſpexiſſe ad illam legem, quæ Deute. 23. habetur: Non trades ſeruum domino ſuo, qui apud te eripi cupit à domino ſuo. Tecum manebit in medio tui, ubicunque elegerit locum in una ciuitatum tuarum, ut ſibi placuerit, nec contriſtabis eum. Loquitur autem de ſeruis exterarum gentium, qui in bellis ad Iſraelitas confugiebant.

11 Eſt generatio quæ patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedicit.

12 Eſt generatio quæ munda eſt in oculis, & à ſorde ſua nõ eſt abluta.

13 Eſt generatio, quàm excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius eleuatæ ſunt.

14 Eſt generatio cuius dentes ſunt gladij & cultri uel enſes molares eius, ut deuorent pauperes è terra & egentes ex hominibus.

Quatuor mala genera hominum recenſet, quæ ſemper fuerunt, ſunt, & erunt uſque ad finem mundi. Deus autem tales homines deteſtatur, & ſeueriſsimè punit. Non igitur ſatis eſt enumerationem illorum audire, ſed ſinguli cogitare debent, an etiam in uno aut altero illorum generum, comprehendantur: id ſi ſit, pœnitentiam agant. Si uerò ſe alienos eſſe ab illis hominum generibus ſentiant, Deo gratias agant, quòd hanc eis gratiam conceſsit, eumque precentur, ut deinceps eos conſeruet. Alios quoque pro uirili ex his generibus hominum eripere ſtudeant.

Parentibus maledicere. Primum genus eſt illorum qui parentibus ſuis maledicunt. Hoc grauiſsimum eſt peccatum. Nam ſecundæ tabulæ Decalogi primum præceptum, iubet parentes honorare, hoc eſt, amare eos, obedire & alere. Alijs maledicere graue eſt, nedum parentibus, à quibus tot & tantis beneficijs affectus es. Grauius autem eſt, ſi quis manus ſceleratas in eos inijciat, grauiſſimum ſi occidat. Leuit. 20, Quiſquis fuerit qui maledixerit patri ſuo & matri ſuæ, morte interficiatur: patri enim ſuo, & matri ſuæ maledixit, ſanguis eius ſit in eo. Quicunq; parentem pulſaſſet, etiam gentiliũ legibus capitis condemnabatur. *Parricidæ.* Parricidis apud Romanos lex Pompeia minitabatur. Solon interrogatus cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui patri uel matri mortem intuliſſet, reſpondit, ſe non putaſſe quenquam tam impium & crudelem inueniri, qui auderet eos luce priuare, propter quos hanc ſuauiſsimam lucem aſpexiſſet. Aegyptij parricidas articulatim acutis calamis cæſos, præcipiebant uiuos ſuper ſpinarum aceruos comburi. Non autem de illis tantum hic locus accipiendus eſt, qui illis à quibus procreati ſunt, maledicunt, ſed de alijs quoq;, qui præceptores ſuos, magiſtratus & alios qui parentũ loco ſunt, probris afficiunt.

Hypocritæ. Alterum genus eſt hypocritarum, qui dicũt ſe mundos eſſe, licet in ſordibus ſuis iaceant. צאה zaath uomitum ſignificat & ſtercus, à יצא iaza exiuit. Non illi tantum peccãt, qui parentes contumelia afficiunt, latrocinantur, furantur, adulterium committunt, falſum dicunt teſtimonium, ſed illi quoq; qui Deum non colunt, quemadmodum præſcripſit uerbo ſuo, qui ei non fidunt, eum nõ rectè inuocant, nec ei pro beneficijs acceptis gratias agunt. Quin peccata quæ committuntur contra primam tabulam, grauiora ſunt, quàm quę cõmittuntur contra ſecundam. Sunt autem homines qui cùm idololatriæ ſtudeant, dicunt ſe ueros Dei eſſe cultores. Sunt qui per ſuperſtitioſa opera non ſibijpſis tantum, ſed alijs quoq; quorum longas manus experiuntur, æternam quietem promittunt. Multi in maximis ſceleribus uiuentes, ſe puros eſſe dicunt: tam enim abeſt ut in ſcelerum numero habeant quæ faciunt, ut pro uirtutibus uenditent. Papa Romanus qui omnibus ſceleribus coopertus eſt, tamen audet ſe ἀναμάρτητον dicere. Multi norunt quidem ſe peccare, at negant & pernegãt ſe id feciſſe, cuius tamen ſibi probè ſunt conſcij, ſequuntur uulgi illam regulam, Si feciſti nega: nec cõtenti ſunt ſimpliciter aliquid negaſſe, ſed addunt, quicunq; hæc uel illa me feciſſe aut dixiſſe affirmat, eſt fur, eſt proditor, &c. Talis impudentia in Iuda proditore oſtenditur, Matth. 26. cap. qui ne malè ſibi cõſcius uideretur, reliquis diſcipulis interrogantibus, num ipſi Dominũ prodituri eſſent, etiam interrogat, Num ego ſum Rabbi? non ex mœrore ut reliqui, ſed ut malam ſuſpicionẽ amoliretur. At paulò antè Euãgeliſta teſtatus fuerat, quòd ſummis ſacerdotib. pacta

mercede,

mercede, suam operam iam promisisset. Etiam si legem Dei secundum externam literam seruaremus, tamen nostram interiorem impuritatem confiteri & cognoscere oportebat. Quomodo enim seriò pœnitentiam agent de admissis peccatis, si illa quę admiserunt, in peccatorum numero non habeant? Agnoscamus igitur & confiteamur peccata nostra, & credamus nobis propter Christum condonata esse. Vt autem peccata nostra cognoscamus, uita nostra ad Decalogum exigenda est. Discamus etiam non cuiuis statim credendum esse.

Tertium genus est arrogantium & superborum: hoc enim scriptura intelligit, per oculorum & palebrarum elationem. Quemadmodum ex sermone & incessu colligimus aliquem superbum esse, ita etiam ex oculis. Oculi sedes sunt superbiæ. Oculorum nutibus, aliquem superbè contemnimus. Deum autem superbos detestari, sæpe dictum est. Sunt multa genera superborum, pestilentissimi illi sunt, qui quod Deus iussit uetant, quod uetuit iubét: horum autem hodie ingens est numerus. *Superbi.*

Quartum genus continet calumniatores, & oppressores pauperum. Dentes eorum sunt instar cultrorum & gladiorum, ad perdendum pauperes de terra, & egenos de homine, hoc est, uita seu statu mortalium. Psalmo 56, Lingua eorum gladius acutus. Quemadmodum glutones non curant quid alij habeant, sed de suo stomacho placando imò onerando, tantum sunt soliciti: ita auari illi homines, tantum de augenda sua re familiari cogitant, contempto uiduarum & pupillorum eiulatu. Principes & pastores sæpe non cogitant, se ad defensionem populi sui, à Deo constitutos esse, sed eos exhauriunt. Isa. 3. cap. Vos depasti estis uineam meam, & rapina pauperis in domo uestra, &c. Tales homines, alibi diximus, Deum uehementer offendere. Agnoscamus igitur mala hæc esse, neq; propter illorum multitudinem, qui his obnoxij sunt, leuiora reddi. Oremus Deum ut nos protegat, ne in illa uel alia his cognata, uel ex his prognata, incidamus. *Calumniatores & oppressores pauperum.*

15 Sanguisugæ duæ sunt filiæ (*quæ dicunt*) affer affer. Tria ipsa non saturantur, imò quatuor (*sunt quæ*) non dicunt, diuitiæ (*id est sufficit: nempe,*)

16 Sepulchrum & sterilis uulua, & terra quæ non est satiata aquis, & ignis (*qui*) non dicit sufficit.

Ponit quædã insaturabilia. Hirudo, quę alio nomine sanguisuga appellatur, Gręcè βδέλλα, est aquatile animal, quod inhærens cuti, sanguinem exugit, nec prius decidit, quàm eo fuerit expletum. Vide Gesneri hist. animalium. Per sanguisugam quidam diabolum intelligunt, qui semper sitit sanguinem. Per duas filias eius, intelligunt auaritiam & luxuriam, quæ neq; opibus neq; delitijs exaturantur. Vna cupiditas, statim duas uel tres parit. יהב iahaf est defectiuum, legitur enim tantum in imperatiuo. Hoc loco per apocopen הב haf legitur, & geminatè, ad significandum inexplebilem auaritiam. Sepulchrum impleri non potest: consumptis enim cadaueribus, alia in idem sepulchrum conduntur. Hæc uox etiam infernum significat, qui inexplebilis est. Diabolus enim ardens odio Dei & hominis, plures subinde nititur ad se trahere. Sterilis uulua, etiam satiari nõ potest. עצר azar est cohibere, claudere, detinere. Gen. 20. עצר עצר claudendo clausit Dominus omnẽ uuluam domus Abimælech. Hinc עצר ozer, clausum, detentio uuluæ: uulgatus interpres reddit, Os *uuluæ*. Sensus est, mulier cuius Dominus clausit uuluam, non antè tranquillo est animo, quàm prolem susceperit. Quanto studio prolem appetant steriles, exemplum Rachelis ostendit, Genes. 30. capite, quæ cum infœcunda esset, marito dicebat, Da mihi liberos, alioqui moriar. Cui iratus respondit, Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu uentris tui? Anna quoq; mater Samuelis, ardentibus precibus filium postulabat à Deo, qui steriles & fœcundas certo consilio facit. Alij per os uuluæ, incontinentem & libidinosam mulierem, qualis fuit Messala, &c. *Hirudo.* *Sepulchrũ.* *Sterilis uulua.*

Terra sicca ardore solis, & sabulosa, statim aquas absorbet. Ignis quoque non satiari potest, sed quo quis plus lignorum inijcit, eò ualidioribus flammis insurgit. Hæc omnia nota sunt & naturalia, quibus meo iudicio, Deus altiora nos docere uoluit, nempe quàm insatiabilis sit praua hominum cupiditas, id quod in auaris, ambitiosis, glutonibus, ebrijs, scortatoribus, crudelibus, & alijs huius generis est notissimum, quibus singulis hæc superiora possunt accommodari. Auarus enim similis est sanguisugæ, sepulchro uel inferno, mulieri sterili uel intemperanti, terræ siccæ, igni: nam quò plus habuerit, hoc plus appetit. repete plura ex capite uigesimoseptimo uersu 20. Solon apud Plutarchum in libello περὶ φιλοπλουτείας dicit: *Terra sitículosa.* *Ignis.* *Homines sunt insatiabiles.* *Auaritia inexplebilis.*

" πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισι.

Quod carmen Erasmus sic conuertit:

" Non est fixus opum finis mortalibus ullus. Prudentius:

" Auri namq; fames, parto fit maior ab auro.

Ecclesiastes cap. 5. Auarus non implebitur pecunia. De reliquis quoq; omnibus pulcherrimæ sententiæ, & exempla possunt afferri.

Orandus autem est Deus, ut spiritum suum nobis largiatur, quò initijs malarum cupiditatum resistere possimus. Discimus etiam ex hoc loco, quomodo rebus naturalibus, ad formandos mores utendum sit: uaria enim in eis uirtutum & uitiorum simulachra proponuntur.

17 **Oculum qui subsannat patrem, & contemnit doctrinam matris, effodient corui torrentis, & deuorabunt filij aquilæ.**

Supplicium illorum qui contemnũt parentes. Ostendit quodnam supplicium paratum sit, contemptoribus parentum. Vnam speciem iniuriæ ponit subsannationem uel derisionem, cui omnes alias includit. Paulò antè, dixit de illis qui parentibus maledicunt. יקהת ijkthath, auditus, acceptatio præcepti & obedientia, à יקה iaka, auscultare, obedire. Alij deducunt à קוה kauah, congregare, colligere, & collectionem interpretantur, hoc est, rugas, uel collectionem, nimirum præceptorum. Dagges dicunt ornatus causa poni. Forsterus à uerbo קהל deriuat, & facta literarum metathesi, literam lamed, dicit punctulo dagges in kuph absorberi, & significari concionem, hoc est, cœtum hominum, & ipsam concionem, hoc est, uocem & doctrinã. Filijs immorigeris, corui effodiẽt oculos, hoc est, turpi & ignominiosa morte peribũt, agẽtur in crucem. Hor. epist. 7. pascere in cruce coruos, pro suspendi posuit. Hebræi quidem in cruce corpora non relinquebãt, sed sepeliebant: Deuteronom. duodecimo capite. Proijcientur item cadauera eorum, ut alitibus & feris laceranda relinquantur. Breuiter, carebunt honore sepulchri. Horribile autem fuit ueteribus ethnicis iacere inhumatos. Hector apud Homerum Iliad. χ. iam iam moriturus ab Achille petit, ne se canibus & alitibus dilacerandum relinquat: sed parentibus suis humandum reddat. Apud Virgilium Palinurus Æneam rogat, ut uel terram sibi inijciat, uel corpus suum secum per undas uehat. Vide quæ hac de re annotauit doctissimus uir Dionysius *Sepultura.* Lambinus ad Horatij odam 28. libro primo: & epodon oda 5. Magna quoque religio sepulturæ, fuit in populo Dei, non quòd ad mortui animam, inde aliquam utilitatem peruenire arbitrarentur, sed ut resurrectionem corporis, animis hominum inculcarent. Homines certè quantumuis mali, uellent corpora sua, ultimo illo honore, & non contumelia affici: si audiant sua cadauera abijcienda esse, more iumentorum, non possunt non horrere. Augustinus in libro suo de cura pro mortuis agenda capite 7. causam hanc assignat, quòd omnibus στοργὴ illa sit insita, ut nemo carnem suam odio habeat. Scriptura inter pœnas numerat, carere sepultura legitima. Ieremiæ 7. capite, Deus minatur suo populo, quòd sepultura cariturus sit, & uigesimosecundo capite minatur Ioachimo regi, quòd abductus ex patrio regno, moriturus in itinere & sepultura asini sepeliendus sit, hoc est, quòd abijciendum sit eius cadauer inhumatum, ut à bestijs & uolucribus laceretur. Sancti quidem homines bestijs quoque interdum obijciuntur, conculcantur in plateis, aguntur in crucem, cineres eorum abijciuntur in fluuios, sed nihil eis detrimenti affert: amissio enim externorum bonorum, in sanctis non est *Corui uallis.* argumentum irati Dei. Coruos uocat uallis uel torrentis (נחל nahal enim utrunque significat) nimirum propter cadauera, quæ deportantur in illa loca solitaria. Vel quòd (ut Theon *Corui siticulosi.* Arati interpres scribit) corui insigniter aquis oblectantur: nam cum corpus eorum admodum siccum sit, humentia expetunt, quin & solitudinem amant. Aratus dicit: καὶ κόρακες μοῦνοι μὲν ἐρημαῖοι βοόωντες διοσάκις, &c. Plinius multa genera aquilarum describit, inter quæ etiam uultur nominatur, cui proprium est cadaueribus tantum uiuere. Vnde ingenti agmine, authore Basilio, castra militum comitatur. Dominus quoq; in Euangelio Matth. 24. dicit, Vbicunq; fuerit cadauer, illic congregabuntur aquilæ. Sunt qui tradunt, omnes aquilas simpliciter cadaueribus uesci. Aristoteles, γυπαιετὸν tantum ex aquilis cadaueribus uesci scribit. Vel legi potest, *Filijs immorigeris corui effodiant oculos, & deuorent eos*, ut sit ἀρὰ imprecatio, perinde ac si dicat, abeant in malam rem, atque in exitium. Græci dicunt, ἐς κόρακας.

Filij discant ex hac sententia, parentes suos reuereri, & cauere ab offensa, quæ uel solo signo oculi fit. Per parentes autem scriptura, ut sæpe dictum est, non illos tantum intelligit, qui *Patria.* nos genuerunt, sed Ecclesiastes, magistratus, tutores, &c. Patria quoque, ut ait Cicero, communis est omnium nostrûm parens. Hanc igitur honorare debemus, hoc est, eam amare, & ornare nostris uirtutibus, pro ea orare, ut bona pace frui possit, eamq; defendere. Qui patriam contemnunt, patrias leges conculcant, seditiones mouent: qui patriam hostibus produnt, tandem præda fient coruis: quòd si ne in supplicio quidem ad Deum conuertantur, in infernales coruos incident.

18 Tria ipsa fuerunt abscondita à me, imò quatuor non noui ea.

19 Via aquilæ in cœlo, uia serpentis supra petram, uia nauis in medio maris, & uia uiri in uirgine.

Deus non una docendi ratione utitur, sed homines, qui uariè affecti sunt, uarijs modis instruit. Inter quos etiam hic est, quòd uarias indicationes & admonitiones numeris comprehendit. Suprà capite sexto, sex posuit, quæ odio habet: in hoc capite multa numeris includit, quæ animam hominis instruere multiplici cognitione, & ad uirtutem deducere possint. Non quòd plura his addi non potuerint, sed ut omnia melius comprehendi queant. Hoc enim genus doctrinæ hanc habet commoditatem, ut quæ sic traduntur, memoria facilius retineri possint. ἀριθμολογία.

Tres uias esse dicit, & per correctionem quatuor admodum mirabiles, quæ difficulter obseruari possint. פלא pala mirabile esse, difficile esse, absconditum esse, separare significat, ponitur in niphal: tria sunt à me, id est, ab intellectu meo, subauditur enim אשר, quæ.

Prima est, aquilæ uia in aere. Nomine aquilæ alias quoq; aues comprehendit, sed hanc præcipuè nominare uidetur, quòd regina est auium, & altissimè ac citissimè uolat. Nullum autem uestigium relinquit in aere, ut possis dicere, hîc uel illic fuit, aut huc uel illuc tendit. Græci dicunt, τὰ πετόμενα διώκειν, uolantia sectari, pro rem uagam & captu difficilem sequi. Aquilæ uolatus.

Secundum est uia serpentis super petram uel in petra. Serpentes tortuosis ambagibus, modò hac, modò illac serpunt, ut quando procul abesse uidentur, sint nobis proximi.

Tertio ponit nauem in corde, id est, medio maris, de qua dici non potest, quò tendat. Sæpe enim nautæ proponunt sibi nauigare in aliquem portum, sed ui tempestatis abrepti, hinc inde iactantur.

Quantum est uia uiri cum adulescentula: qui uirginem honestam ambiunt, tegunt suum consilium: sæpe uidentur ambire aliquam, & aliam ambiunt. Deinde in cogitationibus, in uerbis & factis, ualde instabiles sunt. Etiam qui inhonestè aliquam amant, tegunt sua consilia, & innumerabiles uias ac modos excogitant, quibus adamata potiantur: Qua de re multę historiæ & fabellæ recitantur. Hæc autem ideo dicuntur à Sapiente, ut parentes uirgines & filios custodiant. Difficilis quidem est custodia, nisi uerò infamia affici uelis, hac in parte non debes tuo deesse officio, sed curare ne matrimonium infelix ex affectibus cõtrahant, & quod maius est, ne turpem cõsuetudinem inuicem habeant. Huc pertinere uidentur priora illa, ut sit multiplex similitudo, quæ in προτάσει tria habeat, in ἀποδόσει aũt unũ uel potius duo. Difficilè quidẽ aquilæ, accipitris, milui, & aliarũ rapaciũ auiũ uolatus, obseruari potest: tamẽ obseruari omnino oportet, nisi gallinã & pullos uelis amittere. Serpẽtis iter obseruare etiã est difficile, tamẽ obseruare oportet, ne ueneno te inficiat. Nauis hostilis uel piraticæ cursus, uagus est & incertus, sed nisi uelis suppellectilem amittere aut trahi in seruitutem, ubi ad littus appellat, est uidendum. Sic uirginum & adulescentum amantium, difficilis quidem est custodia, sed nisi eos perire uelis custodiendi sunt. Iuniores quoq; liberi, custodiendi sunt, non dico domi perpetuò retinendos, sed non permittas eos uagari cum quibus, quando, quamdiu, quocunq; uoluerint, sed rationem ab eis exige, si domum redeant. Reprehẽsionem merentur qui de liberis non sunt soliciti etiam cum noctu absunt: nam si uel gallinam aut porcellum amittas, non desinis quærere donec inuenias. At liberi, inquis, sua sponte domum redeunt. Fateor, sed plerunq; peiores, quàm abierunt, idq; tua culpa. Virginum custodia.

Postquam quatuor enumerauit, quæ difficulter custodiri possunt, iam quintum annectit.

20 Sic est uia mulieris adulteræ, comedit & tersit os suum, & dicet, non sum operata iniquitatem.

Adulteræ uia est occulta, mirificè fallit homines, & celat suam turpitudinem. Nisi deprehendatur ἐπὶ αὐτοφόρῳ, negat se quicquam mali commisisse. Res declaratur similitudine. Quẽadmodum qui clam comederunt aliquid, statim absterso ore, negant se fecisse: sic adultera omnibus modis se excusat. Alij per esum, actum obscœnum intelligunt. Quin multæ sunt quæ etiam deprehensæ, non modo negant scelus, sed etiam ad conuitia uertuntur. Seneca in Hippolyto:

Deprehensa culpa est, anime quid segnis stupes? “
Regeramus ipsæ crimen, atq; ultro impiam “
Venerem arguamus: scelere uelandum esse scelus. “
Tutissimum est inferre, cum timeas gradum. Ibidem: “
Quid sinat inausum fœminæ præceps furor? “
Nefanda iuueni crimina insonti parat. “

» In ſcelere quærit crine lacerato fidem.
» Decus omne turbat, capitis humectat genus.
» Inſtruitur omnis fraude fœminea dolus.
Iuuenalis Satyra 6.
» Nihil eſt audacius illis
» Deprenſis, iram atq; animos à crimine ſumunt, &c.

Hoc eſt omnium hominum ingenium, ut negent quæ fecerunt. Etſi uerò facinora occultare ſtudeant, Deum tamen non fallent. Ieremiæ ſecundo capite dicit, Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Magiſtratus tamen quorum eſt coniugia defendere & adulteria punire, non ſtatim abſoluere pertinaciter negantes debent, ſed prudentiam adhibere, circumſtantias obſeruare. Si proba & adultera in iudicium ueniant, non eandem de utraque debent ſententiam ferre, ne adulteræ in ſceleribus confirmentur. Mariti quoque obſeruare & cuſtodire ſuas uxores debent, & quantum fieri poteſt, cohibere eas ab adulterijs. Si adulterio ſpirituali accommodemus hanc ſententiam, certum eſt, idololatras, ſtrenuè negare ſe idololatras eſſe, &c.

21 **Propter tria commouet ſe terra, imò propter quatuor non poteſt ſuſtinere.**
22 **Propter ſeruum cum regnauerit, & ſtultũ cũ ſaturatus fuerit pane.**
23 **Propter exoſam cum maritata fuerit, & ancillam cum hæres fuerit dominæ ſuæ.**

Quatuor enumerat, duo in uiris, & duo in mulieribus, propter quę terra mouetur, hoc eſt, homines qui degunt in terra, per metonymiam. רגז ragas, ſignificat tremere, moueri, uel loco, uel metu, uel dolore animi, uel ira: opponitur quieti corporis & animi. Senſus eſt, homines tremunt & ſtomachantur propter tales.

Seruus imperitans. Primum eſt ſeruus imperio potius. Homines abiectæ ſortis, ſi euehuntur ad res amplas, inſolentiores ſunt, quàm ex nobili familia prognati, nulla ferè moderatione uti ſolent. Hinc Ierem. in threnis capite 5. inter alia queritur: Serui nobis dominati ſunt. Non cogitant quales fuerint aliquando, & adhuc fieri poſsint, ſed crudeliſsimè dominantur, & hac ratione uolunt terrorem ſubditis incutere. Res in Saule & Ieroboamo regibus, eſt manifeſta. Inuenies tamen ſeruos, qui libero ſunt animo, & ſe rectè gerant. Recurre ad capitis 19. uerſum 10. Serui quoq; peccatorum, hoc eſt, idololatriæ, auari, ambitioſi, ebrij, adulteri, & alijs flagitijs obnoxij, duri ſunt & intolerabiles. Quàm tyrannicè dominetur ſeruus ſeruorum, uerbis explicari non poteſt. Tales autem Deus hominibus præficit, ſi ingrati ſint, & uerbo eius ac magiſterio ſubeſſe nolint. Iob. 34. dicitur, hypocritas regnare propter peccata populi. Hoc eſt, homines qui ſimulant ſe amare religionem, & rempublicam, & nihil non facere quod ad conſeruationem eius pertineat, cum tamen nihil faciant. Quemadmodum illi qui unà cum alijs magnam aliquam molem ſimulant ſe trahere, cum funem uix extrema manu attingant. Orandus itaq; eſt Deus, ut nos à talibus peſtibus liberet & defendat.

Stultus ſatur. Secundo loco, ponit ſtultum qui ſaturatus eſt pane. Per panem ſæpe dictum eſt, omnia ad uitæ conſeruationem neceſſaria intelligi. Homo impius & prophanus, qui pane & uino abundat, alijsq; rebus affluit, eſt intolerabilis. Multa indigna committit, placet ſibi & ferocit, propter opes & potentiam alios contemnit, Deo quoq; inſultat. Hoc enim eſt impiorum ingenium, ut res, quibus pij rectè utuntur, in maximos abuſus conuertant. Vide hac de re plura cap. 1. uerſu 32. Noti ſunt uerſus Ouidij:

» Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis.
» Nec facile eſt æqua commoda mente pati.
Seneca in Oedipo:
» Res ſecundæ non habent unquam modum.
Idem in Troade:
» O' tumide rerum dum ſecundarum ſtatus
» Extollit animos. Idem in Agamemn.
» Proſpera animos efferunt. Sillius Italicus:
» Heu cæcæ mentes, tumefactaq; corda ſecundis, &c.

Solon apud Laertium, τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου, id eſt, ſatietatem naſci ex opulentia, ex ſatietate ferociam. Pindarus dicit: nihil eſſe difficilius concoctu, quàm felicitatem. Cicero in Lælio, Non ipſa ſolum fortuna cæca eſt, ſed etiã plerunq; efficit cæcos, quos cõplexa eſt. Itaq; illi efferuntur ferè faſtidio & contumacia, nec quicquã inſipiẽte for-

te fortunato intolerabilius fieri poteſt. Bruta quoque animalia, copioſiore pabulo inſolentiora & ferociora redduntur. Vnde extat Sophoclis dictum in arrogantem quendam & ferocem, Tu, inquit, ferues quaſi pullus pabuli copia. Deus itaque nobis aliquando res illas externas aufert, ut cognoſcamus eſſe dona eius.

Tertio loco, ponitur mulier exoſa, ſi fuerit maritata. Simpliciter intelligo de uxore quæ ita ſe gerit, ut odio ſit marito & familiæ. D. Pet. in 1. epiſt. cap. 3. ab uxoribus requirit, ut ſint tranquillo ſpiritu, id eſt, tractabiles & faciles. Nam cum moroſæ ſunt & rixoſæ, intolerabiles ſunt, uiros domo eijciunt, famulos item & ancillas. De hac re multas habuimus ſententias. Quidam intelligunt de bigamia, ſi quis exoſam habuerit & dilectam, & exoſam diligere incipiat & complecti, fit intolerabilis, præcipuè corriuali ſuæ, cui ſe prælatam uidet. De talibus Deut. 21. præceptum extat. *Mulier exoſa.*

Quarto loco, ponitur ancilla quæ hæres facta eſt dominæ ſuæ, quam dicit terram ſuſtinere non poſſe. Inuenias ancillas quæ modeſtæ ſint, & primæ ſuæ conditionis non immemores, plerunque tamen (quemadmodum antè de ſeruis dictum eſt) cæteris inſolentiores, minusque tolerabiles ſunt, quàm quæ felices naſcuntur. Hinc in Græcis Epigrammatis hæc ſententia legitur: *Ancilla hæres dominæ.*

Μήποτε δουλεύσασα γυνὴ δέσποινα γένοιτο. id eſt,

Non dominetur ſi quæ ancilla fuit. Mox enim detrahunt prioribus uxoribus, ſeſe inſolenter iactitant, ueſtitu ſumptuoſo, & alijs rebus etiam matronas primæ nobilitatis ſuperant. Agar ancilla Saræ, uidens ſe concepiſſe, dominam ſuam ſuperbè contempſit, Geneſeos 16. capite. Faſtum autem illum & arrogantiam hominum ſeruilis conditionis, homines æqua mente ferre non poſſunt.

24 Quatuor ipſa (*id eſt ſunt*) parua terræ, & tamen ſunt ſapientiora ſapientibus, &c.

Summa ſacræ doctrinæ eſt, ut Deum & noſipſos cognoſcamus. Non autem ex ſcripturis ſanctis duntaxat, Deum (quantum nobis utile eſt) & nos ipſos cognoſcimus, ſed etiam ex operibus ipſius creatis & uiſibilibus. Nec tantum ex magnarum creaturarum, ſed etiam ex contemptiſsimarum inſpectione. Quin in paruis corpuſculis, plura aliquãdo habemus quæ miremur, quàm in maximis. Deus in paruis nonnullis & inutilibus, noſtro iudicio, animalculis, maiore niſu, quantum præſtare poſsit, oſtentare uidetur. Elucet ex eis potentia, ſapientia & bonitas Dei, noſtra quoque miſeria & imbecillitas. Multa enim animalia, bonas, & ſecundum naturam laudabiles actiones (quæ in homine à ratione conſilioq; profectæ, uirtutes nominantur) ipſo naturæ inſtinctu, multò perfectiores pleriſq; hominibus edunt. Certè in formicis, apibus, araneis, pediculis, plura habemus quæ diſcamus, quàm in omnibus Papiſtarum ſimulachris. Magi Pharaonis magna quædam opera Moſis imitabantur, ſed parua illa animalcula producere non poterant. Agur, aut quiſquis fuit, qui has ſententias collegit, quatuor hoc loco parua animalcula enumerat, quæ naturali ſua ſapientia, etiam illos excellunt, qui diu operam dederunt ſapientiæ. מחכמים mechuchamim, particip. præt. in piel ad uerbum ſignificat, ſapientificata, ſapientiam edocta, ſapientia effecta. Quidam ſic intelligunt, & ſunt ſapientia, effecta ſapientia, id eſt, ſunt creata ſapientia, non didicerunt, ſed inditam habẽt ſapientiam, hoc eſt, naturalem induſtriam. Horum exemplo nos uult prudentiam docere. Proinde non pudeat etiam à contemptiſsimis hominibus etiam aliquid diſcere quod nobis proſit. *Ex paruis animalculis Deus cognoſcitur.*

25 Formicæ populus non fortis, attamen præparant in æſtate cibum ſuum.

Mira ſcribunt de induſtria & ſedulitate formicarum, quæ ex capite ſexto repetenda ſunt. Æſchylus formicas ἀνσύρους uocat, quia aſsiduè laborent, & grauia onera ore trahant. Formicæ ſunt θυμόσοφοι, hoc eſt, naturali quodam ingenio & prudentia præditæ. Docent nos laborare æſtate, hoc eſt, dum anni ſinunt, & occaſio nobis offertur, ne poſtea alijs ſimus oneri. Solomon capite ſexto, pigrum ad eas, tanquam in ludum diſcendi cauſa miſit. Origenes quóque arbitratur Deum induſtriam hanc & prouidentiam formicis dediſſe, ut alijs ratione præditis, perſpicuum eſſet exemplar, ut earum opera contemplantes, ad res gerendas, ipſi quoque aggrederentur, uſui neceſſaria compararent, & parta diſcerent aſſeruare. Inepti ſunt qui ſua temere prodigunt, ne Deo parum fidere dicantur: & in magna copia annonæ, ad futuram neceſsitatem nihil reponunt. Nolo interim cuiuſquam auaritiam defendere, aut docere, quòd magni opum cumuli ſint coaceruandi. Quia uerò anima præſtantior eſt corpore, maior animæ ratio habenda eſt, illa etiam ſuum uictum habet. Chriſtus dicit, Ioannis ſexto *Formicæ.*

cap. Operemini cibum qui non perit, sed permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Hic cibus est ipse Christus, qui uera fide manducatur. In tempore autem hic cibus procurandus est, ne idem nobis accidat, quod fatuis illis uirginibus Matth. 25. accidisse legimus. Christus quoq; docet nos, qualis thesaurus colligendus sit, Matth. 6. cap.

26 **Cuniculi populus non fortis, attamen ponunt in petra domicilium suum.**

Cuniculi. Cuniculi populus non fortis, per appositionem dicuntur. שפן schaphan, uariè redditur, alij cuniculum, alij lepusculum reddunt: (sunt autem cuniculi quoq; genus leporum) alij echinum & cherogryllum. Gesnerus clarissimus urbis nostræ medicus, in sua historia animalium, ostendit cuniculum esse. Cuniculi sentiunt se inermes & infirmos esse: ideoq; in præruptis montibus & preciosis locis, subterraneos meatus quærunt, quo possint se contra hostes suos defendere. Psalmo 104. dicitur petras latibulum esse schephanim, id est, cuniculorum. Martialis:

„ Gaudet in effossis habitare cuniculus antris.

Vera securitas. Docent nos suo exemplo ueram securitatem quærere, quæ in solo Deo est. Nostræ sapientiæ, fortitudini & iusticiæ fidere non possumus, nec aliorum hominum: quotidie enim experimur quanta hominum, de quibus bene sperabamus, inconstantia sit & perfidia. Ædificia quæuis munita, possunt expugnari, mors saltem nullo repagulo potest arceri. In Deo itaq; *Deus est petra fideliũ.* spes collocanda est, qui neminem fallit. Psal. 27, Clamo ad te Domine, qui petra, arx & præsidium meum es. Psalmo 31, Quia petra mea & munitio mea, quippe ueluti arx in rupe sita & turribus munita. Psalmo 62. & 71. petram fortem & munitionem suam appellat. Christus quoque assertor noster, petræ & lapidi passim in scripturis comparatur. Daniel per saxum illud ingens, quod sine manibus auulsum in statuam procubuit, eamq; prostrauit & contriuit, ac postea ita creuit, ut totam sua magnitudine terram occuparit, Christum intellexit. Apud Esaiam legitur: Ecce ego mitto in fundamento lapidem preciosum. Quem locum Christus ipse repetijt. Et Petrus in 1. epistola capite 2. addens futurum ut qui crediderit in eum, minimè sit spe sua frustrandus. Qui in Christum spem suam collocat, domum ædificat, quam nullæ procellæ poterunt euertere.

27 **Rex non est locustæ, attamen egreditur uniuersa ipsa cum turma.**

Locustæ. Locustæ tametsi non habeant regem & ducem, cuius imperio pareant, tamen turmatim uolant. Hebræis locusta dicitur ארבה arbah, quòd multiplicetur magno numero, à uerbo רבה rafah. Vna locusta contemnitur, & nullo negocio potest etiam à puello conteri: at si multæ iungantur, magno sunt horrori mortalibus, tegunt agros & prata, multa tactu adurunt, omnia morsu erodunt, nullisq; uiribus possunt submoueri. Nemo reperitur qui uel in animum inducat, eas depellere. Deus Deut. 28. locustas se minatur missurum eis. Per Ioelem quoq; prophetam Israelitis locustas intentatum legimus, qui magnam calamitatem eis illaturæ sint. Quod iuxta literam uel de animalculo intelligere possumus: (sæpe enim Deus contemptis his bestiolis, nostram superbiam contundit.) uel per allegoriam de hostibus, qui segetes & arbores perdant, longè lateq; omnia populentur ac uastent. Sæpe legitur in historijs, locustas agminatim innumerabili multitudine segetes inuasisse, & herbas absumpsisse. *Concordia.* Exodi 10. cap. Ægyptum afflixerunt. Plinius scribit lib. undecimo, cap. uigesimonono, in Cyreniaca regione legem esse ter anno debellandi eas, primò oua deterendo, deinde fœtum, postremò adultas: desertoris pœna in eum qui cessarit. Et in Lemno insula, certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarũ ad magistratus referant. In Syria quoq; necari militari imperio coguntur. Ioannes in Apocalypsi sua monachorũ agmina locustis comparauit. Inuitant nos suo exemplo ad sanctam concordiam, sine qua Ecclesiæ, Respub. & familiæ, nequeunt consistere. Illi ducem non habent quem sequantur, qui quid facere debeant præscribat: nos tot uinculis sumus astricti, tot præcepta habemus, quæ nos ad ueram concordiam hortantur. Concordia ex paruis Respub. magnas reddidit. Sæpe paucis militibus contra innumerabiles hostes uictores effecit. Plautus dicit: Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ. Homerus Iliad. ν.

„ Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ
„ Μάλα λυγρῶν. Erasmus reddit:
„ Coniuncti pollent etiam uehementer inertes.

Hecuba apud Euripidem Agamemnoni de turba mulierum dicit:

„ Δεινὸν τὸ πλῆθος. ξὺν δόλῳ τε δύσμαχον. Ouidius ait:

Et

Et quæ non possunt singula, multa iuuant:
Et quæ non lædunt singula, multa nocent.

Vulgò dicitur, Auxilia humilia firma consensus facit. Plutarchus in moralibus hac usus est similitudine: Vt singula hastilia facilè franguntur, coniuncta non item: ita dissidentes facilè superantur, concordes haud facilè. Notum est quid Scyllurus fecerit. Docent etiam locustæ, non contemnendam amicitiam aut simultatem multorum, licet imbelles sint, & quorum singulos quiuis facilè contemnat: prouerbio dicitur, & formicæ suam iram esse, &c. חוצץ chozez, est participium ex coniugatione Cal, aut nomen Toar, inquit R. Dauid, significat adunata. Sunt qui exponunt collecta, uel dimidians, id est, in frusta concidens & conterens herbas atq; frondes. Forsterus reddit aculeata. Ab hoc uerbo deducitur חץ chez, quod sagittam significat, eò quòd penetrando rem in duas partes diuidat.

28 Aranea manibus apprehendit, & est in palatijs regum.

Per שממית semamith, scribit Santes, multi Hebræi araneum intelligunt, alij simiam, alij lumbricum, alij tarantulam, alij hirundinem, puto legendum, hirudinem. Vulgatus interpres stellionem (sed hunc quoque inter araneorum genera, ponit Plinius) Septuaginta καλαβώτην, id est, piscis genus, & lacertum. *Manus capiet uel apprehendet*, pro apprehendit: familiaris autem est Solomoni temporum illa heterosis. Araneæ non tantum sunt in syluis & casis humilibus: sed etiam in palatijs regum, & manibus apprehendunt, hoc est, pedibus qui eis loco manuum sunt, telam suam inter lacunaria expandunt, tam mirabili artificio, ut hominum oculos non rarò in se conuertant. Dicunt eius exemplo nos ad laborem quoq; extimulari. Si simiam intelligamus, magis uidetur congruere: accedit enim aliquo modo ad figuram humanam, & manus habere uidetur, quib. aliquid apprehendit. Diuites mercatores, principes & reges, simias habēt in delitijs, propterea quòd omnes ferè hominis actiones imitentur. Ælianus scribit, quòd simia omne quod corpore agitur, si doceatur, præclarè discat, si saltare doceatur, saltationem assequitur, si ad tibiam canere, canit. Scribit se uidisse simiā aurigæ munus obire, ita ut habenas nunc adduceret, nunc remitteret, & flagello uteretur. *Aranea.* *Simia.*

Discamus exemplo simiæ, ita nos gerere, ut ex hoc carcere corporis liberati, in æterni regis palatium admittamur. Simiæ etiam docilitatis sunt exemplum. Hæc uerò animalcula omnia, docent neminem contemnendum esse, licet enim parua sint, tamen efficiunt, quæ magnis uiribus effici non facilè possunt: ita homines aliquando paruæ staturæ, ingenio plurimum ualent, &c.

29 Tria sunt boni incessus, imò quatuor, bonum facientes incessum.
30 Leo potens inter animalia, nec conuertitur à facie omnium.
31 Præcinctus lumbis, & hircus & rex, in quem nemo insurgit.

Tertius quaternarius hoc loco ponitur, quo quidam Hebræorū quatuor Monarchias uolunt significari. Per leonem Monarchiā Assyriorum & Babyloniorum, quēadmodum etiam in Daniele: & Ierem. 4. cap. de Nabucho. rege Babylo. dicitur: Leo ascendit de cubili suo, egressus de loco suo ut ponat terram in solitudinem. Per canem leporarium, monarchiam Medorū, & Persarum. Cyrus enim & Darius ex improuiso magna celeritate Babylone capta, regem Baltha. occiderunt. Per arietem uel hircum regnum Macedonicum Græcum siue Alexand. Dan. 8. cap. Alexand. etiam hirco, propter alacritatem comparatur. Per regem cui nemo resistere potest, uolunt Roman. Monarchiam repræsentari, cuius uiribus & potentiæ nemo resistere potuit. Ita illi interpretantur: quicquid sit, certum est in Daniele Monarchias etiam per bestias adumbrari, & conducit ordinem Monarchiarū tenere. Posset dici per hæc quatuor significari constantiam diuinæ prouidentiæ & gubernationis. Quemadmodum hæc tria animalia bene incedunt: ita nemo decreta Dei potest impedire. Quando uidetur non curare res mortalium, maximè curat. De quo suprà diximus. *Quatuor Monarchiæ.* *Cōstātia decretorum Dei.*

Doceri etiā puto incessu horū animaliū, fortitudinem & constantiam. Leo fortis est. Isa. 5. & 31. ca. Leo rugit & catuli leonis super prædam: etsi multitudo pastorū occurrat, ab eorum uoce non formidabit. Canis uenaticus sequitur feras, nec impeditur ullis clamoribus. *Constantia piorum.* *Canis leporarius.*

זרזיר Sarsiir est canis uenaticus, q dicitur leporarius, sic dictus q, in lūbis sit tenuis, ac si lūbos haberet accinctos, à זרז seran, q, est accingere. Ab Ouid. Metamorph. li. 3. canis à uelocitate & impetu Lelaps dicitur. Alij dicūt esse נמר namer. i. pardum, qui & tenuis & fortis est in lumbis. Quidam inter Heb. dicit, esse nomē animantis ambulantis inter gallinas: hinc fortè trāslatio uulgata habet gallum. Sunt qui sturnum interpretātur: sed textus non loquitur de auib. Hæc aūt uarietas inde existit, quòd propriorum nominum noticia apud Hebr. maxima ex parte interijt. Hircus uel aries præcedit suum gregem, animosus est, pugnax & robustus.

Ff

Rex uictoriosus, cui resistere nemo potest, multa subinde expugnat oppida, et hosti terrorem incutit, ut se non expectata obsidione dedant. אלקום alkum, est dictio composita ex אל al non, & קום kum, surgere, stare, resistere: ita qui ueram fidem receperunt, constantes sint, pergant impauidi, nec sinant se uel minis uel promissis, uel supplicijs ab instituta uia salutis reuocari. Christianis ualde necessaria est hæc uirtus constantiæ.

32 **Si stultè egisti in efferẽdo te, & si malũ cogitasti, manũ ad os** (*pone.*)

Redit ad communem docendi rationem, & duo præcepta subiungit. Primum est, ut illi, qui in sublimiorem gradum euecti sunt, si quid stultè egerint, pœnitẽtiam agant. Ingenium hoc est hominum, ut quando honores & dignitates assequuntur, mox probant quod in animo latebat, tunc enim liberius agunt. Magistratus, dicitur prouerbio, uirum arguit. Multi non cogitant, in quem finem à Deo constituti sint, & quòd è sublimi gradu ab ipso possint deturbari, sed sibi placere incipiunt, dicunt se esse legem & ius, ac multa insolenter faciunt. Nota est fabula de Abbate illo, claues quærente. Quid Saulus fecerit, copiose narratur in sacra historia. Si igitur stultè fecisti, & potestate tua abusus es, consulit sapiens, ut manum ad os ponas, hoc est, cogites diligenter quid feceris. Solent enim qui de re aliqua diligenter cogitant, manum ori admouere, & aliquando digitos uel ungues mordere. Vel compesce digito labia tua, hoc est, ne uelis quæ malè fecisti tueri, quemadmodum pueri petulantes, uirgis cæsi à parentibus, solent. Si cogitasti uel proposuisti tibi malũ, manũ ad os, subaudi שים schim pone, id est, sile & caue, ne erumpat in uerba uel facta. Hoc enim gestu silentium indicatur. Apud Iobum principes cessabant loqui, & ori suo digitum imponebant. Harpocratis simulachrum apud Aegyptios, digito admoto ori, silentium indicebat. Apud Romanos Deæ Angeronæ effigies, etiam obsignato obligatoque ore uisebatur. Latinis quoque manum ad os ponere, significat aliquid dici, quod is qui dicat ab alijs exaudiri nolit. Cæl. ad Cicer. libro 8. At Domitius cũ manus ad os apppos uit, &c. נבל nafal significat cadere, decidere, item stultè & impiè agere. Hinc nõ est una huius loci interpretatio. Si stultè egisti, uel cecidisti in eleuando te, cum eleuaris, hoc est, quando euectus es ad honores & dignitates, uel si stultè egisti aut cecidisti, efferendo teipsum & iactando, hoc est, si peccasti ex superbia, aut cecidisti efferendo te, id est, pœnas dedisti superbiæ tuæ.

Manum super os ponere.

33 **Quemadmodum expressor lactis educit butyrum, & uehemens emunctor naris educit sanguinem, sic expressor furorum educit litem.**

Alterum præceptum est de conseruanda pace: qui iracundiam alicuius exasperant, lites & bella mouent. Irati enim instar ferarum, in alios impetum faciunt. Rem duplici similitudine declarat. Qui lac subinde in uase premit, butyrum educit: qui nares nimium emungit, elicit sanguinem: Sic qui alios instigant ad iram, multarum rixarum & turbarum sunt authores. Nos dicimus, uehementi impulsu ostium non claudi. Nec abhorret Mimus ille Publianus, qui dicit: Furor fit læsa sæpius patientia. Et alter qui Senecæ nomine commendatur: Bonus animus læsus, grauiter multò irascitur. Quidam natura sunt ualde contentiosi, ne igitur oleum camino addas. Quidam uerò placido sunt ingenio, nec statim ad iram mouentur, cauendum igitur ne nostra improbitate eos ad iram prouocemus. Cedendum potius est iratis, & cedendo frangendus est eorum impetus. Iuniores cedant senioribus, liberi parentibus, subditi magistratibus, ne res in rixas & uulnera exeat. Sæpe enim magna iurgia ex leuiculis causis oriuntur, quæ ab initio facilè sedari potuissent. Meritò illos homines horremus, qui gaudent irritando iram, excitare contentionem. מיץ mitz quod ter hoc uersu ponitur, significat emulsorem, expressorem, emunctorem, à uerbo מיץ mitz uel מוץ moz, hinc quidam totum hunc uersum per uerbum reddunt. כי ki particula nõ debet exponi hoc loco, quia, sed quemadmodum.

Irati non prouocãdi.

CAPVT XXXI.

1 **Verba Lemuel regis, & prophetia qua erudiuit eum mater sua.**

Partes capitis.

Titulus.



HOC ultimum caput, duas habet partes, quarum prima continet institutionem Lamuelis regis: altera encomium honestæ uxoris: nisi dicere uelimus, matrem Lamuelis hoc quoq; piæ matronæ encomiũ recitasse, tunc enim secundum uaria documenta, de quibus postea, in sex partes poterit distribui. Præponitur noua Ἐπιγραφή, quòd quæ sequuntur, uerba sunt Lemuelis, quibus eum instituit mater eius.

Lemuel. Quis ille Lemuel fuerit non exprimitur, sed consentiũt omnes interpretes, Salomonem

ſic appellatum eſſe: non enim nouum eſt in ſcripturis, ut unus multa nomina habeat. Lamuel ſonat, Deus cum eo, uel cum illis. Nam primis temporibus cum templum ædificaret Deo, eiusq; cultum promoueret, cum ipſo & Iſraele Deus fuit. Poſtquã autem à Deo receſsit, ipſe quoq; eum deſeruit. Suprà cap. 4. legitur quibus uerbis adhuc tenellus, à patre ſuo inſtitutus ſit. Sed ſiue Salomon, ſiue alius fuerit, parum intereſt.

Prophetia.

Mater eius eum inſtituit de rebus uarijs. Prophetia enim accipitur ut in ſuperiore capite, pro doctrina.

Capita prophetiæ uel doctrinæ huius.

Hæc autem doctrina, non tantum ad reges & magiſtratus: ſed ad alios quoque homines pertinet. Primùm monet eum, ut caueat ſibi à turpi amore. Deinde, ne bella non neceſſaria, contra reges moueat. Tertiò, ut caueat ſibi ab ebrietate. Quartò, ut afflictos conſoletur. Quintò, ut ſeruet iudicium & iuſticiam. Exemplum egregium habent matres hoc loco quod imitentur, nempe, ut liberos ſuos erudiant, & quaſi cum lacte, eis ueram pietatem inſtillent. Primùm elementa religionis eis crebro inculcent, poſtea plenius eos inſtituant. Matres bonam hac in re nauare operam poſſunt, quotidie enim inter liberos agunt. Videmus obiter, permultum referre, qualem quis uxorem ducat. Patres quoque ſuum officium non negligant. Repete 4. caput. Deducant eos in conciones, exigant ab eis rationem eorum quæ docentur. Extat de hac re Dei præceptum, Exodi 12. Deut. 6. capite. Pſalmo 77. Ad hanc rem requiritur ab ipſis parentibus, diligentia in concionibus audiendis, & cognoſcenda doctrina Chriſtiana. Laudandum eſt, ſi parentes doceant liberos legere, & literas pingere, ſi doceant eos artem aliquam, ciuilitatem morum, &c. ſed hoc maximè laudandum, ſi pietatem eis inculcent. Opes hæ ueræ ſunt, quæ relinquuntur liberis. Reprehenſionem grauiſsimam illi merentur, qui pueris ſuperſtitionem inſtillant, eos in monaſteria detrudunt, & ad uaria flagitia impellunt. Pulchra de officio parentum leguntur apud Plutarch. in libello de educandis liberis. Diſcunt liberi quoq;, admonitiones parentum animo imprimere: hic enim rex narrat doctrinam matris ſuæ. Habent reges & principes hîc ſpeculum, in quo ſe contemplentur. Scripſerunt multi de inſtitutione principis: ſed ſancta hæc regina, multa & maximè neceſſaria, paucis complexa eſt: quæ ſi reges & principes mentibus imprimerent, multò feliciores eſſent, quàm ſint.

Matrum officium erga liberos.

Institutio boni principis.

2 Quid fili mi? quid fili uteri mei? quid fili uotorum meorum?

Exordiolo beneuolentiam & attentionem captat.

Exordiolo utitur, *Quid fili mi?* בר bar, filium præ alijs dilectum, & clarum ſignificat, à ברר barar, quod ſignificat eligere, polire, mundare. Alij deducunt à ברה barah, quod etiam ſignificat eligere, ſecernere. Vulgata translatio habet, *quid dilecte mi?* Alij codices legũt, electe, quod cum Hebræo magis congruit. *Fili uteri mei?* hoc eſt, quem in utero geſtaui, magna moleſtia, quemq; magnis cruciatibus in lucem edidi. Euripides in Iphigenia:

δεινὸν τὸ τίκτειν, καὶ φέρει φίλτρον μέγα, ""

πᾶσίν τε κοινόν, ὥσθ' ὑπερκάμνειν τέκνων. ""

Quid fili uotorum meorum? hoc eſt, pro quo uoui antequam naſcereris, me hoc uel illud Deo oblaturum, ſi filium accepiſſem. Moris enim erat in ueteri Teſtamento, uota nuncupare pro impetratione alicuius beneficij. Vel pro cuius ſalute uota feci, ut piè & ſanctè uiueret. Vel etiam uotorum meorum, id eſt, ſecundum uota mea. Ecliptica eſt oratio: ſolemus enim quando ardenter loquimur, ſæpe imperfectas ſententias relinquere. Subintelligendum eſt, *quid fili mi,* ſcilicet tibi dicam? quid à te petam? Teſtatur hac *ἀναφορᾷ* magnitudinem ſui amoris erga filium, quæ eam non retraxit, quo minus eum doceret, ſed potius ad hoc incitauit. Hodie multę ſtolidę matres, nolunt pueros ſuos docere & caſtigare, quia tenerè eos diligũt: Hæc uel illa diſcere nondum poteſt, inquiunt, at res fœdas, carmina obſcœna, blaſphemias poteſt memoriter diſcere. Peruerſa eſt hæc liberorum dilectio, ſi eos nihil uelis docere, &c. Deinde æquum eſſe oſtendit, ut maternis monitis obtemperet, quoniam eius cauſa tot labores pertulerit. Si educaſſet ſaltem, & non peperiſſet eum, obedientiam præſtare in rebus licitis debebat. Certè quamdiu Solomon ſecutus eſt conſilium hoc matris, felix fuit & fortunatus, cum primum neglexit, in ſummam miſeriam incidit. Sequuntur iam deinceps, pręcepta quæ ei inſtillauit.

3 Ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, & uias tuas ad delendum reges.

Polygamia.

Primum eſt, ne det mulieribus robur ſuum. חיל chail ſignificat opes, robur, ingenium, & quicquid egregium eſt in homine. Admonet eum ut à polygamia, ſcortatione & adulterio ſibi caueat. Etſi enim polygamia, certas ob cauſas ueteribus conceſſa eſſet, tamen non licebat regibus plures uxores ducere, Deut. 17. cap. Reges polygamos multa gynæcea

habere oportuit, quod non sine maximis sumptibus fieri potuit, quibus subditi grauabantur. Deinde si Solomon placere uoluit uxoribus, debilitabantur eius uires. Adhæc alijs cogitationibus distractus, non potuit subditis suis operam nauare, & libero animo audire eorum causas, & iudicijs præesse.

Scortatio. Scortatio opes absumit, uires corporis debilitat, ingenium perdit et animam quoque, nisi pœnitentiam agas. Vxor honesta conceditur à Deo. Concubitus cum propria uxore, non habetur peccati loco à Deo: ducas itaq; uxorem, illa sis contentus, ne adulterium committas.

Adulteriũ. Adulterio opes perduntur, uires attenuantur, & sapientia perit. Adulterium prudentissimos, stultos efficit. Quemadmodum idololatræ sibi in suis erroribus placent, & idolis similes, oculos habent & non uident, aures habent & non audiunt: sic illi non uident, nec sentiunt in quibus sordibus uersentur. Scortatio tamen & adulterium hodie apud multos principes lusus sunt & iocus.

Rex quid. Secundo loco dicit, *Ne des uias tuas*, hoc est, studia, *ad delendum reges*. Per reges inferiores quoque magistratus intelligere possumus. R. Ionah exponit, ad delendum consiliarios. מלך malach significat regnare & imperare. Significat etiam idem quod יעץ iaaz, id est consulere, uel consilium inire. Nehem. 5. capite. Inde מלכא milcha consilium, Daniel. 4. cap. Homerus *Non deponẽdi statim consiliarij.* quoq; & Hesiodus, præfectos singularũ urbiũ reges uocãt. Sensus igitur est, ne sinat se adduci, ut principes & consiliarios suos, statim deponat aut perdat. Regnat enim calumnia in aulis principum, & sæpe boni uiri deponuntur ab officijs, & occiduntur. Hortatur etiam eum, *Aliena regna nõ perturbanda.* ne in alienis regnis proditiones & seditiones procuret, ne'ue libidine quadam imperandi, bella alijs regibus non necessaria inferat., eosque regnis suis pellat. Reges enim hoc morbo plerumq; laborant, ut suis regnis non cõtenti, aliorum regna inuadant, cum potius spartam quam nacti sunt, ornare deberent. Quia uerò regi præcipitur, ne alios perdere conetur, multò magis subditi cauere debent, ne contra reges & magistratus suos insurgant, & seditiones *Seditio.* concitent. In materia seditionis hæc præcipuè consideranda sunt, Quid sit, ex quibus causis oriatur, quanta incommoda & pericula habeat, & quomodo comprimenda ac prorsus tollenda sit, &c. Sunt qui hanc sententiam aliter accipiant. Munsterus reddit, *Ne tradas mulieribus robur tuum, atque uias tuas* (*quæ etiam solent*) *abolere reges*: hoc est, cum mulieribus ne ambules, aut uerseris, id enim efficit, ut perdantur etiam reges & consilia eorum. Alij per uiam, mores & studia intelligunt, ut sit sensus, & uias tuas scilicet, ne dederis ad delendum uias regũ, hoc est, ne induas mores indignos regibus. Quod grammaticã attinet, למחות lamechoth ad delendum uel perdendum, à מחה machah quod significat delere, perdere, abstergere. Si est ex Cal, inquit R. Dauid, pathah sub lamed est loco Chiric. Si uerò ex hiphil, ponitur pro להמחות lehamchoth, abiecta nimirum litera formatiua he, euphoniæ causa. In מלכין malchin uerò Nun positum est uice Mem.

4 Non est regum ô Lemuel, non est regum bibere uinum, & principum non est (*uel ubi est*) sicera.

5 Ne fortè unusquisq; eorum bibat, & obliuiscatur statuti, & mutet iudicium omnium filiorum oppresionis.

Tertio loco, hortatur filium, ut caueat sibi ab ebrietate, non enim conuenire regibus & principibus, ut uinum & siceram bibant. Vtitur nomine Lamuel, ut sciamus hunc sermonem conuerti ad eum cum quo est Deus: Quasi diceret, ô tu qui colis Deum. Aliter hæc di-*Sicera.* ctio scribitur, quàm suprà. Scheckar Hebræis quamlibet potionem significat, qua quis inebriari potest. רזנים rosnim uertunt principes. Videntur primi fuisse à rege, quales sunt in regum aulis consiliarij, legislatores, iurisperiti. Ferè enim semper in scripturis regibus coniungũtur. Forsterus putat dictos à רזה rasah quod est attenuare, macilentum reddere, quod gracilem & subtilem habeant intellectum, in iudicandis causis & negocijs, inq; decidendis controuersijs forensibus. Latini etiam pingue ingeniũ uocant obtusum & indocile. *Et principibus* או af defectiuum, pro אין ein uel ain *non, nequaquam*, scilicet des *schechar*. Vaf positum pro iod. Sed Santes legit אי ubi & secundum hanc significationem subintelligitur אל al, id est, ne, quod præcessit, ut sit sensus, & ne principibus des uinum, qui dicunt ubi est sicera ad bibendum, uel pincipum non est ubi sicera, scilicet, inquirere uel dicere. Alij dicunt או af positum pro יאות ieioth, congruit, conuenit. Forsterus או ef interpretatur concupiscen-*Vsus uini bonus.* tiam, *neque principibus concupiscentia siceræ*. His uerbis spiritus sanctus non prorsus interdicit magistratibus usu uini & siceræ: sunt enim dona Dei, condita & data hominibus, ad potum necessarium, ad medicinam & ad lætitiam. Legimus patriarchas quoq;, uino ad satietatem usos esse. Christus seruator noster Ioan. 2. cap. cum defecisset uinum in nuptijs, miraculosè aquam

aquam in uinum conuertit,nec dixit,contenti estote uino quod bibistis. Incidunt tamen tempora,quibus pijs non licet hilaritati indulgere. Non igitur uini usus moderatus damnatur,sed temulentia. Hanc enim multis in locis condemnat scriptura. Esa.5. Luc.21. Ephes.5. cap.&c.Etsi uerò in omnibus sit turpis, tamen in magistratibus est turpissima,ideoq; cauere eam præcipit.Addit duplicem rationem, Vna est, ne poti obliuiscantur statuti uel descripti, hoc est legis diuinæ. Deus enim Deut. 17. præscripsit regi quid faciendum sit,& inter alia ab eo postulat,ut cum sederit in solio regni sui, curet sibi describi exemplum legis, ad exẽplum libri sacerdotum Leuitarum , ut toto uitæ tempore in eo legat & discat timere Dominum Deum suum, &c. Reliquis quoq; iudicibus præscripsit quid facere debeant. Ne igitur hæc animis eorum exciderent,fugiendam dicit ebrietatem,quę obliuionem inducit,& hominis rationem opprimit. Hinc ueteres , ut in Symposiacis testatur Plutarchus,Bacchum filium finxerunt obliuionis. Vinum & mulieres, dicit Siracides, sapientem etiam dementare.Plin. lib. 23. cap. 1. Vino sapientiam dicit obumbrari. Seneca scribit epist.84.Illos qui dicunt se,licet multum uini hauriant, nihilominus tamen compotes esse rationis,non minus desipere, quàm si quis dicat,se hausto ueneno,non moriturum.Altera ratio est,ne mutet,id est,peruertat causas omnium filiorum afflictionis, id est, omnium afflictorum. עני ani oppressum , afflictum,humilem & pauperem significat. Deus diligenter oppressos & afflictos (quales sunt peregrini,pupilli, uiduæ, pauperes,&c.) regibus & iudicibus commendat:uult ut ius eis dicatur ex legibus. Sed quomodo iudicabit causam, qui eam non intelligit? Iudicare est de rebus cognitis,rectam sententiam ferre. Ebriorum animus peregrinatur, totus est in lagenis, sæpe quando casu audienda erat, in somnum propter hesternam crapulam resoluuntur,atq; ita causa cadunt oppresi,& in simili casu,non eadem fertur sententia.Ebrij ad cõsultandum non sunt idonei,sobrietas est consiliorum parens. Quemadmodum in temulentis membra corporis: ita etiam animi functiones officium suum non faciunt. Cum Philippus Macedonum rex ebrius perperam aduersus mulierem quandam tulisset sententiam , illa prouocauit ad Philippum,sed sobrium, ut causa melius cognosceretur. *Temulẽtia.*

Discimus ex hoc loco quæ nam præcipua officia sint iudicum & magistratuum,nempe ut Legem diuinam & leges municipales cognoscant. In illis Rebuspub.in quibus causæ religionis, nomine totius Ecclesiæ senatui iudicandæ committuntur,æquum est ut magistratus causam intelligant. Deinde iura teneant, & non suo arbitratu sententias ferant, ne cui iniuria fiat.Si in cultu Dei aberretur, magis peccatur quàm ebrietate,adulterio, & id genus sceleribus. Deinde curare debent, ut oppresi contra potentiores asserantur. Quia uerò hodie passim regnat ebrietas,non mirandum est, si tam pauci legum periti reperiantur,& pauperes passim clament, se à potentioribus conculcari. His aliæ etiam causæ addi possunt, propter quas principes ebrietatem horrere debent. Debent enim exempla esse uirtutum. Ebrietas autem mater est omnium uitiorum. Plato etiam in sexto Dialogo de iusto scribit,ebrium habere animum tyrannicum , quod omnibus pro libidine, non ex ulla ratione seu lege uult imperare. De Repub.lib.3. scribit cuiuis magis concedendam ebrietatem, quàm magistratui. Nam ebrius ubi terrarum sit nescit: quod si magistratus inebrietur,custos habet opus custode. Adhæc omnia arcana ebrius detegit.Idem scribit,Carthaginenses lege omnino uinum prohibuisse magistratibus. Quæ lex si hodie reuocaretur, non tanta ambitione omnes munera Reipub appeterent.Solon unus è septem sapientibus,principem morte mulctandum lege sanxit,si deprehenderetur ebrius. Vtile etiam fuerit in delectu magistratuum curare,ne deligantur tales homines. Vinum enim , ut prouerbio dicitur,caret clauo. Propterea quod ebrij nihil consultè neque moderate uel dicant uel faciant.Nullis igitur minus concedenda est,quàm qui Reipu. clauum moderantur.Plato dicit,gubernator ebriosus & quiuis præfectus,omnia subuertit siue nauigium,siue currum, siue exercitum,siue quamcumq; rem suæ fidei commissam.

Idem dici debet de rectoribus Ecclesiarum.Leuit.10.cap.præcipitur Aaroni & filijs suis,ne uinum bibant cum ingresi fuerint tabernaculum,hoc est,cum fungi debent ministerio.Nazaræis quoque Num.6.uini & siceræ usus lege interdicebatur. D. Paulus in Epistolis suis ad Timotheum & Titum, iubet ne Episcopi sint multo uino dediti. Ebrietas enim impedit pia studia,preces & alia exercitia,ac parit multa flagitia. Curandum itaq;,ne tales eligantur, aut si non resipiscant,deponantur.Ægyptij sacerdotes,uino prorsus abstinebant,& antiquissimi eorum reges:nam & illi tunc sacerdotes erat,ut tradit Hecatæus. Mulierib. quoq; ebrietas turpis est. Hinc apud Romanos, ut scribit Valer. Max. uini usus fœminis olim ignotus fuit,ne in aliquod dedecus prolaberentur. Moderatus tamen uini usus propter labores in pariendo,in alenda & educanda sobole, omnino concedi debuit. *Episcopi sibi caueãt ab ebrietate.* *Mulieres.*

6 Date ſiceram pereunti, & uinum ijs qui amaro ſunt animo.

7 Vt bibat & obliuiſcatur egeſtatis ſuæ, & calamitatis ſuæ non recordetur amplius.

Quarto loco, docet conſolandos eſſe pauperes & afflictos. אבד afad idem eſt quod Latinis auferri, tolli, amoueri, cum rei quæ aufertur perditione. Vnde uulgatus interpres reddit, perdere & perire. Illis qui ad mortem condemnantur, uel opum iacturam fecerunt, aut alioqui amaro ſunt animo, id eſt, triſtes, uinum eſt propinandum, non illis qui aſcendere uolunt tribunal. (Hæc phraſis Iudic. 18. cap. & 1. Sam. 24. & alijs in locis etiam legitur.) Vinum enim facit ad triſticiam & mœrorem animi depellendum. Pſalm. 104. dicitur cor hominis exhilarare. Iudic. 9. cap. legitur, uinum Deos & homines lætos efficere. In ſacrificijs enim & libaminibus uſus erat uini, Deus autem ſacrificia, propter fidem offerentium grata habebat. Sed ſimplicior, ut mihi uidetur, ſenſus erit, ut dicamus: non tantum infimæ ſortis homines, ſed etiam ipſos iudices, quos Elohim ſcriptura uocat, uino exhilarari. De hac re multa apud philoſophos & poetas paſsim leguntur. Socrates apud Xenophontem in Sympoſio dicit, οἶνος τὰς μὲν λύπας ὥσπερ μανδραγόρας ἄνδρα κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει: hoc eſt, Vinum mœrores non aliter ſopire, quàm mandragora hominem: læticiam autem non aliter, quàm oleum flammam excitare. Apud Cic. 3. Tuſcul. legitur: huic calix mulſi impingendus, ut plorare deſinat. Apud Heſiodum Bachcus πολυγηθὴς dicitur. Anacreon ὅταν πίνω τὸν οἶνον Εὕδουσιν αἱ μέριμναι. Poetæ Græci, ab illo effectu uinum πανσίλυπον & λαθικηδέα & νηπενθὲς appellant. Dido apud Vergilium libro primo Æneid: Adſit, inquit, læticiæ Bacchus dator. Tibullus libro 1.

Vinum exhilarat homines.

" Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
" Crura licet dura compede pulſa ſonent.
" Bacchus & agricolæ magno confecta labore
" Pectora triſticiæ diſſoluenda dedit.

Horat. Ode. 7. lib. 1. Nunc uino pellite curas. Ode. 7. lib. 2. uinum obliuioſum uocat, quòd obliuionem malorum afferat. Ode. 11. lib. 2. Diſsipat Euius Curas edaces. Epiſtola ad Vall. lib. 1. Generoſum & lene requiro, Quod curas abigat. & 9. Epod. Curam metumq; Cæſaris rerum iuuat Dulci Lyæo ſoluere. Ouidius lib. 1. De arte:

" Tunc ueniunt riſus, tum pauper cornua ſumit,
" Tunc dolor & curæ rugaq; frontis abit.

Plautus triſtem & perturbatum hominem, uino exhilarandum monet. Non autem occaſione illius ſententiæ, immodicè bibendum eſt. Vinum enim immodicè ſumptum dolores non lenit, ſed maiores excitat. Exemplo nobis eſt Lotus, qui ut mœrorem pelleret, immoderatè bibit, & ita deceptus eſt, ut in inceſtum prolaberetur. Qui ex immodico uino hilaritatem quærunt, ſe non leui periculo exponunt, & ſeſe in magna ſcelera præcipitant. Aliquando in inſaniam uertuntur. Ex hoc loco petitum uolunt hunc morem, quo hodie precioſiſsimum uini poculum ad mortem condemnatis, propinari ſolet. Curandum tamen, ne qui ad ſupplicium educuntur, immoderatè bibant. Colligimus etiam quantopere peccent, qui quotidie epotandis calicibus ſtudent, ſeque mutuum ad bibendum urgent, & præſcriptum poculi modum exigunt, cum interim tot puerperæ, ſenes, afflicti, & laborioſi homines, uix uini guttulam habeant qua recreentur.

8 Aperi os tuum muto, in iudicio (*uel cauſa*) omnium filiorum tranſitus.

Ad iudiciũ, אל el, ad, apud, ſuper, propter. Caſtalio reddit, *in cauſa omniũ qui pertũduntur*, id eſt, iniuria afficiũtur. Quinto loco, cõmendat Lamueli, pauperes & oppreſſos, monẽs ut eos defendat, & iuſtè iudicet. Verba pauca ſunt, ſed latè patẽt. Similes adhortatiões, hinc inde apud prophetas legũtur: nõ enim ignorabãt, pauperes opprimi ab aduerſarijs, & contẽni à iudicibus. Aperire os eſt adhibita modeſtia, liberè loqui, & nihil obticere. Oecolamp. in 33. cap. Iob. dicit, Sapientum eſt aperire os. Stultorum os ſemper patulum eſt, ſine iudicio omnia nugantur & effutiunt. Germanica quoq; phraſi, os aperire ſignificat diſertè quod ſentias dicere. Græci eodem ſenſu, dicunt, οἴγειν στόμα: nam ſic dicit Prometheus apud Æſchylum:

Aperi os.

" λέξω τορῶς σοι πᾶν ὅτι χρήζεις μαθεῖν,
" Οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ᾽ ἀλλ᾽ ἁπλῷ λόγῳ.
" Ὥσπερ δίκαιον πρὸς φίλους οἴγειν στόμα. Hoc eſt:
" Dicam tibi apertè rem omnem, quam ſcire cupis,
" Nulla ænigmata immiſcendo, ſed oratione ſimplici.
" Sicut rectum eſt, os aperire ad amicos.

Per mutum illũ intelligit, qui uel causam suam non potest commodè proponere (destituitur enim dicendi facultate:) uel non audet in consessu iudicum, & propter aduersariorum potentiam: uel cui non conceditur suam causam agere: imperatur enim sæpe alicui silentium, sæpe etiam absentes accusantur. Pauperi obligatam esse linguam, cap. 10. uersu 15. audiuimus. Illorum hominum patrocinium suscipiendum est, præsertim in causis capitalibus, ne iniustè trucidentur. Hodie multi innocentes, propter uerã doctrinã opprimũtur. Iob. 29. cap. dicit, se fuisse oculum cæco, pedem claudo, ita etiam os fuit muto. Addit, *in iudicio omnium filiorum transitus.* חלוף chaloph transitum, mutationem uel excisionem significat: formatur enim à uerbo חלף chalaph, transire, mutare, succidere. Hinc uariæ possunt esse huius loci interpretationes. Quidam ita reddunt, *Aperi os tuum pro muto, in causa omnium filiorum mutationis*, id est, infortunij, quorum fortuna mutata est. Vel quorum uita cum morte commutanda est, uel etiam qui locum mutarunt. Alij reddunt, *Ad iudicium omnium filiorum transitus*: mundus enim transit & concupiscentia eius: hinc fortè quidam uertunt, *filiorum huius mundi*, alij *filiorum excisionis*, id est, mortis. Iudices, aduocati, rei, accusatores, testes, omnes sunt filij transitus & mutationis, hoc est, fortuna eorum facilè potest mutari: mortales item sunt, & locum manentem hic non habent, secundum illud Psalmi, Mane florent, transeunt & pereunt uesperi. Ne igitur quis homines caducos & mortales immortali & æterno Deo præferat: cogitet sibi quoq; moriendum, & iusto Deo rationem reddendam esse. Tigurina uersio habet, *in iudicio omnium eorum qui prouocant.* Nam qui sententiam cupiunt mutatam, ad alios iudices prouocant. Alij per mutum intelligunt peregrinum, quia sequentia ita exponunt, *in causa omnium filiorum transitus*, qui iter faciunt, per locum aliquem. Peregrini enim sunt quasi muti: nam sæpe ueniunt ad homines quorum linguam ignorant. Deinde non audent in aliena terra, iniurias queri, nesciunt enim cum quibus agant. Euripides in Polynice inter mala maxima exilij hoc ponit, quòd peregrinus uel exul *οὐκ ἔχει παῤῥησίαν*. Lotho increpanti Sodomitas, obijcitur quòd sit peregrinus. Exulum igitur causa suscipienda est contra illos, qui eos uolunt iniustè opprimere. Certum est, nobis passim in scripturis, exules & peregrinos à Deo quàm diligentissimè commendari. Solent enim ferè contemni ab hominibus, & ut Theognis dicit:

Peregrini nobis commendãtur.

“ *οὐκ ἔστι φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος.*

Non autem unius sunt generis peregrini: quidam nobiscum habitant, quidam uerò transeunt. Extra iudicium etiam os muti esse debemus, hoc est, egenos & afflictos, quos pudet suas ærumnas narrare, commendare diuitibus, ut eos subleuent.

9 Aperi os tuum, & iudica iusticiam & causam (*uel iudicium*) pauperis & egeni.

צדק zadec, puto positum, pro בצדק bezædec, id est, in iusticia, iustè: & causam pauperis, hoc est inprimis, nam maximè indigent patrono. Videndum est, quid uel quis iudicari debeat, quomodo, & qui hoc præceptum uiolent. Rex neminem à se repellere debet, sed omnes audire ciues & peregrinos, notos & ignotos, diuites & pauperes. Totos etiam pagos, castella, oppida, regiones asserere debet. Nam in hunc finem à Deo constitutus est. Non requiritur à rege ut sacella extruat, sit in processionibus, &c. interim hæc negligat. Cur autem toties præcipiatur, ut causa pauperis & egeni iustè iudicetur, alibi est expositum. Quomodo iudicandum est? Vno uerbo dicam, Iustè. Primùm cognoscenda diligenter est causa, deinde secundum leges, non ex affectibus & respectu personarum, pronunciandum quid æquum uel iniquum sit, idque ex amore Dei & proximi, ut dirimantur litigantes, & suum cuiq; cedat. Non propter inuidiam, adimendum diuiti, aut propter misericordiam, addendum pauperi. Peccant contra hanc sententiam primum illi iudices, qui nolunt causam aliquam audire: tametsi oppressi anxiè ius petant, tamen eos à se repellunt. Hoc uulgare est in iudicijs, ut uocant, spiritualibus, licet multi clament se piè de religione sentire, & paratos esse rationem reddere de fide, tamen magna contumelia reijciuntur, & inauditi damnantur. Multa autem sunt quæ docent utranq; partem esse audiendam. Secundò illi iudices, qui tametsi aliquem audiant, tamen præiudicia sua habent, ut frustra hic causam agat, & surdo fabulam narret. Tertiò si cognoscatur causa diligenter, & tamen non feratur sententia, sed certis hominibus iniungatur, ut rem componant, non sine iniuria alterius partis: causa non est ambigua, sed iudices alteram partem nolunt offendere. Quartò, peccant & illi iudices, qui causam aliquam protrahunt ad multos annos, ita ut ille qui bonam causam habet, interdum uexationem redimere paratus sit. Quintò, qui sententiam quidem ferunt, sed iniustam, & iudicium, ut Amos sexto capite dicitur, in absynthium conuertunt. Postremo loco, illi qui iustè quidem iudicant, sed non amore iusticiæ, sed propter munera, uel

Qui iudicandi sint.

Quomodo iudicandum sit.

Qui hoc præceptum transgrediantur.

ut liberentur ab aliquo, quemadmodum de Felice prætore legitur, qui sperabat se pecuniam à Paulo accepturum, Acto. 24. Et de iniusto illo iudice, Luc. 18. cap. qui uiduam de aduersario suo uindicabat, non amore iusticiæ, sed ne tandem ueniens eum suggillaret. Multa etiam alia loca passim sese nobis offerunt in sacris literis, quorum alij præcipiunt, ut causa pauperum & oppressorum rectè iudicetur, alij uetant ne ius peruertatur, alij laudant illos & præmia eis promittunt, qui rectè iudicarunt, alij uituperant illos, & pœnam eis comminantur, qui ius corruperunt. Vide Exod. 23. Deut. 1. & 16. Isa. 6. Ierem. 7. 22. Zacha. 7. & multis alijs in locis. Suum quoq; exemplum Deus iudicibus proponit, ut discant rectè iudicare. *Consolatio pauperum.* Consolationem ingentem ex his percipiunt pauperes & afflicti, uident enim se Deo tam charos esse, ut eorum causa tam graues ferat leges, easq; toties repetat & inculcet. Pressi contra ius & fas, æquo animo ferant, precentur Dominum ut patientiam eis largiatur, eosque asserat, promittit enim certum auxilium. Luc. 18. 2. Pet. 2. Exempla Dauidis, Ieremiæ, Israelitarum captiuorum, & Martyrum sibi proponant.

ℵ 10 **Mulierem fortem quis inueniet? nam procul est à margaritis precium eius.**

Encomium bonæ matrisfamiliàs. Secunda pars huius capitis, continet encomium honestæ matrisfamiliàs: quod quidam (inter quos est Beda, cuius libellus peculiaris extat tomo 7. de forti muliere) allegoricè exponunt de Ecclesia, quæ est sponsa Christi: quidam de anima uniuscuiusq; pij hominis, quæ etiam Deo copulata esse debet: quidam de Maria uirgine: quidam de sacra scriptura. Nos simpliciter secundum literam interpretabimur. *Carmine laudes comprehenduntur.* Carmine laudes honestæ matronæ complexus est. Moris enim fuit apud ueteres, quemadmodum hodie quoque, res uarias carminibus complecti. Tot autem continet uersus, quot in Hebræo alphabeto sunt literæ, nempe 22. Primus uersus incipit ab Aleph, secundus à Beth, & ita deinceps. *Ordo.* Hinc fit quòd in Latina uersione ad marginem Hebraicæ illæ literæ ponuntur: non enim in uersione ordo literarum obseruari potuit. Idem licet uidere in aliquot Psalmis, & lamentatione Ieremiæ. Hoc autem ordine usus est spiritus sanctus, ut omnia melius memoriæ infigi possent. Probabile enim est, matronas & uirgines Israeliticas, publicè hoc carmen cecinisse. De ratione carminum Hebraicorum, huius linguæ peritos sinam disputare. *Genus carminis.* Hoc carmen pertinet ad genus demonstratiuum: laudes enim honestæ mulieris comprehendit.

Vsus huius carminis. Vsus uerò eius, uarius est & multiplex. Primùm ex hoc discunt mulieres, & imprimis matresfamiliàs, quibus uirtutibus ornatæ esse, unde facilè quoq; colligitur, à quibus uitijs alienæ esse debeant. Quæ in hoc quasi speculo sese contemplantes, illis uirtutibus omnibus, uel maiore parte se ornatas sentiunt, Deo gratias agant, & orent ne ijs spolientur. Quæ uerò paucis, aut omnino nullis præditæ sunt, precentur Deum, ut uitam suam ad hanc regulam componere possint. Præcipuè uirtutes quæ hîc ponuntur, sunt timor Dei, amor & fides coniugalis, castitas, temperantia, modestia, beneficentia, sedulitas: de his etiam habetur in epistolis D. Pauli. Deinde consolationem habent mulieres, opponendam iniquis mundi iudicijs de hoc sexu, qui abiectus & contemptus est coram prudentia humana. Poetæ multa contra mulieres scripserunt. Euripides dicit, Si Deus aliquis mulierem formauit, is sciat se maximum opificem esse malorum, & hominibus maleuolum. Menander, Vbi mulieres, ibi omnia sunt mala. Stobæus multa huius generis colligit sermone 71. Multi hodie non ioco tantum, sed seriò mulieres non malas duntaxat, sed omnes contemnunt, non cogitantes matres suas mulieres quoque fuisse. Monachi & moniales, uituperant coniugium, & laudibus extollunt cœlibatum & uitam monasticam, dicentes perfectiorem statum esse, si qui monasterium ingrediantur: *Consolatio mulierum.* sed opponendum eis est hoc encomium matrisfamiliàs. Si monachorum aut monacharum, tale encomium in sacris literis extaret, dij boni, quos triumphos agerent? At nihil tale legitur, sed Christus de his dicit: Frustra me colunt, docentes mandata hominum. Item, Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Virginitas suam quidem habet laudem in scripturis, eò quòd uirgines expeditius Euangelio seruire possunt, non quòd per se sit cultus aliquis: sed quid hoc ad impuros illos homines? Sunt etiam alia scripturæ loca, quæ ostendunt Deum maximam habere mulierum rationem, quę, cùm natura imbecilles sint & facilè aduersis perturbentur, habenda sunt in conspectu. Christus rediuiuus primùm mulieribus apparuit. In prima Epist. Pet. cap. 3. cohæredes gratiæ appellantur. Tertio loco, mariti qui tales uxores nacti sunt, pro maximo hoc dono Deo gratias agant, à quo tales dari, suprà 19. capite legitur, & dent operam ne sua importunitate eas multis præclaris donis spolient. Quarto loco, discimus quid in delectu mulierum potissimum spectandum sit, non opes, non affinitates, non forma præcipuè, & alia huius generis,

sed

ſed probitas & uirtus. Hodie prima quæſtio eſt, de opibus, de moribus uerò nulla: non igitur mirandum ſi multi infeliciter uiuant in matrimonio. Licet uerò paucæ ſint, quæ omnes illas dotes habeant: tamen illæ deligendæ erant, quę plures habent. Poſtremò diſcimus exemplo huius Carminis, quæ nam ſint cantanda: nempe caſta, de rebus honeſtis & utilibus compoſita, cauendum eſt ab obſcœnis & inutilibus, &c.

Mulierem uirtutis quis inueniet, &c.) Primo uerſu difficultas inueniendi talem uxorem & precioſitas oſtenditur. Huiuſmodi enim interrogationes in ſcripturis raritatem indicant. Similis loquutio ſuprà cap. 20. uerſu 6. ponitur. Oſtendit paucas eſſe, quæ omnibus his uirtutibus ornatæ & inſtructæ ſint. Si quæ autem talis ſit, omnes gemmas dignitate & precio longè ſuperare. Gemmæ non conculcantur pedibus, ſed diligenter aſſeruantur, includuntur auro. Vxor igitur honeſta, non contemnenda & contumelia afficienda, ſed amanda & honoranda eſt. Procul ſcilicet diſtans, aut longinquum à gemmis uel margaritis, precium, emptio aut poſſeſsio illius. רחוק rachok, longinquus uel longinquum, ſcilicet ſpacium, aut longa uia. מחר mæcher, ſignificat acquiſitionem, poſſeſsionem, emptionem. Quidam exponũt, quòd procul eundum ſit, ad acquirendam talem uxorem, ut raritas & precium eius oſtẽdatur. Res enim quæ multum diſtant à nobis, rariores ſunt apud nos.

11 Confidit in ea cor uiri ſui. ב

Maritus ſciens ſe probam & fidelem uxorem habere, credit ei adminiſtrationem rei familiaris, nec dubitat quin omnia rectè diſponat. Deinde ſi propter certa negocia domo abeſſe, aut longinquam aliquam profectionem inſtituere oporteat, ſcit eam non exſpaciari, aut domi interim agitare conuiuia, aut ſe mœchis proſtituere. Curas quoq; & cogitationes ſuas in ſinum eius effundit. Non quòd omnia arcana committenda ſint mulieribus, ſunt enim multa, quæ eas ſcire nihil expedit, nec mulieres hæc petere debent à maritis. Fidendum eſt hominibus, quantum Deus permittit, & res ipſa oſtendit, non toto corde, ſed ut hominibus, qui inſtabiles ſunt. Fiducia illa impia eſt qua hominibus nimium confidimus. Fiducia enim omnis in Deo ponenda eſt, qui nos non fallit. Cor mariti nominatur, quia ex animo, non timidè ei confidit.

Et ſpolio non indigebit, aut, ſpolium non deficiet.) Ad uxorem uel maritum referri poteſt. Per ſpolia, ut annotat Pellicanus, intelligit rem familiarem & domeſticam, eò quòd deprędationi militum expoſita ſit in bellis. Senſus eſt, paulatim ſuppellectilem neceſſariam ſibi comparabit ſua induſtria, nec tantum cogitabit quibus domus ornari, ſed etiam quibus commodè carere poſsit. Vel ita rem domeſticam adminiſtrabit, ut non neceſſe ſit aliena rapere. Qui enim malè rem gerunt, ad fraudes, dolos & manifeſtas rapinas interdum conuertuntur. Maritum quoq; non ſpoliabit, ſed ita ſe geret, ut neceſſaria ei non inuitus largiatur, & moriturus quoq; eius rationem habeat, atq; de uictu ei, ut de ſe benemeritæ, proſpiciat.

12 Reddit marito bonum, & non malum, cunctis diebus uitæ ſuæ. ג

Quoniam maritus eam ardenter amat, reſpondet ei uxor in amore, nec fallit eius fiduciam, rem domeſticam bene adminiſtrat, caſta eſt & pudica: ſi maritum commotum eſſe uideat, maledicta non penſat maledictis. Si malè uxorem ſuam tractat, ipſa malitiam eius, bonitate ſuperare nititur. Si maritum ebrietati & adulterijs uacare audiat, ipſa non uult par pari referre, ſed amat maritum quamuis indignum, propter Dei præceptum, idq; omnibus diebus uitæ ſuæ, non uno tantum aut altero anno, nec ſecundis tãtum, ſed etiam aduerſis rebus, parata omnem ferre fortunam cum marito. Nam ut in omnibus rebus conſtantia egregia eſt uirtus, ita in amore coniugali. Sunt autem mulieres ferè inconſtantes & mobiles. At hæc conſtans eſt. Si marito ſuperſtes fuerit, amorem eius nondum abijcit, ſed erga liberos, quæ pars quædam parentum ſunt, ſuum amorem & beneuolentiam oſtendit. Multa exempla uetera & recentia illarum poſſunt afferri, quæ fidem & amorem coniugalem, etiam poſt maritorum obitum præſtiterunt. Si alteri marito nupſerit, à prioris tamen detractione abſtinebit. Phocylides dicit:

τί γὰρ ἡδύτερον καὶ ἄρειον, "
ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι "
καὶ πόσις ᾗ ἀλόχῳ. "

13 Quærit lanam & linum, & operatur manibus ſuis, cum uoluntate. ד

Sedula eſt in omnibus laboribus œconomicis. Si poſsit, apto tempore comparat lanam & linum, ne poſtea cogatur duplicato precio emere, & familia interea temporis, in ocio degat. דרש daraſch, quærere, exquirere ſignificat, ſciſcitari ſolicitè & diligenter. Deinde operatur ſuis manibus, non tantum alios ad laborem hortatur, ſed ipſa quoq; manum colo

alacriter admouet, ut suo exemplo alios ad laborem incitet, & sibi ac familiæ uestes paret, utque habeat etiam quod uendat. Adhæc cum uoluptate operatur, בחפץ bechephaz, in uoluntate, id est, uoluntariè, sponte, non coactè aut oscitanter. Turpe est uxori, si non prouidentia illa utatur, ut cogitet quæ familiæ sint necessaria: si pecuniam, quæ pro lana & lino exponenda erat, conferat in res inanes. Deinde si honestum laborem refugiat, & ad opus impellenda sit, interim fabuletur inania, aut hinc inde discurrat. Non pigeat honestam matronam, lanam & linum tractare, quantumuis nobilis, opulenta & pulchra sit. Egregiæ enim mulieres apud ueteres, lanificio & linificio sibi maximam laudem pepererunt. Theano Pythagoræ dogmatum studiosa, interroganti quomodo tàm celebris euasisset, respōdit:

„ ἱστὸν ἐποιχομένη, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσα.

Id est, contexens telam, & meum curans coniugium. Apud Romanos moris erat, ut nouæ nuptę colum & fusum cum lana ad mariti domum afferrent, postesque lana coronarent, tum super lanatam pellem sederent, ut discerent quid domi faciendum esset. Pierius Valerianus in suis hieroglyphicis annotat, etiam hodie in plerisq; Italiæ locis, postero quàm noua nupta mariti domum ingressa est die, mane è thalamo prodeunti, obuiam propinquos fieri, qui colum, fusum, lanam, & forficem, aliaque instrumenta domestica offerentes, muliebris officij eam commonefaciant. Augustus filias suas lanificium docuisse legitur, ut si ad paupertatem fuissent redactæ, haberent unde uiuerent. Idem tradunt de Carolo Magno. Alexander Magnus, reginis Persicis uestes ostendit, quas mater & soror eius confecerant. Reginæ enim Macedonum, maritis & filijs suis uestes proprijs manibus contexere & consuere solebant. Diuus Hieronymus Paulam ex prosapia Scipionum & Gracchorum ortam, iubet colum tenere & calathum. Demetriadem quoque generis nobilitate & diuitijs præstantem fœminam hortatur ut lanam & linum tractet, fusum rotet, & stamina pollice ducat, &c. Addendum est etiam, telam & colum mulieres ornare: hæc sunt earum arma. Res quæ uirorum consilijs gerendæ sunt, uiris relinquant: ueluti est apud Homerum:

μῦθος δὲ ἄνδρεσσι μελήσει. de qua re infrà 19. uersu.

ה 14 Fuit sicut nauis mercatoris, de longè adducit panem suum.

Probam matronā, nauibus mercatorijs comparat. Non omnis, ut ille dicit, fert omnia tellus: in uno loco uini, in altero frumenti, in quibusdam pecoris est prouentus. Mercatores igitur per mare & terras, eas res quæ in uno loco abundant, exportant & ex uarijs & remotissimis regionibus eas quibus egemus, & quæ raræ, preciosæ, utiles, & necessariæ sunt, inuehūt. Mira referuntur de nauigationibus illis Indicis, ex quibus mercatores, nisi naufragia patiantur, facilè ditescunt. Mulier si non sufficiant ea quæ in patria sunt, curat aliunde importari. *De longè adducet panem suum.*) Potest uel ad naues referri, uel uxorem, quæ ex partibus etiam remotis, suo labore necessaria procurat. Etsi enim naues in plurali numero ponantur, adducet uerò in singulari, tamen sæpe apud Hebræos singulare plurali iungitur.

ו 15 Surgit dum adhuc nox est, & parat domui suæ cibum, atque puellis suis constitutum.

Somnus. Vxor proba, summo mane surgit. Somno utendum est tanquam medicina curando corpori: utq; moderatus conducit, ita immodicus officit corpori. Nam, ut medici tradunt, corpora reddit redundantia noxijs humoribus, & segnia. Honesta matrona modico somno contenta est, nec stertit in multam diem, nisi insomnem noctem duxerit propter liberorum uagitum, & uarias curas. Scribimus hoc loco de illis, quæ florentibus sunt annis & robusto corpore. Inuenias hodie mulieres, quæ non surgunt, ut uel ad sacras conciones diebus Dominicis uenire possint. Ideo autem surgit hæc matrona, ut famulos & famulas suo exemplo ad laborem excitet, utque domui, hoc est familiæ, cibum paret ante lucem, ne partem diei perdant. Dare enim operam debent fœminæ, ne desit familiæ cibus, laborantes enim cibo indigent. Aristoteles scribit tria deberi seruis, ἔργα, τροφὴν καὶ κόλασιν, opus, cibum & castigationem. Cibus sine castigatione & opere petulantem reddit: opus uerò & castigatio sine cibo, uiolenta res est, & infirmum facit seruum. Cato cum ex eo quæreretur, quid maximè in re familiari conduceret? respondit, bene pascere: quid secundum? satis bene pascere: quid tertium? bene uestire: quid quartum? bene arare. Materfamilias igitur cibum sufficientem seruis & mercenarijs præbeat. Deus præcepit in ueteri lege, ne trituranti boui os obstrueretur. Sunt quæ cibum & potū malint perire, quàm domesticis dare: qui si hanc inuidiam deprehendant, in opere sunt negligentiores. Mariti quoque domum reuersi, si cibus paratus non sit, sæpe plurimum offenduntur. טרף thæræf escam, cibum, item

Cibus non malignè familiæ suppeditādus.

item prædam & rapinam significat. Rapto autem parta, celerius ac magis temere profundimus. Vide prouerb. Erasmi, Bello parta: significare igitur uidetur, cibum liberaliter suppeditandum famulis. Caietanus carnes animalium syluestrium interpretatur. Sensus igitur erit, hanc fœminam etiam delicatos, non tantum necessarios cibos, suis aliquando dare. Merces quoque non neganda est laborantibus. *Puellis suis statutum parat.*) נער naar, puerum iuuenem significat, & quia pueri solent maioribus inseruire, pro ministro etiam accipitur, licet iam senex sit: sic נערה naarah, pro puella & famula. Sensus igitur est, matremfamiliàs ancillis suis præcipere, quid cuique faciendum sit. Cibum quidem toti familiæ parat, pensum uerò solis fœminis distribuit. Famulis præscribit, ut uisum fuerit, maritus. Filiabus quoque suis operam indicit, ut discant uictum quæritare, & ne ociosæ mali quid discant. Liberos enim agere aliquid oportet, utilia igitur ab eis exigenda sunt. Mater mox uidebit quid unaquæque filiola possit, non rigida erit & austera erga eas, si per ætatis imperitiam delinquant, nec maius onus eis imponet, quàm sint ferendo. Sedulæ mulieris est, non temere omnia facere, sed singulis suum officium assignare, ut omnes sciant, quid & quando operari illo die debeant. Per חק chok constitutum, quidam non pensum, sed demensum, ut suprà 30. cap. intelligunt: sed iam dictum est, uxorem toti domui cibum conuenientem dare. Liberis cibus dandus non delicatus: uini potus tenera corpuscula perdit. Danielis & sociorum eius exemplo ostenditur, quàm utile sit, si pueri uulgaribus cibis sint contenti. Mulierem lucubrantem cum ancillis suis & pensa partientem, Vergilius elegantissimis hisce uersibus describit, Æneid. lib. 8.

Inde ubi prima quies medio iam noctis abacto ,,
Curriculo expulerat somnum, ceu fœmina primum ,,
Cui tolerare colo uitam, tenuiq; Minerua, ,,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes, ,,
Noctem addens operi, famulasq; ad lumina longo ,,
Exercet penso, castum ut seruare cubile ,,
Coniugis, & paruos possit educere natos. ,,

16 **Cogitauit agrum suum, & accepit eum: de fructu manuum suarum, plantauit uineam.** ו

Quando sedulitate sua & industria aliquid acquirit, cogitat quomodo bene collocet. Si utile uideatur, agellum, hortulum, pratum, accipit scilicet precio iusto, ut filios alere, & ad laborem statim assuefacere possit: ex fructu quoque quem acquirit manibus suis, conducit operarios qui uineam plantent. Agricultura quæstus est omnium innocentissimus: sola enim Dei misericordia nititur, cum proximi iniuria non est coniunctus. Huic sancti patres studuerunt. Hodie omnes, illos quæstus sectari uolunt, qui laboris minimum, lucri uerò plurimum afferunt. Quidam hunc uersum ita intelligunt, quòd diligenter naturam soli consyderet, agrum emat, quem postea curet uitibus conseri. Caietanus exponit de agro occupato ab alijs, uel inculto ex negligentia, ut sit sensus, accepit eum ab occupatoribus, uel accepit eum ad colendum, &c. Bona materfamiliàs, quæ uel ipsa uel maritus, magno labore acquisiuit, non confert in mundum muliebrem, delicatos cibos, & uina, non in suppellectilem inanem, aut res stultas, sed emit necessaria, reponit quibus ad futuram necessitatem, & ad educandos liberos utatur.

17 **Accingit lumbos suos fortitudine, & roborat brachia sua.** ח

Hoc est, studiosè parat se ad laborem, domi & foris obeundum. Olim oblongas uestes habebant, neq; quicquam operis commodè peragere poterat, nisi succincti, hinc istæ locutiões accingere se operi, prædæ. Accinctos, fortes, strenuos & expeditos dicimus, ut Hor. Altius ac nos precincti sunt. Vnde & Grecè εὔζωνος appellatur, non qui bonâ zonâ habet, sed qui est strenuus. Imbelles uerò, ignauos & nihili homines, discinctos uocamus, ut Virg. Ænei. 9. Discinctos Mulciber Afros. Seruius in lib. 1. Æneid. & 9. Seruator noster Christus hac locutione usus est, Lucæ 12. Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei, &c. Quibus uerbis docet, qualem deceat esse uitam Christianorum, sumpta à seruis allegoria, qui solent lumbos accingere, hoc est, se ad iter parare, faces proferre, uigilare, & redeuntes heros à cœna expectare, &c. 1. Pet. 1. capite, Succincti lumbis mentis uestræ, sobrij, perfectè sperate in eam, quæ ad uos defertur gratiam, &c. hoc est, omnibus sublatis impedimentis, ad Deum contendite. Lumbi carnis, libidinem aliquando significant. Sedes enim libidinis in lumbis est. Zona uerò uel cingulum, exprimit temperan-

tiam & moderationem, qua cupiditates coercentur. Hinc quidam locum hunc ita exponũt, *Præcingit lumbos suos*, id est, coercet libidines: & iuxta hunc sensum, qui etiam pius est, commodè mox subnectitur: *Et corroborat manus suas*, scilicet ad laborem. Labore enim mala concupiscentia obruitur: qui ocio indulgent, ut alibi plenius diximus, procliues sunt ad libidinem. Hanc ob causam D. Hieronymus, Demetriadi uitandum prorsus ocium præcepit.

ט 19 Gustauit quàm bona sit negociatio sua, nec noctu extinguetur lucerna eius.

Dixit sanctam mulierem labori incumbere, & suos quoque ad laborem assuescere: hac autem uia non tantum parat, quibus domi utatur, sed habet etiam quod uendat, & unde faciat lucrum. Hoc experitur uxor pia, nihil tamen remittit de sua industria, sed magis accenditur. Lucerna enim eius, noctu non extinguitur. Paulò antè dixit, hanc fœminam auroram præoccupare: nos dicimus, Sy ist frů vnd spat: ad colum in multam noctem aliquando sedet: diem quoque bene collocat, non imitatur illam, quæ toto die quærebat picem, ad quam lucubraret. Somno utitur sed non immodico. Lucretia inter ancillas ad lucernam fila ducebat. Sunt quorum lucerna noctu non extinguitur, sed ad mensam bene instructam sedent. Quidam ita intelligunt, quòd ignem conseruet, uel per allegoriam, quòd rebus aduersis consolatione non destituatur. Simplicissimus est primus sensus. Inuenies mulieres, quæ si uideant sibi omnia feliciter succedere, nolunt amplius laborare, sed de sua industria remittunt, & tandem in extremam egestatem incidunt. Quemadmodum illi qui literas gustarunt, putant se iam facilè posse reliqua addiscere, & postea omnium obliuiscuntur. Quædam etiam si eis succedat feliciter in sua arte, mox ad alias, quas non norunt, conuertuntur: sed sancta hæc mulier, lanificio suo incumbit, & in hac quam nouit arte se exercet.

י 19 Manus suas mittit ad fusum, & uolæ eius tenent colum.

Per כישור kischor alij colum, alij fusum, alij uerticulum intelligunt. Forsterus rectitudinem interpretatur, *Manus suas emittit in rectitudine*, id est rectè. Hæc enim uox deriuatur à כשר kaschar, quod est, rectum esse. Probantur fusi si recti sint: colus item rectus est: uerticulus quoque in capiti fusi à nentibus ponitur, ut rectè uertatur. Ad sensum nihil interest. Mulier illa sancta, si experiatur laborem suum frugiferum esse, non ad alia conuertitur, sed pristino labori incumbit, non pudet eam colum & fusum tractare: nec illa curat, quæ propriè ad uiros pertinent, quæq; muliebrem captum superant, quales sunt, controuersiæ de dogmatibus, deliberationes de negocijs ciuilibus, &c. Xenophon & Columella, diligenter discernunt negocia domestica, quæ sunt mulierum, & alia quæ foris agenda sunt à uiris. Græcus quoq; poeta mulieres admonet, res foris gerendas uiris permittant, cum dicit:

Distincta sunt uirorũ & mulierũ officia.

„ ἀλλ᾽ εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε.

Paulus itidem in 1. Corinth. 14. capite, non uult, ut mulieres in publicis populi conuentibus loquantur, sed domi maritos suos interrogent, &c. Lacedæmonij iuuenes atque puellas ijsdem artibus instruebant. Plato etiam libro 7. de legibus, mulieres ab arte equestri & alijs bellicis artibus non submouet: sed hoc nomine, à doctis reprehenduntur. Spiritus sanctus, ut obiter hoc annotem, ad colum, fusum, & uerticillum sese demittit: quis igitur illa putet omissa, quæ faciunt ad nostram salutem? Valeant nostri aduersarij, cum suis ementitis traditionibus, quibus scripturam uolunt perficere. Deinde uidemus opera illorum œconomica, in speciem cõtempta, si ex fide fiant, Deo plurimum placere. Laudat enim matremfamiliàs propter hæc opera. Proferant moniales loca scripturæ, quibus sua illa opera, ut cultum Deo gratum, laudari ostendant. Valde hac in parte peccant Papistæ, fictitia enim opera, ceremonias, & monachismum, preculas superstitiosas, uotiuas peregrinationes, laudibus efferunt. At Apostoli cum scribunt de bonis operibus, primum locum tribuunt laboribus, quos cõiuges perferunt, &c.

כ 20 Manum suam extendit ad pauperem, & uolas suas expandit inopi.

Quia multis laborem cõmendauit, existimari posset tantum congerendis opibus incumbendum esse, ostendit sanctam mulierem pauperibus manum porrigere. Sunt quædam satis laboriosæ, sed rigidæ erga proximos suos: pia matrona subleuat egentes. Nam eorum opera utitur, non omnia per domesticos suos conficit, persoluit mercedem debitam operarijs, deinde mutuò dat pecuniam pauperibus, & cum debitoribus suis non stricto iure agit. Adhæc pauperib. cõfert eleemosynã, nec parcè, sed plena manu, benignè & liberaliter. In hunc enim finem laborandũ est, ut nõ tantum nostros, sed alios quoq; subleuare posimus. Eph. 4. Aequum autem est, ut illi quibus Deus ingentes opes largitur, illis quoq; largiantur, quos ipse nobis tantopere cõmendauit. Etiã necessarijs usib. aliquid detrahendũ erat, ut alijs conferre,

& nostram

& nostram gratitudinem erga Deum testari possemus. Non minuuntur opes eleemosynis ex fide datis, sed potius augentur. Deus promittit benedictionem frumenti, uini & omnium fructuum terrę, beneficis in pauperes. De Placilla Theodosij cōiuge legitur in historijs, quòd propter humanitatem & beneficentiam in pauperes, φιλόπτωχος dicta sit. Quod autem danda sit eleemosyna, quid & quotuplex sit eleemosyna, quib. quid & quomodo dandum, quæq; cum eleemosyna pugnent, eruditè & copiosè ab alijs est explicatum.

21 Non metuit domui suę à niue, nam uniuersa familia eius, induta duplicibus (*uel cocco.*)

Æstate cogitat quibus hyeme opus sit, parat indumenta liberis, quibus hyeme propter aeris inclementiam commodè utantur. Ancillis & seruis, uel ipsa uestes promissas parat, uel curat ut commodas potius quàm luxuriosas habeant. Dat etiam operam ut rectè uestibus utantur, & ne eas statim perdant. שני schani numerale, secundus, duplicatus: hinc quidam reddunt hunc locum, *Tota domus eius induta est duplicatis uestibus.* Pellicanus intelligit de indumentis æstate & hyeme conuenientibus. Alij intelligunt coccum, ut sit sensus, *Omnis domus*, id est, familia, *Eius, induta coccineis uestibus.* Vide Santem in dictione שן schen. Puto speciem poni pro genere, ut per coccineas preciosas intelligat. Si autem preciosis uestiuntur, quanto magis necessarijs, quibus frigus arceatur? Vxor honesta, non tantum illa prouidentia in uestitu utitur, sed alijs quoque in rebus. Æstate de lignis cogitat, quibus per longam hyemem utatur, &c.

22 Tapetia parat sibi.

Vox Marbadin tapetia, aulæa uel stragulam uestem significat. Sensus est, mulierem qualis hîc describitur, non tantum res necessarias, sed ornamenta quoq; sibi comparare. Hæc enim habere, concessum est. Anabaptistæ si in domo aliqua res preciosas, ueluti tapetia, aut argentea pocula uideant, putant rem indignam esse. At artes quibus hæc conficiuntur, sunt donum Dei, & rerum illarum usus uituperari non debet. Cogitandum tamen, quid nostra conditio patiatur: cauendus quoque est luxus. Sunt quæ licet rebus necessarijs careant, hæc tamen ornamenta habere uelint: sed non cogitant hanc mulierem, labore suarum manuum acquirere, deinde maritum primarium habere, ut postea sequetur.

Byssus & purpura uestimentum eius.) שש Schesch byssus, lini genus candidissimum & subtilissimum. Lucæ 16. capite legimus diuitem bysso & purpura indui solitum. Sub his speciebus comprehendit omnis generis uestes splendidas ex lana & lino. Mulier hæc, splendido uestitu utitur. Vsus enim byssi, purpuræ, auri, argenti, pellium, honestæ matronæ concessus est. Quia uerò uestitus immoderatus, multum rem familiarem lædit, multosq; perdit, de hoc quædam annotanda sunt. Dicam autem primum de uero usu uestium: deinde de abusu, & eius grauitate: tertio loco, quomodo ei occurrendum uideatur. Vlpianus dicit: Vestimentorum sint omnia, lanea, uel serica, uel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, inijciendi, accubandi 'ue causa parata sunt, & quæ his accessionis uice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, clauiq; qui uestibus insuuntur. Vestimenta omnia aut uirilia sunt, aut muliebria, aut communia, aut familiaria, &c. Lege Baysium de re uestiaria, sed hoc loco non tam latè accipio.

De uestitu locus.

Vestimentũ quid.

Genesis 2. & 3. capite, legitur parentes nostros nudos fuisse, sed postquam in peccatum prolapsi sunt, aperti sunt oculi eorum, & partes pudendas tegere cœperunt. Deus postea eis, cum pellendi essent in exilium, fecit tunicas ex pellibus, ut turpitudinem suam tegerent, & contra frigus munirentur. Vsus igitur est uestimentorum tegere partes pudendas, frigus & æstum arcere. Adhibentur etiam ad ornatum. Natura autem dictat, pro ætatis, sexus, ordinis, loci, temporis ratione uariari: alia enim uestis decet iuuenem, alia senem, &c. Purpura & bysso indui, auro, argento ornari, ex se non est illicitum. Sunt enim creaturæ Dei bonæ, ad usum aliquem conditæ. Artificia quoque, Dei donum sunt, nec debent reprehendi. Principibus & magistratibus, propter illos, qui externa tantum mirantur, plus quàm alijs conceditur. Quintilianus libro octauo dicit, Cultus concessus atque magnificus addit hominibus, ut Græco uersu testatum est, authoritatem. At muliebris & luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. Hac de re lege prouerbium, Vestis uirum facit. Principes non reprehenduntur in sacris literis, propter cultiorem uestitum. Christus seruator noster Matthæi 6. cap. meminit cultus Solomo. Modum tamen in hoc, & alijs etiam reges seruare iussit lex Dei, Deute. 17. cap. Non enim tam splendido uestitu, se commendare debent subditis suis, quàm uirtutibus, sapientia, iusticia, fortitudine. Mulieres etiã mariti uitio, inter-

Origo & usus uestimentorum.

dum se ornare coguntur: modum tamen non excedant. Hæc breuiter de prima parte.

Luxus uestimentorum. Secundo loco dicendum est de abusu uestimentorum, qui latisimè patet: nullus enim ferè est, qui non immoderato cultu corporis utatur. In omni sexu, ætate, ordine, homines reperiuntur, qui hac in re peccant: uiri, mulieres, iuuenes, senes, cõcionatores, magistratus, hac in re decorum nõ seruant, sed modum excedunt, & uestibus ad ostentationem & superbiam abutuntur. Hieronymus ad Demetriaden scribit: Digna res uisu, imò planctu, incedentibus dominis, ancilla uirgo procedit ornatior, ut pro nimia consuetudine, quam incomptam uideris, dominam suspiceris. Peccatur in materia. Vestes sunt bysinæ, holosericæ, auro argentoq; intertextæ. Vel si tota non sit talis, tamen limbis & fascijs preciosis circumdatur. Peccatur in quantitate, nimis enim breues sunt, non tegunt partes pudendas. Dauid cum Ammonitæ legatis suis uestes truncassent, bello hanc iniuriam uindicandam censuit. Sunt qui multas uestes in arca condant, interim tot frigore laborantibus. Peccatur in forma: nam uestes secantur in minimas partes, postea colligantur uinculis preciosis: quotidie noui aliquid excogitatur, nunc Italicæ, nunc Gallicæ, nunc Turcicæ inuehuntur, ut sarctores nõ immeritò querantur: quotidie enim noua discere eos necessitas compellit. Ars quoque materiam superat. Si à capite ad pedes descendas, & omnia uestimentorum genera consideres, in uiris & mulieribus, magnam luxuriam reperies: in pileo, thorace, caligis, calceis, &c. Quidam etiam in luctu ostendunt superbiam. Maximè uerò in cœtibus sacris, non sine magno peccato. Nam si quis supplicium sibi debitum deprecaturus, superbo uestitu in consessum senatus prodiret, magistratui illudere uideretur: & nos oraturi in templum tali habitu uenientes, an non iram Dei de nouo prouocamus? An igitur, inquis, sordido, squalido & pannoso uestitu utendũ est? Hoc non dicimus. Quemadmodum in plerisque omnibus, ita in uestitu, ut rectè dixit Cicero, mediocritatem esse optimam. Non debet nimis superfluus esse, nec nimis frugalis, & multò minus hypocriticus, qualis est Monachorum, quorum alius nigro, alius albo, alius alio colore uestitur. Si quis non sui ordinis colore uestiatur, metuit ne cacodæmon subitò ipsum ad tartarum abripiat.

Quales debeant esse uestes.

Abusu uestimẽtorũ grauiter peccatur. Plurimum falluntur qui nihil referre putant, etsi sumptuoso uestitu utantur. Luxu enim illo ualde peccatur. Primùm peccas contra Deum, qui per suos Apostolos Paulum & Petrũ, luxum illum reprehendit in mulieribus. Virorum quidem non meminerunt, uel quia tam uani illis temporibus non erant, uel quia quiuis colligere potest, si mulieres hæc dedecent, multo magis uiros, in quibus maior debet esse grauitas.

Deus læditur.

2 *Proximus læditur.* Deinde offendis proximum tuum. Multi enim si uideant homines, qui Euangelium profitentur, tam sumptuosè uestiri, statim ueram doctrinam conuitijs lacerant: multi ad libidinẽ accenduntur: utq; est uulgus natura φιλόκαινον & φιλόκοσμον, has ineptias mox imitatur. Oritur etiam contentio quædam, statim enim alij quoque sic uestiri & ornari uolunt, nec spectant quantum possint, sed quid alij fecerint. Atq; ita periclitatur multarum pudicitia.

3 *Nosipsi lædimur.* Adhæc pauperibus Christi multum detrahitur. Lædis etiam teipsum: putas te fore in maiore precio, si sumptuoso uestitu utaris, sed hac ratione reuocas in memoriam hominum tua scelera & maiorũ tuorum, iam sepulta. Spolias maritum & liberos. Cogeris tua alijs oppignorare, & tandem uias malas quærere, ut sumptus suppetat. Deus quoq; grauissimis pœnis superbos illos homines persequitur. Egregius extat locus Isaiæ 2. cap. Zephonias 1. cap. inducit Dominum dicentẽ, quòd ultionem exigere uelit de principibus, filijs regis & peregrino cultu utentibus. Obijcitur nobis uestitũ rem esse externã, neq; iustificare quenquã, neq; condemnare. Respondeo, uerũ quidem hoc esse, sed tamen Deum præscibere modum qui seruari debeat. Deinde nobis posset obijci, matronam hanc bysso & purpura, ancillas eius cocci no uestiri. Respondeo: Nobilem & patritiã describi. Deinde hic quoq; sensus esse potest: Ex *bysso & purpura conficit sibi uestes*, nempe ut uendat: sed antè diximus, bono loco natas, splendidiores uestes decere. Quod uerò de ancillis obijcitur, ex superioribus dilui potest.

Deus punit luxum uestimentorum.

Abusus quomodo emendandus. Tertio loco uidendum quomodo resistendum sit huic luxui. Magistratus leges ferre deberent contra hunc luxum, & iam latas tueri. Apud Aristotelem magistratus ponitur Gynæconomos, cuius partes sint, cauere ne muliebris mundus aut modum excedat, aut parum ætati ac conditioni congruat. Romani legem habebant Oppiam, qua cautum fuit, ne qua mulier, auri plus semuncia haberet. Hanc Cato consul Roma. apud Liuium magna contentione defendit. Omnes Respublicæ bene constitutæ, leges uestiarias habuerunt, quæ hodie dormiunt, tantum cuique licet quantum libet. Concionatores quoque huic malo indies crescenti, succurrere debebant, & curare, ne uxores & filij ipsorum tam sumptuosè incederent, & luxu non tantum mercatores, sed nobiles quoq; uincerent, quemadmodum audio quibusdam in locis usitatum esse. Tertullianus & Cyprianus libellos scripserunt contra

tra immoderatum illum fœminarum cultum. Chrysostomus quoq; & alij Patres, multis locis, hanc pestem ferro atq; igni persequuntur. Parentum quoq; erat liberos rectè uestire & ornare. Quisq; cogitare debebat, se Christianum esse, ciuem cœlorum, & uera ornamenta fidem esse & bona opera, de quibus mox quædam annotabimus. Adhæc homines, maximè autem uirgines, nullo cultu magis ornantur quàm simplici. Cum Dionysius Siciliæ tyrânus Archidami filiabus uestes splendidas & preciosas mitteret, recusauit accipere, dicens, Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes uideantur. Sed de his satis.

23 *Conspicuus est in portis uir eius, cum sederit ipse cum senioribus.* נ

Mulieres maritos sæpe perdunt: nam si sint rixosæ, mariti se ex hac tempestate, ad bonos socios, tanquam in portum recipiunt, & sic decoctores fiunt. Si uxores sint prodigæ, mariti non possunt emergere, sed conflantes æs alienum, sæpe coguntur fidem fallere, & foro cedere. Si sint impudicæ & adulteræ, mariti prorsus contemnuntur, ac si conscij sint, & ita arcentur à gubernaculis. At si quis uxorem honestam habeat, parare potest honestas opes, & consequi gradum aliquem in Repub. Ideo dicit, maritum eius in consessu iudicum honestum locum habere. נודע noda, illustris, clarus, notus, celebris est, & magnæ authoritatis. Cur in portis olim iudicia exercuerint, & cur senes Reipub. gubernaculis præficiantur, alibi exposuimus. Per sessum significatur quod animo conquiescente & tranquillo non turbato affectibus, efficiat quæ debet, quodq; attento non oberrante animo, litigantes in foro audiat. Sedere etiam consultare significat. Vergil. libro nono Æneidos dicit: Turnus sacrata ualle sedebat. Vbi Seruius dicit, sedere apud antiquos consultare, curare ac consyderare significabat. *Sedere.*

24 *Sindonem facit ac uendit, atq; cingula tradit mercatori.* ס

Sindon est linum subtilissimum, à Sidone urbe dictum, ut quidam uolunt, quòd in ea primum fieri cœperit. Suprà dixit, eam agrum emere, scilicet, de consensu & uoluntate uiri, iam dicit, eam uendere telam & cingula. Concessum igitur est pijs contrahere, id est, emere, uendere, locare, conducere. Lydia illa purpuraria, purpuram uendidisse legitur Actor. 16. capite, nec eam Paulus hoc nomine reprehendit. Si contractus non essent liciti, hæc matrona non laudaretur hoc nomine, quòd emit & uendidit. Necessarij sunt contractus Rebuspub. Cauendum tamen est, ne in uendendo (cuius hîc fit mentio) alios fraudemus, sed demus eis, quod eis debetur: deinde ne nimium petamus pro re aliqua. Sed quis certum modum seruare potest? Certa regula omnium pectoribus est insculpta, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Facit hic locus etiam contra illos, qui communitatem bonorum inducere conantur. Habent adhæc artifices illi, hoc loco consolationem, qui ea conficiunt, quæ ad ornatum corporis potius pertinent, quàm necessarium usum. De Paulo Act. 18. legitur, quod ex pellibus tentoria pro militibus pararit. Aliquando in conscientia uruntur artifices illi, ut aurifabri, sarctores, netrices, machæropœi, sed audimus, hanc laudari hoc nomine, quòd sindonem & cingula fecerit, &c. Vetus uersio habet, *Cingulum tradidit Chananæo.* Vox enim Hebræa æquiuoca est, nam est nomen proprium populi, & appellatiuum significans mercatorem seu institorẽ. *Contractus sunt liciti.* *Consolatio artificum.*

25 *Fortitudo & decus indumentum eius.* ע

Antè dixit, uestitum eius esse byssum & purpuram: usu preciosarũ uestium, ut suprà diximus, non prorsus interdicitur fœminis, interim tamen uidere debent quid ætas & conditio earum ferat. Luxus quoq; & superbia cauenda est, & imprimis curandum, ut uirtutibus ornatæ sint. Ferè aũt fit, ut quanto magis corpus, tantò minus animũ ornatum habeat. Quemadmodum Bonifa. episcop. in Triburien. concilio dicebat, quãdo sacerdotes habuimus aureos, ij uasis ligneis utebãtur: nunc cũ ligneos sacerdotes habemus, aureis uasis utuntur. Quibus aũt rebus fœminæ debent ornari? Duæ hîc ponuntur, fortitudo, & decor uel gloria. Fortitudo, ut Cicero scribit 2. Tuscul. est scientia perferendarum rerum, uel affectio animi in patiendo & perferendo, summæ legi parens sine timore. Medium tenet inter timorem & audaciã. Mulieres natura sunt pauidæ & formidolosæ: deinde multi labores & molestiæ eis perferendæ sunt, requiritur igitur fortitudo, quæ magnum est mulierum ornamentum. Viri autem propria maximè est fortitudo, & ualde necessaria. Alterum quod hîc ponitur est gloria, quæ ut Cicero dicit, est consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de excellenti uirtute. His duabus rebus complectitur omnes uirtutes quibus præditæ esse debent mulieres, quæ partim in hoc encomio, partim alibi recitantur, & uarijs exemplis piarum matronarum proponuntur. Petrus in priore sua epistola cap. 3. Paulus 1. ad Timoth. 2. cap. etiam de spirituali & interiore cultu fœminarum loquuntur. *Vera ornamenta mulierum.* *Fortitudo.* *Gloria.*

Et ridebit in die nouißimo (aut in posterum.) Per risum gaudium intelligit. Sic Lucæ 6.cap. Beati qui nunc fletis,nam ridebitis,hoc est,gaudebitis.Nihil facit,cuius eam postea pœniteat.Laborat manibus suis, & tempore senectutis cum gaudio partis fruitur,liberos religiosè instituit,honestas opes eis relinquit, studet pietati & uirtutibus:contemnit igitur sycophantarum morsus,ita enim se gessit,ut nemo maledicis illis fidem adhibeat. Plato cùm quidam ei narraret,esse nonnullos qui eum maledictis insectarentur: At ego,inquit,sic uiuam, ut illis non habeatur fides. In nouissimo quoque die, tranquillo est animo. Quisque duos habet nouissimos dies. Vnum quo anima à corpore diuellitur: alterum,quo omnes comparebimus ad Christi tribunal. Delicatæ uerò, auaræ, mœchæ, in senectute, quando contemni incipient,in magno erunt mœrore. Fatali quoque hora imminente,ualde consternabuntur, & mortis mentionem perhorrescent. Alij quoq; hæc ad se transferre debent, & suum facere officium,ut in nouissimo die,læti & alacres ad tribunal Christi comparere possint.

ב 26 Os suum aperit prudenter, & lex misericordiæ seu benignitatis, uersatur in lingua eius.

Quid sit aperire os,suprà 8.uersu habuimus. Sensus est, summa modestia,decenti corporis gestu atque prudentia loquitur. Nec simpliciter dicit,hortatur suos ad misericordiam, sed lex misericordiæ est in lingua eius,quod,ut mihi uidetur,perinde est ac si dicat, præscribit sibi quasi legem,ut nihil dicat,quo alijs non prosit. Mulieres natura garrulæ sunt,ut illa apud Plautum in Asinaria dicit: *Mulieres garrulæ.*

„ Nam meritò loquaces habemur omnes,
„ Nec mutam profectò repertam ullam esse
„ Hodie dicunt mulierem,ullo in seculo.

Huius generis plurima extant passim apud poetas: & profectò multæ sedulo student,ne poetæ uana scripsisse de eis uideantur. Hæc itaque rarò loquitur, scit silentium magnum esse ornamentum, non omnia dicit quæ nouit, sed summa prudentia in loquendo utitur,liberos non imbuit prauis opinionibus & superstitionibus, uanisque fabellis. Maritum placidis uerbis ab asperitate abducit. Multæ maritos ethnicos suo sermone & morum commoditate ad ueram religionem flexisse leguntur. Hammani uxor in eo peccabat, quòd maritum incitabat contra Mardochæum. Pilati uxor in hoc laudanda est, quòd maritum à scelere auocare per somnium conabatur. Hæc matrona paci & quieti consulit, familiam cum ad alias uirtutes,tum ad misericordiam egentibus præstandam hortatur. Ab obtrectatione sibi cauet. Si cum uiris loquendum sit,citò se expedit. Cantu quoque,non nisi pio & prudenti utitur. Stultæ uerò imprudenter & impudenter loquuntur, cum uiris ad multas horas fabulantur. Huc pertinet locus ille ad Ephesios quarto capite: Nullus sermo *σαπρός* turpis, putris, carie uitiatus (metaphora sumpta à lignis) ex ore uestro procedat: hoc est,qui non facit ad ædificationem, ut sunt ociosi sermones, obscœni & turpes, detractio, blasphemia,&c.Non autem satis est sermonem nostrum innoxium esse,sed debet utilis esse: ideo addit,si quis bonus est ad ædificationem, ut instauret bonos mores,& homines meliores reddat. Subijcit, quoties opus est,non sit intempestiuus,non plus loquamur,quàm necessitas requirit. Vt det gratiam audientibus, hoc est, ut acceptus sit,& consolationem afferat.Causam assignat, Ne contristetis spiritum sanctum, per quem obsignati estis in diem redemptionis.Spiritus sanctus (qui certos nos reddit,quòd simus filij Dei,ut magna spe expectemus eum diem, quo ab omni malo liberabimur) abusu sermonis offenditur.

ז 27 Speculatur itinera domus suæ.

Hoc est,statum familiæ,studia,opera,solicitè inspicit, consyderando quid desit domi suæ, quid superfluat,quid emendum,uendendum, sarciendum,famulabus & filijs officium præscribit,operi intentis adest,dum nent,dum texunt, dum coquunt.Nisi enim in magna familia hoc fiat,nihil efficitur.Absentibus heris serui omnia faciunt indulgentius, & peccant liberius.Hinc Æschylus in Tragœdia cui titulus Persæ, domini præsentiá oculum domus uocat:

„ *ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότων παρουσίαν.*

Quod quidam dixerunt,nihil magis uel equum saginare, uel aruum uberare,quàm domini oculum,ad rem domesticam quoq; transferri debet. Nihil enim est quod magis conducat in re familiari,quàm diligentis mariti & uxoris oculus. Deinde consyderat quo ingenio, quibus moribus singuli sint prædici, quid dicant, quid faciant, cauet ne turpe quid committant,ne alijs obtrectent, &c. Videt etiam quo' nam domestici eant,an nocte domi sint, item qui' nam ad eos ingrediantur,& per quas uias,&c.*Domus suæ* dicit,Non curiosè inquirit,

quid

quid in aliorum ædibus fiat, sed quæ recta aut praua domi suæ gerantur, attendit, non alienis negocijs se immiscet, non hinc inde ociosa uagatur.

Panem pigritiæ non comedit.) Aliena est non tantum ab ocio, sed etiam à pigritia, perpetuò labori incumbens. 2. Thes. 3. cap. Lex ponitur à Paulo, ut qui non laborat, non manducet. Deus Adamo præceperat, ut in sudore uultus sui pane uesceretur. Varius autem est & multiplex labor. Labor in hac sanctæ fœminæ descriptione subinde commendatur. Præcipuum enim est uxoris decus, ut laboret: magis ornant mulierem callosę manus, quàm annulis rigentes. Aristoteles quoq; lib. 1. Rhetoricorum φιλοεργίαν in muliere commendat, quam cum temperantia ac pudicitia coniungit: labore enim hæ uirtutes conseruantur.

28 Surgent filij eius, & felicem eam prædicabunt. ק

Illa mulier, suos ad honorem Dei instituit, castigat eos, neq; uerbis neq; factis eos malos efficit: ideo cum adoleuerint, eius beneficia multa & magna prædicant, gratias ei agũt quod castigarit eos, eamq; subleuant auxilio. Si hinc migrauerit, honorificam defunctæ mentionem faciunt, eius dicta & facta, non sine honoris præfatione, recitant.

Et maritus eius laudabit eam.) Hoc est, probat eius pietatem & industriam, eamq; magno amore prosequitur. Non alias mulieres laudat, aut concupiscit, suam uxorem ardenter diligit. Non decet prudentem maritum, uxorem suam immodicè laudare, alijs audientibus. Periculosum enim hoc est, & leuitatis indicium: uulgò dicunt, uxores uenales habere, qui eas ita laudant. Quidam etiam laudibus illecti, cogitant de adulterio. Collatinus Tarquinius intempestiua laudatione uxorem suam Lucretiam amisit. Candaules rex Lydiæ, ut scribit Herodotus, alteri uxorem nudam contemplandam cũ adduxisset, ipsa illum quoq; contẽplata est, & ita miser nõ solum uxorẽ suã, sed regnum & uitã deniq; amisit. Non de hac stulta laudatione loquitur scriptura, sed de eo quod maritus eã amore prosequatur. Si migrãdum sit ex hac uita, prospicit uxori & gratũ se pro officijs sibi præstitis exhibet. Sin ipsa prius decedat, meritorum eius non obliuiscitur, & honorificam eius mentionem facit. Alij quoque honorificè de ea sentiunt. Mulieres quoque non debent laudare alios maritos, sed suis contentæ esse.

Laudare uxorem.

29 Multæ filiæ parauerunt opes, tu uerò ascendisti super omnes eas. ר

Multæ sunt quæ maritis suis ingentem dotem afferunt, uel alioqui opes magnas colligunt, sed parum honestè. Deinde fiducia illarum opum nihil discunt, nihil agunt, sed eas luxu absumunt. Hæc igitur quæ honesto labore facultates collegit, neque se ocio corrumpendam dedit, meritò alijs præfertur. Potest etiam legi, *Multæ uirgines fecerunt fortitudinem*, hoc est, ea quæ sunt fortitudinis, sed quæ prædictas conditiones habet, omnes mulieres excellit. Putant autem quidam, hæc esse uerba liberorum & mariti, quibus illi laudent matrem, hic uxorem.

30 Mendax est gratia, & uana pulchritudo. ש

Tacitæ obiectioni respondet, quare inter laudes sanctæ matronæ, gratiam & pulchritudinem, quæ duo homines maximi faciunt, non posuerit. Ratio in promptu est. Quia tam gratia, quàm pulchritudo, bona sint fallacia & fragilia. De utroque uidendum. חן chen, gratia uel fauor, donum est Dei, quando homines bene alicui uolunt, eiusq; amicitiam expetunt. Paratur beneuolentia, affabilitate, & alijs uirtutibus: quanquam non omnes grati sunt, qui uirtuti student, & omnibus inseruire parati sunt. Neque bonum hoc est perpetuum: homines enim sunt mendaces, iam aliquem euehunt ad cœlum, mox ad inferna deprimunt. Imprimis uerò infideles ad quamuis auram mutantur. Cauendum itaque est, ne nimium fauori hominum tribuamus. Si pijs probemur, satis nobis sit. Malo probari bono, dicit ille, quàm multis malis. Si retinere fauorem Dei & hominum, simul non possumus, hominibus uale dicamus. Non possumus, ut Dominus Matthæi sexto capite dicit, duobus dominis seruire. Paulus ad Galatas primo capite dicit, Si hominibus placerem, seruus Christi non essem. Homines suam iusticiam magnifaciunt, gloriantur de sceleribus, sed ministri uerbi, reijcere nostram iusticiam & accusare scelera debent. Hinc accenduntur odia erga ministros. Non autem minister frangi debet, & suo officio deesse, ut fauorem hominum retineat, sed præcepta, promisiones, comminationes Dei, item piorum doctorum exempla, in conspectu habere. Idem magistratus & omnes alij cogitare debent. Deus potest nobis, si utile sit, hominum gratiam conciliare.

Gratia.

Forma est apta quædam mẽbrorum figura, cum coloris quadam suauitate. Bonũ est exiguũ & fragile. הבל chæuel, uanitas, id est, res quæ non est quidpiam aut quæ citò desinit. Si sit fucata, spongia abstergitur. Si sit naturalis, mox deflorescit, quando aliquis uel non bene curatur, uel luxuriosè uiuit. Morbis quoq; forma immutatur. Vna febricula, ex formosissimo

Forma.

deformissimum facere potest. Senium item formæ dignitatem aufert. Mors deniq; omnes æquat. Lucianus fingit Nireum & Thersitem, quorum illum formosissimum, hunc turpissimum ad Ilium uenisse Homerus scribit, iudice Menippo apud inferos contendere de formæ præstantia, caluaria autem non posse ab eo discerni. Quemadmodum arbores uerno tempore folijs ornantur, quæ hyeme amittunt: sic homines formosi accedente tristi senectute, deformes redduntur. Flaui capilli nigrescunt, imò canescunt, cutis contrahitur. Isaiæ quadragesimo capite, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. De hac re multa ex poetis afferri possent: nos paucula duntaxat adijciemus, ad illustrandam hanc sententiam. Ouidius dicit:

„ Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
„ Fit minor, & spacio capitur illa suo.
„ Nec semper uiolæ, nec semper lilia florent,
„ Et riget amissa spina relicta rosa.
„ Et tibi iam uenient cani formose capilli,
„ Iam uenient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Seneca in Hyppolito:

„ Anceps forma bonum mortalibus,
„ Exigui donum breue temporis,
„ Et uelox celeri pede laberis, &c. Et mox:
„ Vt fulgor, teneris qui radiat genis,
„ Momento rapitur, nullaq; non dies
„ Formosi spolium corporis abstulit.
„ Res est forma fugax, quis sapiens bono
„ Confidat fragili, &c.

Forma causa multorũ malorum. Nec tantùm fragile bonum est, sed etiam causa multorum malorum, præsertim si in malos incidat, qui propter formam insolescunt, & ad libidinem accenduntur. Multi propter formam à mulieribus appetuntur, & in adulterio deprehensi iugulantur. Multæ uirgines propter formæ præstantiam solicitantur ad stuprum. De hac re Iuuenalis Satyra decima, pulchrè scribit. Iosephus pius adolescens, propter pulchritudinis gratiam, in magnum periculum incidit. Absalom efferebatur superbia, propter speciem insignem, tandem miserè perijt. Ipsi quoque mariti, qui tantummodo spectant formam, si illa pereat, uxores suas non amplius diligunt, sed animum suum aliò conferunt. Sæpe quoque fit, ut sub pulchra forma monstra scelerum lateant. D. Chrysostomus tales dealbatis sepulchris cõparat. Alius quidam, corpus speciosum fœminæ, sterquilinio quod candido uelo operitur. Ne igitur nimium formæ confidas, ne ob eam glorieris, neq; amissam indignè feras: cogita multa accidere posse, quæ pulchras corporis partes corrumpere possunt. Da potius operam, ut non tam forinsecus, quàm intrinsecus pulcher sis. Vera pulchritudo, in animo sita est. Propertius: Ampla satis forma pudicitia. Euripides: Animus spectandus est, nihil pulchritudo iuuat, cum quis mentem non bonam habet. Idcirco Stoici sapientem solum uocabant pulchrum. *Ornamenta interiora.* Ornamenta interiora sunt uirtutes & disciplinę. Ouidius quoq; postquam ostendit formam fragilem esse, subiungit:

„ Iam molire animum qui duret, & astrue formam
„ Solus ad extremos permanet ille rogos.
„ Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
„ Cura sit, &c.

Philosophi quoq; hortati sunt suos sectatores, ut si pulchri essent, nihil sua pulchritudine indignum facerent. Vide suprà cap. 11.

Mulier uerò quæ timet Dominum, illa laude est digna.) Per timorem Dei, cultum Deo placentem, pietatem & quod Græci dicunt θεοσέβειαν, intelligit, ut quis peccata sua cognoscat, & fiduciam in Dei misericordiam per Christum collocet. Et hoc maximum est matrisfamiliâs ornamentum.

13 **Date ei de fructu manuum eius.**

Conuertit sermonem ad eius maritum & liberos: maritus uxorem senio & laboribus confectam, non debet contemnere, sed ei necessaria suppeditare. Æquum est ut fructum manuum, id est, laborum percipiat, quæ laborauit. Grauiter illi obiurgantur, qui aniculis quæ ex Babylonica captiuitate redierant, expulsis, alias, ducebant. Liberi quoque matribus suis gratiam referre debent. Matres enim sæpenumero genium suum fraudant, ut filios alere pos-

re posſint. Grauiſsimè peccant qui nihil luxui detrahunt, ut parentes ſenio confectos alant. Omnes quoq; alij homines, pijs matronis fauere debent.

Et *laudent* (uel laudabunt) *eam in portis opera eius.*) Hoc eſt publicè, uel coram ſenioribus & ſapientibus (qui in portis ad conſulendum & iudicandum ſedebant, ut omnibus ad ipſos pateret acceſſus) ut aliæ etiam ad uirtutes accendantur. Si quid coram iudicibus agendum, laudem ſuæ probitatis feret: non eodem loco turpis habebitur: magiſtratus eam defendet.

Et hæc annotare uolui de laude lectiſsimæ huius fœminæ. Exempla talium mulierum extant quædam in ſcripturis, Saræ, Rebeccæ, Rachelis, &c.

Hæc uerò omnia maritis quoque ex parte adaptari poſſunt. Nam & illi ſuis uirtutibus ornati eſſe debent. Quæcunq; maritum uirtutibus præſtantem nacta fuerit, donum habet auro & gemmis precioſius. Ei tutò credit cor uxoris eius, res quoque non decreſcunt. Rependit uxori bonum & non malum, toto uitæ tempore. Quærit in tempore res neceſſarias, & manibus ſuis libenter operatur. Similis eſt naui mercatoriæ, quæ non tantum auehit, ſed etiam conuehit. Surgit de nocte, ut ſeruis præſcribat. Cogitat de fundo eumq; comparat, & pecunia labore ſuo collecta, uineam plantat. Se ad laborem accingit. Intelligens quàm utilis ſit labor eius, magis ad laborandum incenditur. Et ita deinceps. Sunt enim mariti, qui ſedulitatem in omnibus laboribus œconomicis, ab uxoribus tantum putant requiri, ipſi interim ignauiæ ſe corrumpendos tradunt, cùm ipſis non minus quàm uxoribus, ſuum officium ſacræ literæ præſcribant.

Encomium boni mariti.

FINIS COMMENTARIORVM IN PROVERBIA SALOMONIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Deus

E

F

Inferi

Sepulturæ

T

V

FINIS.





